FABRITIJ PAULUTIJ FOROLIUIENSIS ... IN ACTUS, ET EPISTOLAS...

Fabrizio Paolucci, Giovanni Battista Coccini






ROMA

FABRITII PAVLVTII FOROLIVIENSIS PRIMI EPISCOPI CIVITATIS PLEBIS.

IN ACTVS, ET EPISTOLAS PAVLI, AC ALIORVM APOSTOLORVM, ET APOCALYPSIM COMMENTARII.






ROMAE,
Ex Typographia Gulielmi Facciotti.
M. DC. XIX.

SVPERIORVM PERMISSV.


Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſgerens.



EX commiſſione Reuerendiſſimi Patris Fratris Hyacinthi Petronij Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici, cum magna animi mei oblectatione, & ſpirituali recreatione diligenter legi, & recognoui *Commentaria in Acta, & Epiſtolas Diui Pauli, & aliorum Apoſtolorum, & in Apocalypſim* ab Admodum Illuſtri, & Reuerendiſſimo D.D.Fabritio Paulutio Primo Epiſcopo Ciuitatis Plebis edita, & nihil in eis ſanctæ Fidei contrarium, ac bonis moribus obſtans inueni, immo ſummam eruditionem cum magna claritate, & breuitate coniunctam; pauciſſimis enim verbis ſenſum literalem ità exactè, & acutè Auctor ſequutus Sanctos Patres explicat, vt nihil ampliùs deſiderari poſſit. Quarè cenſeo quod ſi typis expreſſa in lucem prodierint, non parua ad Dei gloriam, & proximorum eruditionem publica proueniet vtilitate. Datum Romæ in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam die 9. Octobris 1619.

F. Bartholomæus Aumoñ Sac. Theol. Magiſt. Ord. Præd.




PErilluſtris, ac Reuerendiſſimi D. D. Fabritij Paulutij Primi Ciuitatis Plebis Epiſcopi *Commentaria in Acta Apoſtolorum, & Epiſtolas Diui Pauli, aliorumq; Apoſtolorum, necnon in Apocalypſim.* Ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris Fratris Hyacinthi Petronij Sacri, & Apoſtolici Palatij Magiſtri, vidi, & in eis nihil Catholicæ Fidei Romanæ Eccleſiæ, ac bonis moribus contrarium, ſed ſummam Auctoris exercitationem, nec non eruditionem reperi. Quarè digniſſima cenſeo vt in publicum prodeant, & ad proximorum vtilitatem omnium ſtudioſorum manibus circumferantur. Datum Romæ in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam die 23. Octobris 1619.

F. Vincentius Bartholus Sac. Theol. Mag. Ord. Præd.

Imprimatur. F.Gregorius Donatus Romanus, Magiſter, & Socius Reuerendiſſimi P.Fr.Hyacinthi Petronij Romani, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, Ordinis Prædicatorum.





PAVLO V.
PONTIFICI
OPTIMO
MAXIMO.

FABRITIVS PAVLVTIVS
EPISC. CIVITATIS PLEBIS. F.





VANGELICO in agro ſacras ſpicas legentem me(Beatiſsime Pater) amor, quamquàm ardui, tamèn apprimè frugiferi operis ità iucundè tenuit, ac paulatim blàndè prouexit, vt per cæteras Teſtamenti noui ſegetes penè non ſentientem deduxerit. Itaquè non Apoſtolicorum modò Actuum amœniorem, & quaſi apertam planitiem decurrere; Iacobiquè, & Petri, item Ioannis, & Iudæ modica, at ſpiſſa obire arua, ſed Doctoris quoquè gentium, ac diuinæ Apocalypſeos nun-

quàm

quàm ſatis colluſtrata, ne dum demeſſa. & nouis quodammodò ſubnaſcentibus ex meſsione frugibus denſa latifundia penetrare, ac perueſtigare ſtudij fuit. Porrò quod ſpicilegij eſt proprium, vt frumenta tametſi pauciora, quàm meſsis, tamèn puriora congreget, id me vt aſſequutum affirmare non auſim, ità ſequutum non dubitem profiteri. Ceterùm quicquid collegi, decuſsi, euentilaui, illìc repono, & condo, vbì primitias dedicaui, ad Sanctitatis Veſtræ pedes. Tradoquè, ac dico impulſu eodem, conſilio pari, ſtudio verò tanto maiore, quanto cumulatius poſtulat Sanctitatis Veſtræ clementia nouis ergà me documentis, vel his ipſis benignè reſpiciendis laboribus explicata. Deus Optimus Maximus quàm diutiſsimè Eccleſiæ ſuæ, hoc eſt agro ſuo, veſtram cuſtodiam ſeruet: efficiatquè, vt hæc, quatenus ex me proficiſcuntur, tenuia grana, tamèn & ſua cæleſti origine, & propitio Beatitudinis Veſtræ reſpectu viuida, ac generoſa ad ſalutarem quàm plurimorum eſcam, & ſemina immortalitatis ſpargantur.

IN

IN ACTVS APOSTOLORVM PRAEMISSA.





REAVIT Deus de terra hominem, & iuſtitia originali veſtitum, gratijſquè, ac prærogatiuis ornatum poſuit in paradiſo voluptatis, quem plantauerat omnibus delitijs refertum. Geneſ. 2. 8. & 15. vt operaretur, & cuſtodiret illum, iubens ne comederet de ligno ſcientiæ boni, & mali; in quocumque enìm die comediſſet morte moriturum; tùm ne otio torperet, & ad vetita traheretur, tùm vt diſceret abſtinentiam, quam voluit adeò illibatam, vt pœna omnium maxima illam munierit: Peccauit is ſuggeſtu diaboli Eua deluſa, edens de ligno vetito, & cum peccanti locus ille non conueniret, eiecit illum Dominus, & repoſuit in terram, de qua ſumptus erat iàm ob peccatum à Deo maledictam, vt operaretur illam. Gen. 3. cauens ſempèr ne otio frangeretur. At ſerpens etſi à Domino reprehenſus, & ad bellum prouocatus, in quo mulierem contrituram caput eius prædixerat, quaſi mundo ob peccatum Adami potitus, tentationibus, & ſuggeſtionibus ſuis, & Cain in Abel, & homines vniuerſos, etiàm Dei Filios in eam carnis corruptionem incendit, & induxit, vt Deus diluuio omnem carnem deleuerit, ſublato priùs Enoch venturo tempore Antichriſti ad paradiſum voluptatis. Gen. 5. Eccl. 44. & ſaluis vnà cum Noe caſto vſq. ad 500. annũ, & puro à libidine ex Chryſoſtomo, octo animabus tãtùm in Arca, priùs ad centum viginti annos pœnitentiam, & meliorem vitæ frugem in hominibus præſtolatus. Mundo ab aquis expurgato, & Noe cum ſuis ex arca educto, iterum opus mandat, vt numquàm requieſcant. Gen. 8. 14. & 9. & quaſi mutato conſilio iurauit Deus Noe ſe non ampliùs mundum diluuio purgaturum, quod Iridis apparitione firmauit, ne homines deterrerentur; ſic eadem de cauſa. 2. Reg. 7. cum Dauid dixit ſe non acturum cum filijs ſuis, proùt cum Saule, & filijs eius egerat. At eo quòd Noe ex plantata vinea, hauſto vino inebriatus eſſet, diabolus ſeduxit Cham, vt patrem nudatum irrideret, & Chanaam filius ſuus maledictione auita percuteretur; & mundum peccato Sodomiæ auxit, quod Deus igne purgauit, & totum idòlolatria repleuit, ità vt niſi miſericordia interceſſiſſet, iterum delendus fuerit. ſed Dominus perſiſtens in eo, quod dixerat mundum vniuerſum diluuio non deleturum, & ad alia extendens, cogitauit mundum ſensìm auocare ab idòlolatria, & vitijs, quod vno momento vix fieri poterat ſecundùm hominem, & conſtituere Emporium, ſeù penu magnum ſcientiæ Dei, & cælorum, ex quo omnes homines emerent, diſcerent, informarentur, & à via mala auerterentur, donèc mitteret filium ſuum doctorem, & redemptorem: & ſegregare populum, & genus, ex quo ipſe carnem ſumeret; & conij-

ciens oculos in Abraham filium Thare idòlolatræ, (cur potiùs Abraham, ne quæras, sed: O altitudo,&c.) iussit illi egressum de terra, cognatione, & domo patris sui ad terram ei demonstrandam, promittens illi maxima, & per multas regiones duxit hominem probum, vt omnibus conspicuus exemplo suo alios attraheret; dixit & ei daturum semen, ex quo oriretur Messias, instituitquè ei circuncisionem in signum fœderis, & fidei Abrahæ pro se, suisquè descendentibus, & populo segregando. Isaac fuit ei filius legitimus ex Sara, ex quo Iacob, quibus renouata promissio; ex Iacob duodecim patriarchæ, ex quibus duodecim Tribus,& populus totus Israeliticus. Ea autèm fuit cura Dei ergà hunc populum, vt cùm Iacob fame premeretur,illum in Aegyptum cum suis transtulerit pascendum, præmisso Ioseph filio Aegypti ex seruo Saluatore, ibiquè populum ad magnum numerũ propagauit, & per 400. annos, vel circà in seruitute retinuit vt disceret pati, & sustinere, & fieret selectior, & tandèm ex Aegypto ferè innumerabilis ex animabus 72. in signis, & prodigijs duce Moyse ad desertum adductus pluriès contrà Dominum, & Moysen peccauit. At Deus volens freno legis illum continere,& populum duræ ceruicis eo pondere ad bonum grauare: fuit enim onus,quod nequè nos, nequè patres nostri portare potuimus, inquit Petrus,(viderat enim Dominus solum exercitium terræ colendæ non sufficere) Moysen ad montem legem daturus euocauit, dumquè legem in tabulis præscribit,peccat insipiens populus,& peccatum idòlolatriæ, quam ab Aegyptijs hauserat, innouat in vituli erectione, quod non reliquit Deus impunitum,sed & ingressurus terram,ad quam deferebatur, timore corripitur, ità vt Deus illum per desertum quadraginta annis circumduxerit,donèc omnes egressi de Aegypto idòlolatræ, vel alij. Act. 7. 42. morerentur in solitudine, excepto Caleb, & Iosue: & noui homines in terram promissam introducerentur: idòlolatras enim horret Deus. Successoribus egressorum ad terram promissam duce Iosue introductis, lege, Scripturis, prophetijs diuinis munitis, & Arca è deserto conducta, iterum ad flagitia, ad Dei iram irritandam, ad prophetas, quos mittebat, occidendos, ità vt modo in seruitutem darentur,modò pœnitentes eximerentur Dei misericordia. Cum ad Dauid deuentum esset hominem secundùm cor Dei,innouauit illi Deus promissionem Messiæ ex lumbis suis orituri: præuiderat enim decem tribus in perpetuam seruitutem ob idòlolatriam à Ieroboam introducendam dandas, ideòquè virgam originis, & Genealogiæ Messiæ erexit in tribu Iuda, quæ vnà cum Beniamin remansura erat, de qua Dauid, cuius filius Salomon templum erexit Deo Opt. Max. augustissimum,vt populum tot sacrificijs, & occupationibus in officio, & cultu suo retineret, & in sui amorem accenderet, & Messiæ desiderium ad quem omnia referebantur; & nihilominùs quia & hæ ad flagitia, & alia scelera, & idòlolatriam lapsæ fuerant, & pluriès purgatæ, & lotæ reciderant, in captiuitatem Babylonicam traditæ sunt per annos 70. expurgandæ, & interim, proùt antè, & pòst Dauid,sempèr Messias annunciatus, quæsitus, expectatus. Cum autèm aduenisset tempus Messiæ, quo omnia prædicta adimpleta, & omnia conclusa erant sub peccato, nequè erat prophetia, quæ cessauerat, cum prophetæ repellerentur, & ad necem quærerentur, præmittit iuxtà prophetias Ioannem præcursorem omni exceptione maiorem, qui regnum cælorum, pœnitentiamquè prædicaret, & baptizaret, & Messiam in medio eorum existentem edoceret, isquè missus est solùm ad oues Israel;vndè Luc. 3. dicitur: & venit in omnem regionem Iordanis, volens Deus ex huiusmodi Emporio, & penu priùs vsquè ad summum ex omnibus mercibus cælestibus impletis totum mundum sumere, & emere, nequè potuisset Ioannes (eccè difficultas) per totum mundum Christum annunciare, quod & lunga ætate indigebat: & quid annunciaturus alijs populis idòlolatris, Deum non agnoscentibus, prophetijs, prædictionibus, promissionibus destitutis, linguam eius non percepturis? Ideò totum fundamentum faciendum erat in populo separato, natione grandi, Deum appropinquantem habente, proùt

proùt gloriabatur; & verè, ex quo alij haurirent, & faciliùs erat hùnc ad meliorem frugem reuocare iàm cælestia, & diuina edoctum, quàm gentilem ab his abhorrentem, & omninò ignarum; etsi Deus in omni tempore, statu, & ætate populo gentili non defuerit, tùm per prophetas, vt in Iona, tùm per Scripturas: in Scripturis enim populorum de Deo, tùm per Sybillas, tùm per interiores actus, tùm per res creatas: cæli enarrant, &c. Inuisibilia enim Dei, &c. Rom. 1. tùm per circumductionem Iudæorum. Tob. 13. hinc Iob, Achior, & alij. Venit Messias, probauit se talem verbo, & exemplo, miraculis, ore Dei, Ioannis, prophetijs, Scripturis, & quouis argumento, & vera demonstratione; elegit sibi duodecim Apostolos testes vitæ, & actionum suarum; visitauit vineam, idest Synagogam omni labe infectam, præterquàm idololatria; magna enim Dei prouidentia tùnc cessauerat, vt cautiùs, & aptiùs posset Messiæ incumbere, illum cognoscere, & recipere, neque Deorum alienorum cultu distrahi. at (vt ille prædixit) dixerunt: hic est hæres, venite occidamus eum, morte turpissima condemnemus eum, & interim procurauerunt occidi Præcursorem per Herodem. Non acquieuerunt doctrinæ Christi, qui profitebatur se non missum, nisi ad oues, quæ perierant domus Israel, scilicèt visibilitèr edocendas, quia sua præsentia corporalis Israeli promissa, & de illius genere natus, quod & congruum fuit; neque enim poterat totum mundum circuire, & se conspiciendum proponere, docereque, imò nec totam Iudæam circumijt, cùm ad multa loca Apostolos, & discipulos prædicatum miserit; Vltrà quòd volebat cæteros homines ab Hebræis, ex quibus salus, haurire, quod successit, posito in eo populo fundamento, qui erat facilioris instructionis, cùm Scripturas, & Prophetas habuisset, & tot alios doctores, & sempèr Messiam expectasset; Vndè Simeon: Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Christus parùm in eo populo profecit, paucos ad fidem adduxit præsens: reliquit enim omnes suo arbitrio, non coegit, omnem tamèn conatum adhibuit vt persuaderentur. At id credo diuina ordinatione factum, ne quasi Deus videretur sua præsentia illos attraxisse, & adegisse ad fidem, & maior illius potentia, & fidei rectitudo appareret, si per Apostolos rudes, idiotas, nedùm Iudæa, sed totus mundus conuerteretur crucis ignominia. Vltrà quòd conuersio hæc Spiritui sancto reseruabatur mundo manifestando, & quia diuina ordinatione stabilitum fuerat, vt per mortem fieret conuersio, ideò in grano frumenti, &c. cùm exaltaueritis; cùm exaltatus fuero, &c. omnia traham ad me ipsum; hinc prædicamus Christum, & hunc crucifixum. Non igitur dicamus Filium Dei incarnatum principalitèr ob Iudæos, secundariò ob gentes, sed pro omnibus æquè; vndè Simeon: antè faciem omnium populorum; & non tantùm pro gente, sed vt Filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum; at illud tantùm præcipuum Hebræis, vt visibilis eis daretur, ibi seminaret Euangelium, prædicaret, &c. quod non alijs populis ex rationibus iàm prædictis, & tamèn beati qui non viderunt, & crediderunt, si qui viderunt, & crediderunt. Hinc est quòd neque discipulis copiam fecit eundi ad gentes, dùm ipse in mundo erat, sed præscripsit: in viam gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne introieritis; at quandò appropinquabat tempus messis, gentiles accesserunt ad Iesum, qui tùnc id explicauit. Io. 12. Tandem in cruce eleuatur Christus, & moritur inuidia Iudæorum, & sepelitur honorificè, & tertia die gloriosus resurgit virtute diuina, & per dies quadraginta apparet discipulis, & in multis argumentis edocet se rediuiuum, loquitur de regno Dei, stabilitq. & firmam reddit fidem resurrectionis, in qua omne fundamentum: si enim non resurrexit, inanis est fides vestra, inanis est prædicatio nostra, inquit Paulus. Et quia ad penum in Iudæam positum pauci accesserant empturi, intimat Apostolis de illa penu electis, & congregatis datam sibi potestatem in cælo, & in terra, alligata, vel soluta in terris per eos rata in cælo futura, & eant promulgaturi pòst abitum suum legem Euangelicam per totum mundum, non iàm per solam Iudæam, baptizantes, &c.

& docentes, &c. promittit eis Spiritum sanctum, daturum eis os, & sapientiam, &c. & nihilominùs in ordine Iudæam, exindè Samariam, ad quam in dispersione facta, & nece Stephani ierunt discipuli, & deindè vsquè ad extremum terræ. Posteà ipsis cernentibus assumitur in cælum, quæ assumptio clariorem reddit fidem resurrectionis, quam voluit fieri propè Ierusalem, vbi ignominiam Crucis passus erat. Ipsis verò in cœnaculo per dies decem in Ierusalem stantibus in oratione cum Maria Matre Iesu, & alijs, repleti sunt Spiritu sancto in igneis linguis supèr eos permanente, vt totius mundi linguas callerent, & intelligerent, nec interprete indigerent, & eo duce cœperunt promulgare legem Euangelicam, quam iuxtà Dei consilium priùs in Iudæa disseminare conati sunt, vt ibì fieret fundamentum, & progressio, vbì Scriptura, Templum, & alia; & posteà transferrentur ad gentes. At recusantibus illis, conuersi sunt ad gentes sub suaui iugo legis Euangelicæ subdendas, & sub patre credentium Abrahamo vtì fideles in oliua inserendas, in quibus faciliorem exitum habuerunt, quàm in Iudæa contumace, & peruicace, & eorum persequutrice, & maiori miraculo, & admiratione hanc conuersionem assistente Spiritu sancto perfecerunt, quàm si Christus eam perfecisset, & cessit ad maiorem Dei gloriam quò per humiliores perfectum est adeò arduum opus humanæ naturæ impar; at Spiritus ille, qui olim ferebatur supèr aquas, tùnc supèr populos (aquæ populi sunt) cadens totum fecit. Sed vt recurramus ad priuilegia populi selecti, voluit & Ascensionem, & missionem Spiritus sancti, & prædicationem priùs in Ierusalem, & in Iudæa fieri, posteà ad gentes; decreuit etiàm omnia tempore Antichristi insignia in Ierusalem fieri, prædicatio Eliæ, & Enoch, mors, resurrectio, ascensio eorum, vt reliquiæ huius populi saluæ fiant, vt in Apocal. 11. in qua etiàm dicitur Romam concremandam, vt magìs omnia ad Ierusalem referantur, & tùnc fiet vnum ouile, & vnus Pastor ex penu illa primaria. Et quia pòst gesta Christi sequuntur Actus Apostolorum, vt dixi, primis iàm elucidatis, videamus de secundis.



IN

IN ACTVS APOSTOLORVM CAPVT PRIMVM.

1 PRIMVM quidem sermonem feci de omnibus ò Theo-
2 phile, quæ cœpit Iesus facere, & docere * vsquè in diem,
qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos ele-
3 git, assumptus est: * quibus & præbuit seipsum viuum
post passionem suam in multis argumentis, per dies qua-
4 draginta apparens eis, & loquens de regno Dei. * Et con-
uescens, præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed ex-
5 pectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum: * quia
Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non
6 post multos hos dies. * Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes:
7 Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? * Dixit autem eis: Non est
8 vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate:* sed ac-
cipientis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in
Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsquè ad vltimum terræ.
9 * Et cùm hæc dixisset, videntibus illis, eleuatus est: & nubes suscepit eum ab
10 oculis eorum. * Cumquè intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri asti-
11 terunt iuxtà illos in vestibus albis, * qui & dixerunt: Viri Galilæi quid sta-
tis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic ve-
12 niet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. * Tunc reuersi sunt Iero-
solymam à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxtà Ierusalem, sabbati ha-
13 bens iter. * Et cùm introissent in cœnaculum, ascenderunt vbi manebant Pe-
trus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus,
14 & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. * hi om-
nes erant perseuerantes vnanimitèr in oratione cum mulieribus, & Maria ma-
15 tre Iesu, & fratribus eius. * In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum
16 dixit (erat autèm turba hominum simul, ferè centum viginti.) * Viri fratres,
oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iu-
17 da, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum: * qui connumeratus erat in

18 *nobis, & sortitus est sortem ministerij huius.* * *Et hic quidem possedit agrum de*
mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius: & diffusa sunt omnia visce-
19 *ra eius.* * *Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita vt appel-*
20 *laretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis.* * *Scriptum*
est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui in-
21 *habitet in ea: & episcopatum eius accipiat alter.* * *Oportet ergo ex his viris, qui*
nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Do-
22 *minus Iesus,* * *incipiens à baptismate Ioannis, vsquè in diem, qua assumptus*
23 *est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* * *Et statue-*
runt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus: &
24 *Matthiam.* * *Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, osten-*
25 *de, quem elegeris ex his duobus vnum* * *accipere locum ministerij huius, & Apo-*
26 *stolatus, de quo praeuaricatus est Iudas vt abiret in locum suum.* * *Et dederunt*
sortes eis, & cecidit sors supèr Matthiam, & annumeratus est cum vndecim
Apostolis.



RIMVM *quidem sermonem feci* in Euangelio meo *de omnibus (ô Theophile) quæ cœpit Iesus facere, & docere* à principio, à die suæ Incarnationis, id est, quæ fecit, & docuit, doctrinam, & miracula eius, vel à baptismate Ioannis, vt infrà vers. 21. id enim tempus, quo cœpit facere, & docere: non ergo quòd priùs fecerit, deindè docuerit; non enim is scopus Lucæ; *vsquè in diem*, tempus, *qua præcipiens Apostolis* ipse è mundo discessurus, & Apostolos loco sui dimissurus, *per Spiritum sanctum*, in virtute Spiritus sancti ab eo mittendi prædicaturis, *quos* dico Apostolos *elegit* ad hoc ministerium, vt in Euangelio scripsi, prout in Psalmo: Aaron quem elegit ipsum; & Heb. 9. 14. qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit, &c. ego elegi vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat; & Marc. 16. euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ; *assumptus est* in cælum; quasi, nùnc dicam de illius assumptione; & alijs subsecutis sub Apostolorum prædicatione. Supèr verbis, *per Spiritum sanctum*, alius est intellectus glossæ, idest, proptèr Spiritum sanctum, idest, occasione Spiritus sancti mittendi *præcipiens, &c.* nam præceptum vltimum, quod sequitur immediatè, fuit *ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarēt promissionem Patris*, quia *baptizabimini Spiritu sancto;* & Luc. 24. 49. & ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in Ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto; vndè verbum, *præcipiens*, ad hoc, non ad electionem Apostolorum per Spiritum sanctum, referendum est, cùm sciamus eam factam à Christo, illiquè ab Euangelistis attribui. Matth. 10. & quia sicut verbum, *præcipiens*, rectè accomodatur materiæ, de qua agebatur, & verbis, quæ sequuntur; nam vers. 4. dicitur, *& conuescens præcepit eis, &c.* sic non aptatur electioni Apostolorum; non enim ibi præceptum, sed sola electio. Aliorum est intellectus. *per Spiritum sanctum*, idest, per sanctitatem sui Spiritus, quia salutem omnium expetebat, *præcipiens Apostolis* vt Euangelium prædicarent; sed primi intellectus veriores, & non videtur congruere hæc locutio, per sanctitatem sui Spiritus præcepit, & nullibì similis, etsi alia possint admitti, quia induendi priùs Spiritu sancto, deindè ad Euangelizandum profecturi, vt in textu: *Quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis*, signis euidentibus, vt stabiliret fidem resurrectionis, nec esset vllus dubitandi locus: sic & Paulus. 1. Cor. 15. nume-

numerans appariciones Christi ad eundem effectum, vt possent de illa tutò testificari; hìncquè intellectus, elegisse illos prædicaturos, meliùs aptatur.

Per dies quadraginta apparens eis, quod tempus sufficiens fuit ad seipsum manifestandum, ita vt locus non esset alicui dubio; ideo illius meminit Lucas. Deindè congruum fuit Christum citò discedere ex hoc mundo ad Patrem more nuntij munere suo functi. Ex parte sui, quia iam consummauerat opus paternum. Io. 17. 4. & post mortem resurrectionem suam manifestauerat, apparendo, conuescendo, loquendo de regno Dei cum discipulis per dies quadraginta, & hæc manifestatio resurrectionis fuit maximi momenti, quia si Christus non resurrexit, inanis est fides vestra, inanis est prædicatio nostra. 1. Cor. 15. Vndè consequens erat vt intraret in gloriam suam, quam petierat, & nunc clarifica me tu Pater claritate, quam habui priusquàm mundus esset apud te. Ioan. 17. 5. & nonnè hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Luc. 24. 26. & Paulus: proptèr quod & Deus exaltauit, &c. quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Philip. 2. & Eph. 1. suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, & immortalis ipse diutiùs non moraretur cum mortalibus sibi dissimilibus, & qui non erat in mundo cum mundi incolis. Io. 17. 12. dixerat enim antè mortem mundum illum non visurum, & posteà: hæc sunt verba, quæ loquutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum. Luc. 24. 44. Io. 16. 5. & meruit hoc mundus, qui illi vsquè ad crucem insidias parauerat, nec rediuiuo (quantum in se fuisset) pepercisset, sicut resurrectionem occultare nixus est. Matth. 28. & membris suis molestus fuit; vndè Paulo: quid me persequeris? Act. 9. 5. & Lazarum resuscitatum occidere voluit. Io. 12. 10. & sicut accepit carnem, vt nobiscum conuersari posset, sic ad alium statum translatus non decebat ampliùs nobiscum morari. Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Io. 16. 28. & si distulisset, poterat quis dicere: ad quid is hìc moratur modò visibilis, modò inuisibilis? vbì regnum, quod alijs promittebat, quod nec pro se capit? vbi præmium tot laborum, crucis? frustrà dixit se per mortem ire ad Patrem. Ex parte Spiritus sancti, qui manifestandus erat mundo, prout Pater, & Filius: hoc enim non fiebat antequàm ipse ascenderet; vndè dicebat: expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Io. 16. 8. ipse enim cum Patre illum missurus erat; ideo nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Io. 7. 39. Ex parte discipulorum, quia ex præsentia Christi corporali adhuc in terrenis versabâtur, nec eleuabantur ad cælestia, ita vt Angelis indiguerint suasoribus. *Viri Galilæi, &c.* nequè induebantur Spiritu sancto illis promisso. Ex parte mundi, quia differebatur prædicatio Euangelica, & eiusdem conuersio, & iam tempus opportunum erat vt intelligerent homines misericordiam Dei, sanguinem fusum, & quisque redderet illum in se efficacem, id autem fieri non poterat, nisi ipso in cælum assumpto ex præordinatione diuina, quæ decreuerat Spiritum non dari nisi post Christi glorificationem. Io. 7. 39. tùm quia non decebat Filios sponsi lugere (persequutiones enim imminebant promulgaturis) quandiù sponsus cum eis erat, tùm quia si, ipso adhuc in mundo existẽte, Apostoli prædicassent, vel homines Christum adire voluissent, (prout maior sequela successit postquàm misit Apostolos per Iudæam ad momentum prædicatum, vt dixi in Euangelijs) & prædicatio nimis angustabatur, distrahebatur, & impediebatur, & fuit maior gloria Dei in absentia per homines idiotas, & paucos mundum conuertere; vel non habuissent concomitantiam Ascensionis, & sessionis in cælo ad dexteram Patris, ex qua probabatur eius diuinitas, & innocentia; vndè Marc. vlt. & Dominus quidem Iesus assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei; & Luc. vlt. eduxit, &c. & ferebatur in cælum; & Ascensione ipse vsus est ad difficiliora quæque comprabanda, baptismum cum Nicodemo. Ioan. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo. corpus, & san-

& sanguinem suum cum alijs. Io.6.63. Hoc vos scandalizat? si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat priùs? illùc enim non intrat quidquam coinquinatum. Vndè sanctitas Eliæ præsumpta ex raptu in currum, & eleuatione ad cælum. Pauli rapti ad tertium cælum; hìnc Simon Magus, volens ex hoc se Deum ostendere, deiectus; alij magi Persæ, de quibus, Card. Baronius annal.tom.9. Aedificatores turris prohibiti, Dæmon præcipitatus; Resurrectio enim, & Assumptio in cælum præcedere congruum fuit ad tollendam ignominiam Crucis; & ni mirum, si voluit hanc tot hominibus patere, prout raptus Eliæ Eliseo, & eiusdem Eliæ,& Enoch assumptio tempore Antichristi. Apoc.11. quod non fuit in Resurrectione occulta, quæ tamen Ascensione confirmata, & stabilita fuit, præsertim illi contemporanea, aut parùm distante, etsi voluit vltrà visionem adstantium etiam Angelos demissos è cælo de illa habere testes, quorum testimonium alia quæcumque antecedit,ex Paulo.Gal.1. Hinc Zachariæ Gabrieli non credenti taciturnitas; & etiam si stans à dextris Dei præbuit se videndum Stephano, & manifestauit se Paulo in terris, & verisimilitèr in cælo in raptu. Actor. 9. 2. Corint. 12. Vel nondum impleti fuissent Spiritu sancto,cui conuersio mundi reseruata erat. Et vltimò mundus carebat aduocato illo apud Patrem quotidiè pro eo interpellante. Heb. 7. 25. Ex parte Patrum è limbo eductorum, & aliarum animarum beatarum posteà defunctarum, vt ad suas sedes ducerentur, in eisquè collocarentur, quibus prohibebantur, donec Christus primogenitus mortuorum ascenderet, etsi cum eo beatæ essent. Ex parte Angelorùm, qui exultauerunt, & lætitia magna perfusi sunt ob Ascensionem Christi.

Apparens eis,non conuersans proptèr status dissimilitudinem, immortalis cum mortalibus, *& loquens de Regno Dei*, de Ecclesia sua, quam adeo diligit. Eph. 5. 25. 29. ad quod spectabat etiam subrogatio Matthiæ; vndè verisimilitèr egit de alio in locum Iudæ substituendo,& hinc propera electio à Petro indicta,& secuta, & quòd priùs ad Iudæam,quàm ad gentes irent: sic enim iussit Dominus,inquit Paulus. Act.13.47.

Sed cur ipse non elegit Matthiam antequàm ascenderet? quia noluit immortalis se ingerere in spectantibus ad hanc vitam mortalem, & vt esset testis omni exceptione maior ab alijs electus; at inuisibilitèr se ingessit, quia omne donum de sursùm est, *& cecidit sors supèr Matthiam. & conuescens*, vt certos eos faceret resurrectionis suæ,*præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent*;sic:sedere in Ciuitate donec,&c.Luc.vlt.

Cur nõ amandauit eos in Galilæam,prout ibi illum viuum visuros dixerat, vt tutiores redderet? tunc fuit necessarium,ne timore, quem ex morte contraxerant,deterrerẽtur, sed liberarentur;at post visionem illam confirmati,& fortes,& animosiores facti petierunt Ierusalem adstituri Ascensioni, & post illam maiores vires reassumentes reuersi sunt in Ierusalem, expectantes indui virtute ex alto; in eodem enim loco, quo crucis ignominiam Iesus passus est,& in quo Euangelium ab Apostolis primò seminandũ, voluit hæc magna succedere, & Ascensionem, & Spiritus sancti missione,& Euangelij promulgatione, & quæ tempore Antichristi, & post illum iudicium in valle Iosaphat reseruantur, vt tunc fieret Iudæorum conuersio facilior, & extremis temporibus reliquiæ Israel saluæ fiant; ideo Petrus vno die tria, alio quinque millia conuertit: *Sed expectarent* patientèr *promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum*, quasi inuiolabilitèr obseruandam. Vndè Prophetæ: os Domini loquutum est, & Dominus verax, & fidelis; quam ego nomine Patris mei feci; dixit enim quem mittet Pater in nomine meo. Io. 14. & Luc. vlt. 49. promissum à me Patris mei in vos Spiritum sanctum, idest, vobis à Patre meo, & à me mittendum. *Quia Ioannes quidem baptizauit aqua* præcurrens, & me enuncians in Iudæa; ex baptismo enim cœpit occasionem faciliùs me manifestandi ex magno concursu: *vos autem baptizamini Spiritu sancto*, vt declarat Petrus. Act.11.17.& 15.6.& 19.4.6. & in aqua, & Spiritu sancto, vel igni, qui est idem Spiritus sanctus, non aliud, vt dixi in Euangelio, baptizabitis, & sic dabitur vobis occasio eadem me annunciandi per

totum

totum mundum, & hæc est causa cur Ioannis mentionem faciat; ideò illis dictum: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Matth. 28. 19. Et ex hoc non ipsi maiores Ioanne, at maior qui dedit, proùt Ioannes enunciauerat: ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autèm pòst me venturus est, &c. vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. Matth. 3. 11. quod Ioannes non potuit à se, nequè à Christo, qui nondũ apparuerat mundo baptizans, quandò ille cœpit. Vel quia proùt Ioannes reddiderat testimonium Christi venturi, & iàm in medio existentis in Iudæa tantùm, idquè opportunè occasione sui baptismi, quod ei datum est exercere, cùm ad illum confluerent ferè omnes; sic vult dicere Christus, *vos autèm* ad testimonium de me ferendum, ad quod electi estis, *baptizabimini*, Spiritu sancto implebimini, & (dato responso interrogantibus de regno, & interrumpentibus) redit ad eumdem sermonem, *accipietis*, inquit, *virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos* exuberantem, *& eritis mihi testes*, non in Iudæa solùm, sed *in Ierusalem*, *Samaria, & vsquè ad vltimum terræ*, & prædicabitis omni creaturæ, & baptizabitis in nomine, &c. quæ perfecerunt; profecti enim prædicauerunt vbiquè Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis, & cum ipsis existente, & perseueraturo in successoribus vsquè ad consummationem sæculi. Vel *Ioannes baptizauit aqua*, vt se præcursorem meum ostenderet, & *vos* testes mei *baptizabimini Spiritu sancto*, & *accipietis* illius *virtutem*, & in eo baptizabitis; qui baptismus excellentior est, & me mundo vniuerso annunciabitis; euntes ergò baptizate omnem creaturam in nomine, &c. Sed nonnè Ioannes in ventre impletus Spiritu sancto, nonnè Apostoli insufflati à Christo? at non ad hunc finem; & Ioannes aqua, & baptismo vsus; hi verò superueniente Spiritu in linguis igneis Christum annunciarunt. *Non pòst multos hos dies:* incertum dicit tempus; at de facili fuissent expectando fastidio victi, & dilapsi, nisi iussisset eos non discedere, & ordinatione diuina Angeli non adstitissent, & loquuti essent, & non adstitisset Virgo sanctissima eos in officio retinens; adhùc enim carnales erant, qui ascendentem de regno terreno interrogauerant, ni mirum, si illa ibi, vltrà expectationem Spiritus sancti. *Igitur qui conuenerant* adstituri Ascensioni. (Quot hi essent, incertum. infrà vers. 16. regressi sunt 120. at non illi tùnc regressi; nàm vers. 13. & 14. de alio tempore illi; ideò dicit: in diebus illis; quod autèm dicit Paulus de quingentis. 1. Cor. 6. videtur fuisse in monte Galilææ) *interrogabant eum dicentes. Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel* in primœuum statũ eiectis Romanis? *dixit autèm eis: non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Interrogatio fuit de terreno regno, Christus auocans eos ad cæleste loquitur de cælesti perficiendo in Iudicio, cuius tempus dicit Patri reseruatum, quia ab eo mittendus infrà cap. 3. proùt & aliàs dixerat: de die autèm illo, & hora nemo scit, nequè Angeli cælorum, nequè Filius, nisi solus Pater. Matth. 24. 36. Mar. 13. quasi velit dicere, vigilate, proùt subdit in Matthæo. *Sed accipietis* (redit ad suum sermonem) *virtutem*, potentiam *superuenientis Spiritus sancti in vos* diffundendam in cordibus vestris, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri, *& eritis mihi testes in Ierusalem* primò, *&* deindè *in omni Iudæa, & Samaria, & vsquè ad vltimum terræ*, per mundum vniuersum. Marc. 16. 15. tollit præceptum: in viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, nàm nùnc pòst crucem data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra; euntes ergò docete omnes gentes. Matt. 28. 18. non iàm in Iudæa sola, vt priùs; & ideò Spiritus dabitur, vt hæc omnia possitis. *Et cùm hæc dixisset, videntibus illis* notis, eum cognoscentibus, & secum, dum in mundo erat, conuersantibus infrà vers. 21. *eleuatus est*, ne alius ab eo diceretur ascendisse, & frustraretur ascensio, vel calumniaretur, proùt resurrectionem calumniari conati fuerãt primores Iudæorum. Matth. 28. 12. os clauderetur Hebræis, qui dixerant de illo: quò hic iterus est? numquid in dispersionem gentium, & docturus gentes? & numquid interficiet semetipsum? proùt

primò

primò dixerant de Moyse: Moysi enim huic ignoramus quid acciderit. Exod. 32. 1. vel quærerent alij, proùt illi Eliam raptum in cælum. 4. Reg. 2. 17. Imò ne diceretur, postquàm nubes illum susceperat ab oculis eorum, aliò diuertisse, & cælum non petijsse; propterea veniunt Angeli id comprobantes; hæc autèm diligētia, quia ex Ascensione probantur omnes præcedentes actiones, & singularitèr Resurrectio fundamentum fidei; sed & vt hanc, & sessionem suam in cælis stabiliret fortè & per captiuitatem secum ductam in apparitionibus factis verisimilitèr de illa differi voluit; & pòst decem dies mittit promissum Spiritum sanctum, Stephano, & Paulo se conspiciendum prodit; iterum Paulo ad tertium cælum rapto, & Petro; Marcus, & Paulus testantur sedere à dextris Dei; & ipse in mundo stans omnia hæc dixerat. *Et nubes*, quam ille penetrauit, postquàm eleuatus est cælum versùs, *suscepit eum ab oculis eorum* ministra ad hoc, ne possent eum ampliùs videre, & ad maiestatem, non illum latura, qui à diuinitate, & agilitate corporis vehebatur; ideò subditur: *eleuatus est;* id autèm ne tempus tererent in cælum euntem suspicientes, & à corporali sua visione abstracti, ad iussa properè redirent; operata est nubes in cælo, quod Angeli è cælo ad terram demissi ad aspicientes pòst nubem; non dicas nubem ex splendore corporis sui, quia talis non nubes, sed splendor diceretur, proùt in Transfiguratione dictum, vndè intelligendum propriè de nube, *Cumquè intuerentur in cælum euntem illum*, magnaq. diligentia visu ascendentem prosequerentur, adhùc vanè persisterent terentes tempus, postquàm nube prohibebantur illum videre, *eccè duo viri astiterunt iuxtà illos* propinqui, vt viderentur, & cominùs colloquerentur *in vestibus albis* splendidis, & hi Angeli, qui & viri dicuntur. Gen. 18. 2. & 19. 10. Dan. 9. 21. eccè vir Gabriel; & 2. Mach. 10. 29. Luc. 24. 4. non ergò dicas in aere stitisse, quia potiùs præsumendum in terra more hominum, proùt eorundem formam assumpserant. Sed ad quid Angeli? nonnè ipsi viderunt ascendentem? viderant, sed nube tectum videre desierant, & tùnc poterant quærere quò abijsset; & cum locus ille cælestium esset spirituum habitatio, eos testes transmittit, qui nedum certos faciant aspicientes quò tenderit pòst nubem obumbrantem, sed illos muneris sui præmoneant, & nouissimorum, nempè Iudicij, & diligentes reddant in vinea excolenda, & non sint otiosi, & operatorius fuit sermo, quia subditur: *tùnc reuersi sunt, &c.* vel ne admirentur si sic gloriosus ascenderit: eodem enim modo descensurum esse, quasi exemplo caret quòd ascendat, fiet idem cum iudicaturus descendet; hæc sibi soli reseruata, qui Deus est, cui omnia seruiunt, vel in nube ascendit, in nubibus veniet. Rup. Abb. Apocal. 1. est autèm maximum Angelorum testimonium, ità vt Paulus ad Gal. Euangelij veritatem affirmans, dixerit eam forè, vt si Angelus (quasi nullum maius testimonium adducere possum) contrarium diceret, non esset ei credendum. *Qui & dixerunt*, volentes eos illinc abstrahere, proùt Lot de Sodomis, adeò discipuli afficiebantur præsentia corporali Christi. *Viri Galilæi*, non quòd omnes Galilæi, sed primores, Apostoli, dignioribus loquuntur, & sub illis omnibus, vel illis solis, qui posteà simùl conuenerant in cœnaculo: *quid statis* vanè nùnc *aspicientes in cælum*, quod iàm penetrauit Iesus ab oculis vestris auulsus? proùt stantibus in platea: Quid hìc statis tota die otiosi? *Hic Iesus, qui assumptus est* propria virtute *à vobis in cælum* gloriosus, quem corporalibus oculis non estis visuri, nisi in die Iudicij; *sic veniet* propria virtute, descendens ad Iudicium, de quo & Iesus vers. 7. *non est vestrum, &c.* hoc autèm ità certum, *quemadmodum* nùnc *vidistis eum euntem in cælum*, quasi hinc discedite, ne teratis tempus, ite ad opus vobis iniunctum, expectantes missionem Spiritus sancti, præparamini pro die illo, & iudicij horribilis; vestra conuersatio in cælis sit; & sic mentio Iudicij fuit ad calcaria augenda ad opus, ad quod assumpti erant, & ex his intelligimus cur Angeli è cælo, quod iàm Iesus penetrauerat, transmissi fuerint, nempè edmonituri eos, vt ad opus remearent: vult enim nos Deus vigilantes, & paratos; sic ipse Iesus Magdalenæ: noli me tangere, noli hic

li hic immorari: nondum enim ascendi ad Patrem, vade citò, & dic fratribus meis Apostolis: ascendo quam primùm ad Patrem meum, vt citò me visuri accedant. At videretur potiùs dicendum Angelos missos ad certiorandum Apostolos Iesum iam cælos penetrasse, (ideò *hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum*) & dixisse: *quid statis aspicientes in cælum:* nùnc enim ampliùs eum non videbitis, cum eccesserit oculos vestros, ingredimini Ierusalem perfecturi vobis iniuncta, & ne turbemini, ne deficiatis animo quasi eum ampliùs non visuri, seù vobis non adstiturum: nàm sicuti oculis vestris corporalibus *vidistis eum euntem in cælum, sic veniet*, sic certi estote vobis adstiturum spiritualitèr, & ad vos venturum aliquandò corporalitèr, proùt deindè fecit cum Stephano, Paulo, Petro in Vrbe. 2. Pet. 1. 14. ideò ne ampliùs intuentes in cælum tempus conteratis; sic in mundo existens dixerat: si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus; & non relinquã vos orphanos, vado, & venio ad vos; & qui ascendit ipse est & qui descẽdit; & ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsquè ad cõsummationẽ sæculi; & fortè hic tutior intellectus, quàm ille Iudicij, cùm non videatur accommodari huic actui, loco, personis, tẽpori: indigebant enìm spe fulciri reuidendi eam præsentiam, à qua inniti abstricti fuerant tamquàm lactentes ab vbere, non affligi, & conturbari eodem instanti; prætereà non sic veniet in Iudicio solus, sed cum maiestate, Angelis, gloria, & verbum, *quemadmodum*, non dicit similitudinem, sed certitudinẽ, prout certò viderant illũ ascendentem, quamquàm Christus dixit de Iudicio, *nõ est vestrum, &c.* fecit ad retundendam interrogationem factã, & obscurè loquutus est. Non dicas Angelos sic dixisse, quia aliqui putarent eum mox reuersurum: iàm enim ipse prædixerat, & præmonuerat ascensurum, & ampliùs cum eis non futurum præsentia corporali, & expectarent Spiritum sanctum, & dicunt, *statis aspicientes* non expectantes, & quod dicunt eum reuersurum, fit ad acuendum illos ad negocium iniunctum, vel consolandos, vt dixi; neque id cecidit in mentẽ Elisei quòd Elias regressurus, vel in terra esset, sed ijs, qui eum non viderant transferri, & fragili coniectura ductis: Vnde ascendit Dominus dicunt terram retinere impressa vestigia, nec posse deleri, etiamsi puluis amoueatur, & si hoc verum, quod de petra ablata, in qua illa impressa, vacillat fide. *Tunc reuersi sunt Ierosolymam à monte, qui vocatur Oliueti*, vbì ascendit, *qui est iuxtà Ierusalem sabbati habens iter*, distans per milliare in circà, iuuit monitio Angelorum, quia à conspiciendo cælo vanè abstracti, regressi sunt implentes mandata; *& cum introissent in cœnaculum* (creditur locus vbì facta cœna à Christo) *ascenderunt vbì manebant Petrus* primus, cui claues cæli datæ, cui dictum vt confirmaret fratres, cui omnes oues pascendæ traditæ, *& Ioannes* secundus, fortè quia opinione creuerat ex dilectione Domini in eum, recubitu in sinu, eius interuentu in transfiguratione, suscitatione filiæ Archisynagogi, horto, & commendatione Virginis, & sui in cruce. Vnde Petrus illo vsus est ad proditorem sciendum, & ad primatum assumptus, hic autem quid? quasi motus ex nota ei excellentia Ioannis: iuxtà enim primum ordinem Andreas sequebatur post Petrum, vel euentuale hoc, nec considerationo dignum, quod nec sequitur Ecclesia in Litanijs. *Hi omnes erant perseuerantes vnanimitèr in oratione:* sic enim præscripserat Dominus: orate vt non intretis in tentationem: *cum mulieribus*, generalitèr, quæ solebant sequi Christum, & ad crucem astiterant, & sepulchrum adierant, *& in specie Maria matre Iesu, & fratribus eius*, qui conuenerant ad diem festum, vt in Euangelijs dictum. *In diebus illis* antè missionem Spiritus sancti *exurgens Petrus* verba facturus *in medio fratrum*, Apostolorum, quia infrà dicit: qui nobiscum sunt congregati, congregatorum, *dixit (erat autem turba hominum simùl, ferè centum viginti.)* antequàm ad subrogandum alium in locum Iudæ deueniret, præfatus est: *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus*, ex quo loquuti sunt prophetæ. 2. Pet. 1. in fin. *per os David*, non Dauid ex suo capite, *de Iuda, qui*

qui fuit dux vltroneus *eorum*, *qui comprehenderunt Iesum*, non eorum, qui eum crucifixerunt, nàm pœnitentia ductus retulit triginta argenteos,dicens: peccaui tradens sanguinem iustum:ideo fortè ducem horum tantùm facit illum: *qui connumeratus erat in nobis*, sed ex nobis non erat: si enim ex nobis fuisset, permansisset nobiscum,*& sortitus est*,Christo eum eligente,*sortem ministerij huius* Euangelici. *Et hic quidem* Iudas *possidet agrum de mercede iniquitatis*, refert emptionem factam de agro figuli in sepulturam peregrinorum ex pecunia à Iuda recepta, & reportata, *& suspensus* à se ipso, sui homicida, desperatione ductus, *crepuit medius*, *& diffusa sunt omnia viscera eius*, morte miserrima defunctus est: *Et* hoc totum *notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem*, *ita vt appellaretur ager ille*,*lingua eorum*, *Haceldama*, *hoc est ager sanguinis*, quasi, facinus hoc non habuit aliud simile,vt pro sanguine fundendo precium reciperetur: *Scriptum est enim in libro psalmorum: fiat commoratio*, seù habitatio *eorum*, qui contrà me malignauerunt consilium, tenderunt insidias, *deserta*, *& non sit qui inhabitet in ea*,quasi,eradicentur, eliminentur ab hominum commercio, *& episcopatum eius*,ministerium,superintendentiam eius *accipiat alter*, postquàm in ea adeò ipse malè versatus est, vt ab ea sit eijciendus; sic & Apoc. 3. *Oportet ergo ex his viris*, *qui vobiscum sunt congregati* (loquitur ad Apostolos)*in omni tempore, quo intrauit,& exiuit*, operatus est *intèr nos Dominus Iesus*, *incipiens à baptismate Ioannis* per eũ sumpto *vsquè in diem*, *qua assumptus est à nobis*, in cælum,*testem resurrectionis eius nobiscum* principalitèr *fieri vnum ex istis:* Matthias enim (vti Paulus,cui tanquàm abortiuo apparuit Dominus) non potuit testificari nisi de Resurrectione,vel de alijs de auditu,etsi plura alia Matthias; sicuti neque Enoch non vocatus ad Transfigurationem, nisi de auditu ab Elia dicere poterit,& ideò sufficit hoc tantùm, Resurrectio præsupponit mortem,mortem autem Crucis,& hunc Crucifixum prædicãdum,& rediuiuum,& in cælo regnantem,& iudicaturũ viuos,& mortuos, quod præstitit perfectè Paulus, & omnes.

Sed cur tanta in Resurrectionis certa demonstratione, vt etiam testes voluerit pro illa speciatim? cur non tot in Crucis passione, & Ascensione? Respondeo, non indiguerunt passio in Cruce in conspectu omnium, neque Ascensio plurium factæ tali demonstratione; at Resurrectio dum facta fuit, nemo eam vidit, quia inuisibilis fuit, nec potuerunt congruè ad illam videndam alij conuocari; ideò vtitur Angelis ad illam manifestandam, & deindè tot subsequentibus demonstrationibus, & apparitionibus, quia in ea est fundamentum Fidei nostræ: Paulus enim dicit: si Christus non resurrexit, inanis est Fides vestra, inanis est prædicatio nostra. 1.Cor.15. & ad Rom.4.in fin. resurrexit proptèr iustificationem nostram, quod ibì explicauimus; & Ascensio fuit sigillum omnium demonstrationum: ideò in conspectu plurium facta, & post Ascensionem iniuncta publicatio per Apostolos, ne qua supèr illa remaneret dubitatio: sic actũ in Conceptione, & Natiuitate sua occultis, prima per Angelum Annunciata, secunda per Angelos multos, adducti pastores, Magi, sempèr in tota eius vita manifestata à Patre, Spiritu sancto, testibus, miraculis, doctrina. *Et statuerunt duos* in vrna, *Ioseph*, *qui vocabatur Barsabas*, *qui cognominatus est iustus*, quem omnes crediderunt præferendum: *& Matthiam*, qui iudicio hominum erat inferior, at non Dei iudicantis non iuxtà intuitum hominis:homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor. 1.Reg. 16.7. & qui eligit infirma mundi, vt confundat fortia, & sic seruauit in omnium Apostolorum electione, & fortè hac de causa exprimitur cognomen iusti Ioseph, vt hùc eleuemur: non enim viæ meæ, viæ vestræ,&c. dicit Dominus, & scio quos elegerim, & subdunt: *qui corda nosti omnium;* idem in Saule, & Dauid, & multis alijs. *Et orantes dixerunt*, à Christo didicerunt præmittere orationem in electione Matthiæ, sicut ipse ad exemplum nostrum præmisit in electione omnium. Luc. 6. *Tu Domine, qui corda nosti omnium*, & secundùm ea iudicas & eligis. 1. Reg. 16. *ostende, quem elegeris*, ab æterno enim hæc perfecisti, *ex his duobus vnum accipere locum*

mini-

ministerij huius Euangelij, *& Apostolatus*, missionis, *de quo praeuaricatus est Iudas*, in se peccando, & desperando, & turpiter seipsum occidendo, *vt abiret in locum suum*, id est, in infernum, quia praeuaricatus est: mors enim mediante laqueo non fuit locus suus, sed per quam iuit ad locum suum. *Et dederunt sortes eis, & cecidit sors* electionis *super Matthiam, & annumeratus est cum* alijs *vndecim Apostolis*, ex Dei voluntate sortes sic dirigentis sua prouidentia, quae omnia sortiuntur in mundo.

Alia interpretatio. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Iesus facere, & docere*, quae fecit, & docuit, facta, & verba, non quae coepit prius facere, deinde docere: non enim is scopus. *Vsque in diem, qua praecipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit*, segregauit praedicatores, & promulgatores sui Euangelij, & testes actuum suorum, *assumptus est*: hoc est prooemium, & scopus totius capituli; nam postea subdit narrationem retrogrediendo: *quibus & praebuit, &c.* deinde repetens assumptionem; *videntibus illis, &c.* sic Moyses vtens prooemio: In principio creauit Deus caelum, & terram. Gen. 1. deinde subdit narrationem: terra autem, &c. sic Matthaeus cap. 1. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham, deinde incipit narrationem: Abraham, &c. *Quibus & praebuit seipsum viuum* resurrexisse *in multis argumentis* probantibus, & concludentibus *per dies quadraginta*, quod fuit tempus sufficiens, *apparens eis, & loquens de regno Dei*, de regno caelesti, ad quod ipse assumendus erat, & omnes fideles; intelligo de regno caelesti, non Ecclesia, quia verbum hoc aequiuocationi dedit locum, num de temporali, & mundano intelligeret, vel excitauit dubium in anhelantibus, & in corde suo cogitantibus de temporali. *Igitur qui conuenerant interrogabant eum dicentes: Domine si in tempore hoc restitues regnu Israel?* si enim de Ecclesia disseruisset non appellasset eam regnu, & quia a principio vsque ad finem voluit de illo doceri: sic de illo Paulus infra cap. 19.9. *Et conuescens praecepit ab Ierosolymis ne discederet, sed expectarent promissionem Patris*, missionis Spiritus sancti Paracliti, *quam audistis (inquit) per os meum*; vnde non potest non esse; dixit & facta sunt, & quia forte aliquando de illo egerat sub typo, vel verbo baptismi; ideo, ne putarent aqua abluendos esse, prout & ex Ezechiele: effundam super vos aquam mundam, &c. subdit ad declarationem ante dictorum, *quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini*, replebimini *Spiritu sancto non post multos hos dies*, qui ad decem reducti; sic & Luc. 24. sedere in Ciuitate, donec induamini virtute ex alto, & deinde consequatur segregatio, & electio, seu missio, seu missionis executio. (At sermo interrumpitur ab interrogantibus) *Igitur qui conuenerant* ad videndum illum ascendentem, *interrogabant eum, dicentes:* (putabant hi dicta a Domino loquente de regno Dei temporali, & super Israel) *Domine si in tempore hoc*, his diebus, nunc, *restitues regnum Israel* in pristinum statum expulsis Romanis? *Dixit autem eis: non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate*, nolens reuelari, vel sciri ab alijs, quasi, liberabimini quando venerit tempus a Deo decretum: *sed* (redit ad primum sermonem) *accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos*, super vos, ideo virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, *& eritis mihi testes* intrepidi *in Ierusalem* primum, deinde *in omni Iudaea, & Samaria, & vsque ad vltimum terrae* inter gentes, quod tamen ipsi non intellexerunt, sed verba, *vsque ad vltimum terrae*, putarunt non excedere Iudaeam. *Et cum haec dixisset, videntibus illis*, ne possent dubitare qua tendisset, prout dubitarunt illi de Elia ab eis non viso rapi, sed a solo Eliseo, ideo clare hoc explicat Lucas, *eleuatus est* a terra caelum versus; haec autem fuit manifestatio maxima suae Resurrectionis, & euectionis ad gloriam ad Patrem, ad quem ascensurum in sermone in coenaculo, & post Resurrectionem significauerat. Et vt daret illis videntibus signum dominij sui in caelo, antequam perueniat ad gloriam, nubem apparere facit, nubibus imperans; *& nubes suscepit eum ab oculis eo-*

rum cælum respicientium, ne tempus tererent in illum respiciendo; nõ enim nube vsus quasi vehiculo, cum agilitatis dote eleuaretur; ideò non dicitur ab illa euectus, sed absconditus ab oculis eorum eo sic volente, nec non transmisit Angelos, vt infrà. *Cumquè intuerentur in cælum euntem illum* otiantes, cum iàm aciem oculorum suorum euasisset nube tectus, *eccè duo viri* ab eo missi, vel Angeli, vel de captiuitate secum ducta, sed potiùs Angeli, cum ipsi sint administratorij Spiritus. Heb. 1. *astiterunt iuxtà illos* sic respicientes *in uestibus albis*, candidis, *qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis* otiosi: sic in Euangelio in parabola vineæ: quid hìc statis tota die otiosi? *aspicientes* vanè *in cælum* illum, quem ampliùs non videtis, nec visuri estis, nisi cum venerit ad Iudicium? nàm *hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum* non ampliùs veniet visibilis in mundum, sed *sic veniet* in fine mundi tantùm ad Iudicium *quemadmodum*, eadem gloria, & modo, nempè manifestè, *vidistis eum euntem in cælum:* Sancti enim obuiàm ibunt Domino in aera ad Iudicium, & ipse comitatus omnibus Angelis, qui similitèr ascendenti occurrisse credendum, si eodem modo venturus quò ascendit; mittit ergò viros hos ad illos illinc remouendos, ne tempus tererent, hæc autèm dicta nõ ad illos terrendos, sed informandos quia non erat tempus terroris inijciendi: subditur eorum obedientia: *tùnc* illicò *reuersi sunt Ierosolymam, &c.* ad orationem; ex qua tamèn missione probauit & se Dominum cæli: si enim talis non esset, non mitteret in terram Angelos, quod est Domini, qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos ignem vrentem; hinc Petro: non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum? & Pilato, volens illum certum reddere regnum suum non esse de hoc mundo: si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiquè decertarent ne traderer Iudæis; si ergò nullo exercitu stipor, nullos habeo curiales, certum est, regnum meum non esse de hoc mundo. Nec non & certos reddidit illum cælos penetrasse, ne dicerent pòst nubem tegentem ignoramus quò tenderit, prout illi de Moyse: nescimus quid homini huic acciderit. At cur ascendit in cælum videntibus illis? dixi ad firmandam Resurrectionem, illamquè æternam, & irreuocabilem demonstrandam: qui enim cælum petit, se immortalem in æternum docet, quia cælum non est locus morientium, sed viuorum; ibi enim mors vltrà non erit, nequè dolor, &c. hanc immortalitatem deduxerunt & viri: nàm si venturus tantùm ad Iudicium, ergò vsquè ad illud mansurus, si vsquè ad illud, ergò in æternum, quia pòst illud nihil datur, cum etiàm resurrectio vniuersalis, renouatioquè omnium creaturarum illud præcedat; hanc immortalitatem docuit & Spiritus sanctus, qui testimonium perhibuit de illo, & ex cuius missione probauit se Deum: nàm quà homo rogauit, & rogaturum se dixit Patrem, quà verò Deus misit vnà cum Patre; eamdem ostendit apparens Stephano illũ à dextris Dei vidente, & Paulo in terris, deindè in raptu in cælum; Item quia ascendendo comprobauit omnia eius facta, & dicta: non enim Deus ad se assumeret, nequè rata haberet dicta, vel facta iniqua, & falsa.



C A-



CAPVT II.



1 T cùm complerentur dies Pentecostes erant omnes pariter
2 in eodem loco: * & factus est repentè de cælo sonus, tam-
quàm aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam
3 domum vbi erant sedentes.* Et apparuerunt illis disper-
titæ linguæ tamquàm ignis, seditquè suprà singulos eorum:
4 * & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui
varijs linguis, proùt Spiritus sanctus dabat eloqui illis.
5 * Erant autèm in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione,
6 quæ sub cælo est. * Facta autèm hac voce, conuenit multitudo, & mente con-
7 fusa est, quoniàm audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. * Stupebant
8 autèm omnes, & mirabantur, dicentes: Nonnè eccè omnes isti, qui loquuntur,
Galilæi sunt, & quomodò nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua
9 nati sumus? Parthi, & Medi, & Aelamitæ, & qui habitant Mesopotamiam,
10 Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, * Phrygiam, & Pamphy-
liam, Aegyptum, & partes Libyæ, quæ est circà Cyrenen, & aduenæ Roma-
11 ni, * Iudæi quoquè, & Proselyti, Cretes, & Arabes: audiuimus eos loquentes
12 nostris linguis magnalia Dei.* Stupebant autèm omnes, & mirabantur ad in-
13 uicèm, dicentes: Quidnam vult hoc esse? * Alij autèm irridentes, dicebant: Quia
14 musto pleni sunt isti.* Stantes autèm Petrus cum vndecim leuauit vocem suam.
& locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis
15 notum sit, & auribus percipite verba mea. * Non enim sicùt vos æstimatis, hi
16 ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia: * sed hoc est, quod dictum est per prophetam
17 Ioel: * Et erit in nouissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Speritu meo
supèr omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes
18 vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. * Et quidèm
supèr seruos meos, & supèr ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo,
19 & prophetabunt: * & dabo prodigia in cælo sursùm, & signa in terra deorsùm,
20 sanguinem, & ignem, & vaporem fumi: * Sol conuertetur in tenebras, & lu-
21 na in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus & manifestus. * Et
22 erit: omnis, quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. * Viri Israe-
litæ, audite verba hæc: Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vo-
bis, virtutibus, & prodigijs, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio ve-
23 stri, sicùt & vos scitis: * hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum,
24 per manus iniquorum affligentes interemistis: * quem Deus suscitauit solutis do-
25 loribus inferni, iuxtà quòd impossibile erat teneri illum ab eo: * Dauid enim di-
cit in eum: Prouidebam Dominum in conspectu meo sempèr: quoniàm à dextris

26 *est mihi ne commouear :* * *Proptèr hoc lætatum est cor meum, & exultauit lin-*
27 *gua mea, insupèr & caro mea requiescet in spe :* * *Quoniàm non derelinques ani-*
28 *mam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* * *No-*
29 *tas mihi fecisti vias vitæ : & replebis me iucunditate cum facie tua.* * *Viri*
fratres, liceat audentèr dicere ad vos de Patriarcha Dauid quoniàm defunctus
est, & sepultus : & sepulchrum eius est apud nos vsquè in hodiernum diem.
30 * *Propheta igitur cum esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus de fru-*
31 *ctu lumbi eius sedere supèr sedem eius :* * *Prouidens locutus est de resurrectione*
Christi, quia nequè derelictus est in inferno, nequè caro eius vidit corruptionem.
32 * *Hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus.* * *Dextera igi-*
33 *tur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hunc,*
34 *quem vos videtis, & auditis.* * *Non enìm Dauid ascendit in cælum: dixit au-*
35 *tèm ipse : Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,* * *Donèc ponam ini-*
36 *micos tuos scabellum pedum tuorum.* * *Certissimè sciat ergò omnis domus Israel,*
quia & Deminum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos cru-
37 *cifixistis.* * *His autèm auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum,*
38 *& ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres?* * *Petrus verò ad il-*
los : Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomi-
ne Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum : & accipietis donum Spi-
39 *ritus sancti.* * *Vobis enìm est repromissio, & filijs vestris, & omnibus, qui*
40 *longè sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster.* * *Alijs etiàm ver-*
bis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos dicens : Saluemini à genera-
41 *tione ista praua.* * *Qui ergò receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appo-*
42 *sitæ sunt in die illa animæ circitèr tria millia.* * *Erant autèm perseuerantes in*
43 *doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* * *Fie-*
bat autèm omni animæ timor : multa quoquè prodigia, & signa per Apostolos in
44 *Ierusalem fiebant, & metus erat magnus in vniuersis.* * *Omnes etiàm, qui*
45 *credebant, erant paritèr, & habebant omnia communia.* * *Possessiones, & sub-*
46 *stantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, proùt cuique opus erat.* * *Quo-*
tidie quoquè perdurantes vnanimitèr in templo, & frangentes circà domos pa-
47 *nem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis,* * *collaudantes*
Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autèm augebat qui
salui fierent quotidiè in idipsum.

ET *cùm complerentur.* Vide Leuit. 23. *dies Pentecostes erant omnes* prędicti Apostoli, & Maria cum fratribus, & mulieribus; *paritèr*, simùl *in eodem loco*, in cœnaculo suprà cap. 1. 13. & 14. vel domo, vt hic: cùm enim dicat *erant omnes pariter in eodem loco*, neminem excludit eorũ, quorum mentionem cap. 1. fecerat, imò alios superuenisse; vt in electione Matthiæ, verisimilius est : *& factus est repentè de cælo sonus tãquàm aduenientis Spiritus* venti *vehementis, & repleuit totam domum, vbi erãt sedentes*, manentes. Cùr hic sonus ē seruauit Deus quòd in alijs grauibus, & magnis.

Puni-

Puniturus enim Adam perstrepit, Gen. 3. & cùm audisset vocem Domini Dei deambulātis ad auram post meridiem; vocauitq. Dominus Deus Adam; & vocem tuam audiui. Mundum diluuio deleturus aquas magno fragore deijcit. Gen. 7. 11. ruptiq. sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia. Confundit linguas ædificantium Ciuitatem, & turrim, vt non audiret vnusquisque vocem proximi sui. Gen. 11. Pluit Dominus supèr Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignē à Domino de cælo. Gen. 19. 24. Quot fragores admixti in plagis Aegyptiacis? in lege populo danda qualis sonus? in cruce, in Resurrectione? antè diem Iudicij quæ præcedent? Hæc autèm Deus ad terrēdos reos, vt conuertantur, & fugiant à facie arcus, vel ad res suas magnificandas, & exaltandas, & hominibus suspiciendas, prout hìc ad homines commouendos, ad quærendū quidnàm hoc esset, Apostolosquè admirabiles reddendos, reiquè magnitudinē ostendendam. At quidquid in mundo est, vox est. 1. Cor. 14. 11. quæ nos ad Deum vocat, & ipsemet stat ad ostium, pulsat, & numquam vocare cessat. Congrua videtur missio hæc, vt sicùt filij Israel habuerunt Angelos associantes, & præcedentes ex Aegypto in terram promissionis, ità Deus euangelizantibus Spiritum sanctum daret, vt fierent tuti, & ardentes ad legem Euangelicam promulgandam coràm Regibus, filijs Israel, gentibus. *Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ, tamquàm ignis* ad ingerendum ardorem, quo possent alios imbuere, *seditquè suprà singulos eorum*, qui erant in eo loco, *& repleti sunt omnes Spiritu sancto*. recedens Iesus dixerat missurum Spiritum sanctū, & vt ipsi docerent omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, eccè executio: docere enim non poterant totum orbem absquè Spiritu sancto, & dono linguarum, mittitur Spiritus sanctus cum dono, & vtriquè satisfit, & hìc Spiritus sanctus visibilis in linguis, inuisibilis in donis. Cur supèr Apostolis in linguis, & vento, supèr Christum in columba? in columba quidèm supèr Christum ad denotandam eius puritatem, quam baptizatus occultauerat, ostendens se quasi peccatorem baptismo indigentem ad maculas expurgandas: supèr Apostolos linguis igneis ad illos in charitate efformandos, & stabiliendos, & aptos reddendos prædicationi per vniuersum orbem ad singulos populos diuersis linguis vtentes. In vento autèm ad denotādum eumdem Spiritum vento similem, prout cum Nicodemo, quod & fecit Christus insufflando, dicens: accipite Spiritum, &c. & hìc ad terrorem audientibus incutiendum, & sui præsentiam, aduentum, maiestatem demonstrandam. *Et cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*, ità vt vno sono ab omnibus intelligerentur, prout textus clarè loquitur vers. 6. 8. 11. & hoc est maius miraculum, & colligitur etiàm, quia loquebantur ad vniuersos, non ad singulos, & magnalia Dei; & auditores intèr se colloquebantur, *nonnè eccè omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?* & quia dictum fuit musto plenos esse, & sanctis prædicatoribus aliquandò fuit concessum; primum autèm quòd ad singulos loquerētur lingua eorum, quibuscum loquebantur, est indubitatum; quòd verò dicitur, miraculum esset respectu audientium, non loquentium, non procedit; quia miraculum erat in sono exeunte à linguis loquentium, qui in singulis loquentibus efformabatur iuxtà eorum linguam, nō in audiente, qui erat persona passiua admirans miraculum, non actiua, & quia attendendum principium, & causa efficiens in audiente, & eo maius miraculum, quo & ipsi loquentes intelligebant hanc diuersitatē: non enim contingebat illis, prout Pharaoni, & Nabuchodonosori, qui non ipsi prophetæ, cùm non intelligerent somnia sua, sed qui intellexerūt, Ioseph, & Daniel, nam hi intelligebant. Congruū hoc, quòd prout confusio, & diuisio linguarū facta est ad turrim Babel (antè enim terra erat labij vnius, & sermonum eorundem) ob peccatum ædificantium. Gen. 11. vt clariùs dici non possit; sic in necessitate prædicationis Euangelicæ ad diuersarum linguarum nationes imbuendas concessum fuisse donum linguarū. *Erant autèm in Ierusalem habitātes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo*

est; facta autèm hac voce sonitus missionis Spiritus sancti, huiusmodi facti, & successus, *conuenit multitudo* ad eos, *& mente confusa est, quoniàm audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes: nonnè ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodò nos audiuimus vnusquisque linguã nostram, in qua nati sumus?* Hinc collige supèr Apostolos tantùm, & Mariam Spiritum sanctum illapsum, quod firmatur, quia vers. 14. dicitur, *stans autèm Petrus cum vndecim;* sed alij volunt suprà 120. quod non credo, quia illi præsentes dum subrogatus Matthias; potiùs (si qui alij) mulieres, quæ Christum sequebantur, & fratres Mariæ, de quibus cap. 1. vers. 14. certi sumus de Apostolis, quia dicendo *erant omnes*, reassumere videtur Apostolos, quos in fine primi capitis expresserat, ipsi soli linguis loquuntur, ipsis solis Christus promisit missurum Spiritum sanctum antè Passionem in sermone in cœnaculo, & antè Ascensionem suprà cap. 1. Mariam ponunt Patres; & picturæ omnes, & Mariæ annecti possunt & mulieres, & fratres, quos scientes infrà dies paucos mittendum Spiritum sanctum, non est verisimile indè discessisse, sed cum Apostolis expectasse; de alijs maius dubium, de his non tantum, dubium tamèn, quia non vigent in eis causæ, quæ in Apostolis, & Maria, & quia nõ erat certa dies: dixerat enim, non pòst multos hos dies. *Parthi, & Medi, &c. audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* æstimo intèr hos plures gentiles, & ideò factam tantarum nationũ mentionem, vt magis appareat de miraculo linguarum: multi enim ad templum in Ierusalem accedebant, & fragor, & sonus omnes conuenire fecit omnibus significatione ignotus; vndè in hoc nullum priuilegium Iudæi vltrà Gentilem. Secundò, expresse fit mentio, & distinctio Iudæorum, & Proselytorum. Tertiò, nominantur & aduenæ Romani, quos non possumus Iudæos dicere. Quartò, vt dixi, parùm referebat connumerare tot nationes; & si omnes fuissent Iudæi, vnico verbo fuisset contentus, non tot nationes expressisset, proùt 2. Mach. 1. in princ. ad religionem enim potiùs, quàm ad aliud respexisset in illis denominandis.

Nec excluditur opinio, quia hi non fuerint intèr tria millia à Petro conuersa, cum tùnc non esset apertum ostium gentilibus, præsertim si singuli baptizati, & interrogati, quia potuerunt Gentiles conuenire ad sonum, non tamèn conuerti. At imò crederem multos eorum conuersos, quia non est verisimile antè cõcionem Petri aliò diuertisse, sed permansisse, donèc intelligerent quid illud esset, & supèr illos potuit & Spiritus sanctus cadere. Quis enim potuit cõpescere vim Spiritus sancti personarum non acceptoris ex ore Petri procedentem? aut quis conuersos reiecisset? & fortè non cogniti, quia tãta multitudo aspersa fuit aqua, non singuli immersi, & interrogati; & nonnè gentiles ad Christum accesserant antè mortem nunciante eos Philippo? nonnè Centurio conuersus ad Crucem? nonnè dictum Apostolis: prædicate Euangelium omni creaturæ, & docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.? nonnè Aethiops Eunuchus cap. 8. baptizatus? qui fortè gentilis, cum nemo dicat eum Proselytum; nam & Gentiles accedebant in solemnitatibus ad Ierusalem; etsi lectio Isaiæ videatur illum innuere proselytum. Hinc apparet fuisse apertum ostium Gentilibus.

Et si de casu Centurionis infrà cap. 10. opposueris; respondeo, nondum erat apertum ostium Apostolis, qui primò Iudæis, deindè Gentilibus prædicare debuerant, & ignorabant tempus, quo ad illos accedere deberent, quod manifestauit illis Deus in casu Centurionis. At admittebant venientes, & eos nullo modo reijciebant, scientes primum mandatum omnibus prædicandi, omnes baptizandi, hæcquè videntur sonare verba Petri. Act. 10. 28. & 34. & Paulus loquebatur Gentibus cap. 9. 29. & 26. 20. & infrà 13. 46. & vobis oportebat primũ, &c. sed quia vos, &c. eccè conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus, & infrà hoc cap. vers. 39. exemplum etiàm antecedebat Domini, qui licèt missus ad oues Israel tantùm, tamèn nec respuit Chananæam, nequè Samaritanam, & Samaritanos suos, & leprosum Samaritanum, quos omnes conuertit, & sanauit, quo exemplo ipsi

ipsi magis vrgebantur, cum nouum præceptum habuissent ad gentes penetrandi: si enim Iudæi faciebant proselytos, reijciendi erant ab Apostolis Spiritu sancto plenis, & à Christo edoctis, qui ad fidem Christi accessissent? Imò antè factū Petri iàm Euangelium propagabatur ex dispersione facta occasione martyrij Stephani; vndè Samaritani conuersi, & aliqui loquebantur Græcis cap. 11. 20. etsi hoc aliqui dicant pòst apertum ostium, & Samaritanis conuersis missi Petrus, & Ioannes, & per impositionē manuum datus Spiritus sanctus, & hi in prima prohibitione erāt expressi: in viam gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, etsi posteà antè gentes nominati cap. 1. suprà. Si dicis, intèr tria millia fuisset magnus numerus Gentilium conuersorum; at dicam paucos externorum intèr multos Iudæos, vel patria, vel religione, alibi tamèn habitantes. Non obstat quòd dicentes Apostolos musto madere non essent Gentiles, sed Hebræi; nàm Petrus contrà eos vtitur Scriptura Gentilibus incognita, quia ob id non excluditur ibì nō fuisse aliquos Gentiles, proùt nec vsus Scripturæ hoc infert, quia Petrus vtitur armis suis ad rem facientibus, & vltrà Scripturam ratione horæ tertiæ, quæ & Gentilibus adaptabatur, potuerunt & Gentiles aliquam notionem habere Scripturarum ex Seminario Hebræorum per totum orbem hac de causa dispersorum. Tob. 13. & ex accessu ad festum; & Spiritus vbi vult spirat, & nescis vndè veniat, aut quò vadat, & is potuit Gentilibus tùnc conuertendis aperire cor ad intelligentiam Scripturarum, proùt linguarum; hinc Petrus: omnis, quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit, & super omnem carnē, &c. & facit suprà exēplum Christi Gentiles admittentis, & tandèm Petrus rectè in Ierusalem, vbi maior pars Hebræorum, vtitur Scriptura, quæ præ manibus habebatur, nec hoc argumentum vllo modo concludit. Non obstat, quòd prædicatio Petri directa sit in Iudæos tantùm; *Viri Iudæi & qui habitatis Ierusalem; viri Israelitæ; viri fratres*, quia existens in Ierusalem principalitèr ad eos in maiori numero existentes, non autèm alios excludit, alios forenses ignorans, proùt prædicator his diebus prædicans in aliqua Ciuitate. Non obstat, *erant autèm habitantes Iudæi, &c.* cap. eodem, quia non credo excludi Gentiles solitos conuenire ad templum his diebus. Io. 12. 21. & Petrus dixit: *Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi*: vers. 14. quæ responsio seruit ad obiectionem præcedentem. Non obstant verba Petri. Act. 15. 7. quia verum est ipsum non conuenisse Gentiles antè Centurionem, sed Gentiles potuerunt conuerti, & ad ipsum accedere; vndè non videtur posse tutò, & necessariò excludi conuersio aliquorum Gentilium in prædicatione Petri, quidquid sit de veritate, quam ignoramus. At sicùt mirum aliquos Gentiles non accurrisse, neque conuersos, ità magìs mirum est hos non visos, nec cuiquam notos fuisse; & verba, *habitantes*, non hospitantes, nō aliundè aduenientes *Iudæi*, faciunt difficultatem; & verba Petri d. cap. 15. 7. & postquàm de alio non constat, credendum potiùs nullū Gentilium tùnc conuersum, maximè quia peruertebatur ordo. *Stupebant autèm omnes, & mirabantur adinuicèm dicentes: quidnam vult hoc esse? Alij autèm irridentes dicebant: quia musto pleni sunt isti: Stans autèm Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & loquutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea: non enim, sicùt vos æstimatis* temerariè, *hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia*, qua non solet cibus sumi; *sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel:* (ex antiquis Prophetis, quibus credendum, rem comprobat) *& erit in nouissimis diebus (dicit Dominus)* hæc tempora sic dicuntur vsquè ad diem Iudicij, vt in epistolis obseruatum: *effundam de Spiritu meo supèr omnem carnem* mundatorum, *& prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestris omnia somniabunt*; effectus hi omnes Spiritus sancti, at non omnes in singulos. Eph. 4. *Et quidèm supèr seruos meos, & supèr ancillas meas in diebus illis* largè, abundè *effundam de spiritu meo, & prophetabunt:* hoc speciatim in die Pentecostes, quia hi congregati tales erant vtriusque sexus,

xus, præsertim cum præcedat generalitas effusionis Spiritus fiendæ super omnē carnem, ità vt hæc strictè ad hos, & ad has; vndè fit verisimilior opinio alias mulieres vltrà Mariam matrem Domini præsentes fuisse, præsertim quia numerus pluralis vnâ non est contentus, & misso Spiritu sancto, pòst quem nil aliud expectandum, *dabo prodigia in cælo sursùm, & signa in terra deorsùm, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi: sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus, & manifestus*, quæ intelligenda de die Iudicij; *sanguinem*, vel ad cædes Antichristi, vel qui fundetur à Deo reos puniente, vt in tota Apoc. *ignem* conflagrationis mundi, *vaporē fumi* ex igne accendēdo, & extinguendo exhalantē; *sol cōuertetur in tenebras, luna in sanguinem*: erunt signa in sole, luna, & stellis, &c. Nec obstat nimia propinquitas, & connexitas locutionis horum missioni Spiritus sancti quia non attenditur, cùm aliud non expectetur, & quò ad Dominum mille anni tamquàm dies externa, quæ præterijt, & quia sunt clara verba *sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus, & manifestus. Et erit: omnis, quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*: hoc intelligitur de tempore proximo Iudicio, quo reliquiæ Israel conuertenda, vt ibi clarè per prophetam Ioel cap. 2. in fin. Non obstat verborum coniunctio cum antecedētibus missionem Spiritus sancti continentibus, quia Prophetarum est diuersa in vno flatu, & phrasi pronunciare, & congerere. Non obstat longus tractus, quia omnia nouissima tempora vsquè ad diem Iudicij, cū alia lex non expectetur. Non obstant verba subiuncta, *& erit: omnis, quicunque inuocauerit, &c.* non pertinere ad diem Iudicij, at anteriora clara hæc reddunt iuxtà hanc opinionem, quia in fine reliquiæ Israel saluandæ, & de illo tempore intelliguntur, non aliò. Non obstat, Petrus proferens verba hæc non agebat de Iudicio, ergò de Iudicio non intelliguntur, nam Petrus refert quod tùnc faciebat ad suum propositum, & quód deindè futurum erat iuxtà sententiam Ioelis, quam integram descripsit, quæ etiàm deseruiebat, vt scirent ea tùnc vidētes, quæ facienda erant in fine temporum, & confirmarentur in fide tùnc factorum. Vel totam retulit Petrus, quia illa clausula circà finē, *& erit: omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*, sic nuda seruit ad omne tempus, proùt ea vsus Paulus. Rom. 10. 13. Non possunt hæc applicari ad Passionem Christi, quæ iàm transierat, & illi applicando, omnia impropriantur, & minùs stringunt, sed omnia vno verbo tollūtur ex verbis, *antequàm veniat dies Domini magnus, & manifestus*, in Ioele horribilis: de die enim Iudicij intelligenda velis nolis, eo magìs cum subdatur saluatio reliquiarum, & numquàm dicetur dies aduentus Spiritus sancti magnus, & manifestus, & horribilis; quarè standum cum communi, quæ irrefragabilis est ex lectura cap. 2. & 3. Ioelis: *Viri Israelitæ*, non ergò hic Gentiles: *audite* attentè *verba hæc. Iesum Nazarenum* (dicit *Nazarenum*, vt cognoscant de quo loquatur: titulus enim in cruce positus ab omnibus visus eum manifestabat) *virum approbatum à Deo in vobis* quà hominem *virtutibus, & prodigijs, & signis*, miraculis, *quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis*: hæc enim negare non potestis, & sic Iesus argumentabatur; *hunc* Iesum *definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorū affligentes interemistis*: antequàm de morte per eos Christo illata dicat, præmittit verba, *definito consilio, & præscientia Dei traditum*, vt minùs eos vrgeat, & hac lenitate beneuolos faciat, & ad fidem alliciat, qui erat scopus Petri, neque enim eorum delictum, ac parricidium excusare alitèr poterat. sic Ioseph cum fratribus iniquis. Gen. 50. 20. nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, &c. *quem* Iesum *Deus suscitauit* primogenitum à mortuis, nō ampliùs moriturum, sua potentia *solutis doloribus inferni* alios mortuos retinentibus, nempè carcere Limbi Patrum, & priuatione visionis Dei, qui illi non aptabantur, cū esset intèr mortuos liber, imò victor alios captiuos liberans, & secum ducēs, & expolians principatus, & potestates inferi, *iuxtà*

quæ ... *quod*

quod impossibile erat teneri illum ab eo, Deo nolente, & dolores illos soluente: quē enim Deus soluit, infernus ligare non potest. *Dauid enim dicit in eum* id prænoscens: *prouidebam Dominum in conspectu meo sempèr*, mihi sēpèr assistentē, *quoniàm à dextris est mihi*, mihi fauet, me protegit *ne commouear* quauis tribulatione, *proptèr hoc lætatum est cor meum*, fiduciam habens in Domino, *& exultauit lingua mea* in laudes eius, *insupèr & caro mea requiescet in spe* resurrectionis mox futuræ de illa, *quoniàm nō derelinques animam meam* dilectam tibi *in inferno*, ad quod eam dimisisti (eccè quid sibi volunt verba, *solutis doloribus inferni*) *nec dabis sanctum tuum*, quem tibi segregasti, *videre corruptionem*, corrumpi: citò enim excitandus. *notas mihi fecisti vias vitæ*, ad quas me rediuiuum duces, *& replebis me iucunditate cum facie tua*, beatitudine, qua facie tua ostensa beare soles, frui te das; & quia dicere poterant, hoc ad Dauidem, non ad Iesum, Petrus huic dubio occurrit dicēs: *Viri fratres, liceat audentèr dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniàm defunctus est, & sepultus: & sepulchrū eius est apud nos vsquè in hodiernum diem*, in quo nō videmus hæc cōtigisse, imò is dicebat: quis est homo, qui viuet, & nō videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi? Psal. 88. *propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lūbi eius sedere supèr sedem eius* spiritualitèr, *prouidens* hoc *loquutus est* in recitatis verbis *de Resurrectione Christi, quia nequè derelictus est in inferno*, sed excitatus, *nequè caro eius vidit corruptionē*, cùm tertio die resurrexerit. *Hunc Iesum resuscitauit Deus*: alius enim ab illo nō poterat, *cuius omnes nos testes sumus* ad hoc electi, *dextera igitur*, potentia *Dei exaltatus* ad cælos, sedens ad dexteram Dei, *& promissione Spiritus sancti accepta à Patre* suo Deo quà homo, dum hìc nobiscū esset, precibus suis illū nobis merens, *effudit* quà Deus ipse cum Patre, cui coæqualis (eccè processio Spiritus sancti à Patre, & Filio) *hunc* Spiritum sanctum, *quem vos videtis, & auditis* in suis effectibus: *non enim Dauid ascendit in cælum*, vt ipse illū indè emittere potuerit: *dixit autèm ipse: Dixit Dominus* Pater *Domino meo* Filio suo Iesu Christo, *sede à dextris meis*, in omni gloria. *Donèc ponam inimicos tuos* tibi non credentes, nō genuflectentes, *scabellum pedum tuorū*, sub pedibus tuis, donèc illos conteram, quod perficietur in die Iudicij. *Certissimè*, absquè vlla dubitatione, & scrupulo *sciat ergò omnis domus Israel*, omnis congregatio Israelitica, *quia & Dominum eum* omnium, *& Christum* regem omnium *fecit Deus*, *hunc Iesum, quem vos crucifixistis*: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam; ego autèm cōstitutus sum Rex ab eo supèr Sion montem sanctum eius, supèr totam Ecclesiam, cuius ille caput. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra; & Heb. 1. quem constituit hæredem vniuersorū. Eccè quomodò cœpit prædicari Christus, & hic crucifixus, quomodò testes hi Resurrectionis, ad quæ duo restringitur prædicatio prima Petri. *His autèm auditis*, corda eorum mouente Spiritu sancto, *compuncti sunt corde* de his, quæ contrà Iesum machinati sunt: (non hi Gentiles) *& dixerunt ad Petrum* orantem, *& ad reliquos Apostolos: quid faciemus, viri fratres?* sic illi cum Ioanne Baptista. *Petrus verò ad illos*, idem quod Ioannes: *pœnitentiam (inquit) agite* à delictis vestris, *& baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi*, in eius baptismo forma nobis præscripta *in remissionem peccatorum vestrorum*, quæ illicò succedet, *& accipietis donum Spiritus sancti* etiàm visibile tùnc datum in signum veræ remissionis; hinc Apostoli exequi cœperunt dicta à Iesu, vt pœnitentiam annunciarent, & regnum cælorum, & baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Vobis enim est repromissio, & filijs vestris*, in cuius repromissionis obseruantiam Iesus Messias ad vos missus, & etiàm *omnibus, qui lōgè sunt*, omnibus hominibus etiàm Gentilibus, *quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster*, apud quem non est personarum acceptio, *alijs etiàm verbis plurimis testificatus est*; eritis mihi testes in Ierusalem, &c. *& exhortabatur eos, dicens: saluamini à generatione ista praua*, ab hoc sæculo prauo, ab hominibus tùnc viuentibus prauis; sic Moyses abigens populum à tabernaculis Core, & Abiron;



Abiron; *qui ergò receperunt sermonem eius* à Deo electi, *baptizati sunt: & apposita sunt in illa die animæ circitèr tria millia*; magna prima piscatio. *Erant autèm* hi *perseuerãtes in doctrina Apostolorum*, quos prædicantes audiebant, *& cõmunicatione fractionis panis*, Sacramento Eucharistiç, panis spiritualis: totus enim versiculus de spiritualibus, doctrina, orationibus, ergò & media spiritualia, & infrà vers. 46. de pane communi, quod non repeteret, *& orationibus. Fiebat autèm omni animæ*, huiusmodi audienti *timor*: hic à Deo inijciebatur: *multa quoquè prodigia, & signa per Apostolos in Ierusalẽ fiebant* Domino cooperante, & sermonẽ cõfirmante sequentibus signis, *& metus erat magnus in vniuersis* hæc noua cognoscentibus; *omnes etiàm, qui credebant, erãt paritèr*, simùl, *& habebant omnia cõmunia*, nihil curantes terrena, soliciti seruare pacẽ. *Possessiones, & substantias vendebant, & diuidebant illa*, precium eorum *omnibus, prout cuique opus erat*, in charitate radicati, & fundati. *Quotidiè quoque perdurãtes vnanimiter in templo*, Deum laudãtes, *& frangentes circà domos panem*, comedentes panem, *sumebant cibum cum exultatione*, in lętitia seruientes Domino, *& simplicitate cordis*, quæ Spiritui sancto placet, *collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem*, quã suis bonis operibus captiuauerant. *Dominus autèm augebat qui salui fierent quotidiè in idipsum*; Dominus incrementum dabat; nisi Dominus ædificauerit domum, Ciuitatem, &c. frustrà, &c. Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autèm incrementum dedit.



CAPVT III.



1 *ETRVS autèm, & Ioannes ascendebant in templum*
2 *ad horam orationis nonam. * Et quidam vir, qui erat*
claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur: quem pone-
bant quotidiè ad portam templi, quæ dicitur Speciosa,
vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.
3 ** Is cùm vidisset Petrum, & Ioannem incipientes in-*
troire in templum, rogabat vt eleemosynam acciperet.
4 ** Intuens autèm in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos. * At ille*
5 *intuebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. * Petrus autèm dixit:*
6 *Argentum, & aurum non est mihi: quod autèm habeo, hoc tibi do: in nomi-*
7 *ne Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. * Et apprehensa manu eius dexte-*
8 *ra, alleuauit eum, & protinùs consolidatæ sunt bases eius, & plantæ. * Et exi-*
liens stetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans, & exi-
9 *liens, & laudans Deum. * Et vidit omnis populus eum ambulantem, & lau-*
10 *dantem Deum. * Cognoscebant autèm illum, quòd ipse erat, qui ad eleemosy-*
nam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt stupore & extasi in
11 *eo, quod contigerat illi. * Cùm teneret autèm Petrum, & Ioannem, cucurrit*
12 *omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes. * Vi-*
dens autèm Petrus respondit ad populum: Viri Israelitæ quid miramini in hoc,
aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc am-
13 *bulare? * Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum no-*
strorum


strorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & ne-
14 *gastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. * Vos autèm sanctum, &*
15 *iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis: * auctorem verò*
vitæ interfecistis, quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus.
16 ** Et in fide nominis eius, hunc, quem vos vidistis, & nostis, confirmauit no-*
men eius: & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in con-
17 *spectu omnium vestrum. * Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis,*
18 *sicùt & Principes vestri. * Deus autèm, quæ prænunciauit per os omnium pro-*
19 *phetarum, pati Christum suum, sic impleuit. * Pœnitemini igitur, & conuer-*
20 *timini, vt deleantur peccata vestra; * vt cum venerint tempora refrigerij à*
conspectu Domini, & miserit eum, qui prædicatus est vobis, Iesum Christum,
21 ** quem oportet quidèm cælum suscipere vsquè in tempora restitutionis omnium,*
22 *quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorum à sæculo Prophetarum. * Moyses*
quidèm dixit: Quoniàm Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de
fratribus vestris, tamquàm me, ipsum audietis iuxtà omnia quæcumque locu-
23 *tus fuerit vobis. * Erit autèm: omnis anima, quæ non audierit Prophetam il-*
24 *lum, exterminabitur de plebe. * Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps,*
25 *qui locuti sunt, annunciauerunt dies istos. * Vos estis filij prophetarum, & testa-*
menti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semi-
26 *ne tuo benedicentur omnes familiæ terræ. * Vobis primum Deus suscitans Fi-*
lium suum, misit eum benedicentem vobis: vt conuertat se vnusquisque à ne-
quitia sua.



ETRVS *autèm, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*, ne putes ad sacrificia illa animalium offerendorum. *Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur, quem ponebant quotidiè ad portam templi, quæ dicitur speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum*; vide antiquum morem. *Is cum vidisset Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemosynam acciperet*, non sanitatem: de illa enim non cogitabat. *Intuens autèm in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos*, hoc factum, vt sciret à quibus sanitatem recognosceret: si enim sanitatem recepisset non admonitus his verbis, poterat titubare, & miracula fiebant ad stabiliendam fidem in Iesum. *At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum* pecuniarum *ab eis*. *Petrus autèm* videns illum expectantem eleemosyna subueniri, *dixit:* non dissimile miraculum à languido per Christum ad piscinam sanato: ibi enim & Christus à se, proùt hìc Apostoli, & is cognitus ex infirmitate, non ex nomine, proùt ille; hìc manifestatio magna, proùt ibi; ibi infirmitas diuturna triginta octo annorum, is ab vtero claudus, & excedebat annos quadraginta. cap. 4. 22. *Argentum, & aurum non est mihi*, quæ tu expetis, & expectas à nobis: *quod autèm habeo, hoc tibi do* gratis, proùt gratis accepi. *In nomine Iesu Christi Nazareni*, non meo, *surge, & ambula*. Commota sunt viscera Petri ad misericordiam ergà claudum eleemosynam petentem, deditquè exemplum nobis, ne dimittamus pauperes vacuos, proùt Petrus egenus hunc noluit; & sic Tobiæ 4.7. noli auertere faciem tuam ab vllo paupere; dicit *Nazareni*, hìc, & suprà cap. 2. 22. vt cogno-
scatur

ſcatur ex inſcriptione Crucis, quæ tùnc in ore omnium erat. *Et apprehenſa manu eius dextera, alleuauit eum, & protinùs conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ:* apprehendit manum, ne alteri miraculum aſcriberetur exemplo Chriſti cum ſocru Simonis, & aliàs ſæpiùs, vt in Euangelijs obſeruaui, & voluit etiàm teneri ab illo ad eumdem finem, quia non prohibuit, præſertim cum eſſet primum miraculum, & Apoſtoli eſſent obſcuri, & incogniti, non ad propriam, ſed Ieſu Chriſti gloriam, ad quam omnia referebant, vt ex eorum verbis. *Et exiliens ſtetit, & ambulabat, & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum: & vidit omnis populus* adſtans *eum ambulantem, & laudantem Deum* ob receptam ſanitatem, etiàm interiorem animæ; *cognoſcebant autèm illum, quòd ipſe erat, qui ad eleemoſynam* petendam *ſedebat ad ſpecioſam portam templi: & impleti ſunt ſtupore, & extaſi in eo, quod contigerat illi,* hæc omnia ad manifeſtationem, & certitudinem miraculi, quæ & Chriſtus obſeruabat. *Cum teneret autèm Petrum, & Ioãnem* in ſignum gratiarum, & gratitudinis in Deum, & auctores eius ſanitatis, & gaudij, quaſi nollet ab eis diuelli, proùt à Chriſto ſanati, quorum alij ad ſequelam admiſſi, alij dimiſſi; in concilio etiàm claudus hic ſtetit cum Apoſtolis infrà cap. 4. 14. *cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, ſtupentes* (eccè effectus miraculi.) *Videns autèm Petrus* concurſum, occaſione accepta *reſpondit ad populum* ſtupentem, & admirantem: *Viri Iſraelitæ* (nihil hìc de gentilibus) *quid miramini in hoc* ſigno, *aut nos quid intuemini*, quaſi nobis hoc tribuentes, *quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?* quaſi, id nos non fecimus. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum:* didicit hoc themà à Chriſto probante reſurrectionem: *glorificauit Filium ſuum Ieſum*, per Crucem. Philip. 2. *quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis antè faciem Pilati, iudicante illo dimitti*, emendatum ergò dimittam, &c. *vos autèm ſanctum, & iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam* Barabbam *donari vobis, auctorem verò vitæ:* in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: *interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus:* ſẽpèr reſurrectio profertur. *Et in fide nominis eius hùc, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmauit nomen,* gloriam, maieſtatem *eius: & fides, quæ per eum eſt:* non enìm datum aliud nomen ſub cælo, in quo nos oporteat ſaluos fieri, *dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum* huic claudo nato: omnia ad Chriſti gloriam refert, nihil ſibi arrogans; hæc fides requiritur ad patranda miracula; hac deſtituti filij Scœuæ non potuerunt dæmonia eijcere. acto. 19. *Et nunc fratres ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicùt & Principes veſtri*, non dæmones, vt tenui. 1. Cor. 2. 8. ſic & Paulus, ſi cognouiſſent, numquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent. 1. Cor. 2. 8. & Chriſtus: ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt; ex parte Chriſti data fuerunt ſigna apertè probantia, ſed non aduerterunt ignauia quadam, & inconſideratione, vel inuidia, aut alia paſſione obcœcante victi: imò & qui ſecum toto vitæ tempore verſati erant, adhùc illum non cognoſcebant: tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? vix de Petro affirmatur ex reuelatione paterna, quod de alijs niſi in fine. Ioan. 17. & in Martha imperfectæ adhùc fidei, vt in Euangelio, negatur. Sed quomodò Chriſtus, excuſationem non habent de peccato ſuo? intelligitur, quia non applicarunt animum ad quem debuerant, non quæſierunt illum à Magis, Paſtoribus, Ioanne præmonſtratum, & alijs ſignis, & prodigijs manifeſtum redditum: hæc enìm eos conuicerunt, & abſtulerunt omnem excuſationem à peccato, vide ſcripta cap. 1. Apocalip. *Deus autèm* ex hoc malo veſtro, & iniquo facto *quæ prænunciauit per os omnium prophetarum;* hinc prophetiæ à Deo iuxtà Petrum. 2. Epiſtol. cap. 1. *pati Chriſtum ſuum*, Meſſiam, *ſic impleuit*, cum ſit verax, & obſeruans. *Pœnitemini igitur, & conuertimini vt deleantur peccata veſtra: vt cum venerint tempora refrigerij*, cum appropinquauerit redemptio noſtra reſurrectio corporum à conſpectu Domini, in quem reſpicientes beatitudine perfruemur, *& miſerit eum* (ergò mittetur à Deo ad

ad iudicandum homines in forma humana gloriosa; sic. 1. Timot. 6. 15. *qui prædicatus est vobis* nunc à me, *Iesum Christum* regnum distribuentem, & vos ad illud admittamini: requiritur enim munditia, & innocentia, & non est huius temporis missio, seù aduentus eius; ideò subdit, *quem* Iesum Christum *oportet quidem cælum suscipere*, in cælo morari *vsquè in tempora restitutionis omnium*, resurrectionis vniuersalis, & renouationis totius creaturæ, *quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorum à sæculo prophetarum*; sic suprà cap. 2. sede à dextris meis, donèc ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, donèc omnia prædicta in mundo perficiantur, & quia dictum de renouatione creaturæ. Rom. 8. propterea habes textum probantem priùs renouanda omnia, antequàm Christus iudicaturus descendat, vt alibì tenui. Ideò vult dicere Petrus, ne expectetis ampliùs eum in terris, proùt facitis; nàm non veniet ampliùs vobiscum conuersaturus, proùt fecit, etsi aliquibus appariturus, proùt Paulo infrà cap. 9. quæ apparitiones singulares non excluduntur ab hoc textu. *Moyses quidèm dixit: quoniàm Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris*, de hoc non intellexerunt Iudæi interrogantes Ioannem Baptistam: Propheta es tu? quia iàm interrogauerant an Christus, an Elias; prima interrogatio est huius loci, in secunda præfertur Elias, tertia is, qui illo casu erat minor, & seruarunt ordinem in interrogationibus. vide in Euangelio, *tamquàm me*, mei similem, *ipsum audietis iuxtà omnia, quæcunque loquutus fuerit vobis*; & hoc est, quod inculcabat Iesus: si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit; *erit autèm*: fiet autèm: *omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe* vti infidelis, non erit verus Israelita, punietur, non computabitur cum Abraham fideli. *Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, annunciauerunt dies istos*, quasi, in ore omnium est quod dico, vt probatione non egeat. *Vos estis filij* descendentes, hæredes *Prophetarum, & testamenti*, pacti, quod cum Patribus pepigit Deus, *quod disposuit Deus ad Patres nostros*, & primò *ad Abraham: & in semine tuo*, qui est Iesus (ex Paulo) non in seminibus, *benedicentur*, multiplicabuntur, prosperabuntur *omnes familiæ terræ*; *vobis primùm Deus suscitans* apparere faciens, mittens *Filium suum, misit eum benedicentem*, omnia bona elargientem *vobis* Israelitis: *vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua*, & euadat fidelis, in Iesum credens, & sperans.



CAPVT IV.

1 *LOQVENTIBVS autèm illis ad populum, super-*
uenerunt Sacerdotes, & Magistratus templi, & Sad-
2 *ducæi, * dolentes quòd docerent populum, & annuncia-*
3 *rent in Iesu resurrectionem ex mortuis: * & iniecerunt*
in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crasti-
4 *num: erat enim iàm vespera. * Multi autèm eorum,*
qui audierant verbum, crediderunt: & factus est nu-
5 *merus virorum quinque millia. * Factum est autèm in crastinum, vt con-*
6 *gregarentur* Principes *eorum, & Seniores, & Scribæ in Ierusalem, * & An-*
nas Princeps *Sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quot-*
7 *quot erant de genere Sacerdotali. * Et statuentes eos in medio, interrogabant:*

8 *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? * Tunc repletus Spiritu san-*
9 *cto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & Seniores audite: * Si nos hodiè*
10 *dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, * notum*
sit omnibus vobis, & omni plebi Israel: quia in nomine Domini Nostri Iesu
Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in
11 *hoc iste astat coràm vobis sanus. * Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis aedi-*
12 *ficantibus, qui factus est in caput anguli: * & non est in alio aliquo salus. Nec*
enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.
13 * *Videntes autèm Petri constantiam, & Ioannis, comperto quòd homines essent*
sinè litteris, & idiotae, admirabantur, & cognoscebant eos quoniàm cum Iesu
14 *fuerant: * hominem quoquè videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, ni-*
15 *hil poterant contradicere. * Iusserunt autèm eos foràs extrà concilium secedere:*
16 *& conferebant ad inuicèm, * dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quo-*
niàm quidèm notum signum factum per eos, omnibus habitantibus Ierusalem:
17 *manifestum est, & non possumus negare. * Sed ne ampliùs diuulgetur in popu-*
lum, comminemur eis, ne vltrà loquantur in nomine hoc vlli hominum.
18 * *Et vocantes eos, denunciauerunt ne omninò loquerentur, neque docerent in*
19 *nomine Iesu. * Petrus verò, & Ioannes respondentes, dixerunt ad eos: Si iu-*
20 *stum in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate. * Non enim*
21 *possumus quae vidimus, & audiuimus non loqui. * At illi comminantes dimise-*
runt eos: non inuenientes quomodò punirent eos propter populum, quia omnes cla-
22 *rificabant id, quod factum fuerat in eo quod acciderat. * Annorum enim erat*
ampliùs quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.
23 * *Dimissi autèm venerunt ad suos: & annunciauerunt eis quanta ad eos Prin-*
24 *cipes Sacerdotum, & Seniores dixissent. * Qui cum audissent, vnanimitèr le-*
uauerunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es qui fecisti caelum, &
25 *terram, mare, & omnia, quae in eis sunt: * qui Spiritu sancto per os patris no-*
stri Dauid, pueri tui dixisti: Quarè fremuerunt Gentes, & populi meditati
26 *sunt inania? * Astiterunt reges terrae, & Principes conuenerunt in vnum ad-*
27 *uersùs Dominum, & aduersùs Christum eius? * Conuenerunt enim verè in*
ciuitate ista aduersùs sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes,
28 *& Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israel, * facere quae manus tua,*
29 *& consilium tuum decreuerunt fieri. * Et nunc Domine respice in minas eo-*
30 *rum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum; * in eo quod ma-*
num tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti
31 *filij tui Iesu. * Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati: & re-*
pleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.
32 * *Multitudinis autèm credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quis-*
quam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia
33 *communia. * Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis*
34 *Iesu Christi Domini Nostri: & gratia magna erat in omnibus illis. * Nequè*
enim

enim quisquam egens erat intèr illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut
35 *domorum erant vendentes afferebant precia eorum, quæ vendebant,* * *& ponebant antè pedes Apostolorum. Diuidebatur autèm singulis proùt cuique opus erat.*
36 * *Ioseph autèm, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, (quod est inter-*
37 *pretatum Filius Consolationis) Leuites, Cyprius genere,* * *cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit precium, & posuit ante pedes Apostolorum.*

LOQVENTIBVS *autèm illis ad populum,* (hæc diligentia seminantium verbum) *superuenerunt Sacerdotes, & Magistratus templi, & Sadducæi;* (non erant hi lictores, seù milites: non enim constat Hebræos huiusmodi retinuisse, quia cum Christo Herodianis, & militibus Pilati vsi sunt, non vsuri, si proprios habuissent, videntur tamèn ministros templi habuisse, vt infrà c.5.26. & Io.18.3. & 12.22. qui fortè extrà templum non exercebant officium, vel potiùs hi erant milites positi sub Centurione, vel alio templum custodiente à tumultibus) hi ergò videntur in potestate constituti ex eorum descriptione; *dolentes quòd docerent populum, & annunciarent in Iesu resurrectionem ex mortuis,* credo specialem, non generalem, tùm quia eligentes Matthiam dixerunt, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. cap. 1. 22. tùm quia Petrus infrà in defensione de hac sola egit, non de vniuersali; at ex particulari inferebatur ad vniuersalem. *Et iniecerunt in eos manus* ob miraculum claudi, vt in interrogatione Synedrin, & quia claudus cum eis, responsione Petri, & quia publicabant id factum in nomine Iesu, vt in prohibitione Synedrin. *Et posuerunt eos in custodiam in crastinum,* id est, vsquè ad crastinum: *erat enim iàm vespera,* vt non possent tùnc eos interrogare; At in custodiam fortè priuatam, tùm quia nulla mentio eductionis dum sisterunt antè tribunal, tùm quia claudus erat cum eis fortè ob eandem causam retentus, carceri verisimilitèr non mancipatus, qui nihil peccauerat, & quia Synedrin fatetur se nihil contrà eos moliri posse, & quia infrà cap.5.habetur expressa mentio pluriès carceris, in quo positi; tamèn censeo potuisse id de facto fieri; nam non videtur eis licuisse interficere quemquam ex eorum confessione, & fortè nec Iudicium, seù sententiam mortis ferre, nàm Pilato nihil dixerunt de sententia mortis contrà Iesum lata pòst confessionem se Filium Dei esse, & Pilatus non concessit eis facultatem mortis, sed iudicium in Christum: secundùm legem vestram iudicate eum, & non est verisimile iuxtà eorum sententiam supplicia decreta, & data, & qui non habet consequens, non habet antecedens annexum, & inseparabile: & hoc Hebræi innuunt respondentes Pilato iudicium concedenti: nobis non licet interficere quemquam, & ideò fortè vt Christum illaquearent, ad eius iudicium adulteram duxerunt, vt ad mortem condemnantem Pilato deferrent; etsi tractabant infrà cap.5.33. de occidendo Apostolos, loquuntur de facto, non ex auctoritate legitima, qua destituebantur. *Multi autèm eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia:* ex numeri, loci, diei, & interuentus personarum diuersitate, diuersa conuersio à trium millium primæ diei. cap. 2. 41. alij esse additionem ad illa. *Factum est autèm in crastinum, vt congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scribæ in Ierusalem. Et Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas,* (de his in Euangelijs maximè. Luc.3.) *& Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali,* ex hoc concursu apparet quanti facerent hoc negocium, & qualis rumor excitatus, & quali angerentur inuidia: dicit, *in Ierusalem,* ne putes hoc factum in vico, aut loco obscuro, vel vt sciamus omnia hæc magna in Ierusalem sequi, vbi cœpta: in-

ea enim omnia hæc magna consummantur. *Et statuentes eos in medio* non ad terrorem, sed vt rem perspicuè omnes cognoscerent, & quamuis scissent de quo interrogabant, more Iudicum, ex eorum ore voluerunt hæc intelligere, & quia fortè suspicabãtur virtute magica, vel prohibita hæc ab ijs fieri, proùt contrà Iesum, ideò *interrogabant: in qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* id est, sanastis claudum? *Tùnc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos:* Petrus sempèr orat: *Principes populi, & Seniores audite: si nos hodiè dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste* (claudus enim præsens erat) *saluus factus est*, sanatus est; sic Christus, multa bona opera ostendi vobis, proptèr quod eorum opus me vultis lapidare? *notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel* (eccè os, & sapientia data, & animus coràm Principibus standi) *quia in nomine*, potestate *Domini Nostri Iesu Christi Nazareni* (hoc addit ad maiorem expressionem, & quia sic titulus Crucis) *quem vos crucifixistis* (annunciamus vobis Iesum, & hunc crucifixum) *quem Deus suscitauit* sua potentia *à mortuis* primogenitum non ampliùs moriturum, *in hoc* scilicèt nomine *iste astat coràm vobis sanus*; refert omnia ad Christum, nihil ad se, vel socios; *hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus*, cum illum ad vos missum Messiam non acceptaueritis, *qui factus est in caput anguli* coadunantis duos populos, in sublime elatus, & exaltatus, *& non est in alio aliquo salus*, ità vt non sit à vobis expectandus alius Messias, proùt & Christus dixerat Caiphæ, veruntamèn videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei venientem in nubibus cæli ad iudicandum, ità vt Messiam alium in terra alio tempore non sitis visuri: *nec enim aliud nomen*, alia potestas, *est sub cælo* in terra *datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*, sed illi soli hoc datum, per illum solum salus nostra, & redemptio. *Videntes autèm* congregati *Petri constantiam, & Ioannis*, ex corde loquentium, & fortitèr adstantium, *comperto quòd homines essent sinè litteris, & idiotæ* (eccè quomodò his humilibus Deus confundit fortia) *admirabantur, & cognoscebant eos quoniàm cum Iesu fuerant*, non ergò fuit Ioannes discipulus ille notus Pontifici introducens Petrum, quia si is, aliud in specie diceretur de illo, & fuisset etiàm ipse tùnc interrogatus in atrio, nec sinè examine dimissus, proùt Petro contigit, *hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat*, ideò & in anima iustificatus is ex hac gratitudine, *nihil poterant contradicere*, non calumniari, vt solebant. Ex his vel parua fuit suspicio contrà Apostolos, vel potiùs suspicionem deposuerunt, tùm quia Euangelista nihil prodit, imò dicit ob hominem stantem cum eis sanatum non potuisse contradicere, tùm quia ipsi dimittunt, & fatentur nihil posse facere hominibus his, non inuenientes quomodò punirent eos: si enim magię certò eos insimulassẽt, detinuissent, & disquisiuissent. *Iusserunt autẽ eos forâs extrà concilium secedere*, volentes de illis differere in eorum absentia, *& conferebant ad inuicem, dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniàm quidèm notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem: manifestum est, & non possumus negare*: sic cum Christo, quid facimus, quia hic homo multa signa facit? &c. & cuius resurrectionem copiosa pecunia data militibus vacillare tentarunt, quandò certo signo habito conuerti debuerant; *sed ne ampliùs diuulgetur in populum* (ipsi non intrant, & prohibent alijs introitum) *comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum:* impedire tentant, ne ad gentes deferatur Euangelium, & regnum, quod eis Iesus viuens comminatus fuerat auferendum; sic Paulus. 1. Thess. 1. 16. prohibentes nos gentibus loqui, tamèn largè loquuntur, & subdolè dicentes, ne omninò loquerẽtur vlli hominum; *Et vocantes eos, denunciauerunt ne omninò loquerentur, nequè docerent in nomine Iesu*, in cuius nomen coniurauerant. *Petrus verò, & Ioannes respondentes, dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei*, in veritate, non hominum fallacium, & mendacium, *vos potiùs audire quàm Deum, iudicate: non enim possumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui*; quasi, in hoc non obediemus vobis, mandatum habentes à Deo hæc faciendi, & dicendi: Deus enim vobis præpo-

præponendus. *At illi comminantes dimiserunt eos, non inuenientes quomodò punirent eos proptèr populum, quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo, quod acciderat*, in sanitate scilicèt claudo data, vt suprà cap. 3. sic & timentes plebem in Iesu. *Annorum enim erat ampliùs quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis:* hoc dicit, vt ostendat magnitudinem miraculi, & quomodò claudus ab omnibus cognoscebatur. *Dimissi autèm venerunt ad suos, & annunciauerunt eis quanta ad eos Principes Sacerdotum, & Seniores dixissent*, communicant cum alijs, etsi Petrus, & Ioannes primi. *Qui cum audissent, vnanimitèr leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt:* (ad Deum recurrunt in tribulationibus) *Domine, tu es, qui fecisti cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt*, tu omnipotens, *qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri*, serui *tui dixisti* de Christo tuo: *Quarè fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius?* Psalm. 2. *Conuenerunt enim verè in Ciuitate ista aduersùs sanctum puerum tuum Iesum;* si Scriptura vtitur his verbis, cur non & nos vtamur liberè, & sincerè? volumusne Scriptura ipsa magistra nostra esse sapientiores, & sapere vltrà quàm sapere oporteat? Deus his nostris cautelis non indiget, & scandalizantes se in his dimittendi, vt de Pharisæis Christus. Paulus dicit: formam serui accipiens, dum carnem recepit. Matth. 12. Puer; Isa. 42. seruus. *Quem vnxisti* Spiritu sancto, *Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israel*, de Pilato clarum, de Israelitis clariùs, de Herode, quia spreuit illum cum exercitu suo, & veste alba induit, *facere quæ manus tua*, potentia, *& consilium tuum* diuinum *decreuerunt fieri;* sic suprà cap. 2. 23. nullum enim consilium, nulla sapientia contrà Dominum omnia cōtraria ad se conuertentem. *Et nunc Domine respice in minas eorum*, & ad nihilum redige tuo solo aspectu, & nutu, *& da*, concede *seruis tuis* ad tui gloriam *cum omni fiducia loqui verbum tuum*, in quo salus, *in eo quòd manum tuam*, potentiam tuam *extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen*, potestatem *sancti filij tui Iesu:* hoc petunt, vt ex his eorum sermo confirmetur. Marc. 16. in fin. & ad Dei gloriam augeantur fideles. *Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia:* ex loci motione, Spiritu sancti repletione, & loquutione verbi cum fiducia apparet auditas preces. *Multitudinis autèm credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, ità vt nedum distracta communicarentur, sed & non distracta. *Et virtute magna*, magno spiritu, fortitudine *reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini Nostri*, ad hoc enìm erant speciatìm assumpti. Acto. 1. *& gratia magna*, lepor, seù pax *erat in omnibus illis* fidelibus: *nequè enìm quisquam egens erat intèr illos:* hinc pax: *quotquot enìm possessores agrorum, aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant antè pedes Apostolorum*, id est, omnia ad Apostolos perferebant, facientes illos dispensatores, pedibus enìm dicitur capi possessio; hinc Acto. 7. dicitur: nec passum pedis datum Abraham; *Diuidebatur autèm singulis proùt cuique opus erat*, quasi, nulla intercedebat fraus. *Ioseph autèm, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum filius consolationis) leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum* solum, ex quo de hoc solo agit, *vendidit eum, & attulit pretium* integrum, *& posuit antè pedes Apostolorum:* hoc factum egregium recitat maximè obseruandum in primis illis diebus, & hæc præmisit bona ob malum exemplum, quod sequitur. At qualis feruor in primitiua Ecclesia? sed nunc quantùm tepuit; ex contextu autèm apparet hunc claudum à Deo in anima quoquè sanatum fuisse, proùt Christus solebat, & fecit in languido, hydropico, & alijs, & etiàm in Malcho, in quo nulla ratio diuersa, vt obseruaui ad verba. Ioan. 7. totum hominem sanum feci in Sabbato: vbi vide.



CAPVT V.

1 VIR autèm quidam nomine Ananias, cum Saphira vxo-
2 re sua vendidit agrum, * & fraudauit de precio agri,
conscia vxore sua: & afferens partem quandam, ad pe-
3 des Apostolorum posuit. * Dixit autèm Petrus: Anania,
cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui san-
4 cto, & fraudare precio agri? * Nonnè manens tibi ma-
nebat, & venundatum in tua erat potestate? Quarè po-
5 suisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. * Audiens
autèm Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Et factus est timor ma-
6 gnus supèr omnes, qui audierunt. * Surgentes autèm iuuenes amouerunt eum,
7 & efferentes sepelierunt. * Factum est autèm quasi horarum trium spatium,
8 & vxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introiuit. * Dixit autèm ei Pe-
trus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiàm tan-
9 ti. * Petrus autèm ad eam: Quid vtiquè conuenit vobis tentare Spiritum Do-
mini? Eccè pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent
10 te. * Confestìm cecidit antè pedes eius, & expirauit. Intrantes autèm iuuenes
inuenerunt illam mortuam: & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum.
11 * Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes: qui audierunt
12 hæc. * Per manus autèm Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in
13 plebe. Et erant vnanimitèr omnes in porticu Salomonis. * Cæterorum autèm
14 nemo audebat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus. * Magìs autèm
15 augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, * ità vt
in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt, venien-
te Petro, saltèm vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur
16 ab infirmitatibus suis. * Concurrebat autèm & multitudo vicinarum ciuita-
tum Ierusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis: qui cura-
17 bantur omnes. * Exurgens autèm Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum
18 illo erant, (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo: * & iniecerunt ma-
19 nus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. * Angelus autèm Domi-
20 ni per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit: * Ite, & stantes
21 loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius. * Qui cum audissent, in-
trauerunt diluculò in templum, & docebant. Aduenìens autèm Princeps Sacer-
dotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium, & omnes Seniores filio-
22 rum Israel: & miserunt ad carcerem vt adducerentur. * Cum autèm venissent
23 ministri, & aperto carcere non inuenissent illos, reuersi nunciauerunt, * dicen-
tes: Carcerem quidèm inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes
stantes

24 *stantes antè ianuas: aperientes autèm neminem intùs inuenimus. * Ut autèm*
audierunt hos sermones magistratus templi, & Principes Sacerdotum ambige-
25 *bant de illis quidnam fieret. * Adueniens autèm quidam nunciauit eis: Quia*
eccè viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes, & docentes popu-
26 *lum. * Tùnc abijt magistratus cum ministris, & adduxit illos sinè vi: time-*
27 *bant enìm populum ne lapidarentur. * Et cum adduxissent illos, statuerunt in*
28 *concilio: & interrogauit eos Princeps Sacerdotum, * dicens: Præcipiendo præce-*
pimus vobis ne doceretis in nomine isto: & eccè replestis Ierusalem doctrina ve-
29 *stra: & vultis inducere supèr nos sanguinem hominis istius. * Respondens au-*
tèm Petrus, & Apostoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magìs, quàm homini-
30 *bus. * Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis, su-*
31 *spendentes in ligno. * Hunc Principem, & Saluatorem Deus exaltauit dexte-*
32 *ra sua ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum. * Et nos*
sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus quem dedit Deus omnibus
33 *obedientibus sibi. * Hæc cum audissent, dissecabantur, & cogitabant interfice-*
34 *re illos. * Surgens autèm quidam in concilio Pharisæus, nomen Gamaliel, le-*
35 *gisdoctor honorabilis vniuersæ plebi, iussit foràs ad breue homines fieri. * Di-*
xitquè ad illos: Viri Israelitæ attendite vobis supèr hominibus istis quid acturi
36 *sitis. * Antè hos enìm dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit*
numerus virorum circitèr quadringentorum: qui occisus est: & omnes qui cre-
37 *debant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. * Pòst hunc extitit Iudas Ga-*
lilæus in diebus professionis, & auertit populum pòst se, & ipse perijt: & om-
38 *nes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. * Et nunc itaquè dico vobis, di-*
scedite ab hominibus istis, & sinitè illos: quoniàm si est ex hominibus consilium
39 *hoc, aut opus, dissoluetur: * si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud, ne*
40 *fortè & Deo repugnare inueniamini. Consenserunt autèm illi. * Et conuocan-*
tes Apostolos, cæsis denunciauerunt ne omninò loquerentur in nomine Iesu, &
41 *dimiserunt eos. * Et illi quidèm ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniàm*
42 *digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. * Omni autèm die non*
cessabant in templo, & circà domos docentes, & euangelizantes Christum
Iesum.



IR autèm quidam nomine Ananias cum Saphira vxore sua vendidit agrum, & fraudauit de precio agri, cõscia vxore sua, quæ eamdem pęnam, quam vir suus ex hoc sortita est, *& afferens partem quandam*, quasi illa esset integrum precium, putans fraudare Petrum ignorantem, *ad pedes Apostolorum posuit*, proùt faciebant alij, pretia integra agrorum venditorum ad pedes eorundem ponentes suprà cap. 4. 34. *Dixit autèm Petrus*, volens eum sanare, & ab huiusmodi peccato retrahere, *Anania, cur tentauit Satanas* aduersans operibus Dei *cor tuum*, & tu consensisti tentationi, *mentiri te Spiritus sancto, & fraudare de precio agri* per te venditi, credens manere occultum, sic tentare spiritum Domini mendacio? *Nonnè manens tibi manebat*, nonnè erat tuum, forsi-

forsitàn ego adegi te ad venditionem? *& venundatum* quidquid distrahendo receperas, *in tua erat potestate*, *quarè posuisti in corde tuo hanc rem*, hanc fraudem? *non es mentitus hominibus*, mihi homini, & coapostolis meis, (nihil sibi arrogat Petrus) *sed Deo*, qui scrutatur corda, & cui omnia aperta, & nota. Cur autèm potiùs Spiritus sācti, quàm Patris, aut Filij facit mentionem? quia hæc, quæ his diebus gerebantur, & in specie abdicatio bonorum ei attribuebantur visibilitèr misso, & inuisibilitèr illapso, & operanti, & Ecclesiam gubernanti, vt infrà vers. 32. clarè. Duplex horum peccatum, nempè fraus, & mendacium, veritate expiabant fraudem, ex falsitate apparuit duritia cordis eorum, ideò subito puniti, proùt durus Pharao. *Audiens autèm Ananias hæc verba*, nec quidquam ad correctionem proferens, *cecidit, & expirauit:* vix potest certum afferri an & in anima mortuus ipse, & vxor, quia ex textu nihil potest elici, nisi duplex transgressio, fraus, & mendacium, & nulla conuersio apparens, in cæteris diuinare est, potuerunt in illo actu concuti, nec valentes, subita morte præuenti, tradere quod retinuerant, saluari; at sunt Dei iudicia, non hominum; facit aliquid quòd sepelierunt illos, etsi leue argumentum, præsertìm quia ignoramus quò loci, & quomodò sepulti. *Et factus est timor magnus supèr omnes, qui audierunt*, & is timor ad obedientiam, & reuerentiam ergà Apostolos seruiebat. *Surgentes autèm iuuenes amouerunt eum* de loco, *& efferentes sepelierunt:* hoc dicit, vt constet de vera morte. *Factum est autèm quasi horarum trium spacium, & vxor ipsius* fortè virum suum prosequuta, vel quærens, *nesciens quod factum fuerat* de viro suo, *introiuit* ad Petrum. *Dixit autèm ei Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis?* quanti scilicèt dicitis: dixit hoc Petrus volens eam confitentem saluare, & idem fecisset cum viro suo; proùt Deus cum Adam, & Dauid, clarè ostendens eis, peccata eorum nouisse, ne negarent, sed eos pœniteret, proùt est factum, quod non successit hìc in viro, & vxore negantibus, & Cain imitantibus, qui negauit cædem fratris. *Mulier*. erat communis denominatio; sic Dominus cum Samaritana, Chananæa; Matre, & alijs multis, ideò eam proprio nomine non appellat. *At illa dixit: Etiàm tanti*, quanti nempè diximus. *Petrus autèm ad eam: quid vtiquè conuenit vobis tentare spiritum Domini* omnia perscrutantis, scientiam omnium habentis, fraude, & mendacio? *eccè* ob hæc *pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium* adstant, quasi, nunc nunc morieris, *& efferent te* mortuam peccati consciam, & ream. *Confestim cecidit antè pedes eius, & expirauit. Intrantes autèm iuuenes inuenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum:* hæc omnia vt constet de vera morte. *Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes, qui audierunt hæc*, quique illi, cum non habeant restrictionem hæc verba posita. vers. 5. & 11. Sed an pars precij retenta? credo, quia de dimissione nullibì, proùt in precio à Iuda reportato, & pecunia à Simone oblata infrà cap. 7. & quia licitè retineri poterat, quia vltrò data, & ad vsum pauperum necessaria, & cui danda, vel distribuenda, nisi pauperibus, quorum erat apud eum magnus numerus, cibo indigentibus? *Per manus autèm*, per potestatem, virtutem *Apostolorum* in eis à Deo inditam *fiebant signa, & prodigia multa in plebe*; plebs enim sequebatur, non Principes: recitat historiam, nec ad alia inferendum. *Et erant vnanimitèr omnes* Apostoli *in porticu Salomonis*, siuè in templo, sed ad orationem, ad conciones, ad signa edenda, non ad cruenta sacrificia, cum incruentum quotidiè tractarent, de quo Lucas sub fractione panis suprà cap. 2. 41. *Cæterorum autèm nemo audebat se coniungere illis*, erant ergò soli Apostoli, quia prædixit: *per manus autèm Apostolorum*, & *erant vnanimitèr omnes*, quod refertur ad nominatos tantùm; *nemo autèm audebat* etiàm fidelium *se coniungere illis*, quasi se indignos reputantes cum illis commisceri, in magna ergò erant veneratione, & reuerentia, non ampliùs ebrij reputati: est proprium hoc peccatorum; sic Petrus: exi à me Domine, quia homo peccator sum. Luc. 5. 8. & Vidua ad Eliam: quid mihi, & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium

filium meum. 3. Reg. 17. 18. & Centurio: Domine non sum dignus. Matth. 8. 8. ideò subdit, *sed magnificabat*, extollebat, laudabat *eos populus. Magis autèm augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum:* non potest dici aliquos ob factum Ananiæ, & Saphiræ non conuersos: hoc enìm textus non innuit, sed contrarium, nec aliæ rationes placent, quòd essent fideles, qui se bonis nondum abdicassent, vel detinerentur timore magistratuum, quia est diuinare in ambobus, & quòad vltimum soli Apostoli patiebantur insidias. Sed vndè augumentum credentium? ex miraculis Petri: subdit enìm, *ità vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt, veniente Petro, saltèm vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* vmbra igitur Petri sanabat quos obumbrabat, & intellige, *quemquam*, distributiuè ad omnes, non quòd vno tacto ab vmbra, & sanato, reliqui sanarentur. Credo vmbram Petri sanasse, vt magis appareret diuina virtute inuisibili hæc fieri mirabilia, cum Petrus nullum adhiberet ministerium, & ex hoc ipse redderetur admirabilior. *Concurrebat autèm & multitudo vicinarum Ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes:* cœpit dilatari fama, & progredi. Sed an fumus cordis piscis, de quo Tobiæ. 6. extricet omne genus dæmoniorum, vt ibì dicit Angelus Raphael? & ex verbis textus id optimè colligitur, nec credendum mentitum Angelum, & quamuis cap. 8. Tobiæ legatur Angelum apprehendisse dæmonium, & relegasse in deserto superiori Aegypti, id actum pòst extricationem ex fumo iecoris piscis supèr prunas à Tobia posito, ne alijs officeret eiectus à Sara: sicùt etiàm virtus felis eiusdem apparuit in sanando cœcum Tobiam, & ibì de vtraque virtute iunctìm est sermo, & quod de vno prædicatur, prædicatur de alio, aliòquin ad quid mentiri Angelum? nonnè poterat in nomine Dei sic volentis dæmonium eijcere absquè fumo illo? quarè censeo in ambobus loqui de intima, & naturali virtute piscis à Deo indita, proùt alias virtutes à principio indidit creaturis suis. *Exurgens autèm Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum* non credentium resurrectionem) *repleti sunt zelo insano*, non secundùm sapientiam, *& iniecerunt manus in Apostolos*, Apostolos apprehenderunt, *& posuerunt eos in custodia publica*, in carcere. *Angelus autèm Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit:* non ergò clausis ianuis educti Apostoli: hoc enìm contrarium verbis textus, qui licèt non subdat clausas, satis est dicere, Angelum aperuisse ianuas, vt intelligamus clausas non fuisse: non enìm scriptura immoratur in singulis, sed ex vno vult nos plura intelligere; Prætereà ad quid in non necessarijs miracula confingere, quæ numquàm præsumenda quandò sinè illis res potest perfici? sed quandò carcer clausus, dicitur. vers. 23. Angelus enim dimisit clausum proùt inuenit. Exemplum Habacuc non infert, nàm non procedit argumentum illud in eo, ergò & in hoc: etenim potuerunt in eo multa concurrere, quæ hìc cessarunt; At non est verum de Habacuc intromisso, quia dicit textus. Dan. 14. 35. posuitquè illum in Babylone suprà lacum, non intrà; Insupèr si fuisset intromissus, ad quid clamare, proùt fecit? & clamauit Habacuc: Daniel serue Dei, &c. & dicere, tolle prandium? erat ibì fenestra, seù apertura aliqua ad flatus recipiendos, & exhalandos, per quam potuit prandium demittere, nàm traditus fuit deuorandus Leonibus, non obseruatus ne quid manducaret, sic nec portis clausis eductus Petrus infrà cap. 12. 10. vbì porta vltrò aperta est eis: quod enìm de illa, de cæteris etiàm quæ præcesserant, idem iudicium: *Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius;* sic Christus: verba, quæ loquutus sum vobis, spiritus, & vita sunt; & Petrus: verba vitæ æternæ habes, trahentia ad vitam æternam, docentes illam, & annunciantes. *Qui cum audissent* Angelum loquêtem, *intrauerunt diluculò in templum*, eccè obedientia, & promptitudo, *& docebant* plebem. *Adueniens autèm Princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium, & omnes seniores filiorum Israel, & miserunt ad carcerem vt adducerentur*

cerentur Apostoli, quos ignorabant euasisse; *Cum autèm venissent ministri, & aperto carcere* (sic enim dimiserat illum Angelus, proùt inuenerat) *non inuenissent illos, reuersi nunciauerunt, dicentes: Carcerem quidèm*, in quo positi erant, *inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes antè ianuas: aperientes autèm neminem intùs inuenimus. Vt autèm audierunt hos sermones magistratus templi, & Principes Sacerdotum*, qui conuenerant in concilio, vt suprà, *ambigebant de illis quidnam fieret*, quid succederet. *Adueniens autèm quidam nunciauit eis: Quia eccè viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes, & docentes populum*, pijs operibus intenti. *Tùnc abijt magistratus cum ministris, & adduxit illos sinè vi*, ratio fuit, quia si vi adduxissent, timebant à populo lapidari: *timebant enim populum* signa adeò manifesta videntem, *ne lapidarentur* ab eis, non ergò ex vrbanitate, vel modestia, sed timore, nec alia expiscanda ratio: quò verò ad Apostolos non indigebant ligaminibus, qui constantèr inuitis Principibus prædicabant, vt in his essent intrepidi. *Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio* examinandi, *& interrogauit eos Princeps Sacerdotum, dicens: Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto* Iesu: *& eccè replestis Ierusalem doctrina vestra:* nolunt fateri diuinam, proùt erat: sed cur nihil interrogant de fuga è carcere? quia putarunt potiùs factum dissimulandum, quod in honorem Apostolorum vertebat, & in Dei gloriam, alióquin ex fuga è carcere aliquid contrà Apostolos ministri confingere poterant calumniosè. *Et vultis inducere supèr nos sanguinem hominis istius* Iesu: timebant enim reuelari insidias, quibus Christo necem parauerant, & puniri; hinc de gestis per Apostolos, & Christum pòst resurrectionem nihil ad Pilatum deferunt, nedum rubore suffusi, sed etiàm timentes ne supèr eorum capita induceretur innoxius sanguis Christi. *Respondens autèm Petrus, & Apostoli dixerunt:* clarum est ex textu omnes respondisse, nec aliud quærendum, etsi vnus pro omnibus assentientibus dici posset: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus;* ideò ex præcepto Dei docuimus in nomine Iesu spretis præceptis vestris. *Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum*, de resurrectione loquitur, de qua agebatur, & quæ præ manibus habebatur, cum Sadducæis, vt suprà, & cuius testes erant, vt dicunt cap. 3. 16. & 32. præsertim cum subdat, *quem vos interemistis suspendentes in ligno*, vt intelligatur de resurrectione agere, non incarnatione, vel alia re. *Hunc Principem*, caput hominum, & Angelorum, & Ecclesiæ, *& Saluatorem*, in quo solo salus, *Deus exaltauit dextera sua*, brachio suo, potentia sua, sedere faciens ad dexteram suam in omni gloria, & hæc omnia *ad dandam pœnitentiam Israeli* conuertendo, *& remissionem peccatorum*, præsertim ex morte illius: *& nos sumus testes horum verborum*, horum factorum, *& Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi*, credentibus, eiusquè mandata exequentibus. *Hæc cum audissent dissecabâtur* in varias partes, ignorantes quid responderent, & agerent, *& cogitabant interficere illos;* sic concilium malignantium ergà innocentes, & viam salutis annunciantes. *Surgens autèm quidam in concilio Pharisæus* de alia secta Sadducæis contraria, *nomine Gamaliel, legisdoctor honorabilis vniuersæ plebi:* alius Chusai dissipans horum consilia, proùt ille Achitophel. 2. Reg. 17. 8. 14. alióqui exemplo Stephani executioni mandassent quod dixerant de illis interficiendis: *iussit foràs ad breue homines fieri:* non credo hoc perterritos Apostolos, qui maioribus non perterrebantur. Is iussus, vt quis tutiùs dicat sententiam, omnibus de Collegio licere solet; *dixitquè ad illos* intrepidè: *Viri Israelitæ attendite vobis supèr hominibus istis quid acturi sitis*, diligentèr omnia perpendite. *Antè hos enim dies*, in quibus versamur, *extitit Theodas, dicens se esse aliquem*, Messiam, qui nebulo erat, *cui consensit*, sequuti sunt, *numerus virorum circitèr quadringentorum, qui occisus est, & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum*, quia fundamento carebant. *Pòst hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis*, de qua. Luc. 2. *& auertit populum pòst se*, dissuadens solutionem tributi, *& ipse perijt, & omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt;* Infert; *Et nunc itaquè*


què dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos, ne vos ingeratis in puniendo, vel occidendo, prout iàm cogitatis. suprà vers. 33. *quoniàm, si est ex hominibus consiliũ hoc, aut opus, dissoluetur* (proùt illa Theodæ, & Iudæ) absquè vestro ministerio, & ingestione, & sic eritis liberi, & complebitur quod desideratis; *si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud*, quia non est consilium, non est potentia contrà Dominum, omnia, quæcunque voluit, Dominus fecit in cælo, & in terra, & vlteriùs aduertendum, ne fortè, dum putatis zelo moueri, contrarium accidat, *ne fortè*, si à Deo esset consilium, *& Deo repugnare inueniamini*, quod est scelus maximum, & quis rogabit pro illo? 1. Reg. 2. 25. *Consenserunt autèm illi* Deo sic disponente. *Et conuocantes Apostolos* foràs omissos, *cæsis* (voluerunt rabiem aliquo modo euomere, fortè exemplum capientes à Pilato Christum flagellante) *denunciauerunt ne omninò loquerentur in nomine Iesu*, quem oderant, & loquuntur generalitèr; at intendunt nequè Hebræis, nequè Gentilibus, vt suprà obseruaui, & habetur. 1. Thess. 2. 14. 15. 16. prohibentes nos gentibus loqui, *& dimiserunt eos liberos. Et illi* Apostoli *quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniàm digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliam pati*, scientes ex Iesu hinc eorũ beatitudinem. At qua ratione innocentes cædere? *Omni autèm die*, non attenta iussione, *non cessabant in templo* publicè, *& circà domos* priuatìm *docentes, & euangelizantes Christum Iesum* iuxtà mandatum Dei.



CAPVT VI.

1 *IN diebus autèm illis, crescente numero discipulorum, fa-*
ctum est murmur Græcorum aduersùs Hebræos, eo quòd
despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.
2 ** Conuocantes autèm duodecim multitudinem discipulo-*
rum dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum
3 *Dei, & ministrare mensis. * Considerate ergò fratres,*
viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu san-
4 *cto, & sapientia, quos constituamus supèr hoc opus. * Nos verò orationi, &*
5 *ministerio verbi instantes erimus. * Et placuit sermo coràm omni multitudine.*
Et elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum,
& Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nico-
6 *laum aduenam Antiochenum: * Hos statuerunt antè conspectum Apostolorum:*
7 *& orantes imposuerunt eis manus. * Et verbum Domini crescebat, & multi-*
plicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valdè: multa etiàm turba Sa-
8 *cerdotum obediebat fidei. * Stephanus autèm plenus gratia, & fortitudine facie-*
9 *bat prodigia, & signa magna in populo. * Surrexerunt autèm quidam de Sy-*
nagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum,
10 *& eorum, qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano: * & non*
11 *poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. * Tunc summiserunt*
viros, qui dicerent se audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, &
in

12 *in Deum.* * *Commouerunt itaquè plebem, & Seniores, & Scribas: & concur-*
13 *rentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium,* * *& statuerunt falsos te-*
stes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba aduersùs locum sanctum,
14 *& legem.* * *Audiuimus enim eum dicentem: quoniàm Iesus Nazarenus hic*
destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.
15 * *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tam-*
quàm faciem Angeli.



N diebus autèm illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersùs Hebræos ministrantes; præcessit persecutio Iudæorum externa, nunc interna; sic priùs persecutiones Imperatorum vsquè ad Constantinum, deindè hæreses cœptæ ab Ario tempore Constantini, vt in Apocalypsi; *eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum*, placet opinio, nempè ob non præstita necessaria ad victum à ministris: dicit enìm suprà Lucas cap. 4. diuidebant singulis, proùt cuique opus erat, & hoc ex ratione, quam reddit, *crescente numero discipulorum,* nàm non fuisset locus quærelæ, si prælatæ essent Hebrææ magis aptæ Græcis minùs aptis, quia imò Hebrææ grauatæ essent maiori ministerio; potiùs procederet intellectus, quòd vilioribus ministerijs deputatæ essent; at quia teneo despectas fuisse in subtractione necessariorum, ideò nec is placet, eo magis quia viduæ non ministrabant, sed eis ministrabatur fortè ab incertis, seù aduentitijs huic operi non addictis, & Hebræis, quibus non confidebant; patet, quia vocabantur Apostoli ad ministerium, à quo se excusant prædicationi addicti. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*, & eliguntur viri septem ad ministerium, non mulieres, quæ intèr tantas (si eligendæ illæ) poterant de facili occurrere, nec mutassent Apostoli ministerium à mulieribus ad viros, vel saltèm Lucas scripsisset; Ad hęc, ministerium mensarum communium erat nedum circà mulieres, sed & circà viros in magno numero, ob id dicitur, *crescente numero discipulorum,* vndè inuerisimile est hoc munus fuisse mulierum, & viduarum; & si fuissent mensæ mulierum tantùm, viros non adhibuissent, seù elegissent pòst hoc murmur Græcorum, de facili etiàm prouidissent, si vilioribus ministerijs assumptæ forent, ministeria partiendo absquè hac prouisione noua; at (vt dixi) censeo in cibo fuisse grauamen, ideoquè murmur obortum, quod ob leuia non esset excitatum; & licèt dicatur in Euangelio, mulieres Domino ministrasse, intelligitur de eorum facultatibus, vt Luc. 8. 3. & Maria Magdalene, quæ eum sequebatur, non ministrauit in propria domo. Luc. 10. 40. & discipuli emerunt cibos in Sichar. Ioan. 4. 8. Vltrà quòd, quomodò potuissent ministrare, cum Dominus sempèr circuiret in domibus alienis, & sub dio? non est hoc mulierum; sequela ergò erat causa audiendi verbum, vt in Magdalena apud Martham, & consequentèr de facultatibus suis ministrabant, carnalia pro spiritualibus. *Conuocantes autèm duodecim* Apostoli *multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei*, ad quod missi sumus, *& ministrare mensis*, ad quas cogeremur ob murmur exortum, sed meliùs est aliquos ex vobis eligi ad ministerium hoc. *Considerate ergò fratres*, & proponite *viros ex vobis* discipulis *boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus* nos Apostoli, ad quos spectat, *supèr hoc opus*, vt illud benè dirigant, & murmur cesset. *Nos verò orationi, & ministerio verbi*, nobis à Domino iniuncto *instantes erimus*, nec distrahemur; *& placuit sermo coràm omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum* omni *fide, & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem,*

& Par-

& Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos statuerunt antè conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus: electio hic fuit ad mensas communes, si obseruemus causam electionis ob despectum Viduarum Græcarum in ministerio quotidiano, quod tendit ad communes mēsas, nàm in mensis sacris non potuit hoc oboriri murmur, in quibus fragmenta paruula distribuuntur, & quia primi distributores, in quorum locum succedunt hi electi, non leguntur sacra distribuisse, vel mensis sacris præfectos esse, tanto minùs si mulieres fuissent ministræ, & quia Apostoli dicunt, *quos constituamus supèr hoc opus*; oratio verò, & impositio supèr illos facta est, vt essent fortiores ad opus, ad quod assumpti, quod iàm declarauerant, & non fuit consecratoria, quia ab omnibus Apostolis manus impositæ, nàm etiàm Samaritanis impositæ manus pro illis confirmandis; vndè ex hac diuersitate nihil potest elici stabile; Moyses quoquè manum capiti Iosue ad ciuilia electi imposuit. Nisi dixeris connexas fuisse mensas communes cum sacris, sed pro sacris Apostoli; Vel & consecratoria, etsi pro ministerio communi assumpti, cum ex datis in eleemosynam fieret distributio. Hæc respiciunt hoc initium, at posteà sensim, ac ferè immediatè ad alia omnia munia, quæ nunc videmus per Diaconos exerceri, assumptos esse, cum Apostoli maioribus distinerentur, & cùm facta fuit dispersio, & leuius esset; vel nullum onus ministrandi mensis communibus, de quibus sancti illi Apostolorum tēporibus extantes, vel propinqui, quorū dicta à Card. Baronio, & alijs referūtur, proùt & in progressu temporis alij ministri deputati ad ministeriū altaris iuxtà Spiritus sancti suggestionem, & Christi iussionem Apostolis indictam; Hìnc est quòd Stephanus signa, & prodigia faciens, & prædicans occasione Synagogę Libertinorum, &c. quia etsi mensis communibus præpositus, non adeò illis arctabatur, quin & hæc spiritualia non exerceret, & Spiritui sancto supèr eum inuocato, & ducenti; quo etiàm iàm plenus erat, vt refertur, non obediret; satis erat satisfacere suo principali oneri, ad quod assumptus erat, deindè diuertère ad quæ vellet. Certum est autèm Diaconos hos non assumptos ad ministerium verbi, quod Apostoli sibi reseruauerant, etsi non priuatiuè ad alios, vt ex facto Stephani dignoscitur, & quia licebat cuicumque in Synagogas intrandi docere, & verba facere, vt in Euangelio, quādò Iesus ingressus est Synagogam Capharnai, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Luc. 4. 12. & Paulus. 1. Cor. 14. *Et verbum Domini crescebat*, quomodò subdit, *& multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valdè: multa etiàm turba Sacerdotū obediebat fidei*: magni pisces iàm capi cœpti. *Stephanus autèm plenus gratia, & fortitudine* à Spiritu sancto inditis, *faciebat prodigia, & signa magna*, miracula *in populo*: nondum enim principes accesserant. *Surrexerunt autèm quidam* cōtrariantes *de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorū, qui erant a Cilicia, & Asia disputantes*, altercantes *cum Stephano, & non poterant resistère sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur*, idest, qui loqui faciebat Stephanum: dabitur enim vobis, &c. &, nō enim vos estis, qui loquimini, &c. *Tùnc* videntes superari *summiserunt viros* odio, & inuidia tracti, *qui dicerent se audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum*; sic impia Iezabel in Nabot. *Commouerunt itaquè plebem*, quæ prius pro Stephano stabat, *& Seniores, & Scribas, & concurrentes* simùl de facto *rapuerūt eum* Stephanum, *& adduxerunt in concilium, & statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba aduersùs locum sanctum, & legem*: hæc & contrà Christum, vt in concilio timentes, Io. 12. at si me persequuti sunt, & vos persequentur: *audiuimus enim eum dicētem: quoniàm Iesus Nazarenus hic destruet locū istū, & mutabit traditiones, quæ tradidit nobis Moyses*: prophetabant sibi ipsis, proùt cum Christo, quandò dixerunt: malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis: *& intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tamquàm faciem Angeli*: sic Nabuchodonosor vidit speciem quasi similis Filio Dei. Dan. 3. 92. Angelū, non Deum; & tamèn non sunt mutati, nec recesserunt à malitia, & machinationibus.

CAPVT VII.



1 IXIT autèm princeps sacerdotum: Si hæc ità se ha-
2 bent? * Qui ait: Viri fratres, & patres audite: Deus
gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Meso-
3 potamia, priusquàm moraretur in Charan, * & dixit
ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, &
4 veni in terram, quam monstrauero tibi. * Tùnc exijt
de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan. Et in-
dè postquàm mortuus est pater eius, transtulit illum in
5 terram istam, in qua nùnc vos habitatis. * Et non dedit illi hereditatem in
ea, nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius
6 pòst ipsum, cum non haberet filium. * Locutus est autèm ei Deus: Quia erit
semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subijcient, & malè tractabunt
7 eos annis quadringentis: & gentem cui seruierint, iudicabo ego, dixit Dominus.
8 Et pòst hæc exibunt, & seruient mihi in loco isto. * Et dedit illi testamentum
circumcisionis: & sic genuit Isaac, & circumcidit eum die octauo: & Isaac Ia-
9 cob: & Iacob, duodecim Patriarchas.* Et Patriarchæ æmulantes, Ioseph ven-
10 diderunt in Aegyptum. & erat Deus cum eo: & eripuit eum ex omnibus tri-
bulationibus eius: & dedit ei gratiam, & sapientiam in conspectu Pharaonis
regis Aegypti, & constituit eum præpositum supèr Aegyptum, & supèr omnem
11 domum suam. * Venit autèm fames in vniuersam Aegyptum, & Chanaan,
12 & tribulatio magna, & non inueniebant cibos patres nostri.* Cum audisset au-
13 tem Iacob esse frumentum in Aegypto: misit patres nostros primum: & in se-
cundo cognitus est Ioseph à fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus
14 eius. * Mittens autèm Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cogna-
15 tionem suam in animabus septuagintaquinque. * Et descendit Iacob in Aegy-
16 ptum, & defunctus est ipse, & patres nostri. * Et translati sunt in Sichem,
& positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filijs Hemor filij
17 Sichem. * Cum autèm appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat
18 Deus Abrahæ, creuit populus, & multiplicatus est in Aegypto,* quoadusquè sur-
19 rexit alius rex in Aegypto, qui non sciebat Ioseph.* Hic circumueniens genus no-
20 strum, afflixit patres nostros vt exponerent infantes suos ne viuificarentur.* Eo-
dem tempore natus est Moyses & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus
21 in domo patris sui.* Exposito autèm illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuit
22 eum sibi in filium.* Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, & erat
23 potens in verbis, & in operibus suis.* Cum autèm impleretur ei quadraginta an-
24 norum tempus, ascendit in cor eius vt visitaret fratres suos filios Israel. * Et
cum

eum vidisset quemdam iniuriam patientem, vindicauit illum: & fecit vltio-
25 *nem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio. * Existimabat autèm in-*
telligere fratres, quoniàm Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non
26 *intellexerunt. * Sequenti verò die apparuit illis litigantibus: & reconciliabat*
27 *eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, vt quid nocetis alterutrum? * Qui au-*
tèm iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit princi-
28 *pem, & iudicem supèr nos? * numquid interficere me tu vis, quemadmodum*
29 *interfecisti heri Aegyptium? * Fugit autèm Moyses in verbo isto: & factus est*
30 *aduena in terra Madian, vbì generauit filios duos. * Et expletis annis qua-*
draginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi.
31 *Moyses autèm videns admiratus est visum. & accedente illo vt consideraret,*
32 *facta est ad eum vox Domini, dicens: * Ego sum Deus patrum tuorum, Deus*
Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob. Tremefactus autèm Moyses, non au-
33 *debat considerare. * Dixit autem illi Dominus: Solue calceamentum pedum*
34 *tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est. * Videns vidi afflictionem*
populi mei, qui est in Aegypto, & gemitum eorum audiui, & descendi liberare
35 *eos. Et nùnc veni, & mittam te in Aegyptum. * Hunc Moysen, quem ne-*
gauerunt, dicentes: Quis te constituit principem & iudicem? hunc Deus princi-
36 *pem & redemptorem misit, cum manu angeli, qui apparuit illi in rubo. * Hic*
eduxit illos faciens prodigia, & signa in terra Aegypti, & in rubro mari, & in
37 *deserto annis quadraginta. * Hic est Moyses, qui dixit filijs Israel: Prophetam*
38 *suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquàm me, ipsum audietis. * Hic*
est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Si-
39 *na, & cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis. * Cui noluerunt*
obedire patres nostri: sed repulerunt, & auersi sunt cordibus suis in Aegyptum,
40 ** dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos: Moyses enìm hic, qui*
41 *eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid factum sit ei. * Et vitulum fece-*
runt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operi-
42 *bus manum suarum. * Conuertit autèm Deus, & tradidit eos seruire militiæ*
cæli, sicùt scriptum est in Libro Prophetarum: Numquid victimas, & hostias
43 *obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? * Et suscepistis ta-*
bernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis, ado-
44 *rare eas. Et transferam vos tràns Babylonem. * Tabernaculum testimonij fuit*
cum patribus nostris in deserto, sicùt disposuit illis Deus, loquens ad Moysen,
45 *vt faceret illud secundùm formam, quam viderat. * Quod & induxerunt, su-*
scipientes patres nostri cum Iesu in possessionem Gentium, quas expulit Deus à
46 *facie patrum nostrorum, vsquè in diebus Dauid, * qui inuenit gratiam antè*
47 *Deum, & petijt vt inueniret tabernaculum Deo Iacob. * Salomon autèm ædi-*
48 *ficauit illi domum. * Sed non excelsus in manufactis habitat, sicùt Propheta di-*
49 *cit: * Cælum mihi sedes est: terra autèm scabellum pedum meorum. Quam do-*
mum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est?

50 * *Nonnè manus mea fecit hæc omnia?* * *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus,*
51 *& auribus, vos sempèr Spiritui sancto resistitis, sicùt patres vestri, ita & vos.*
52 * *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui*
prænunciabant de aduentu Iusti, cuius vos nùnc proditores, & homicidæ fuistis:
53 * *qui accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis.* * *Audientes*
54 *autèm hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.* * *Cum*
55 *autèm esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ie-*
sum stantem à dextris Dei. Et ait: Eccè video cælos apertos, & Filium ho-
56 *minis stantem à dextris Dei.* * *Exclamantes autèm voce magna continuerunt*
57 *aures suas, & impetum fecerunt vnanimitèr in eum.* * *Et eijcientes eum ex-*
trà ciuitatem lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua secùs pedes ado-
58 *lescentis, qui vocabatur Saulus.* * *Et lapidabant Stephanum inuocantem, &*
59 *dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum.* * *Positis autèm genibus, cla-*
mauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc
dixisset, obdormiuit in Domino. Saulus autèm erat consentiens neci eius.

D*IXIT autèm Princeps sacerdotum* Stephano: *si hæc ita se habent*, proùt hi testificantur? quid tu respōdes ad hæc? *Qui* Stephanus *ait: Viri fratres, & Patres audite: Deus gloriæ*, gloriosus, cui soli gloria, in ea solitus se ostendere (incipit ab alto Stephanus, & à primo, cui facta promissio Messiæ, & ordinatìm descendit ad Iesum, quem Messiam illis patefacit, & hoc modo nititur eos ad salutem reducere, & hoc est, quod innuit glossa) *apparuit Patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia, priusquàm moraretur in Charan:* si non haberemus hanc declarationem Stephani hic, & Dei. Gen. 15. Eduxi te de Vr Chaldæorum, & Iudith 5. 7. 9. Iosu. 24. 3. ex qua dicendum Deum apparuisse Abrahæ in Mesopotamia, seù Chaldæa in Vr, illiquè dixisse: exi de terra tua, & de cognatione tua, tuncquè exisse cum patre Thare, Lot, & Sarai, & antequàm in Chanaan peruenisset stetisse in Charan, siuè Haran, & sic narrata in principio cap. 12. Gen. præponenda dum esset in patria sua, & dictis in fine cap. 11. profectò teneri potuisset iussionem egressionis factam Abrahæ fuisse in Haran, vbi morabatur cum Patre: nàm & patria dicitur ratione incolatus, & cognationem & domum Patris in Haran retinebat; at postquàm res est clara ex Stephano, & supradictis, standum illis, & ex ea excluditur bina iussio, quæ fuit vnica, & præsumitur in Abraham obediente, in qua virtute præualuit, vt in circuncisione, & immolatione Isaac. *Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua*, ne idòlolatria contaminaretur ex conuersatione cum malis, vel vt ab ea abstraheretur, si ceciderat: potiùs tamèn inclinandum non esse fornicatum cum Idòlis, ideòque meruisse segregari, & fieri pater credentium: segregat enim sibi Deus homines suos, qui non curuauerunt genua sua antè Baal, vt dixit Eliæ. 3. Reg. 18. 19. nec est verisimile Deum apparuisse idòlolatræ, hæc ratio suadet, non ex verbis Hebræorum eruta negantium se natos ex fornicatione, & Patrem habere Abraham, quia non cogit, nec probat Abraham non potuisse esse Idòlolatram antequàm segregaretur: Iudæis enim sufficiebat si postquàm segregatus, non incubuisset fornicationi; suadent etiàm verba Iosue 24. 3. trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruieruntquè Dijs alienis: ex his enim excluditur Abraham, de quo subdit:

dit; tuli ergò Patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanan, & seruitus Dijs alienis refertur ad maiores, non ad Abraham. Et si quo tempore euocatus Abraham fuisset idòlolatra, Deus priùs ipsum catechizasset, & fidelem, stabilemquè reddidisset, cum illum (vt inquit Chrysostomus) selegisset, quem mundo in exemplum ostenderet, & mundus ab eo disceret, proùt & factum est. Et Iudith 5. 6. populus iste ex progenie Chaldæorum est, hic primùm in Mesopotamia habitauit; quoniàm noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erãt in terra Chaldæorum: deserentes itaquè ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant, verum Deum cæli coluerunt, qui & præcepit eis vt exirent indè; & habitarent in Charan: ij enim, Abraham, & Lot. Gen. 11. in fin. & 12. Et Eccl. 44. 20. Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria, qui conseruauit legem excelsi, & fuit in testamento cum illo, non ergò idòlolatra; & Hæb. 11. 8. fide qui vocabatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exijt, nesciens quò iret. ergò non erat idòlolatra, qui vocatus à Deo ad hæreditatem; & 2. Esdr. 9. 7. tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne Chaldæorum, & posuisti nomen eius Abraham: non enim id actum esset cum idòlolatra; & Sap. 10. 5. Hæc (sapientia scilicèt) & in consensu nequitiæ, idòlolatriæ, dictæ nequitia per excellentiam, cùm se nationes contulissent, sciuit iustum, (en non contaminatum, non idòlolatram) & conseruauit in iustitia, in qua erat: si enim idòlolatra, dixisset: eruit ab ea, sinè quærela Deo, & in filij Isaac misericordia, teneritudine fortem custodiuit. Accedit prima ratio, quia inconueniens videbatur, vt semèl idòlolatra assumeretur ad tantam gloriam, vt pater credentium omnium diceretur. Secunda, quia si tempore Eliæ seruauerat sibi septem millia, qui non curuauerant genua antè Baal, quanto magis cum Abraham tempore suo? Tertia, quia Deus numquàm dimittit peccatũ Idòlolatriæ impunitum: est enim peccatum in Spiritum sanctum, tribuens dæmoni quod tribuendum Deo; hinc dictum Ochoziæ, & nuncijs eius: quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonem, ideò de lectulo, supèr quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris; mortuus est ergò, &c. 4. Reg. 1. 3. 4. 16. & nullam pœnam videmus inflictam Abraham; & idòlis seruientium nullus introiuit in terram promissionis, sed prostrati omnes in deserto. Quarta, & si quo tempore euocatus Abraham fuisset idòlolatra, Deus priùs ipsum catechizasset, vt dixi, & nõ illicò ad egressum coegisset iussu suo. *Et veni in terram, quã monstrauero tibi:* non dicit quã, volens illum simplicitèr obedire, Deo fidere, & in eo spem omnem reijcere; sed de hoc, nẽpè quòd Deus non reuelauerit Abrahæ terram Chanaan esse terram promissionis, antequàm discederet de Vr, & Haran, vide in epist. ad Heb. cap. 11. vbi latè dixi pro negatiua: ibi enim dicitur, nesciens quò iret, & scripsi in Genesi. *Tùnc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan*, & sic obediuit Deo simplicitèr, nec quæsiuit quà iret, sed peregrinatus est. *Et indè, postquàm mortuus est pater eius, trãstulit illum in terram istam, in qua nùnc vos habitatis;* At si pater Thare erat 205. annorum quandò mortuus, quomodò stabit quòd Abraham genuerit in septuagesimo anno. Gen. 21. 26. & Abraham esset annorum septuaginta quinque quandò iuit in Chanaan cap. 12. 4.? Respondeo Abraham ex Charan venisse in Chanaan, cùm esset 75. annorum quandò cum patre viuo ex Vr discessit, vt per Moysen, nec ampliùs cogitasse de patria, vel cognatione sua: mortuo autèm patre Thare exportasse ex loco Haran, vbi pater mortuus, vel Vr substantiam sibi, & Lot contingentem, quam viuo patre non potuit transferre in Chanaan, & hùc alludit Stephanus quasi tùnc perfecta egressio apparentèr, & externè, aliòquin si quandò mutauit sedem, non habuisset animum permanendi in Chanaan, non obediuisset Deo dicenti: egredere, &c. vndè non potest dici redijsse, nisi aliquandò patrem visurus, & tollitur secunda egressio, cùm prima firma,

quod apparet, quia antè hoc tempus mortis patris iàm stabilierat eum Dominus in terra Chanaan. Gen. 15. tùnc enim non excesserat annos nonaginta nouem, vt cap. 17. & de illo tempore pater Thare nondum defecerat, & quòd Abraham semèl egressus de patria ampliùs non cogitauerit, habetur Heb. 11. 15. & cùm centum esset annorum genuit Isaac cap. 21. 5. vndè non potest dici hoc tempore non fixisse sedem in Chanaan. Accedit, quia recessus patris Thare de Vr fuit vt irent in terram Chanaan cap. 11. in fine: Vndè hoc erat firmum, & stabile apud ipsos: Stephanus ergò vult dicere mortuo patre perfectam egressionem Abrahæ, quia antè illius mortem non tulerat vniuersam substantiam, quam possederat ipse, & Lot, & animas, quas fecerant in Haran, vt Gen. 12. 4. habetur, cùm (patre viuente cui debebantur) eis non licuisset, & ad hoc tempus Stephanus refert orationem suam; Moyses verò loquitur quandò sinè hac substantia iuit, & licèt mentionem illius faciat, est mentio per præoccupationem, ne iteret sæpiùs egressionem Abrahæ, proùt & cap. 13. 1. & 6. vel alia erat substantia ab ea, quæ sibi debebatur ex hæreditate post mortem Thare patris sui, nàm nec nudus abijt, imò diues præsupponitur cap. 13. 1. 5. 6. & cap. 14. 16. & 14. tercentis decem & octo vernaculis, & verisimilitèr pater suus dedit ei aliquam portionem, cùm eum diligeret, & erat dos Sarai, & matris Lot, quas censendum eis dimisisse, & Deus non iusserat dimisionem substantiæ, sed egressionem tantùm. Vel quandò Deus iussit Abrahæ secedere, nedum expresit egressionem de terra sua, id est, patria, sed & de cognatione, ac etiam de domo patris sui, & illicò obediuit Abraham, & solum vertit, nec cogitauit ampliùs de reditu ad patriam, vel cognationem, quod constat legenti Genesim; at dum Deus dixit: de domo patris sui, intellexit, vt domum ipse constitueret, & ab ipso denominaret, hoc autèm non potuit præstare, nisi patre mortuo; Stephanus ergò respiciens ad hanc perfectionem, meminit egressionis illius perfectæ pòst mortem patris, & hæc est causa, cur Stephanus in referendo egresionem Abrahæ iniunctam meminit terræ, & cognationis tantùm, non autèm domus paternæ, quia illius mentiò cadebat aptiùs pòst mortem patris, quam refert, postquàm egressio fuit perfecta, ità vt domum ipse in caput suum, non amplius in paternum erigere posset; sic Iacob domũ apud Laban non erexit viuo Isaac, nequè Esau habitans in Seir, sed tantùm eo mortuo: in Isaac enim viuente omnia referebantur; hinc cœptæ numerari generationes Esau, & Iacob pòst mortem Isaac. Gen. 35. 29. & cap. 36. idem in iuniore Tobia viuente sene patre, & sub nomine domorum dicitur Deũ ædificasse obstetricibus Aegyptijs familias. Exod. 1. 21. Hincquè suscitatio seminis fratris præmortui, vt familia in eius capite, & nomine denominaretur, & esset. Vel patre viuente Abraham erat sub obedientia paterna, & poterat per eum reuocari: Stephanus ergò respicit hunc statum, quandò erat sui iuris, nec poterat à quoquam ad patriam retrahi à Chanaan, quò Deus illum amandauerat. Ex his intellectibus elice Abraham mutasse patriam, & coloniam, seù incolatum illicò stabiliuisse iuxtà Dei præceptum in Chanaan terram posteà demonstratam, nec diuersum innuere Stephanum, aliòqui Deo non obediuisset puro corde, & perfecto; at non transtulisse omnia impeditus patris superuiuentia, nequè hac de causa animum suum vmquàm mutasse, vel dubium redditum: nimia enim obedientia ornabatur. Secundò, considera patris eius Thare bonitatem (quem ideò & facto, & verbis Abraham credo ab idòlolatria sanatum) qui audito verbo Domini facto ad Abraham, etsi septuagenarius solum mutauit, ab Vr in Haran descendens ductis secum Abraham, & Lot nepote ex filio Aran præmortuo, & ibì habitans permisisse Abraham, & Lot secedere in Chanaan, solumquè permansisse in aliena regione per tot annos, nequè ad filium Nachor, qui solus in Vr remanserat sequutus idòlolatriam (etsi posteà & ipse in Haran secesserit. Gen. 22. 24. 27. 43. 2. 8. 29.) habitaturus secum diuertisse, ne contaminaretur idòlolatria, nequè cum filio suo Abraham, & Lot nepote petijsse Chanaan secuturus eorum sortem, vel quia soli Abraham iussum,

ſum, & timuit præcepto diuino obuiare, vel ne incertis ſedibus ſenex vagaretur; at in Haran permanſiſſe, vt Abraham, & Lot frequentiùs præſentia frueretur: eſt enim veriſimile Abraham frequentaſſe patrem, tùm paterno amore ductus, tùm vt ab idòlolatria eum liberum, ac immunem redderet: qui enìm aliò amandatus erat à Deo regiones alias illuminaturus, credendum eſt ſuis & patri magìs proſpexiſſe: qui enim ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet infidelis eſt, & infideli deterior, inquit Paulus, & in fide præualuit Abraham, nec defuit ei occaſio: cum enim tot prærogatiuis à Deo ornaretur, veriſimile eſt patrem omnium certiorem, & per litteras vel nuncios & coràm reddidiſſe; ijs patrem fotum in cultu Dei viui permanſiſſe immobilem, & hanc bonitatem Thare ſignificaſſe Moyſen, tribuens illi eductionem Abrahæ, & Sarai, & Lot ſecum in Haran. Gen. 11. in fin. Puto autèm Thare fuiſſe in Vr idòlolatram, quia dicitur. Ioſ.24. trans fluuium habitauerunt patres veſtri, Thare pater Abraham, & Nachor, ſeruieruntquè Dijs alienis; idem colligitur Iudith 5.7. nequè placet, quòd in Vr Thare Deo, in Haran idòlis, quia contrarium conijciendum ex iàm dictis, & inueriſimile intèr malos bonum, intèr bonos malum euaſiſſe: & verba, tràns fluuium, capiunt tàm Chaldæam, quàm Meſopotamiam. ***Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis***, ideò non curandum de ſepulchro empto ex neceſſitate pro ſepelienda Sarai, & quia omnes patres voluerunt in ea ſepulchrum habere, etſi nondum data eſſet Hebræis, vt de Iacob. Gen. 47. Ioſeph. Gen. 50. ***ſed repromiſit dare illi eam in poſſeſſionem***; vndè Gen. 17. 8. vndè ſcire poſſum quòd poſſeſſurus ſim eam? ***& ſemini eius pòſt ipſum***. Gen. 15. 16. ***cum non haberet filium***. Gen. 15.2.3. ***Locutus eſt autèm ei Deus, quia erit ſemen eius accola in terra aliena, & ſeruituti eos ſubijcient, & malè tractabunt eos annis quadrigentis***. Gen. 15.13. Iudith 5.9. At quomodò Exod. 12.40. & Gal. 3.17. dicuntur anni quadringenti triginta: hos intellige à die egreſſionis Abrahæ ex Meſopotamia, quia illicò cogitur pergere in Aegyptum ob famem, & cōputatur peregrinatio ſua in Chanaan; hìc verò non computantur tot anni, & alio modo vix euadere poſſumus difficultatem, proùt & dicunt omnes ferè interpretes in epiſt. ad Gal. & Gen. 12. ***& gentem, cui ſeruierint, iudicabo***, condemnabo, puniam, ***dixit Dominus: Et pòſt hæc exibunt, & ſeruient mihi in loco iſto***, & ſic euenit, vt in Exod. ***Et dedit illi teſtamentum***, pactum ***circunciſionis: Et ſic genuit Iſaac, & circuncidit eum die octauo.*** Cur de Iſaac meminit, cùm Iſmael, & ipſe, & tota familia priùs fuerit circunciſa? quia agebat de deſcendentia, ex qua oriundus Meſſias, vt dixi; & ſcriptum eſt: in Iſaac vocabitur tibi ſemen, & quia in Iſaac cœptum die octauo, vt iuſſerat Deus, non in præcedentibus adultis vno die circunciſis: ***& Iſaac genuit Iacob***, nequè hìc de Eſau ob præcedentem rationem, ***& Iacob*** genuit ***duodecim Patriarchas, & Patriarchæ æmulantes***, inuidentes, ***Ioſeph vendiderunt in Aegyptum, & erat Deus cum eo:*** nec enìm in vinculis dereliquit eum: ***& eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam, & ſapientiam in conſpectu Pharaonis Regis Aegypti, & conſtituit eum præpoſitum ſupèr Aegyptum, & ſupèr omnem domum ſuam*** ità Deo diſponente. Gen. 50. ***Venit autèm fames in vniuerſam Aegyptū, & Chanaan, & tribulatio magna, & non inueniebant cibos patres noſtri***, vt cogerētur in Aegyptù ire pro annona. ***Cùm audiſſet autèm Iacob eſſe frumentum in Aegypto, miſit patres noſtros primùm, & in ſecundo cognitus eſt Ioſeph à fratribus ſuis, & manifeſtatum eſt Pharaoni genus eius:*** mirabile fuit, nec Ioſeph vmquàm patrem certiorem ſui ſtatus reddidiſſe, nec aliquem ex Iudæis in Aegyptum frequentantem Ioſeph cognouiſſe, & ſuis retuliſſe. At quòad recognitionem Ioſeph cùm eſſet annorum ſexdecim quandò venditus, & quandò prorex creatus triginta, veriſimilitèr non potuit ab extraneis cognoſci, qui nec à fratribus cognitus; idem contigit in Ioanne Baptiſta in deſerto morante, etſi tempore natiuitatis diuulgabantur omnia ſua mirabilia; quò verò ad ipſum dum ſeruiuit, & fuit in carcere, ſua, & nunciorum inopia factum; cùm aſſum-

assumptus ad dignitatem mole negociorum pressus vix respirabat, & prudentia magna indigebat, ne inuidiam apud Aegyptios contraheret; hinc considera quomodò se gessit cum Pharaone in suis excipiendis, & benè expressit Stephanus, *& manifestatum est Pharaoni genus eius*, quod antè siluerat, quia abhorrebant Aegyptij pastores ouium; hinc data illis regio inhabitanda ab alijs distincta, & citò pòst illam dignitatem adeptam fratres adstiterunt præsentes pro annona, ad quem finem ei omnia contigerunt, vt ipsemet fratres timidos consolatus dixit: non enim friguit charitas in illo ergà suos, vt facto manifestauit. *Mittens autèm Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque*. Ex hoc autèm silentio & pater tentatus, & afflictus, & ipse Ioseph ab omni cognatione liber totus erat in Deo, in eoquè omnis eius fides, & própterea in vinculis non dereliquit eum, sed ad tantam dignitatem ex Vicario carceris, & adultero falsò dicto sublimauit. Sed cur sic egit cum fratribus Ioseph? non vt vindictam exerceret in eos, sed vt patrem, & fratrẽ eo modo videre daretur, timens si se proderet, & obsides nõ retineret eos pauore territos non reuersuros, quasi lusit cum eis, sed ad finẽ desiderium suum produxit; suadet hoc, quia & mortuo patre timuerunt, & abitum parabant fabella adinuenta. *Septuaginta quinque*, fuerunt sexaginta sex, sed iunctis alijs nouem in Aegypto natis, qui ad cognationem Iacob spectabant, fiunt septuaginta quinque; Interpretes autèm, & Stephanus imputantes animas ad stirpem Iacob spectantes in Agypto natas id mutuati sunt à Iacob, qui voluit imputari sibi Ephraim, & Manassen filios Ioseph. *Et descendit Iacob in Aegyptum* filium visurus, famiquè prouisurus, *& defunctus est ipse, & patres nostri* antiqui. *Et translati sunt in Sichem*, quod in vno Ioseph certum est. Ios. 24.32. vndè vnum ponit pro omnibus, plurale pro singulari, vel alij omnes, vel aliqui in Sichem translati, quod aliundè scire non possumus; & deindè vel illi, vel alij, vt Iacob, de quo scimus. Gen. vlt. 13. *& positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filijs Hemor*, seù Seor *filij Sichem*, qui Hemor, seù Seor fuit filius Sichem, & hoc pacto rectè procedit, & declaratur quales illi venditores cap. 23. Gen. nequè hæc verba possunt applicari agro Iacob in Sichem, quia illud emit centũ agnis. Gen. 33. seù centum agnis nouellis. Ios. 24. non pro sepulchro, vt Abraham: & Abraham in Hebron, Iacob in Sichem; etsi quædam videntur concordare cum Iacob emptione, standum expressis, & credendum nomina à Stephano allata esse vera, nec aliud quærendum, & hæc opinio Lirani Scripturæ magis congrua. Vide scribentes in Gen. cap. 23. vbì dixi, & tenui posse dici, Stephanum vniuisse duo sepulchra, quia & ager emptus à Iacob in sepulchrum transiuit, & amborum carptìm factam mentionem indistinctam breuitatis causa, sed ab Abraham maiori denominationem factam, proùt Marcus cap. 1. vnit duas prophetias, Isaiæ, & Malachiæ, & ab Isaia maiori ambas denominat tacito Malachia; præsertìm quia parùm intererat ad suum propositum distinguere sepulchra, cùm vno verbo posset dicere patres sepultos fuisse. *Cùm autèm appropinquaret tempus promissionis*, terræ scilicèt Abrahæ semini concedendæ, *quam confessus erat Deus Abrahæ*, ei daturam promiserat, *creuit populus, & multiplicatus est in Aegypto*, vt esset numerus aptus ad gentes terram inhabitantes subiugandas, & eijciendas, *quoadusquè surrexit alius Rex in Aegypto, qui non sciebat Ioseph*, quanta Ioseph pro Agypto fecisset, quanti æstimaretur à Rege, & populo. *Hic* Rex *circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros* eousquè *vt exponerent infantes suos ne viuificarentur*, & in maiorem multitudinem genus cresceret; sic Ioas mortuo Ioiada sacerdote in filium eius. 2. Paral. 24. *Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo* cùm adhùc nihil boni, aut mali egisset ex mera vi gratiæ, *qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui* occultè: *exposito autèm illo* supèr aquas, *sustulit eum filia Pharaonis* misericordia mota, *& nutriuit*, nutrire fecit *eum sibi in filium*, ac filium proprium. *& eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum*, proùt solent filij Regum,

Regum, *& erat potens in verbis, & in operibus suis:* hoc antequàm loqueretur cum Deo, nam pòst dicit: non sum eloquens ab heri, & nudius tertius; & ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sũ, quod Deus fortè permisit, ne extolleretur ex Ducatu; ideò etiàm voluit Aaronis opera indigere, & vti. *Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus* (considera educationem Regalem tot annorum) *ascendit in cor eius vt visitaret fratres suos filios Israel*, etsi in tanta potestate positus. *Et cùm vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit illum, & fecit vltionem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio*, quod licuit Moysi ad defensionem iniuriam patientis, & percussi, & inspicientis afflictionem suorum. Exod. 2. 12. cum moderamine inculpatæ tutelæ; & circumspexit ex multa prudentia, ne deferretur Pharaoni, proùt contigit, non autèm quia grauaretur aliquo scrupulo circà factum, quod ex natura viri apparet, cùm Moyses esset mitissimus. Permittit Deus videri peccantes, vt hac formidine deterreantur mali à peccatis; sic Moyses etsi circumspiciens; Petrus, cui dictum: nonnè te vidi in horto cum illo? etsi Petrus, proùt nec fortè Moyses peccarant. *Existimabat autèm intelligere fratres, quoniàm Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt:* hæc restringuntur ad hunc actum occisionis Agyptij, vt etiàm dixi Hebr. 11. *Sequenti verò die apparuit illis litigantibus,* contendentibus, *& reconciliabat eos in pace, dicentes: Viri, fratres estis, vt quid nocetis alterutrum?* sic Abraham cum Lot: fratres enim sumus; si id nec cum extraneis licet, quantò minùs cum fratribus? *Qui autèm iniuram faciebat proximo* malè operans, *repulit eum, dicens: quis te constituit Principem, & Iudicem supèr nos? numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium?* sic Amasias prophetæ: num consiliarius es Regis? & Sodomitæ Lot: ingresfus es vt aduena, numquid vt iudices? Gen. 19. 9. *Fugit autèm Moyses in verbo isto, & factus est aduena in terra Madian*, timens sibi à Rege, ad quem delatum homicidium: nam Exod. 2. 14. Timuit Moyses, & ait: quomodò palàm factum est verbum istud? audiuitquè Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen, qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian. Vndè locus Pauli. Heb. 11. 27. fide reliquit Aegyptum, non veritus animositatem Regis: inuisibilem enim tamquàm videns sustinuit, non potest intelligi de hac fuga in Madian: non enim dicit fugisse, quod est timentis, nec aliquo timore reliquisse Aegyptum, proùt in d. cap. 2. Exod. & cap. 4. 19. dum Deus illi dicit mortuos omnes, qui quærebant animã suam, &c. Sed imò non veritum animositatem, iram, ferociam Regis, quod est totum cõtrarium, & inuisibilem tamquàm videns sustinuisse, quia videbat se diuino auxilio foueri, cùm Deus id promisisset, facto præstitisset, & præstaret, & admoneret ad egressum, vt in libro Exodi, eo magìs quia Paulus numerat laudes Moysis antè, pòst, & d. vers. 27. & nulla laus in fuga Madian, hìc laus in egressu de Aegypto totius populi sub eius Ducatu, & omnia adaptantur ad exitum hunc vltimum, non in forma fugæ, cùm scientibus, & adigentibus Aegyptijs populus sit eductus ab eo, & nullo modo ad fugam in Madian, & quamquàm Paulus in laudibus Moysis enarrandis non seruauit ordinem, quia præmittit negationem filiationis regiæ, subdit eductionem populi celebrationi Paschæ postponendam, indè transitum maris rubri, qui eductioni coniungebatur, nihil refert, quia ex præmissis apparet, verba sua non posse aptari fugę in Madian, & Paulo est conformis Stephanus, qui in eductione populi non facit illum timidum, vt infrà vers. 36. Prætereà quæ fides in Moyse fugiente in Madian, quam fidem magnificat Paulus, quod factum egregium dignum relatu ex fuga? at laus vt magnificauerit eum in timore inimicorum, & glorificauerit eum in conspectu Regum. Eccl. 45. & hæc animositas, de qua Paulus. Verba etiàm, inuisibilem tamquàm videns sustinuit, videntur alludere ad visiones in Madian repræsentatas, & locutiones à Deo secum habitas, & excludere intellectum fugæ in Madian, vbì genera uit filios duos. *Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sinai*

nai Angelus in igne flammæ rubi: eccè quomodò Deus per Angelos operabatur. *Moyses autèm videns, admiratus est visum. & accedente illo vt consideraret* quid hoc esset, *facta est ad eum vox Domini* per Angelum, *dicens: Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob,* Deus viuus viuorum: his Christus probauit Resurrectionem. *Tremefactus autèm Moyses, non audebat considerare;* sic Exod. 3. 6. innuitur hic timor: abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contrà Deum; at si non ex verbis, ex ea apparitione conijci potest, præsertim quia ex timore impeditioris linguæ factus est. Exod. 4. 10. sic coniecit Paulus in eodem Moyse. Hebr. 12. 21. timorem in monte Sinai, vbì minor causa timendi, nec dubium est Paulum loqui de illo in monte, vt ibi ad litteram, quæ non potest euerti. *Dixit autèm illi Dominus*, Angelus: *solue calceamentum pedum tuorum.* Exod. 3. 5. *locus enim, in quo stas, terra sancta est* per meam præsentiam, & assistentiam sanctificata: hoc totum ad inducendum horrorem in Moyse, vt diuinam maiestatem reuereretur, & imperata exequeretur; sic cum Iosue cap. 5. 16. sic & Iacob, pauensquè: quàm terribilis est locus iste, &c. vbì apparuerat ei Dominus. Gen. 28. 12. & de alijs locis. Gen. 32. 2. & 30. & si Ierusalem Ciuitas sancta. Matt. 27. cur non locus, in quo Deus apparuit? sic & Agar vocauit puteum viuentis, & videntis me. Gen. 16. 14. sic & Abraham locum, vbì immolandus Isaac, Dominus videt. Gen. 22. ex quibus apparet loca apparitionum harum fuisse in veneratione. *Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto*, oppressi ab Agyptijs, *& gemitum eorum audiui* sub pondere eis proposito, quod sustinere non possunt, *& descendi liberare eos*, accessi liberaturus: more humano loquitur; de hoc prophetauit Ioseph. Gen. 50. *& nùnc veni, & mittam te in Aegyptum* legatione pro me ibì functurum. *Hunc Moysen, quem negauerunt* illi rixantes, *dicentes: quis te constituit Principem, & Iudicem? hunc Deus Principem, & redemptorem* populi sui *misit, cum manu*, potestate, potentia *Angeli, qui apparuit illi in rubo*; hinc collige Deum non mutare ministrum ad negocium vnum electum, ideò verisimile omnia reuelata Ioseph, & alia, quæ interuenerunt, per Gabrielem perfecta, qui priùs Danieli, deindè Zachariæ nunciauit. *Hic eduxit illos* patres, populum, *faciens prodigia*, & signa *in terra Aegypti, & in rubro mari* mediante virga, *& in deserto annis quadraginta. Hic est Moyses, qui dixit filijs Israel: prophetam suscitabit vobis Deus*. Deut. 18. 15. *de fratribus vestris* Messiam, *tamquàm me, ipsum audietis*, obedietis ei in omnibus, proùt mihi: eccè quomodò agit de Christo, illumquè annunciat, interserens in sua defensione.

Hic est, qui fuit in ecclesia, in multitudine populi congregati *in solitudine*, deserto *cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina*: eccè iterũ quomodò Deus per Angelos: *& cum patribus nostris* omnia videntibus, *qui accepit verba*, præcepta *vitæ dare nobis*, illa in specie: *prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquàm me, ipsum audietis*, nam quòad legem hæc verba non procedunt, quia illa non viuificabat, vt in epistolis Pauli ad Rom. Gal. & Heb. Vel *verba vitæ*, quia illa seruans in illis viuebat, vt alibì dictum, *cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt, & auersi sunt cordibus suis* verè, finalitèr *in Aegyptum*, in mores Aegyptiacos ob idòlolatriam, *dicentes ad Aaron: fac nobis Deos, qui præcedant nos: Moyses enim hic* (quia videbatur eis longa eius mora) *qui eduxit nos de terra Aegypti*, & hic dereliquit, *nescimus quid factum sit ei*, nos non curat. *Et vitulum fecerunt in diebus illis*, quibus à Deo tot fauoribus afficiebantur; *& obtulerunt hostiam*, sacrificium *simulachro* vituli, *& lætabantur in operibus manuum suarum* mutis. *Conuertit autèm Deus*, auertit se ab illis, subtraxit se, *& tradidit eos*, permisit eos *seruire militiæ cæli, sicùt scriptum est in libro Prophetarum*. eccè nouum peccatum in pœnam primi; sic & Paulus. Rom. 1. & quia noluit hos idòlolatras in terra promissionis, permisit illorum inobedientiam, nec mutauit se ob illorum obedientiam, & omnes in deserto mortui sunt, excepto Iosue, & Caleb. *numquid victimas, & hostias obtulistis mihi annis*

quadra-

quadraginta in deserto domus Israel? quasi, non, ordinariè: *& suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis* manibus vestris, *adorare eas* more insipientium, & fatuorũ. *& transferam vos trans Babylonem* in captiuitatem. *Tabernaculum testimonij*, pactum repræsentans *fuit cum patribus nostris in deserto, sicùt disposuit illis Deus* (declarat) *loquens ad Moysen, vt faceret illud secundùm formam, quam viderat:* à se ipso enim non potuisset. *Quod* tabernaculum *& induxerunt, suscipientes patres nostri cum Iesu*, cum Iosue *in possessinem gentium*, in terram à gentibus possessam, *quas expulit Deus à facie patrum nostrorum, vsquè in diebus Dauid*, nam & tùnc aliquæ gentes expulsæ. Tantus Moyses, & Aaron; sed cur non sunt ingressi in terram promissionis? quia sicùt non glorificauerunt Deum ad aquas contradictionis, ità subtracta eis gloria coràm hominibus futura, & ne attribueretur eis introductio populi in terram promissionis, vel vt Dij venerarentur, ideò corpus Moysis numquàm inuentum, supèr quo altercatum à Diabolo, Iudas in epist. vers. 9. & vt populus edoceretur videns homines adeò insignes emori, vestibus sacerdotalibus exui: si enim introductus esset populus totus, non vidisset vel bellis distractus, vel diuisus, & voluit Deus prouidere populo de Duce antequàm bellis premeretur, non in ipso certamine. *Qui* Dauid *inuenit gratiam antè Deum*. 1. Reg. 13. 14. & 16. 13. Psal. 88. 21. sic Noè, Gen. 6. 8. Moyses, Exod. 33. 12. quod intelligo in genere, non strictè ad aliquod; sic de Beata Virgine Maria supèr illis verbis: inuenisti gratiam apud Deum, vt in Euangelio Lucæ, præsertim quia inuentio gratiæ ponitur ex parte Dei, & in Dauide consideretur quòad templum non inuenisse gratiam apud Deum, vt ipse ædificaret; sed filio tributam: *& petijt vt inueniret tabernaculum Dei Iacob*, huius meminit, vt hac breuitate copulet totum Israelem, cùm à Iacob duodecim Patriarchę, & subsequentèr duodecim tribus totum Israelem repræsentantes nondùm in captiuitatem deductæ, procederent; hinc Israelitæ ab ipso Iacob nouo hoc nomine ab Angelo decorato, Gen. 32. 28. & sub hac vniuersitate magnificat etiàm Deum huius populi Dominum; non ergò ad imitationem Iacob, cùm aliud cogitaret Dauid magnificentius, & Deo dignius quantum in se erat, nec minùs quòd dicatur Deus Iacob, quia id non haberet sensum in re, de qua agitur. *Salomon autèm ædificauit illi domum*, templum. *Sed non excelsus in manufactis habitat, sicùt Propheta dicit:* incomprehensibilis enim: *cælum mihi sedes est: terra autèm scabellum pedum meorum. Quam domum* mihi congruentem *ædificabitis mihi*, nomini meo, *dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est? nonnè manus mea fecit hæc omnia?* quid ergò à vobis mihi expectandum? *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos sempèr Spiritui sancto resistitis, sicùt patres vestri, ità & vos.* (purgatus à crimine in eos conuertit sermonem) sed cur *sempèr Spiritui sancto resistitis?* at se declarat, subdens: *sicùt patres vestri* duri, *ità & vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* qui loquebantur ex Spiritu sancto: non enim voluntate humana allata est aliquandò prophetia, sed à Spiritu sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines. 2. Pet. 1. 21. *& occiderunt eos* absquè causa, *qui prænunciabant* ad eorum vtilitatem *de aduentu iusti*, id est, Christi, Messiæ. Christum miscet: intendebat enim nedum defendere se, sed & illos ad Christum allicere. *Cuius* iusti Christi *vos nùnc* diebus proximè elapsis *proditores, & homicidæ fuistis*, ex falsis testibus illum conuincere tentantes, & ex causis iniustis ad crucifigendum gentibus tradentes. Vel quia Dominus, ideò vos proditores, & rebelles, qui occidistis illum, quem reuereri tenebamini, proùt dixerat in parabola vineæ Dominus; verebuntur fortè filium meum. *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum*, Angelis eam disponentibus, distinguentibus; ferentibus: etenim mediante eorum ministerio data est: & sic concordat Paulus c. 3. vers. 19. epist. ad Gal. ordinata, id est, disposita per Angelos, vt & suprà dixit Stephanus vers. 38. & verbo, *disposuit*, vsus est & Stephanus suprà vers. 44. dum agit de tabernaculo in manu mediatoris, id est, per

manum

manum Christi in sua potestate, & virtute, qui est sapientia Patris, non autèm in manu mediatoris, quasi in potestate mediatoris, id est, à mediatore mutanda, vt ibi per Liranum: id enim incongruum in eo loco, & id sempèr intelligebatur, quia dans legem, maiorem sibi reseruat facultatem: ideò potest illam ad libitum immutare: sicùt etiàm lex per Moysen data est, inquit Ioannes Baptista. Io. 1. quia ab Angelis receptam populo promulgauit: Plures autèm fuisse Angelos, & Stephanus hic, & Paulus. Gal. 3. 19. & Heb. 2. 2. clarè dicunt; & verisimile est, quia ad magna peragenda, proùt legis dationem, plures accurrunt, vt in Natiuitate annuncianda, Resurrectione manifestanda, & pòst Ascensionem, & in duobus pluralis numerus verificatur. At suprà vers. 38. dicit: *hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur in monte Sina, &c.* Respondeo, etsi cum vno tantum loquutus sit, tamèn plures adstitisse, sicùt in Natiuitate, & subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis. Luc. 2. 13. Sed ad quid mentio legis? credo quia cùm in illa habeatur præceptum de non occidendo, arguit eos contrà legem fecisse eo magis obseruandam, quò à Deo data ministerio Angelorum, ideò subdit: *& non custodistis,* sed illam soluistis: Vel ad arguendam ingratitudinem. Tanta dicit de Moyse, & nihil de sacerdotio; sic nequè Eccl. 45. de eius sacerdotio, sed tantùm de Aaron, & nihilominùs in Psalmo: Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius: dicam in Exodo. *Audientes autèm hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum,* proùt solent irati proximum, & illius verba non ferentes. *Cùm autèm esset* Stephanus *plenus Spiritu sancto:* tùnc enim magis in eum se infundebat dum erat in opere, *intendens in cælum, vidit gloriam,* maiestatem *Dei,* quatenùs nempè homini licuit, non essentiam, quam non percipiunt viuentes, nisi in enigmate: non enim videbit me homo, & viuet: dixi in Euangelijs, & Exodo. vel *gloriam Dei,* id est, cælos apertos, vt seipsum declarat in sequentibus verbis, dicens: *eccè video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei:* si enim aliud vidisset quàm cælos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, expressisset, proùt non tacuit visa, præsertim quia expediebat hæc propalare, vt Angelus Tobiæ: opera Dei reuelare honorificum est. nec potuit plùs dixisse Lucas, quàm Stephanus referens: qualis autèm gloria cælorum, disce ex Ioanne in vltimis cc. Apoc. & Pauli raptu ad tertium cælum, qui audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, & 1. Cor. 2. 9. quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. & Isa. 64. 4. *Et Iesum stantem.* subuenturum martyri pro ipso patienti, illum honorantem, confirmantem, excipientem, Spiritu sancto replentem; hinc *cum autèm esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in cælum* vndè receperat, nouo hoc motu excitatus, & animosior factus, *vidit, &c. & ait: Eccè video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei,* quod videtur sic potuisse contingere: cùm enim splendor Filij Dei excedat solarem, sicùt videmus acie visus remotiora ob lumen illis propinquum, ità splendor ille cælis apertis ad Stephani oculos protractus fuerit, & ex phrasi, & contextu non innuitur descensus Christi, qui ad dexteram Dei adstare perhibetur, quod aliòqui exprimeretur, vt in Paulo. Act. 9. Vide Doctores, & Interpretes supèr Baptismo quandò cæli aperti, præsertìm recentiores. Profert id Stephanus ad impios commouendos, vt credant resurrexisse illum, cuius proditores, & homicidæ fuerant, & ascendisse in cælum, & ad dexteram Dei sedere, & voluit Deus id publicari, vt scirent omnes pro nomine eius passuri, qualia eis præmia parata, & quale ab eo adiutorium, & protectio, hincquè omnes ad martyrium subeundum animarentur. *Filium hominis:* vidit itaquè humanitatem Christi, idquè sufficiebat, vt de illa attestaretur, nàm gloriæ, seù essentiæ fruitio excedit omne testimonium, nec referebat de illa attestari, nec creditur ostensam viuenti iàm iàm visuro, & fruituro. De Christo à dextris Dei sedente. Mar. vlt. Paulus Phil. 2. Eph. 1. in fin. & ferè in omnibus epistolis. *Exclamantes autèm voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimitèr in*

eum

eum de facto, cùm eis non liceret occidere quemquam, vt ipsimet dixerunt Pilato. At nec Pilatus in eis ob id animaduertit; Paulus verò infrà cap. 26. 10. dum dixit (detuli sententiam) vult significare consensum suum præstitisse, de quo in specie in morte Stephani. *Saulus autèm erat consentiens neci eius* in vers. finali, & ipsemet cap. 22. 20. consentiebam. *Et eÿcientes eum extrà Ciuitatem lapidabant*, quasi blasphemũ: hanc pœnam in Christum exerceri non petierũt, vel quòd subrogatus in locum Barabbæ seditiosi, cui crux debebatur, vel quòd impingerent illi regni affectationem, vel quòd vellent se à cæde ipsius reddere immunes, & culpam in Pilatum refundere: lapidatio enìm fiebat ministerio populi; at omnia conuertebat Deus ad suam voluntatem, & prædictionem: mortem enìm crucis, seù ligni etiàm subiturum & Scriptura, & ipse multotiès prædixerat, & non populo (qualis fuisset mors lapidationis) sed gentibus ad crucifigendum tradendum. *Et testes deposuerunt vestimenta sua secùs pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* Non credo detractas vestes Stephano, quia ex contextu apparet popularis, subita, & improuisa, & absquè ordine, & prolatione sententiæ, cùm non liceret eis interficere quemquam, executio, & lapidatio, ideò frustrà dicitur Paulum seruasse vestes Stephani, qui seruabat vestimenta lapidantium: sunt enim verba clara; *testes deposuerunt vestimenta sua*, id est, propria; & clarè Paulus infrà cap. 22. 20. custodiebam vestimenta interficientium illum. In lapidatione præferebantur testes; & sic intelligendum dictum Christi. Io. 8. qui sinè peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, quia cum deprehensoribus erat sermo: dicunt enìm mulierem in adulterio deprehensam, & Christus: vbì sunt qui te accusabant? *Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum*, quem pro te effundo, hoc nomen explicat, vt illud in animis auditorum insinuet, cùm non sit aliud nomen sub cælo datum, in quo nos oporteat saluos fieri. Act. 4. 12. & postquàm viderat illum in cælo expectantem ad amplexus. *Positis autèm genibus* humilitèr adorans quem videbat, *clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis*, qui me lapidant, *hoc peccatum*, ignosce illis: exemplo Christi hoc facit. *Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino*, cui pretiosa mors iustorum. *Saulus autèm erat consentiens neci eius*, non lapidans, sed vestes lapidantium custodiens.



CAPVT VIII.



1 *ACTA est autèm in illa die persecutio magna in Eccle-*
sia, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per re-
2 *giones Iudææ, & Samariæ pratèr Apostolos.* * *Curauerunt*
autèm Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum
3 *magnum supèr eum.* * *Saulus autèm deuastabat Eccle-*
siam per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres
4 *tradebat in custodiam.* * *Igitur qui dispersi erant per-*
5 *transibant, euangelizantes verbum Dei.* * *Philippus autèm descendens in ciui-*
6 *tatem Samariæ, prædicabat illis Christum.* * *Intendebant autèm turbæ his,*
quæ à Philippo dicebantur vnanimitèr audientes, & videntes signa quæ facie-
7 *bat.* * *Multi enìm eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce ma-*
8 *gna exibant.* * *Multi autèm paralytici, & claudi curati sunt.* * *Factum est*

E ergò

9 ergò gaudium magnum in illa ciuitate. Vir autèm quidam nomine Simon,
qui antè fuerat in ciuitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse ali-
10 quem magnum: * cui auscultabant omnes à minimo vsquè ad maximum, di-
11 centes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. * Attendebant autèm eum:
12 proptèr quod multo tempore magijs suis dementasset eos. * Cùm verò credidissent
Philippo euangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur vi-
13 ri, ac mulieres. * Tùnc Simon & ipse credidit: & cùm baptizatus esset, adhæ-
rebat Philippo. Videns etiàm signa, & virtutes maximas fieri, stupens ad-
14 mirabatur. * Cùm autèm audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quòd rece-
15 pisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem: * Qui cùm
16 venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum: * Nondum enim
in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini
17 Iesu. * Tùnc imponebant manus supèr illos, & accipiebant Spiritum sanctum.
18 * Cùm vidisset autèm Simon quia per impositionem manus Apostolorum dare-
19 tur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, * dicens: Date & mihi hanc potesta-
tem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus au-
20 tèm dixit ad eum: * Pecunia tua tecùm sit in perditionem: quoniàm donum Dei
21 existimasti pecunia possideri. * Non est tibi pars, nequè sors in sermone isto. cor
22 enim tuum non est rectum coràm Deo. * Pœnitentiam itaquè age ab hac ne-
23 quitia tua: & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. * In
24 felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. * Respondens
autèm Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat
25 supèr me horum, quæ dixistis. * Et illi quidèm testificati, & locuti verbum
Domini, redibant Ierosolymam, & multis regionibus Samaritanorum euange-
26 lizabant. * Angelus autèm Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge,
& vade contrà meridianum ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam:
27 hæc est deserta. * Et surgens abijt. Et eccè vir Aethiops, eunuchus, potens Can-
dacis Reginæ Aethiopum, qui erat supèr omnes gazas eius: venerat adorare in
28 Ierusalem: * & reuertebatur sedens supèr currum suum, legensquè Isaiam prophe-
29 tam. * Dixit autèm Spiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currum istum.
30 * Accurrens autèm Philippus, audiuit eum legentem Isaiam prophetam, & di-
31 xit: Putasne intelligis quæ legis? * Qui ait: Et quomodò possum, si non aliquis
32 ostenderit mihi? Rogauitquè Philippum vt ascenderet, & sederet secum. * Lo-
cus autèm Scripturæ, quam legebat, erat hic: Tamquàm ouis ad occisionem du-
33 ctus est: & sicùt agnus coràm tondente se, sinè voce, sic non aperuit os suum. * In
humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit, quo-
34 niàm tolletur de terra vita eius? * Respondens autèm eunuchus Philippo, dixit:
35 Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? * Aperiens au-
tèm Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ista, euangelizauit illi Iesum.
36 * Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam: & ait Eunuchus:
37 Eccè aqua, quid prohibet me baptizari? * Dixit autèm Philippus: Si credis ex
toto

toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Iesum Christum.
38 ** Et iussit stare currum: & descenderunt vterque in aquam, Philippus, & Eu-*
39 *nuchus, & baptizauit eum. * Cùm autèm ascendissent de aqua, Spiritus Do-*
mini rapuit Philippum, & ampliùs non vidit eum Eunuchus. Ibat autèm per
30 *viam suam gaudens. * Philippus autèm inuentus est in Azoto, & pertransiens*
euangelizabat ciuitatibus cunctis, donèc veniret Cæsaream.



ACTA est autèm in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ pratèr Apostolos. Sed an alij occisi vltrà Stephanum? credere quòd non, quia subditur qualis fuerit persecutio, nempè & omnes dispersi sunt, & infrà cap. 9. in princ. dicitur: Paulum spirantem minarum, & cædis vt vinctos perduceret, non occideret, nec est verisimile Ierosolymis, vbì Paulus erat, hæc facta absquè vindicta, seù ministerio iustitiæ; & si pro vno populaitèr lapidato silentium, non est tamèn credendum seruatum, si tot alij occisi essent. Et quamuis Paulus dicat: ego multos Sanctorum in carceribus inclusi à principibus Sacerdotum potestate accepta, cùm occiderentur, detuli sententiam. Act.26.10. non obstat; nàm ad vnum Stephanum res referenda, postquàm in alijs non possumus verba verificare; & si alij fuissent tùnc occisi, verisimilitèr facta esset mentio à Luca, proùt Stephani, carceratorum, & dispersionis, imò si dispersionis, eo magìs occisionis, & cap.22.20. quo Paulus strictiùs loquitur quòad occisionem, restringit se ad vnum Stephanum; de alijs verò non habemus, nisi de cæsis in Synagogis, & carceribus mancipatis. Vel hæ occisiones fortè aliàs contigerunt; & quidèm carceratio, seù correctio ex principum auctoritate licuit; & quòad occisionem aliorum, credendum factam auctoritate publica; at non crederem vltrà Stephanum, vel alios nominatos in Actis, si qui sunt. *Per regiones Iudææ, & Samariæ:* nondùm enim ad gentes; at vide ordinem, primò in Ierusalem promulgant, deindè in regionibus Iudææ, exindè Samariæ scismaticos cōtinentis, & sic fuit ordo Christi: eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsquè ad vltimum terræ. Act.1. non penetrarunt hi dispersi vsquè ad gentiles infrà cap. 11. 19. & 20. hos dispersos consolatus est, & confirmauit Iacobus epist.sua: omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis: scribit enìm dispersis, & quamuis duodecim tribubus, potest esse, vt intèr dispersos ex singulis tribubus aliqui extarent: & cùm incipiat epistola à tentationibus, & cōtineat quæ ad Christianismum, nullo modo præsumi potest, scriptam esse tribubus illis primò ad captiuitatem perpetuam traditis, cum quibus alio stylo agendum erat, & suadendæ erant ad conuersionem, & fidem in Christum. Eisdem scripsit Petrus, qui cùm scribat dispersis, & fidelibus, non est credendum illis tribubus dispersis, sed his in hac dispersione fugatis scribere. Vndè credo sequendam opinionem Card. Baronij. At hæc dispersio propagauit Ecclesiam; sic antiquitùs Deus ad conuertendos populos permittebat Israelitas duci captiuos, & dispergi. Tobiæ 13. infrà vers.4. sic circumduxit Abraham, sic Ioseph in Aegypto vt alij edocerentur; nemini verò loquebantur verbum nisi solis Iudæis, vt infrà cap.11.19. sed 20. subdit de alijs, qui loquebantur Græcis; *pratèr Apostolos* potentia diuina retentos, vt in Ierusalem perfectè semen proijcerent, & fidem in illa stabilirent faciliùs exindè in alijs regionibus propagandam, & eorum permansio in Ierusalem non est alteri causæ tribuenda: nàm si fugati sequaces, quanto magis capita, ni ministri essent diuina virtute repressi? *Curauerunt autèm Stephanum viri timorati*, non ergò omnes dispersi, sed aliqui reman-


 serunt,

ferunt,& præsertìm ministrantes Apostolis, *& fecerunt planctum magnum supèr eum*, quia Stephanus ab omnibus amabatur.

Saulus autèm deuastabat Ecclesiam, credens obsequium se præstare Deo, *per domos intrans, & trahens* mediantibus ministris *viros, ac mulieres* Iesum sequentes, quos *tradebat in custodiam. Igitur qui dispersi erant pertransibant, euangelizantes verbum Dei*, non otiabantur, à Spiritu sancto ducti. *Philippus autèm descendens in Ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Christum*: ex contextu apparet Philippum dispersum in Samariam aduentasse, ibiquè prædicasse, & signa fecisse, non missum; sic etiàm Apostoli audierunt Samariam recepisse verbum Dei: si enìm misissent, alio modo formarentur verba; item si missus fuisset, rediisset cum Petro, & Ioanne, & tamèn legitur non rediisse, imò adhùc nulla missio facta erat, & hæc prima quandò Petrus, & Ioannes in Samariam missi. *Intendebant autèm turbæ* (hæ sempèr, non primates) *his, quæ à Philippo dicebantur, vnanimitèr audientes* cum magna concordia, *& videntes signa quæ faciebat*, quibus illi commouebantur. *Multi enìm eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant*, fortè inuocato nomine Iesu. *Multi autèm Paralytici, & claudi curati sunt*: communicabantur ei hæ gratiæ ad fidem propagandam. *Factum est ergò gaudium magnum in illa Ciuitate. Vir autèm quidam nomine Simon* (incipit contradictio simoniaca, & hæreticalis ad Ecclesiam magis fundandam: diù enìm cum hac certatum est) *qui fuerat in Ciuitate magus* (explicat conditionem viri) *seducens gentem Samariæ* à fide in Iesum, vel à Deo, *dicens se aliquem magnum*, vt illi crederetur, *cui auscultabant omnes à minimo vsquè ad maximum*, omnes trahebat ad se, *dicentes: Hic est virtus*, potentia Dei, *quæ vocatur magna. attendebant autèm eum*: erat in quasi possessione seducendi: *proptèr quod multo tempore magiis suis dementasset eos*, sic eos deludens & seducens. *Cùm verò credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres*: præmisit magnum obstaculum à Simone oriens, vt agnoscamus ex horum fide magnum Dei miraculum. *Tùnc Simon & ipse credidit*, si apparentiam verborum respicis, videtur credidisse, & baptizatum esse, proùt cæteri absquè vlla fraude, corde sincero; at si intrà medullam penetres, secùs dices; *tùnc Simon & ipse credidit*, quasi coactus à signis, & postquàm Christo nomen dederat: *& cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur* quasi dubius, & progressus docebit quid esset in homine; vide vers. 21. vbi Petrus: *cor enìm tuum non est rectum coràm Deo*; & vers. seq. *Cùm autèm audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis* fortè à Philippo id significante, *quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem* voluntarios: *Qui cùm venissent* in Samariam *orauerũt pro ipsis* Samaritanis credentibus *vt acciperent Spiritum sanctum: nondum enìm in quenquam illorum venerat*, visibilis descenderat: ideò Philippus non erat sacerdos, nec etiàm ille Apostolus, sed diuersus, *sed baptizati tantùm erant* à Philippo *in nomine Domini Iesu*, idest, in eius baptismo, auctoritate, virtute, merito ab eo instituto, quomodò ille præcepit, non autèm quòd immutaretur forma, & non exprimerentur tres personæ, cùm ab ipso forma data sit, quæ immutari non poterat; vndè videntur posita hæc verba ad differentiam baptismi Ioannis, de quo Paulus infrà cap. 13. hi verò, qui baptizati sic fuerant in cap. à quodam Hebræo. salui facti sunt non in baptismo, sed in fide baptismi, existimantes se rectè baptizatos. *Tùnc imponebant manus supèr illos, & accipiebant Spiritum sanctum* visibilitèr. *Cùm vidisset autèm Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus* credentibus visibilitèr, *obtulit eis pecuniam, dicens: date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum* visibilem. *Petrus autèm dixit ad eum* memor verbi Iesu, gratis accepistis gratis date: *pecunia tua tecum sit in perditionem* disperdatur, non appareat, *quoniam donum Dei existimasti* turpitèr *pecunia possideri* posse. *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto*: nihil

nihil indè recipies: *cor enim tuum* ex hoc facto manifestum, *non est rectum coràm Deo. Pœnitentiam itaquè age ab hac nequitia tua, & roga Deum; si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*, & remittetur, si corde roges, & pœnitentiam agas. Credo Petrum verè loqui, sciens Dei misericordiam: & ideò quando dixit: *pecunia tua tecum sit in perditionem*, non fuerunt illa verba imprecantis; sed grauitatem delicti explicantis, quasi, ne tangerem quidèm, ne dum acciperem, tu retine hanc abominationem ad perditionem te pertracturam, nisi pœnitentiam agas, *quoniàm donum Dei existimasti pecunia possideri. pœnitentiam itaquè age, &c.* & vt id præstet, aperit ei vulnus. *In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse*, video te maximè illaqueatum, & in fide non esse staturum, tamèn hæc verba non inferunt ad impœnitentiam finalem, aliòquin Petrus pœnitentiam nõ suasisset; Iudæi quoquè noluerunt tangere pecuniam à Iuda reportatatam, quia pretium sanguinis. *Respondens autèm Simon, dixit: precamini vos pro me ad Dominum, & nihil veniat supèr me horum, quæ dixistis:* verba benè sonant; at ex posteà gestis cognoscuntur ficta in omnibus. *Et illi quidèm*, Petrus, & Ioannes, *testificati, & loquuti* in eo loco *verbum Domini; redibant Ierosolymam, & multis* aliis *regionibus Samaritanorum euangelizabant:* non poterant quæ audierant non loqui. *Angelus autèm Domini*, vel ad differentiam dæmonis, vel à Domino missus, *loquutus est ad Philippum, dicens: Surge* hinc, *& vade contrà meridianum ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam, hæc est deserta. Et surgens abiit* obediens. *Et eccè vir Aethiops, eunuchus, potens, Candacis Reginæ Aethiopum, qui erat supèr omnes gazas eius: venerat adorare in Ierusalem: & reuertebatur sedens supèr currum suum, legensquè Isaiam prophetam*. Eunuchus verè, non spiritualis, quia eo nomine non prænotaretur; sed ad quid sinè ratione impropriare verba? vrget & verisimilitudo, quia mulieri Reginæ inseruiebat: & hunc Eunuchum censeo fuisse gentilem, nàm sicùt tot nominibus prænotatur, ita fuisset expressum esse proselytum, vel Iudæum. Quò verò ad apertionem ostii gentilitati, & quòd gentiles soliti essent pergere ad solemnitates in Ierusalem, vide scripta suprà cap. 2. & cùm non intelligeret Isaiam, quem legebat in loco tàm aperto, & noto, signum est gentilitatis; & ex relatione Achior. Iudith. 5. cognoscitur gentiles rerum Hebraicarum informatos. In contrarium vrget lectio Scripturæ sacræ, vt potiùs esset Proselytus. *Dixit autèm Spiritus Philippo*, idem Angelus (qui facit Angelos suos spiritus:) non enìm præsumenda mutatio, cum ministeria talia soleant demandari Angelis. Heb. 1. & præsentia Spiritus sancti, seù eius interuentus clarè expressus esset, & quia raptus Philippi, qui sequitur, tribuitur Angelo, vndè tanto minùs præsumenda mutatio: *Accede, & adiunge te ad currum istum. Accurrens autèm Philippus audiuit eum legentem Isaiam prophetam*. obseruabat quod dicitur Deut. 6. vt etiàm ambulans in itinere, recordaretur mandatorum Dei: *& dixit: putasne intelligis quæ legis? qui ait: & quomodò possum, si non aliquis ostenderit mihi?* hic humilitas Eunuchi. *rogauitquè Philippum vt ascenderet, & sederet secum. Locus autèm Scripturæ, quam legebat, erat hic*. Isa. 53. 7. *Tamquàm ouis* Dominus *ad occisionem ductus est*, more prophetarum facta pro fiendis, *& sicùt agnus coràm tondente se, sinè voce, sic non aperuit os suum*, quia hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum; sic ipse voluit, *in humilitate iudicium eius sublatum est*. placet, *in eius humilitate*, quandò supposuit se iudicio hominum, quandò coràm tondente se obmutuit, tùnc iudicium sublatum fuisse, nullum seruatum ordinem in iudicando: sunt enìm hæc verba consecutiua ad præcedentia demonstrantia, quid in eius silentio, & taciturnitate seruatum sit; nec iudicio meo possunt referri ad Resurrectionẽ, vel aliam suam exaltationem, cum de humilitate, & de Iudicio non seruato sit sermo. *Generationem eius quis enarrabit.* quia adeò humilia de eo dixerat, vt dubium esset ne crederetur Messias, subdit hæc verba, vt intelligamus illum esse, cuius generationem humanam (de homine enìm est sermo) nemo possit enarrare, cùm de Spiritu

sancto sit conceptus in vtero Virginis, ità vt id sub fide credendum subdatur, non demonstrandum, cuius excellentiam, & magnalia nemo dicere possit: *quoniàm tolletur de terra vita eius?* ratio cur nemo generationem, & prærogatiuas eius sit enarraturus, quia per mortem *tolletur de terra vita eius*, in cælumque gloriosus in corpore ascendet ex propria virtute diuina, seù ex dote corporis gloriosi, & humanam hanc naturam diuinæ in vno supposito vnitam ad dexteram Dei collocabit: qui enim de terra tollitur, ad cælum euehitur. Vel quia non credetur qualis est, Messias ob mortem ignominiosam, quod videtur aptius. Sic credidi posse interpretari textum hunc; at postquàm vidi textum Isaiæ cap. 53. mutaui sententiam: ibi enim postquàm Propheta dixit Passionem Christi, & tamquàm ouem ad mortem ducendum, & os non aperiturum, & coràm tondente se obmutiturum, docet qualis illi gloria instet ob hanc exinanitionem, ni mirum, si miscet vsquè ad finem capitis vtrumque: ideò subdit: tandèm finis fuit passionum, quia de angustia, & de Iudicio sublatus est, euasit intèr mortuos liber, surrexit ad gloriam: *generationem eius*, hanc eius Resurrectionem: (generatio enim pro Resurrectione ponitur: in regeneratione cum sederit, &c.) adde & Ascensionem, & ad dexteram Patris sessionem, vt per Paulum. Philip. 2. Ephes. 1. in fin. *quis enarrabit*; cùm diuina hæc sint, capacitatem nostram excedentia? non enim ibi de generatione æterna, cum loquatur vti de homine; non humana, cum sermo præcedat de morte. explicat se Propheta clariùs, subdens cur hæc gloria sibi, quia abscissus est de terra viuentium, quia mortuus est, & non proptèr scelus proprium, qui peccatum non fecit, &c. sed quia percussi eum (introducit Deum Patrem loquentem) proptèr scelus populi mei ex magna charitate. Commendat autèm charitatem suam Deus, &c. Rom. 5. 8. non cessat etiàm declarare alijs verbis, si posuerit pro peccato animam suam, ideò dispertiam ei plurimos, &c. & hic, *quoniàm tolletur de terra vita eius*; & hunc credo verum intellectum illius textus, & conuenire huic nostro, qui de illo sumptus est. Vide latiùs in Euangelijs in capite Resurrectionis. *Respondens autèm Eunuchus Philippo, dixit: obsecro te*, dic mihi, *de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?* dum dicit de se, clarum fit parùm intellexisse, cum ad se non possent verba referri. *Aperiens autèm Philippus os suum & incipiens à Scriptura ista*, quæ illi occasionem præbebat, *euangelizauit illi Iesum*, proponens fidem in eum. *Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus: eccè aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autèm Philippus: si credis ex toto corde*, (excludit dubium) *licet*. *Et respondens* Eunuchus *ait: credo* (sic cœcus: credo Domine) *Filium Dei esse Iesum Christum*. Fatetur diuinitatem, & humanitatem. *Et iussit stare currum, & descenderunt vterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizauit eum. Cum autèm ascendisset de aqua, Spiritus Domini*, Angelus *rapuit Philippum*, proùt Habacuc, *& ampliùs non vidit eum Eunuchus. Ibat autèm* Eunuchus *per viam suam* versùs Aethiopiam *gaudens*. *Philippus autèm* sic exportatus *inuentus est in Azoto, & pertransiens euangelizabat Ciuitatibus cunctis* in illis Hebræis, non Gentilibus, *donèc veniret Cæsaream*.



CA-



CAPVT IX.



1 *AVLVS autèm adhùc spirans minarum & cædis in
discipulos Domini, accessit ad principem Sacerdotum,
2 * & petijt ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas:
vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vin-
3 ctos perduceret in Ierusalem. * Et cùm iter faceret, con-
tigit vt appropinquaret Damasco: & subito circumful-
4 sit eum lux de cælo. * Et cadens in terram audiuit vo-
5 cem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: Quis es
Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. durum est tibi contrà
6 stimulum calcitrare. * Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis fa-
7 cere? * Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur
tibi quid te oporteat facere. Viri autèm illi, qui comitabantur cum eo, stabant
8 stupefacti, audientes quidèm vocem, neminem autèm videntes. * Surrexit
autèm Saulus de terra, apertisquè oculis nihil videbat. Ad manus autèm il-
9 lum trahentes, introduxerunt Damascum. * Et erat ibi tribus diebus non vi-
10 dens, & non manducauit, neque bibit. * Erat autèm quidam discipulus Da-
masci nomine Ananias: & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At
11 ille ait: Eccè ego, Domine. * Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vi-
cum, qui vocatur rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem:
12 eccè enim orat. (* Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, & impo-
13 nentem sibi manus vt visum recipiat.) * Respondit autèm Ananias: Domi-
ne, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem:
14 * & hic habet potestatem à principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant
15 nomen tuum. * Dixit autèm ad eum Dominus: Vade, quoniàm vas electio-
nis est mihi iste, vt portet nomen meum coràm gentibus, & regibus, & filijs
16 Israel. * Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.
17 * Et abijt Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus, dixit Sau-
le frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt
18 videas, & implearis Spiritu sancto. * Et confestìm ceciderunt ab oculis eius
19 tamquàm squammæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est. * Et cum ac-
cepisset cibum, confortatus est. Fuit autèm cum discipulis, qui erant Damasci,
20 per dies aliquot. * Et continuo in Synagogis prædicabat Iesum, quoniàm hic est
21 Filius Dei. * Stupebant autèm omnes, qui audiebant, & dicebant: Nonnè
hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos, qui inuocabant nomen istud: & hùc
22 ad hoc venit vt vinctos illos duceret ad Principes sacerdotum? * Saulus autèm
multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci,*

affir-

23 *affirmans, quoniàm hic est Christus.* * *Cum autèm implerentur dies multi,*
24 *consilium fecerunt in vnum Iudæi vt eum interficerent.* * *Notæ autèm factæ*
sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autèm & portas die ac nocte, vt eum
25 *interficerent.* * *Accipientes autèm eum discipuli nocte, per murum dimiserunt*
26 *eum, submittentes in sporta.* * *Cùm autèm venisset in Ierusalem, tentabat se*
iungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus.
27 * *Barnabas autèm apprehensum illum duxit ad Apostolos: & narrauit illis quo-*
modò in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodò in Da-
28 *masco fiducialitèr egerit in nomine Iesu.* * *Et erat cum illis intrans, & exiens*
29 *in Ierusalem, & fiducialitèr agens in nomine Domini.* * *Loquebatur quoquè*
30 *gentibus, & disputabat cum Græcis: illi autèm quærebant occidere eum.* * *Quod*
cum cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum.
31 * *Ecclesia quidèm per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat*
pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti
32 *Spiritus replebatur.* * *Factum est autèm, vt Petrus dum pertransiret vniuer-*
33 *sos, deueniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ.* * *Inuenit autèm ibi hominem*
quemdam, nomine Aeneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat para-
34 *lyticus.* * *Et ait illi Petrus: Aenea, sanat te Dominus Iesus Christus: surge, &*
35 *sterne tibi. Et continuò surrexit.* * *Et viderunt eum omnes, qui habitabant*
36 *Lyddæ, & Saronæ: qui conuersi sunt ad Dominum.* * *In Ioppe autèm fuit*
quædam discipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat
37 *plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat.* * *Factum est autèm in die-*
bus illis, vt infirmata moreretur. Quam cùm lauissent, posuerunt eam in cæ-
38 *naculo.* * *Cùm autèm propè esset Lydda ad Ioppen, discipuli audientes quia Pe-*
trus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire vs-
39 *què ad nos.* * *Exurgens autèm Petrus venit cum illis. Et cùm aduenisset, du-*
xerunt illum in cænaculum: & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, &
40 *ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas.* * *Eiectis autèm*
omnibus foràs: Petrus ponens genua orauit: & conuersus ad corpus, dixit: Tabi-
41 *tha, surge. At illa aperuit oculos suos: & viso Petro, resedit.* * *Dans autèm*
illi manum, erexit eam. Et cùm vocasset sanctos, & viduas, assignauit
42 *eam viuam.* * *Notum autèm factum est per vniuersam Ioppen: & credide-*
43 *runt multi in Domino.* * *Factum est autèm vt dies multos moraretur in Iop-*
pe, apud Simonem quendam coriarium.



AVLVS autèm adhùc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, non ergò cædens, seù occidens, præsertìm quia eius potestas erat, vt subditur: *vt vinctos perduceret in Ierusalem*, vt & suprà cap.8.3.4.& infrà cap.22.4.19. & sic non apparet alios interfectos vltrà Stephanum ex Actis Apostolicis, vt animaduerti: *accessit* zelo insipienti æstuans *ad principem Sacerdotum, & petijt ab eo Epistolas in Damascum*, vbi audierat eos multiplicari, *ad Synagogas* Hebræorum, vt ei assisterent, & fauerent.

uerent, *vt si quos inuenißet huius viæ viros, ac mulieres*, fideles, Christum sequentes, *vinctos perduceret in Ierusalem* ibi puniendos. *Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco. Et subitò circumfulsit eum lux de cælo* à Iesu præsente emanans, *& cadens in terram* (non ex equo, de quo nihil) *audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?* Ecclesiam nempè meam, seruos meos? qui enim illos spernit, & persequitur, me spernit, & persequitur. *Qui dixit: quis es Domine*, potens, conterens bella? *Et ille: ego sum Iesus, quem tu persequeris*. cur non aliud? quia hoc est quod Hebræi abominabātur, hoc erat præceptum factum Apostolis ne prædicarent in nomine isto, & quia in eo Paulus persequebatur hominem, non Deum. *durum est tibi contrà stimulum* te nunc concitantem, me, qui te suauitèr reuoco, *calcitrare*, vt euadas, euadere non poteris ab hac suaui vocatione. *Et tremens, ac stupens* sic improuisò apprehensus, & actus, *dixit* adhùc in terra iacens: *Domine*, cui resistere non valeo, cui credo, me victum declaro, *quid me vis facere* promptum tibi in omnibus obsequi, & obedire? *& Dominus ad eum* dixit: *Surge* (qui deiecerat erigit) *& ingredere Ciuitatem* Damasci, *& ibi dicetur tibi quid te oporteat facere:* vult eum humilem, & ab homine discere aliqua, cætera ab eo inuisibilitèr, & per infusionem. Sed an tùnc viderit Iesum? credo quòd sic, tùm quia Ananias dixit: *qui apparuit tibi in via*, vers. 17. & Barnabas: *quomodò in via vidisset Dominum*. vers. 27. & quia de socijs. vers. 7. dicitur *neminē autèm videntes:* quod enim de illis negatur, in Paulo concedi videtur, aliòquin ad quid de illis hoc, si Paulus non includatur? & Act. 26. 13. 16. & ad quid Iesus è cælo descendisset (cominùs enim hæc facta) si nō dedisset se conspiciendum? poterat proùt Stephanus apertis cælis & Paulo apparere: & testatur Paulus se Dominum vidisse. 1. Cor. 9. 1. & 15. 8. vbi numerat se cum his, qui illum antè Ascensionem viderunt, ergò eodem modo, vt æquiparatio currat. Non Angelus fuit, quia ipsemet & Stephano visus, & dicitur: *Ego sum Iesus*, & quandò per Angelum, dicitur vt in Apocalypsi. Vidit & Dominū in stupore aliàs cap. 22. vers. 18. Non obstat, Paulus fuit cœcatus; nàm cœcitas orta postquàm Iesum vidit fulgore illo pressus. Act. 22. 11. ideò dicitur: *surrexit autèm Saulus, &c.* Non obstat suprà cap. 3. vers. 21. quem oportet quidèm cælum suscipere vsquè ad tempora restitutionis omnium, &c. quia intelligitur cum pompa omnibus videntibus; sic in Symbolo venturus est cum gloria; & Angeli. Act. 1. sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum; non autèm de particulari apparitione, vt hic, & ibi dixi. neque dicendum tùnc Christum fuisse etiàm in cælo circumscriptiuè, quia non præsumenda miracula absquè necessitate: quid enim iuuerat in duobus locis tùnc Christum circumscriptiuè esse in tàm parua mora, imò & si magna? vltrà quòd repugnare videtur potētiæ Dei, quòd vnum corpus numero sit eodem tempore in duobus locis, & magis hæreo contrariæ opinioni. *Viri autèm illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidèm vocem*, nō articulatam, sed sonum, vel bombum, & concordant dicta infrà 22. 9. & qui mecum erant lumen quidèm viderunt, vocem autèm non audierunt eius, qui loquebatur mecum, ità vt hìc dum dicitur illos vocem audisse, intelligamus de inarticulata, vt ibi stet vocem scilicèt plenè non audisse. Nec dicatur hic vocem Pauli audisse, ibi vocem Christi non audisse, nàm sermo est de visione, de principali, de stupore, quæ non concurrunt in verbis Pauli, sed Iesu apparentis, & Paulo loquentis. Vndè dicitur etiàm: *neminem autèm videntes*, intellige qui loqueretur, nec habetur ratio Pauli, quem videbant, quia agitur de visione, non Paulo. Ad hæc, *stabant stupefacti*, cur? *audientes quidèm vocem*, & stupor ex visione, ex voce Iesu, non Pauli, ob quem nullus stupor; sic contigit socijs Danielis; sic Eliseu vidit Eliam in currus igneo, non alij Prophetæ, qui stabant Iericho è contrà illos sequentes. 4. Reg. 2. 7. 12. 16. at de hoc in cap. 1. Lucæ latissimè dixi. Cur autèm soli Paulo, non socijs vox hæc articulata innotuit? quia ipsius causa hæc fiebant, non aliorum, & non sunt proijciendæ margaritæ antè porcos, & satis fuit eis lumen vidisse, &

se, & inarticulatam locutionem audisse, vt possent conuerti, & de eis testificari: reliqua enim poterant à Paulo audire, & ad fidem informari. *Surrexit autèm Saulus de terra* ad imperium Iesu. Cùm nihil de equo, de quo verisimilitèr mentio fieret, imò dicatur Paulum ad manum tractum, qui verisimilitèr equo fuisset repositus, & cadens in terram, nihil mali passus sit, verisimilitèr pedestrem deiectum: vndè pictores ex propria licentia illum addunt. *apertisquè oculis nihil videbat:* vndè cœcitas ex visione claritatis Iesu, hincquè apparet illum tùnc vidisse, & ad quid illi apparuisset, si non etiàm se conspiciendum præbuisset? aliòquin per Angelum hæc fieri poterant: hinc etiàm apparet qualis fulgor ex Christi humanitate irradians. *Ad manus autèm illum trahentes*, nedum ob cœcitatem, verum etiàm ob debilitatē ex visione: si enim Daniel emarcuit, nec habebat quidquam virium: si Iacob claudus ex visione, & tactu Angeli: si Dauid non præualuit ire ad altare nimio terrore perterritus, videns gladium Angeli Domini. 1. Paralip. 21. 30. qualis Paulus à Iesu prostratus, vocatus, tanto splendore liquefactus? *introduxerunt Damascum.* Cur hæc in Paulo? vt recognosceretur Iesus Deus omnipotens à Damascenis visuris, & quibuscumque rem à Paulo, socijsquè audituris, quam idcircò ipse sæpiùs inculcat, & patefacit: his enim signis visibilibus Iesus eum iussit vt prædicaret, & mirabilia Iesu ostenderet, & magno zelo, quo tenebatur Paulus necessariò hæc magna signa supponenda ad illum zelum prosternendum, & in contrarium immutandum; sicùt solemus lignum curuum in contrarium distorquere, & reflectere, vt dirigatur ad opus, & æqualitatem. *Et erat ibi tribus diebus non videns*, vt magìs constaret de apparitione in via, & socij eam diuulgarent, & quisque de illa cognosceret, & magis crederetur, nec putaretur aliquod accidens, & prætervolans, seù phantasma, & Iesus glorificaretur, & cognoscerent omnes viam primam Pauli iniquam, ob quam sic percussus ostenderetur. *Et non manducauit, nequè bibit*, intùs illustratus illicò cœpit conteri, & peccata sua ieiunio, & oratione (*eccè enim orat*) delinire; vndè non impotentia, sed voluntate abstentum: hìnc dilata missio Ananiæ ad ipsum, donèc vas aptaretur. Tùnc non credo contigisse raptum vsquè ad tertium cælum in paradisum, proùt dicit ipse. 2. Cor. 12. in illo triduo (antè enim certum est) quia nondum erat baptizatus, nondum edoctus, nondum Ananiam allocutus, nondum catechizatus. Insupèr ipse non refert raptum, proùt apparitionem: si enim tùnc fuisset raptus, proùt de illo ad Corinthios, itidem cum alijs dixisset. & quæ refert Lucianus innotuisse de hoc raptu, videntur alia tempora percutere. Dominus etiàm nihil de hoc Ananiæ, cui tantùm dixit de apparitione in via; Prætereà Deus non inculcat gratias, sed nostræ capacitati se accommodat. Ad hæc, erat hæc gratia insignis, de qua gloriari poterat. 2. Cor. 12. & nondum meruerat hoc nouo fauore insigniri. Nequè de raptu hoc in Paradisum potest intelligi verbum Pauli. Act. 22. 17. quia explicat ibì quid sibi dictum, quid illi responderit; at in raptu refert, in Paradiso audiuisse arcana verba, quæ non licet homini loqui: quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Vndè resoluendum, non esse dubitandum de raptu, cùm habeamus eius testimonium; at incertum tempus illius, de quo tamèn vide Cardinalem Baronium in Annal. anno Domini 44. & Interpretes in 2. Cor. 12. quorum aliqui volunt octauo anno suæ conuersionis, quo cum Barnaba missus est, id contigisse. *Erat autèm quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. at ille ait: eccè ego, Domine.* sic & Samuel monēte Heli respondit. *& Dominus ad eum* per Angelum: *Surge, & vade in vicum, qui vocatur rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem:* hæc patria Pauli ex Iesu, & Paulo, qui dicit se Tarso oriundum. Locum hospitij apud suum Tarsensem designat, non quo tenerentur Hebræi, quia nullibi tùnc vsus ille, cùm nedum non despiceretur populus Hebræus, sed magnifieret, quidquid Romæ fieret, vbì captiui. *Eccè enim orat:* non minatur, non cædit, non captiuat, ad carceres non ducit: quantum profuit deiectio. obseruat

seruat Deus orantes, vt in Tobia, & Sara, & Centurione infrà. (*Et vidit* imaginatiuè ex reuelatione, quia nondum Ananias Paulum conuenerat, *virum Ananiam nomine, introeuntem* ad eum, *& imponentem sibi manus:* eccè vsus antiquus in patrandis miraculis, & Christi: *vt visum recipiat*) *Respondit autèm Ananias: Domine, audiui à multis de viro hoc quanta mala fecerit Sanctis tuis,* Christianis *in Ierusalem.* suprà c.8. 3. *& hic habet potestatem à principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.* igitur, quæso Domine, quomodò hæc fient? non recusat, sed proponit difficultatem, vt intelligat modum; sic Maria: quomodò. Lucæ 1. & Abraham quomodò. Gen. 15. *Dixit autèm ad eum Dominus: vade, quoniàm vas electionis est mihi iste,* vas electum perficiendum, quem segregaui ab vtero matris, & vocaui. Gal. 1. *vt portet nomen meum coràm gentibus, & Regibus, & filijs Israel* cumulatiuè, quia & alij ad gentes, & Petrus præsertìm, vt in Centurione infrà cap. 15.7. etsi, vt ille dicit, plus in his laborauerit, vt Doctor Gentium dici meruerit, & sic vas electionis constitutum à Domino, vt hic. *Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati:* poterat dicere Ananias, Domine, quomodò est tutum negocium, retrocedet is, cùm viderit tribulationes, quibus anguntur serui tui; at ille: præmuniam, reddam illum cautum, & scientem, ne turberis hac de causa. *Et abijt Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas,* ergò (vt dixi) descendit Dominus visibilis in via: id autèm intelligere potuit Ananias nedum à Domino, à quo sciuit, quamuis non exprimatur, sed & per relationem à Paulo, vel suis: *vt videas* lumen, *& implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquàm squammæ, & visum recepit,* quod Paulum recreauit: qualis enìm cœcitas, habetur ex Tobia cap. 5. 12. *Et surgens, baptizatus est* absquè mora. Cur antè baptismum visus, & alia? vt suo libero arbitrio vteretur in baptismo postèa recipiendo, ne vi adactus censeretur, & vt hilariùs baptizaretur; non recepit autèm nomen Pauli in baptismo, etsi Apostolus designatus, cùm de hoc nullum verbum, de quo tamèn vti exemplo insigni mētio fieret, proùt in Petro, & alijs, & ipsemet fidus relator gratiarum receptarum edixisset, sed quia esset binomius, vti Matthæus, qui & Leui: ideò infrà c.13.9 dicitur Saulus, qui & Paulus. *Et cùm accepisset cibum, confortatus est. Fuit autèm cum discipulis, qui erant Damasci,* fidelibus, credentibus, *per dies aliquot. Et continuò in Synagogis prædicabat Iesum, quoniàm hic est Filius Dei.* hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. *Stupebant autèm omnes qui audiebant,* non cogitantes hanc mutationem esse à dextera excelsi, *& dicebant: nonnè hic est* Saulus, *qui expugnabat in Ierusalem eos, qui inuocabant nomen istud,* quod nùnc ipse tanto feruore prædicat: *& hùc ad hoc venit* missus auctoritate recepta, *vt vinctos illos duceret ad principes Sacerdotum,* illic puniendos? *Saulus autèm multo magìs conualescebat* in sua prædicatione, *& confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci* (nondum enim ad Gentiles) *affirmans quoniam hic* Iesus *est Christus,* Messias à Deo missus, nec alius expectandus. *Cùm autem implerentur dies multi* prædicationis Pauli, ità vt ægrè ferrent Iudæi, *consilium fecerunt in vnum Iudæi vt eum interficerent. Nota autèm facta sunt Saulo insidiæ eorum* quærentium illum ad necem ex Dei misericordia suis subuenientis. *custodiebant autèm & portas die, ac nocte,* ne euaderet, *vt eum interficerent.* hæc dixit vt appareat de periculo, & gloria Dei illum de manibus eorum eripientis. *Accipientes autèm eum discipuli,* credentes, *nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.* 2. Cor. 11. 32. An hoc consilium de Saulo interficiendo, & fuga Damasci nùnc contigerit, antequàm ad alia loca diuerteret? credo absolutè ex contextu: continuat enìm ab eius baptismo quid Damasci fecerit, Damascenorum stuporem, confusionem Iudæorum, qui erant Damasci, qui tandèm non valentes ei respondere, seù resistere, confugerunt ad remedium prauum aliorum, qui idem tentarunt contrà Apostolos, & exequuti sunt contrà Stephanum,

phanum: si enim priùs Paulus diuertisset ad alia loca, dixisset Lucas, eius itinera prosecutus, etsi non ex ordine, quia antè Ierusalem petijt Arabiam ad Gal. 1. 17. Nec obstant verba, *dies multi:* nàm & suprà dixerat fuisse *cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot,* nondum docens; & quia licèt dicat, *dies multi*, tamèn loquitur continuatiuè. An autèm fuga lapsus (de qua & 2. Cor. 11. 33.) petierit Ierosolymam, vel Arabiam, est magna difficultas, & secundùm hunc contextum videtur statim petijsse Ierusalem: Sed obstat quod ipse dicit ad Gal. 1. 17. neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos; at ibi sermonem habet de promulgatione euangelij, & verè quandò petijt Ierosolymam nùnc Damasco fuga lapsus, non fuit ad effectum promulgandi Euangelium, vel videndi Petrum, sed euadendi, quod etiam suadetur, quia Barnabas, vt reciperetur Saulus ab alijs, testificatus est quomodò in via vidisset Dominum, & quia loquutus est ei, & quomodò in Damasco fiducialitèr egerit in nomine Iesu, quæ attestatio est de recentibus, & si triennium fuisset elapsum, hæc sola non commemorarentur, neque verisimilitèr hæc ignota fuissent, neque vitassent eum non credentes quòd esset discipulus, quæ recentiora pertingunt: elapso enim tempore clarificabant Deum supèr eius conuersione ad Gal. 1. 23. 24. & licèt ignotus facie, quia parùm in Ierusalem tùnc substitit. Vel in Epist. ad Gal. nititur Paulus ostendere se non ab homine, sed à Iesu Christo Euangelium didicisse; & quia aduentus in Ierusalem ex fuga Damasci non inseruiebat suæ intentioni, & permansit ibi paucis diebus, nouas passus insidias vers. 29. ideò ne dicerent Galatæ, ergò ab Apostolis recepisti, omittit profectionem in Ierusalem, & meminit è Damasco in Arabiam Euangelium promulgaturus perrexisse, & ex Arabia iterum in Damascum, & indè Ierosolymam petijsse. Vel ostendit in ea Epistola se missum à Christo euangelizaturum gentibus, vt autèm id præstaret, non motum fuisse carne, & sanguine, idest, affectu carnali, ne Iudæis in tot periculis euangelizaret, quod & Act. 26. 20. sed profectum esse in Arabiam ad gentes edocendas illicò: proptereà nullam mentionem facit accessus huius in Ierusalem ex fuga, quia illa fuit prætèr intentionem, & contrà destinationem animi sui, & quia parùm ibi stetit, neque euangelizauit, vel parùm, quod non computatur; & aduertendum, quòd ab Ierusalem Cæsaream, exindè Tarsum petijt, vt hoc cap. & ibi facillimè rogatus à suis vt remaneret, non acquieuit carni, & sanguini, sed abijt in Arabiam, vt ad Gal. 1. 7. & posteà secessit Tharsum, vbi inuentus à Barnaba, & ductus Antiochiam cap. 11. 25. & indè iterum in Ierusalem cum Barnaba vers. 30. Prætereà ad quid Lucas adnecteret fugam à Damasco fugæ Ierusalem, si hæc non essent continuata? præsertim quia postmodum dimittit Paulum, & reuertitur ad Petrum: si enim quæ Pauli pòst triennium contigissent, non erant præponenda præsentibus Petri; Nec dicatur, si semèl aufugit è Damasco, non aduentasset illùc iterum: nàm id clarè dicit ad Gal. 1. 17. & iterum reuersus sum in Damascum, & exemplis constat secùs factum, vt in Moyse redeunte in Aegyptum, Christo in Iudæam, & Ierusalem, in Apostolis in Ierusalem, qui inuitis & contradicentibus magistratibus prædicabant, & ipsemet Paulus, qui è Ierusalem aufugit, & iterum ad eamdem reuersus est, & qui à Lystris, iterum illùc infrà cap. 14. & 16. Hæc sic aliàs dicebam; sed interpretans Apostolum ad Galatas cognoui hæc non subsistere, & mutaui sententiam. Vndè dicendum è Damasco in Arabiam profectum esse, non in Ierusalem, vt ibi tenui, respondens his, quæ hìc commemoraui, & ibi dictis adde, Barnabam de illo tempore non cognouisse Paulum, vt potuerit de illo testificari, vt hìc vers. 27. Item inuerisimile Paulum, qui litteras receperat à Iudæis in Ierusalem contrà Christianos, fugatus ob suam conuersionem è Damasco à Iudæis in Ierusalem, in maiora pericula se coniecisse, & verisimile in Arabiam secessisse locum minoris periculi, vel nullius. *Accipientes autèm eum discipuli* qui erant Damasci, non Pauli, qui nullos ibi adhùc congregasse legitur, vel duxisse in fuga. *Cùm autèm venisset in Ierusalem, tentabat se iun-*

se iungere discipulis, *& omnes timebant eum*, *non credentes quòd esset discipulus:* ideo hoc fuit in principio, & in eo mœtu nō potuit litteris Ananiæ commendari: alio verò tempore, quandò pòst triennium Ierosolymam repetijt, non indigebat aliorum commendatione, vel Barnaba duce, & teste, & timor discipulorum magis aptatur huic tempori, quàm alteri, quod & probatur verbis Pauli ad Gal. 1. 23. 24. Hæc non subsistunt iuxtà præmissa, sed contigerunt pòst profectionem Arabicam; & triennium ad Gal. 1. vbi dixi. *Barnabas autèm apprehensum illum duxit ad Apostolos*, testificans de illius conuersione, *& narrauit illis quomodò in via uidisset Dominum, & quia locutus est ei & quomodò in Damasco fiducialitèr egerit in nomine Iesu*. *Et erat* pòst testimonium Barnabæ *cum illis intrans*, *& exiens*, operans quæ illi *in Ierusalem*, *& fiducialitèr agens in nomine Domini*, illum euangelizando. *Loquebatur quoquè Gentibus*, *& disputabat cum Græcis*, quasi eos confundens doctrina sua, non conuertens, quia nondum tempus erat, vel hi erant professione Hebræi alibì habitantes. *Illi autèm quærebant occidere eum* alia vice, qua fuit in Ierusalem, non hæc, sed maiora passus, & acerbiora, ideò hæc ad hoc tempus, quia videbant eum ad castra inimicorum defecisse, & stare pro ipsis intrepidum, quem contrà illos miserant litteris munitum, quod ad aliud tempus pòst triennium trahi non potest, quia hæc memoria elabuntur; at hæc reducenda vt suprà, & tenendum Arabicam profectionem præcessisse & fortè dum prædicabat Gentibus, erat illis ostium apertum, & Lucas hæc anticipatè scripsit. *Quod cùm cognouissent fratres*, Saulum scilicèt quæri ad necem, *deduxerunt eum* occultè *Cæsaream*; *& dimiserunt Tharsum* patriam suam. *Ecclesia quidèm per totam Iudæam*, *& Galilæam*, *& Samariam habebat pacem* Paulo iàm cōuerso vers. 31. *& ædificabatur*, crescebat, *ambulans in timore Domini*, *& consolatione sancti Spiritus replebatur:* is enim confortabat corda fidelium. Vis videre de hac fuga Pauli è Damasco per sportam dimissi in Ierusalem agi, quia describitur pax, & ædificatio Ecclesiæ per Iudæam, Galilæam, & Samariam, quæ respiciunt principium Euangelici seminis, cùm nondum ad gentes peruenisset verbum, quia & de illis mentio aliqua fieret, & ex ordine apparet postea Petrum ad gentes vocatum; At hic intellectus vacillat, non tamèn quòd ostium apertum ex iàm dictis, & tentis Gal. 1.

Factum est autèm, vt Petrus dum pertransiret uniuersos, euangelizando, vel visitando, *deueniret ad sanctos*, Christianos, *qui habitabant Lyddæ*, *inuenit autèm ibì hominem quendam nomine Aeneam ab annis octo iacentem in grabato*, *qui erat paralyticus;* narrat infirmitatem diuturnam, vt appareat de maiori miraculo. *Et ait illi Petrus: Aenea, sanet te Dominus Iesus Christus:* non refert, an in prima, vel tertia persona verba proferantur, sed hæc in tertia videntur magis virtutem sanitatis Christo attribuere; hinc de formis baptismi: baptizo, & baptizetur. Non requirit ab Aenea fidem, quia Lyddæ aderant sancti, vt dicitur, & de facili Aeneas baptizatus erat: Petrus enìm visitabat regiones iàm Christo quæsitas, & nomen huius notum fortè erat: ideò Petrus illum proprio nomine vocauit; sic Paulus non quæsiuit fidem, sed cognouit. infrà cap. 14. 18. Vel Deus fidem infudit, & chatechizauit, proùt Christus sanabat nedum in corpore, sed & in anima. *Surge*, *& sterne tibi* absquè ministro, *& continuò surrexit*, *Et viderunt eum omnes*, *qui habitabant Lyddæ*, *& Saronæ*, *qui* ex miraculo *conuersi sunt ad Dominum*.

In Ioppe autèm fuit quædam discipula, Christiana, *nomine Thabitha*, *quæ interpretata dicitur Dorcas: hæc erat plena operibus bonis*, *& eleemosynis*, *quas faciebat*, hinc eius laus, & adiutorium. *Factum est autèm in diebus illis*, *vt infirmata moreretur* in Domino. *Quam mortuam cùm lauissent* de more, *posuerunt eam in cænaculo*. *Cùm autèm propè esset Lydda ad Ioppen*, *Discipuli*, Christiani, *audientes quia Petrus esset in ea*, Ioppe, *miserunt duos viros ad eum*, *rogantes: ne pigriteris venire vsquè ad nos*. non reuelant ad quid, ne fortè detrectaret. *Exurgens autèm Petrus*, *venit cum illis*. *Et cùm aduenisset*, *duxerunt illum in cænaculum*,

lum, vbi iacebat mortua Tabitha, ***& circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas***. Eccè quomodò bonum consilium Domini: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. seruit hoc miraculum pro arrha. ***Eiectis autèm omnibus foràs:*** sic Eliseus, Elias, Christus paucis retentis in filia Archisynagogi. ***Petrus ponens genua orauit*** Dominum, ***& conuersus ad corpus***, cadauer, ***dixit: Tabitha, surge***. nomen audierat à circumstantibus sanctis, & viduis, quæ illam nominabant. ***At illa aperuit oculos suos; & viso Petro***, quasi in eum respiciens excitantem virtute Dei, ***resedit*** obediens. ***Dans autèm illi manum*** Petrus, proùt Dominus cum supradicta, vt appareret quis id faceret, ***erexit eam. Et cùm vocasset sanctos***, Christianos, ***& Viduas, assignauit eam viuam*** ambulantem, & omnia vitalia operantem. ***Notum autèm factum est per vniuersam Ioppen, & crediderunt multi in Domino:*** eccè effectus miraculi. ***Factum est autèm vt dies multos moraretur*** Petrus ***in Ioppe apud Simonem quendam Coriarium***. hoc dicit seruiens ad caput sequens.



CAPVT X.



1 *IR autèm quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius,*
2 *Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, * religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas*
3 *multas plebi, & deprecans Deum sempèr: * is vidit in visu manifestè, quasi hora diei nona, angelum Dei intro-*
4 *euntem ad se, & dicentem sibi, Corneli. * At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine?*
Dixit autèm illi: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam
5 *in conspectu Dei. * Et nùnc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quen-*
6 *dam, qui cognominatur Petrus: * hic hospitatur apud Simonem quendam coria-*
7 *rium, cuius est domus iuxtà mare: hic dicet tibi quid te oporteat * facere. * Et*
cum discessisset angelus, qui loquebatur illi, vocauit duos domesticos suos, &
8 *militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant. * Quibus cum narras-*
9 *set omnia, misit illos in Ioppen. * Postera autèm die iter illis facientibus, &*
appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora vt oraret circà horam
10 *sextam. * Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autèm illis, cecidit supèr*
11 *eum mentis excessus: * & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam,*
12 *velut linteum magnum, quattuor initijs submitti de cælo in terram, * in quo*
13 *erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli. * Et facta est*
14 *vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. * Ait autem Petrus: Ab-*
15 *sit Domine, quia numquàm manducaui omne commune, & immundum.* * Et
vox iterum secundò ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.
16 ** Hoc autèm factum est per ter: & statim receptum est vas in cælum. * Et*
17 *dum intrà se hæsitaret Petrus quidnam esset visio, quam vidisset: eccè viri,*
qui

qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad ianuam.
18 * Et cùm vocassent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic
19 haberet hospitium. * Petro autèm cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Eccè
20 viri tres quærunt te. * Surge itaquè, descende, & vade cum eis nihil dubi-
21 tans: quia ego misi illos. * Descendens autèm Petrus ad viros, dixit: Eccè ego
22 sum, quem quæritis: quæ causa est, propter quam venistis? * Qui dixerunt:
Cornelius Centurio, vir iustus, & timens Deum, & testimonium habens ab
vniuersa gente Iudæorum, responsum accepit ab angelo sancto accersire te in do-
23 mum suam, & audire verba abs te. * Introducens ergò eos, recepit hospitio.
Sequenti autèm die surgens profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ab
24 Ioppe comitati sunt eum. * Altera autèm die introiuit Cæsaream. Cornelius
25 verò expectabat illos, conuocatis cognatis suis, & necessarijs amicis. * Et fa-
ctum est cùm introisset Petrus, obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes
26 eius adorauit. * Petrus verò eleuauit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum.
27 * Et loquens cum illo intrauit, & inuenit multos, qui conuenerant: * dixitquè
28 ad illos: Vos scitis quomodò abominatum sit viro Iudæo coniungi, aut accede-
re ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immun-
29 dum dicere hominem. * Propter quod sinè dubitatione veni accersitus. Interro-
30 go ergò, quam ob causam accersistis me? * Et Cornelius ait: A nudiusquarta die
vsquè ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & eccè vir stetit
31 antè me in veste candida, & ait: * Corneli, exaudita est oratio tua, & elee-
32 mosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. * Mitte ergò in Ioppen, & ac-
cersi Simonem, qui congominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coria-
33 rij iuxtà mare. * Confestim ergò misi ad te: & tu benè fecisti veniendo. Nunc
ergò omnes nos in conspectu tuo adsumus audire omnia quæcumque tibi præcepta
34 sunt à Domino. * Aperiens autèm Petrus os suum, dixit: In veritate comperi
35 quia non est personarum acceptor Deus, * sed in omni gente qui timet eum &
36 operatur iustitiam, acceptus est illi. * Verbum misit Deus filijs Israel, annun-
37 cians pacem per Iesum Christum: (hic est omnium Dominus.) * Vos scitis quod
factum est verbum per vniuersam Iudæam: incipiens enìm à Galilæa pòst ba-
38 ptismum, quod prædicauit Ioannes, * Iesum à Nazareth: quomodò vnxit eum
Deus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo, & sanando om-
39 nes oppressos à diabolo, quoniàm Deus erat cum illo. * Et nos testes sumus om-
nium, quæ fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem, quem occiderunt suspen-
40 dentes in ligno. * Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum
41 fieri * non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo: nobis, qui manducaui-
42 mus, & bibimus cum illo postquàm resurrexit à mortuis. * Et præcepit nobis
prædicare populo, & testificari quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex vi-
43 uorum, & mortuorum. * Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remis-
44 sionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. * Adhùc
loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus supèr omnes, qui audiebant

45 *verbum. * Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro:*
46 *quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. * Audiebant enim illos lo-*
47 *quentes linguis, & magnificantes Deum. * Tunc respondit Petrus: Numquid*
aquam quis prohibere potest vt non baptizentur hi qui Spiritum sanctum accepe-
48 *runt sicut & nos? * Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi:*
Tunc rogauerunt eum vt maneret apud eos aliquot diebus.



IR autèm quidā erat in Cæsarea nomine Cornelius, Cẽturio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timẽs Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum sempèr, præmittit laudes huius, vt appareat vndè mutatio, & fides. *Is uidit in uisu manifestè, quasi hora diei nona, Angelū Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli. At ille intuens eum, timore correptus* ex Angeli prima visione, *dixit, quid est Domine?* quid à me petis? *Dixit autèm illi* Angelus: *orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* eccè centuplum eleemosynæ, conuersio, gratia, non temporalia, vt tenui in Euangelio; eccè nos reliquimus omnia; sic in memoria Dei peccata hominum ad illa punienda; sic de Sodomis, Babylone in apoc. & est sermo ad similitudinem hominum; sic Gen. 8. recordatus autèm Dominus Noe, &c. vbi dixi: Cur Paulo Christus, Centurioni Angelus? quia Paulus nedum conuertendus, sed mittendus ad gentes, quibus posset dicere à Christo accepisse, de cuius etiàm resurrectione testari debuerat: ideò meminit horum ad Gal. 1. & 1. Cor. 15. difficilior etiàm erat Pauli conuersio in totum alieni, & aduersantis, quæ non concurrebant in Centurione, ni mirum si Paulo Christus, huic Angelus. *Et nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur. Petrus;* sic ad Eunuchum in patriam redeuntem Philippus missus.

At cur non is Cornelius mittitur ad Petrum potiùs, quàm Petrus ad ipsum? Primò, quia hoc opus erat maximi momenti, nempè aperitio portæ ad Christum gentilibus, & commistio, & communio gentilium cum Iudæis, quæ Petro ad Centurionem adeunte meliùs, quàm è conuerso successit, & hæc omnia voluit Deus esse nota, & aperta, vt euangelizantes scirent, & ad gentium conuersionem se accingerent; & ne inuentio Petro imputaretur, Spiritus sanctus & Centurionem vocare, & Petrum accedere iussit: Petro enim huius accessus ratio reddenda fuit. Secundò, quia magna fienda conuersio nedum Centurionis, sed & suorum, & aliorum in illa ciuitate, in qua Petrus pluribus diebus permansit, & quod plus est, quia casurus erat supèr credentes visibilitèr Spiritus sanctus, vt appareret omnibus gratiam in gentiles diffusam ex signo cælesti, & visibili, proùt iàm in Iudæos. Tertiò, quia missio propriè ad prædicantes; quomodò prædicabunt, nisi mittantur? Rom. 10. *Hic hospitatur apud Simonem quendam Coriarium, cuius est domus iuxtà mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere,* rectè Petrus ad Coriarium, pelles antiquas ablaturus à gentibus; ideò *occide & manduca:* & compositurus. Cur non dicit Angelus quid faciendum? quia cura hæc Apostolis, & hominibus demandata, non Angelis. *Et cùm discessisset Angelus, qui loquebatur illi, uocauit duos domesticos suos* (illicò obedit) *& militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant,* in quibus confidebat. *Quibus cùm narrasset omnia,* quæ ab Angelo audierat, *misit illos in Ioppen* ad Petrum. *Postera autèm die iter illis facientibus, & appropiuquantibus Ciuitati, ascendit Petrus in superiora vt oraret, circà horam sextam: & cùm esuriret* corporalitèr non spiritualitèr, quia subdit, *voluit gustare,* edere, sic capitur communitèr apud nationes, quæ vtuntur gustare pro esu, vt apud Foroiulienses, esurit & Christus in deserto pòst ieiunium. *Parantibus autèm*

autèm illis, cecidit supèr eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, vt clarè cognosceret è cælo hæc iuberi, & descendere, eaquè vera, non phantastica; *& descendens vas quoddam, velut linteum magnum* statum Ecclesiæ designans contenturum quadrupedia, serpentia, volatilia, omne genus hominum gentilium his animalibus comparatorum Rom. 1. 23. proùt sagena de omnium piscium genere congregans, *quattuor initijs*, de quattuor mundi partibus cógregandorum *submitti de cælo in terram, in quo erãt omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: surge Petre, occide, & manduca* spiritualitèr. *Ait autèm Petrus: absit Domine, quia numquàm manducaui omne commune, & immundum*, quæ prohibita à lege Moysis. vox loquebatur de gentilibus, & spiritualitèr, Petrus de cibis, & corporalitèr, quod posteà declarauit ei Deus infrà vers. 29.& 34.ex consequentibus.in simili Ezech. 4. 14. A à à, Domine Deus, eccè anima mea non est polluta, & morticinum, & laceratum à bestijs non comedi ab infantia mea vsquè nũnc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda. Sed an anteà hæc immunda? & quidèm pòst diluuium, quo tempore carne vesci licuit, nihil exceptum Gen. 9. 4. quòd autèm secùs in sacrificijs ex traditione, est diuinatio, & si fuisset, mentio de his fieret, proùt de circuncisione ex patribus, & Deus non adeò prolixè hæc in lege Moysi præscripsisset, & lex fuit inuentio noua ad retinendos animos populi in obsequium Dei, quod remedium antè non extabat, vel non constat extitisse, eo magis quia hæc ceremonialia, non substantialia, & non natura, sed lege immunda; tamèn Gen. 8. 20. Noe obtulit de mundis, ibì vide. Petrus obijcit, ignorans gentilitatem recipiendam; sic Ananias suprà cap. 9. ignorans Pauli mutationem: non defecerunt hi in fide, sed prudentia vsi sunt in his suspectis: non sic Zacharias mutus redditus, qui non credidit Angelo clarè nuncianti. *Et vox iterum secundò ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris*, potens est Deus de lapidibus istis gentilium suscitare filios Abrahæ credentes, proùt ex Hebræis. *Hoc autèm factum est per ter* ad firmitatis inditium. Gen. 41. 32. *Et statìm receptum est vas in cælum*, vt constaret Petro rem esse cælestem, quæ fiebat. *Et dum intrà se hæsitaret Petrus quidnam esset visio hæc: eccè viri, qui missi erant à Cornelio inquirentes domum Simonis* Coriarij, *astiterunt ad ianuam*. quomodò Deus omnia rectè vnit, & opportunè combinat; sic in Tobia, & Sara Tob. 3. *Et cùm vocassent*, acclamassent, *interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illìc haberet hospitium. Petro autèm cogitante de visione, dixit spiritus*, Angelus scilicèt, vel Spiritus sanctus, *ei: eccè viri tres quærunt te; surge itaquè, descende*, occurre, *& vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos*, meum est negocium; sic & dubitanti Ioseph occurrit Angelus; quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. *Descendens autèm Petrus ad viros, dixit: eccè ego sum*, quem quæritis: *quæ causa est, proptèr quam venistis?* ignorabat Petrus, qui hæsitauerat supèr visione, & Spiritus, qui apparuerat, non dixerat quales hi essent, sed tantùm vt iret cum illis; *qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir iustus, & timens Deum, & testimonium habens ab vniuersa gente Iudæorum*, (hæc præmittunt ad notitiam mittentis dandam, & illum magis mouendum) *responsum accepit ab Angelo sancto accersire te in domum suam, & audire verba abs te*, quid facere debeat. *Introducens ergò eos, recepit hospitio* (eccè charitas Petri) *sequenti autèm die surgens profectus est cum illis, & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum:* hos voluit Deus testes pro Petro ad gentes eunte, easquè admittente. *Altera autèm die introiuit Cæsaream. Cornelius verò expectabat illos, conuocatis cognatis suis, & necessarijs amicis*, vt & ipsi participes fierent tantæ gratiæ, proùt Andreas, & Philippus cum Petro, & Nathanaele. Io. 1. *Et factum est cùm introisset Petrus* in Cæsaream. Vide quanta ad mouendum Petrum ad gentiles. habuit priùs visionem, dictum sibi vt iret ad Centurionem, relationem factam Centurioni, & omnia simùl consentanea. *Obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit:* credo non ado-


rasse Petrum latria, vel vti Deum, vel vti Angelum, sed veneratum illum esse vti hominem sanctum, & iustum, ad quorum pedes solemus adorabundi, seù venerabundi procidere, nosquè prosternere, proùt fratres Ioseph. reputauit verò illum talem, quia cognitus nomine, & hospitio ab Angelo, quia datus sibi in doctorem, quia cognoscebat multum ei debere ob suum aduentum, proùt Areuna Dauid. 2. Reg. 24. sicuti enim horum rationem habuit Centurio ex verbis Angeli, & ex causis prædictis procidit ad pedes, & adorauit, quod & homini aptatur, sic ex eisdem sciuit eum hominem, nempè *Simonem quendam, qui cognominatur Petrus, hic hospitatur apud Simonem quendam Coriarium. hic dicet tibi quid te oporteat facere*, & ideò vti homini obuiauit; vidit secum nuncios suos, quos miserat. & si Angelum apparentem sibi non adorauit, quomodò Petrum, quem (indicante Angelo) Angelo reputauit minorem, vel reputare debuit ex verbis Angeli? & si vnum Deum adorabat. vers. 2. & 22. quomodò transtulit diuinos honores in hominem, quod erat Ethnicorum vitium Deum non cognoscentium? & quomodò volumus actus adeò solemnes, visiones hìnc indè factas, tot memorabilia grauissimo peccato miscere, Deo his omnibus adstante, ducente, gubernante? diuinatiuum est quòd in Petro esset splendor, quo motus Centurio, eum adorauerit: nullibi enìm de illo. *Dum ergò Petrus eleuauit eum*, & dixit: *Surge, & ego ipse homo sum*, humanitate rependit, quod vrbanitate receperat, vult dicere humilians se Centurioni, non sum dignus tanto honore, seù tantum honorem à te nolo recipere, sum tibi æqualis. sunt igitur verba humiliantis se, & honorem Centurioni viro insigni referentis, cum quo illicò *loquens intrauit*. quòd si Petrus intellexisset, (& quidèm intellexisset, si verum) se adorari, vt Deum, excanduisset, vestes dilacerasset vti Paulus, & Barnabas diuinis honoribus, & nominibus ab Ethnicis decorati. Act. 14. 13. sic Ioannes Baptista refugit se existimari Messiam. Io. 1. Luc. 3. Matth. 3. Marc. 1. Similitèr dum Ioannes voluit adorare Angelum. Apoc. 19. 10. & 22. 8. id faciebat Ioannes non ob splendorem illius, cùm alios vidisset, & allocutus esset, sed in signum gratitudinis, cùm tanta ab eo edoctus esset, fassus se maximè ei deuinctum. ideò Angelus honorem repellit, & in Deum suadet referri, dicens: Deum adora, & inuerisimile est Ioannem Latria adorare voluisse, & peccatum adeò magnum perpetrasse, & hoc permisisse Deum tùnc reuelantem ei secreta sua, erat ergò licita adoratio Ioannis, sed hanc nequè voluit Angelus à Ioanne, vt dixi cap. 22. Apoc. non quòd latria adoraretur, sed ex alijs rationibus, vt ibi, aliòquin quid non exprobrasset Angelus sic adorare volenti, si Zachariam sibi non credentem percussit taciturnitate? si Agrippam nō dantem Deo honorem, morte? Non videtur ergò posse dici Angelum recusasse adorationem, quia versamur in testamento nouo, nàm non generalitèr, sed strictè ad Ioannem, & testimonium Iesu habentes, & prophetas. Apoc. 19. 10. & 22. 9. recusauit. nequè etiàm ratione virginitatis Ioannis, vel quia caro humana in cælum assumpta, vel alijs de causis, quæ sicùt non dicuntur ab Angelo, nequè nos debemus diuinare. *Et loquens cum illo intrauit* in domum Centurionis, *& inuenit multos, qui conuenerant*, vocatos. *dixitquè ad illos* Petrus: *vos scitis quomodò abominatum sit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam*, gentilem. Sed nonnè Petrus nouerat à Domino dictum: eritis mihi testes, &c. & vsquè ad vltimum terræ? nonnè ipsemet dixit, referens Isaiam suprà cap. 2. Et erit: omnis, quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit? nonnè dixerat Dominus: euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ? at nondum Apostoli id intellexerant. *Sed mihi ostendit Deus* in visione *neminem communem, aut immundum dicere hominem*, licere: *proptèr quod* Deo obediens *sinè dubitatione* vlla *veni* ad vos Gentiles *accersitus* à nuncijs Centurionis. *Interrogo ergò, quam ob causam accersistis me?* etsi ex visione, & nuncijs cognouisset, tamèn prudentèr agit, scire volens ex ore ipsorum, ne æstimaret quis, præcedentia ignorans, vltrò ipsum accessisse, & vt tutiùs negocium agat. *Et*

Corne-

Cornelius ait: à nudius quarta die vsquè ad hanc horam, qua tecum loquor, ò Petre, *orans eram hora nona in domo mea, & eccè vir*, Angelus *stetit antè me in veste candida*, fulgente, *& ait: Corneli, exaudita est oratio tua*; sic & cum Zacharia. *Et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei*; sic de Tobia, & Sara. Tob. 3. *Mitte ergò in Ioppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, hic hospitatur in domo Simonis Coriarij iuxtà mare.* refert singula vt appareant omnia vniformia relatis à nuncijs. *Confestim ergò misi ad te, & tu benè fecisti veniendo* ex tua humanitate. Ex his ergò voluit Petrus apparere se vocatum ex ore Centurionis. *Nunc ergò omnes nos* hìc congregati *in conspectu tuo adsumus audire*, & suscipere, exequi *omnia quæcumque tibi præcepta sunt à Domino. Aperiens autèm Petrus os suum*, à quo omnes pendebant, *dixit: In veritate comperi*, experientia noui quod sciebam, *quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*, hoc est, vocat, & trahit eum ad veritatem, dicit S. Io. Chrys. 1. Cor. 3. orat. 8. col. 3. supèr illis verbis, cùm enìm fuerit, &c. & hoc est sacramentum absconditum, nùnc reuelatum, de quo Paulus in omnibus epistolis. *Verbum* (paucis explicat Petrus vitam Christi in terris) *misit Deus filijs Israel*, iàm promissum, quod non contigit Gentilibus, pro quibus tamèn saluandis venit, proùt pro Hebræis, *annuncians pacem per Iesum Christum*, qui dicitur pax nostra, qui fecit vtraque vnum. *hic est* enìm *omnium Dominus*, pacificans quæ in cælis, & quæ in terris, & vniens populos, Hebræum, & Gentilem. dixit Natiuitatem, *verbum misit, &c.* ad quid missus? ad pacem *annuncians pacem.* nùnc prædicationem: *Vos scitis* (erant hæc in ore omnium, nec poterant negari, vel dissimulari) *quod factum est verbum*, seminatum est *per vniuersam Iudæam: incipiens enìm à Galilæa pòst baptismum, quod prædicauit Ioannes, Iesum à Nazareth:* is enìm annunciatus, & manifestus redditus. *quomodò vnxit eum Deus spiritu sancto, & virtute.* Sed cur vnctus? credo sic dici, quia Spiritus sanctus nó dedit substantiam suam humanitati Christi, quam efformauit ex purissimis Mariæ sanguinibus, quia solus filius secunda persona in diuinis incarnatus est, sed dedit dona omnia, quæ capere potuit: ideò vtitur verbo vnctionis, seù linitionis: Gesta eius; *qui pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniàm Deus erat cum illo* hypostatica vnione. Testes. *Et nos* Apostoli *testes sumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem*, sic electi act. 1. Mortem. *quem occiderunt* Iudæi *suspendentes in ligno* crucis. Resurrectionem. *Hunc Deus suscitauit tertia die.* Manifestationem. *Et dedit eum manifestum fieri, non omni populo*, quia iàm non erat mortalis, vt cùm omnibus conuersaretur, proùt antè mortem. *Sed testibus præordinatis à Deo, nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo postquàm resurrexit à mortuis*, ità vt non possimus decipi. Prædicationem Apostolorum. *Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum*, vt omnes in eum credant, & procurent in iudicio illum habere propitium; & prædicando iudicem, simul & prædicatur resurrectio, quia si non resurrexisset, nec poterat id facere. de vltimo autèm Iudicio meminit, proùt Christus sæpè ad terrendos auditores, proùt Festum Paulus; sed vt magis inflammentur ad fidem, subdit saluari in eum credentes, qui erat scopus Petri pòst vitam Christi enarratam, quod omnium prophetarum testimonio comprobat, vt solidius reddat. *Viuorum* nunc, *& mortuorum:* nàm omnes moriuntur. statutum est hominibus semèl mori; omnes quidèm resurgemus, dicit Palus, ergò priùs omnes mortui, nàm non mortuis non datur resurrectio, duo tantùm ad tempus reseruati tempore Antichristi, Enoch, & Elias, qui tamèn mortem delibabunt, & resurgent. Apoc. 11. facit quia plicabitur cælum. Apoc. 6. 14. & ad nullum vsum seruiet, cessante verò motu, omnia corruēt: ideò omnes necessariò peribunt. *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum*, saluari omnes in illo, in quo solo salus, qui

omnium.


omnium peccata deleuit. *Adhùc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus supèr omnes, qui audiebant verbum* in confirmationem dictorum ab ipso, & in signum operationis sermonis eius, qui in auditoribus Spiritu sancto suggerente operatorius fuerat, & ad fidem eos persuaserat, & vt clarum fieret gentes vocari à Deo. *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est:* numquàm enìm intellexerant ex tot Scripturæ locis gentes ad fidem vocandas, imò Hebræi illas contempserant, & dixerant de Christo: numquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? *Audiebant enìm eos loquentes linguis, & magnificãtes Deum,* signa certa effusionis Spiritus sancti. *Tunc respondit,* dixit *Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest vt non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicùt & nos?* quasi dicat, debetur illis baptismus ex signis cælestibus, & diuinis. *Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi*, id est, in illius baptismo habente formam. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. & quomodò hìc alitèr dicere possumus, cùm iàm Spiritus sanctus supèr omnes cecidisset, & Patris mentio habita sit *Verbum misit Deus, &c.* vers. 36.? refert autèm hic ad nomen Iesu Christi, cùm præmisisset vers. 43. *remissionem peccatorum* haberi *per nomen eius. Tùnc rogauerunt eum vt maneret apud eos aliquot diebus.* si permansio Centurionis apud Iudæos præstitit causam suæ salutis, vt credo, quid mansio Petri apud illos? credendum enìm permansisse postquàm aliud non dicitur. In admittendis Gentilibus quomodò se præstitit Deus, disponens Petrum ab vna, Centurionem ab alia; sic Tobiæ 3. actum in Sara, & Tobia orantibus eodem tempore curandis per Raphaelem. sed considera qualis hìc Centurio, cui Deus contulit primatum in admissione gentium.



CAPVT XI.


1 AVDIERVNT autèm Apostoli, & fratres, qui erant
in Iudæa: quoniàm & Gentes receperunt verbum Dei.
2 * Cùm autèm ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant
3 aduersùs illum, qui erant ex circumcisione, * dicentes:
Quarè introisti ad viros præputium habentes, &
4 manducasti cum illis? * Incipiens autèm Petrus exponebat
5 illis ordinem, dicens: * Ego eram in ciuitate Ioppe
orans, & vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut lin-
6 teum magnum quattuor initijs summitti de cælo, & venit vsquè ad me. * In
quod intuens considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia,
7 & volatilia cæli. * Audiui autèm & vocem dicentem mihi: Surge Petre,
8 occide, & manduca. * Dixi autèm: Nequaquam Domine: quia commune
9 aut immundum numquam introiuit in os meum. * Respondit autèm vox se-
10 cundo de cælo: Quæ Deus mundauit, tu ne commune dixeris. * Hoc autèm fa-
11 ctum est per ter: & recepta sunt omnia rursùm in cælum. * Et eccè viri tres
12 confestìm astiterunt in domo, in qua eram, missi à Cæsarea ad me. * Dixit
autèm Spiritus mihi vt irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autèm me-
13 cum & sex fratres isti, & ingressi sumus in domum viri. * Narrauit autèm
nobis,

nobis, quomodò vidisset angelum in domo sua, stantem & dicentem sibi: Mit-
14 *te in Ioppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, * qui loquetur tibi*
15 *verba, in quibus saluus eris tu, & vniuersa domus tua. * Cùm autèm cœpis-*
16 *sem loqui, cecidit Spiritus sanctus supèr eos, sicùt & in nos in initio. * Recor-*
datus sum autèm verbi Domini, sicut dicebat: Ioannes quidèm baptizauit
17 *aqua, vos autèm baptizabimini Spiritu sancto. * Si ergò eandem gratiam*
dedit illis Deus, sicùt & nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum:
18 *ego quis eram, qui possem prohibere* Deum? * *His auditis, tacuerunt: & glo-*
rificauerunt Deum, dicentes: Ergò & Gentibus pœnitentiam dedit Deus *ad vi-*
19 *tam. * Et illi quidèm, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub*
Stephano, perambulauerunt vsquè Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam,
20 *nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis. * Erant autèm quidam ex eis viri*
Cyprij, & Cyrenæi, qui cùm introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græ-
21 *cos, annunciantes* Dominum *Iesum. * Et erat manus* Domini *cum eis: mul-*
22 *tusquè numerus credentium conuersus est ad* Dominum. * *Peruenit autèm ser-*
mo ad aures ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis supèr istis: & miserunt Barnabam
23 *vsquè ad Antiochiam. * Qui cùm peruenisset, & vidisset gratiam* Dei: *ga-*
24 *uisus est: & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in* Domino: * *quia*
erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide. Et apposita est multa tur-
25 *ba* Domino. * *Profectus est autèm Barnabas Tarsum, vt quæreret Saulum:*
26 *quem cùm inuenisset, perduxit Antiochiam. * Et annum totum conuersati sunt*
ibi in Ecclesia: & docuerunt turbam multam, ità vt cognominarentur primùm
27 *Antiochiæ discipuli, Christiani: * In his autèm diebus superuenerunt ab Ieroso-*
28 *lymis prophetæ Antiochiam, * & surgens vnus ex eis nomine Agabus, signifi-*
cabat per spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ fa-
29 *cta est sub Claudio. * Discipuli autèm, proùt quis habebat, proposuerunt singu-*
30 *li in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: * quod & fecerunt,*
mittentes ad seniores per manus Barnabæ, & Sauli.



VDIERVNT autèm Apostoli, & fratres, qui erant in Iudæa: quoniàm & gentes receperunt verbum Dei. strictè ad Cornelium, & suos; ideò supèr eo Petrum conueniunt: *quarè introisti? &c. Cùm autèm ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant aduersùs illum qui erant ex circumcisione* fideles incapaces, *dicentes: quarè introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* hæc enim abominabantur retinétes morem suum Hebraicum: *Incipiens autèm Petrus* à principio *exponebat illis ordinem* rei *dicens, &c.* Non repeto, quia in præcedenti capite omnia explicata. *Venerunt autèm mecum, & sex fratres isti,* de quibus suprà cap. 10. 23. idquè prudentèr factum, vt & ipsi oculati testes essent eorum, quæ à Petro dicebantur. *Recordatus sum autèm verbi Domini, sicùt dicebat, Ioannes quidèm baptizauit aqua, vos autèm,* & mei fideles, *baptizabimini Spiritu sancto. Si ergò eamdem gratiam dedit illis* Deus visibilem, & operantem manifestè in linguis, *sicùt & nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum,* ne supèr illis gratiam plueret, & baptizarentur? Simile

mille quod dicebat Balaam cum Balac rege. *His auditis* capaces redditi *tacuerunt*, nihil habentes contrarium, *& glorificauerunt Deum* misericordem, *dicentes: ergò* ex his, quæ dixisti, *& gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam* æternam consequendam. *Et illi quidèm, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsquè Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis:* nondum enim sciebant ostium apertum gentibus. *Erant autèm quidam ex eis viri Cypri, & Cyrenæi, qui cùm introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos*, ad Gentiles iuxtà Paulum: Iudæo primùm, & Græco. hoc subdit de secundis ad differentiam primorum Iudæis tantùm exangelizantium. *annunciantes Dominum Iesum*, eccè materia Euangelij. *Et erat manus*, protectio *Domini cum eis, multusquè numerus credentium conuersus est ad Dominum* ex Græcis, seù Gentilibus. *Peruenit autèm sermo*, factum istud *ad aures Ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis supèr istis* conuersis, *& miserunt Barnabam vsquè ad Antiochiam* visitatorem, *qui* Barnabas *cùm peruenisset, & vidisset gratiam Dei* in gentes diffusam, *gauisus est*, non est conturbatus, vt aliqui gentibus inuidentes, *& hortabatur omnes* conuersos *in proposito cordis permanere in Domino:* requiritur enim perseuerantia. cur hæc faciebat, & dicebat, subdit: *quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide*, fidelitate, omnia fiducialitèr exercens; *Et apposita est multa turba gentium Domino*, multi crediderunt. *Profectus est autèm Barnabas Tharsum, vt quæreret Saulum:* illùc enim confugerat lapsus fuga ex Ierosolymis suprà cap. 9. 30. *quem cùm inuenisset, perduxit Antiochiam, & annum totum conuersati sunt ibì in Ecclesia* illa, *Et docuerunt turbam multam:* turba enim magìs trahebatur ad fidem, quàm Principes, *ità vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli, Christiani* ob magnam multitudinem ibi credentium. *In his autèm diebus superuenerunt ab Ierosolymis Prophetæ Antiochiam, & surgens vnus ex eis nomine Agabus* (considera non vni omnia, sed singulis distribuit spiritus proùt vult, alij vnam gratiam, alteri aliam, vt dicit Paulus. Ephes.4. 1.Cor.12.) *significabat per spiritum* sibi reuelantem *famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est*, successit secundùm prædictionem *sub Claudio* Imperatore. *Discipuli autèm* charitate moti vltrò, non rogati, proùt Booz cum Ruth, Tobias cum Gabelo, *proùt quis habebat*, iuxtà substantiam cuiusque, *proposuerunt singuli in ministerium*, auxilium *mittere habitantibus in Iudæa fratribus, quod & fecerunt*, effectui demandarunt, *mittentes ad seniores*, præfectos, qui egenis distribuerent *per manus Barnabæ, & Sauli*. Cura horum habita, quia omnibus vel renunciauerant, vel spoliati erant. Eccè additamentum in hac vita quærentibus primùm regnum, & iustitiam Dei, non deest militibus suis Deus, & crederem hanc primam profectionem esse Sauli in Ierusalem: inuenit enìm ibi Petrum, & Iacobum. Galat, 1. vbì dixi.




CAPVT XII.



1 ODEM autèm tempore misit Herodes rex manus, vt
affligeret quosdam de Ecclesia. * Occidit autèm Iaco-
2 bum fratrem Ioannis gladio. * Videns autèm quia pla-
3 ceret Iudæis, apposuit vt apprehenderet & Petrum.
Erant autèm dies Azymorum. * Quem cùm apprehen-
4 disset, misit in carcerem, tradens quattuor quaternioni-
bus militum custodiendum, volens post Pascha produ-
cere

5 cere eum populo. * Et Petrus quidèm seruabatur in carcere. Oratio autèm fie-
6 bat sinè intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. * Cùm autèm producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens intèr duos milites,
7 vinctus catenis duabus: & custodes antè ostium custodiebant carcerem. * Et eccè angelus Domini astitit: & lumen refulsit in habitaculo: percussoquè latere Petri. excitauit eum, dicens: Surge velocitèr. Et ceciderunt catenæ de
8 manibus eius. * Dixit autèm angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, &
9 sequere me. * Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verùm est, quod
10 fiebat per angelum: existimabat autèm se visum videre. * Transeuntes autèm primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum
11 vnum: & continuò discessit angelus ab eo. * Et Petrus ad se reuersus dixit: Nùnc scio verè quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu
12 Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. * Consideransquè venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbì erant
13 multi congregati, & orantes. * Pulsante autèm eo ostium ianuæ, processit puel-
14 la ad audiendum, nomine Rhode. * Et vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intrò currens nunciauit stare Petrum antè ianuam.
15 * At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autèm affirmabat sic se habere. Il-
16 li autèm dicebant: Angelus eius est. * Petrus autèm perseuerabat pulsans: Cùm
17 autèm aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt. * Annuens autèm eis manu vt tacerent, narrauit quomodò Dominus eduxisset eum de carcere, dixitquè: Nunciate Iacobo, & fratribus hæc. Et egressus abijt in alium lo-
18 cum. * Facta autèm die, erat non parua turbatio intèr milites, quidnam fa-
19 ctum esset de Petro. * Herodes autèm cùm requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci: descendensquè à Iudæa in Cæ-
20 saream, ibì commoratus est. * Erat autèm iratus Tyrijs, & Sidonijs. At illi vnanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat supèr cubicu-
21 lum regis, postulabant pacem, eo quòd alerentur regiones eorum ab illo. * Statuto autèm die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concio-
22 nabatur ad eos. * Populus autèm acclamabat: Dei voces, & non hominis.
23 * Confestìm autèm percussit eum angelus Domini, eo quòd non dedisset hono-
24 rem Deo: & consumptus à vermibus, expirauit. * Verbum autèm Domi-
25 ni crescebat, & multiplicabatur. * Barnabas autèm & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus.


Eodem



ODEM autèm tempore misit Herodes Rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autèm Iacobum fratrē Ioannis gladio. ex subita morte difficile est profectionem illius adstruere in Hispanias, præsertìm quia adhùc nulla mentio discessus Apostolorum ex Ierusalem; imò certum quòd adhùc non discesserant suprà cap. 8. ibì (prætèr Apostolos) & hìc de morte Iacobi, & captura Petri, qui tamèn eductus non petijt Romam, quia fuit in concilio. Act. 15. & Antiochiæ. Gal. 2. Censeo autèm Deum permisisse huius martyrium antequàm diuiderentur Apostoli, vt experientia discerent omnes qualis eorum finis, & nedum turbarentur, sed magìs confirmarentur, & vt perfunderetur Ierusalem sanguine hoc, & ager fieret fertilior: est enìm dilecta Ciuitas, in qua & in fine Enoch, & Elias prædicabunt, occidentur, resurgent, ascendent. Apoc. 11. in ea enìm omnia mirabilia; elegit eam, vt esset nomen suum ibì. 3. Reg. 11. 36. *Videns autèm quia placeret Iudæis, apposuit vt apprehenderet & Petrum*, proùt fecit. *Erant autèm dies Azymorum:* vndè non potuit obstante festo eum occidere, sed dicit: *Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradens quattuor quaternionibus militum custodiendum, volens pòst Pascha producere eum populo* ad mortem. *Et Petrus quidèm seruabatur in carcere. Oratio autèm fiebat sinè intermissione*, assidua *ab Ecclesia ad Deum pro eo*. vult Deus, vt petamus, oremus, etsi ipse sit promptus ad gratias. *Cùm autèm producturus eum esset Herodes* ad necem; sic Deus expectauit vt esset Dauid in angustijs, in faucibus Saulis deuorandus, & tùnc auxilium dedit; quòd Abraham eleuasset manum in Isaac; auxilium Bethuliæ in extremis; Susannæ dum duceretur; Iobo, & Tobiæ desiderantibus mori; Iacob in occursu fratris; Israeli ab Aegyptijs vndiquè obsesso; Iosaphat à Syris; Ezechiæ contrà Sennacherib; Petro pòstquàm cœpit mergi. *in ipsa nocte erat Petrus dormiens intèr duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes antè ostium custodiebant carcerem*. impossibile erat modo humano euadere. hoc dicit, vt appareat de maiori miraculo. *Et eccè Angelus Domini astitit* Petro auxiliaturus, *& lumen refulsit* angelicum; sic in veste candida apparuit Cornelio suprà cap. 10. sic in Apoc. *in habitaculo* carceris: *percussoquè latere Petri* ab Angelo, *excitauit eum, dicens: Surge velocitèr. & ceciderunt catenæ de manibus eius*, vt posset surgere, & obedire. *Dixit autèm Angelus ad eum* solutum à vinculis: *præcingere, & calcea te caligas tuas, & fecit sic. Et dixit illi: circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me*. his omnibus indiguit Petrus somnolentus, & nesciens quid ei acciderat. *Et exiens sequebatur eum* portis apertis, *& nesciebat quia verum est quod fiebat per Angelum* quasi extrà se positus: *existimabat autèm se visum*, visionem *videre. Transeuntes autèm primam, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad Ciuitatem*, ergò extrà illam carcer: *quæ vltrò aperta est eis*, non ergò ianuis clausis, sicùt neque Abacuc introiuit in lacum, sed forìs stetit, vt in historia, & aliàs dixi. *Et exeuntes* de porta intrà Ciuitatem *processerunt vicum vnum* intrà Ciuitatem, *& continuò discessit Angelus ab eo*, qui eo ampliùs non indigebat. *Et Petrus ad se reuersus*, in sensus suos redactus, *dixit: nùnc scio verè*, non dubito, *quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum*, anhelantis me videre duci ad mortem; sic & Daniel in lacu audito Abacuc. *Consideransquè* quà sibi tutò eundum, *venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus*, non Euangelista ex duobus, quia domus Mariæ Matris tamquàm principalis, & piæ fit mentio, & quia dicitur nomine Ioannes, cognomine Marcus; sic & infrà 45. at Euangelista Marcus tantùm nomine, imò idem cap. 13. 5. appellatur simplicitèr Ioannes, & cap. 15. 37. Ioannem, qui Marcus. hæc ex textu, aliundè nihil suppetit vltrà alios, nisi quòd Marcus Euangelista fuit

sta fuit cum Petro fugitiuo Romæ. *Vbi erant multi congregati, & orantes* pro eo, vt eos consolaretur. *Pulsante autèm eo ostium ianuæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode, & vt cognouit vocem Petri* ex familiaritate (hìnc Petrum frequentasse domum hanc) *præ gaudio non aperuit ianuam, sed intrò currens nunciauit stare Petrum antè ianuam*, volens gaudium participare. *At illi dixerunt ad eam: insanis*. Non enim poterāt sibi persuadere id verum esse, scientes quomodò teneretur in custodia. *Illa autèm affirmabat sic se habere*, notam sibi esse vocem; *illi autèm dicebant: Angelus eius est*. clara sunt verba exprimentia mentem existimantium Angelum custodem Petri, nō Petrum: si enim eius Angelus, quomodò alius? *Petrus autèm perseuerabat pulsans. Cùm autèm aperuissent* ostium, *viderunt eū, & obstupuerunt* ex miraculo. *Annuens autèm eis manu vt tacerent*, ne loquentes deprehenderentur, *narrauit quomodò Dominus eduxisset eū de carcere. Dixitquè: Nunciate Iacobo* minori Apostolo, Episcopo Ierosolymitano, soli relicto in Ierusalem intèr Apostolos, postquàm Iacobus maior occisus, Petrus captus: tùnc enim verisimile omnes fuga lapsos, & hoc tempore fortè contigit aditus Pauli in Ierusalem, quia dicit neminem vidisse nisi Petrum, & Iacobum fratrem Domini. Gal. 1. & facillimè fuit eo tempore, quò vnà cum Barnaba ex Antiochia tulit collectas fami occursurus, & infrà vers. 25. fit mentio eorum reditus cum Ioanne dicto Marco, apud cuius matrem fortè hospitati. *Et fratribus hæc*, vt & ipsi de gaudio sint participes. *Et egressus abijt in alium locum* intrà Ciuitatem, ne in loco solito caperetur iterum. & cum quæreretur ad necem infrà vers. 19. & cum nulla eius actio Ierosolymitana proferatur, verisimile admodum est aufugisse, & alia loca petijsse, vt per Card. Baronium; at non subiecta ditioni Agrippæ, ne iterum caperetur, & non Romam vsquè nùnc peruenisse, quia fuit in Concilio. Act. 15. & Antiochiæ. Gal. 2. nisi velimus ab Vrbe regressum esse, quod congruit, quia cùm Romæ essent fideles, ad quos Paulus scribit primam epistolam, verisimile est Petrum illùc excurrisse. *Facta autèm die, erat non parua turbatio intèr milites* custodientes, *quidnam factum esset de Petro*. augebatur turbatio, quia videbant portas clausas: verisimilitèr enim clauserat qui recluserat, Angelus, vt appareret magìs miraculum, neue alij carcerati aufugerent, quod Paulus edixit custodi infrà cap. 16. 27. *Herodes autèm cùm requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci* ad mortem, quod verisimilius, quia præcesit inquisitio, aliòquin quò duci? præsertìm cum verbum hoc innuat diffinitionem causæ, sed est similis textus suprà eodem cap. in Petro, *cùm producturus eum esset Herodes; & producere volens*, & infrà cap. 17. 5. producere in populo. *Descendensquè à Iudæa in Cæsaream ibi commoratus est. Erat autèm* Herodes *iratus Tyrijs, & Sidonijs*, hæc est narratiua petita ab antiqua causa, non noua in recipiendo Petro fugitiuo, qui incognitus potiùs abijt, ne deprehenderetur, & hac prænarrata vult ad diram necem Regis deuenire. *At illi vnanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat supèr cubiculum Regis*, qui cum Rege potens erat, *postulabant pacem eo quòd alerentur regiones eorum ab illo* ex annona, quam extrahebant: *Statuto autèm die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos*, complacens sibi in sermone, quo præditus vicit Caium pro Hebræis ex Philone, ex qua complacentia orta superbia Deum non recognoscens, imò diuinos honores assumens, & fortè ob præcedens peccatum in Iacobum, & Petrum incidit in hoc, quod in pœnam primi seruiuit; sic Nabuchodonosor superbus in belluam mutatus, vt disceret humiliari sub Deo. *populus autèm* insanus adulator *acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confestim autèm percussit eum Angelus Domini*, quod circumstantes viderunt, si bubo apparuit ex Iosepho, & tùnc fuisset malus; at quia dicit *Angelus Domini*, hæreo fuisse bonum: ideò nutat quod dicit Iosephus de bubone, iuncto tormine subito viscerum, & congruum fuit publicè peccantem in Deum publicè puniri; quòd autèm & boni, & mali Angeli puniant, vide scripta supèr Apocalypsim. *Eo quòd non dedisset*

honorem Deo; sic Zaccharias à Gabriele percussus taciturnitate. *Et consumptus à vermibus expirauit.* benè à vermibus, vt appareret quis esset, qui volebat pro Deo adorari. *Verbum autèm Domini crescebat, & multiplicabatur,* in fidelibus conuersis. *Barnabas autèm & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus,* de quo suprà.




CAPVT XIII.

1 *ERANT autèm in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, pro-*
phetæ, & doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui
vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen,
qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.
2 ** Ministrantibus autèm illis Domino, & ieiunantibus,*
dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum, &
3 *Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. * Tùnc ieiu-*
4 *nantes, & orantes, imponentesquè eis manus, dimiserunt illos. * Et ipsi qui-*
dèm missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam; & indè nauigarunt Cyprum.
5 ** Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Iu-*
6 *dæorum. Habebant autèm & Ioannem in ministerio. * Et cum perambulas-*
sent vniuersam insulam vsquè Paphum, inuenerunt quendam virum magum
7 *pseudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Bariesu, * qui erat cum Proconsu-*
le Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba, & Saulo, deside ra-
8 *bat audire verbum Dei. * Resistebat autèm illis Elymas magus, (sic enim in-*
9 *terpretatur nomen eius) quærens auertere Proconsulem à fide. * Saulus autèm,*
10 *qui & Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum, * dixit: O plene omni*
dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuerte-
11 *re vias Domini rectas. * Et nùnc eccè manus Domini supèr te, & eris cæcus,*
non videns solem vsquè ad tempus. Et confestìm cecidit in eum caligo, & te-
12 *nebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret. * Tùnc Proconsul cum vidis-*
13 *set factum, credidit admirans supèr doctrina Domini. * Et cum à Papho na-*
uigassent Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Ioannes
14 *autèm discedens ab eis, reuersus est Ierosolymam. * Illi verò pertranseuntes*
Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi Synagogam die sabbatorum,
15 *sederunt. * Pòst lectionem autèm legis, & prophetarum, miserunt principes Sy-*
nagogæ ad eos, dicentes. Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis
16 *ad plebem, dicite. * Surgens autèm Paulus, & manu silentium indicens, ait:*
17 *viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite: * Deus plebis Israel elegit patres*
nostros, & plebem exaltauit cum essent incolæ in terra Aegypti, & in brachio
18 *excelso eduxit eos ex ea, * & per quadraginta annorum tempus mores eorum su-*
19 *stinuit in deserto. * Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distri-*
buit

20 *buit eis terram eorum, * quasi pòst quadringentos & quinquaginta annos: &*
21 *pòst hæc dedit iudices, vsquè ad Samuel prophetam. * Et exindè postulauerunt*
Regem: & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin, annis
22 *quadraginta. * & amoto illo, suscitauit illis Dauid regem: cui testimonium*
perhibens, dixit: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui
23 *faciet omnes voluntates meas. * Huius Deus ex semine secundùm promissio-*
24 *nem eduxit Israel Saluatorem Iesum, * prædicante Ioanne antè faciem aduen-*
25 *tus eius baptismum pœnitentiæ omni populo Israel. * Cum impleret autèm Ioan-*
nes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego, sed eccè
26 *venit pòst me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere. * Viri fra-*
tres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum sa-
27 *lutis huius missum est. * Qui enìm habitabant Ierusalem, & Principes eius*
hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iu-
28 *dicantes impleuerunt, * & nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à*
29 *Pilato, vt interficerent eum. * Cumquè consummassent omnia, quæ de eo scri-*
30 *pta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. * Deus ve-*
31 *rò suscitauit eum à mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his, * qui*
simùl ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem: qui vsquè nùnc sunt testes
32 *eius ad plebem. * Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros repro-*
33 *missio facta est: * quoniàm hanc Deus adimpleuit filijs nostris resuscitans Iesum,*
sicùt & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodiè genui te.
34 ** Quòd autèm suscitauit eum à mortuis, ampliùs iàm non reuersurum in corru-*
35 *ptionem, ità dixit: Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia. * Ideoquè & aliàs*
36 *dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. * Dauid enìm in sua*
generatione cum administrasset, voluntati Dei dormiuit: & appositus est ad
37 *patres suos, & vidit corruptionem. * Quem verò Deus suscitauit à mortuis,*
38 *non vidit corruptionem. * Notum igitur sit vobis viri fratres, quia per hunc*
vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis
39 *in lege Moysi iustificari, * in hoc omnis, qui credit, iustificatur. * Videte er-*
40 *gò ne superueniat vobis quod dictum est in Prophetis: * videte contemptores, &*
41 *admiramini, & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus*
42 *quod non credetis, si quis enarrauerit vobis. * Exeuntibus autèm illis rogabant*
43 *vt sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc. * Cumquè dimissa esset Syna-*
goga, secuti sunt multi Iudæorum, & colentium aduenarum, Paulum, &
44 *Barnabam: qui loquentes suadebant eis vt permanerent in gratia Dei. * Se-*
45 *quenti verò sabbato penè vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Dei. * Vi-*
dentes autèm turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Pau-
46 *lo dicebantur, blasphemantes. * Tùnc constantèr Paulus & Barnabas dixerunt:*
Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniàm repellitis illud, & in-
47 *dignos vos iudicatis æternæ vitæ, eccè conuertimur ad Gentes. * sic enìm præ-*
cepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsquè ad

48 *extremum terræ.* * *Audientes autèm Gentes gauisæ sunt, & glorificabat verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æter-*
49 *nam.* * *Disseminabatur autèm verbum Domini per vniuersum regionem.*
50 * *Iudæi autèm concitauerunt mulieres religiosas, & honestas, & primos ciui-*
tatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum, & Barnabam: & eiecerunt
51 *eos de finibus suis:* * *At illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium.*
52 * *Discipuli quoquè replebantur gaudio, & Spiritu sancto.*



RANT autèm in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ, & doctores, &c. Cùm non nominetur Petrus, vel alius Apostolus, inuerisimile est eos præsentes fuisse, quia primores non fuissent omissi à Luca alios inferiores describente: ideò non potest stare, quòd Petrus manus imposuerit Paulo, & Barnabæ, cùm tunc non nominetur præsens. *Ministrantibus autèm illis Domino, & ieiunantibus:* Quia in fine cap. præcedentis dixerat, verbum Domini crescere, & multiplicari, & reditum Barnabæ & Pauli in Antiochiam, in hoc capite recitatis principalioribus in Ecclesia Antiochena, subdit: *Ministrantibus autèm illis Domino,* quasi non deterritis persecutione Ierosolymitana, *& ieiunantibus,* & à Domino petentibus vnanimitèr, & insimùl tranquillitatē, & progressum Euangelij ijdem exaudiri meruerunt, quia *dixit illis Spiritus sanctus* voce, vt credo, intelligibili, fortè ministro Angelo, cùm vtatur verbo, *dixit,* non reuelauit: *segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Quòad Paulū; executio est oneris sibi traditi in conuersione, vt portaret nomen Iesu coràm gentibus, Regibus, & filijs Israel, sicuti traditio clauium facta Petro pòst Resurrectionem, quarum iàm antè præcesserat promissio. Tu es Petrus, &c. segregare verò in ministerium, non est ordines tradere, vt apparet. 1. Paralip. 25. & si Spiritus sanctus hoc non dixit, nec præsumitur ab illis hoc factum cùm imposuerunt manus, sed quòd essent iàm quouis ordine insigniti, cùm anteà verbo incubuissent, & quia anteà non essent missi, nisi sic ornati fuissent; Præterea si intèr nominatos aliqui fuissent Episcopi ordinaturi, non nominaretur antè illos Barnabas nondum Episcopus secundùm hanc opinionem, vltrà quòd nullum verbum importans sacrificium, sed simplicitèr *ieiunantes, & orantes,* nec potest transportari hùc verbum *ministrantibus,* quia illa verba habent tractum successiuum, & longum, proùt & subiecta *ieiunantes, & orantes,* ideò nō possunt coniungi. At quòad verbum, *ministrantibus,* cùm comitem habeat verbum, *ieiunantibus,* ieiunio autèm soleat comes esse oratio, videretur de oratione intelligendum; sed quia ad significandam orationem non solemus vti verbo ministerium importante, & suprà fit mentio orationis vers. 3. ideò non aptatur. Similitèr cùm verbum, *ministrantibus,* iuncto verbo, *ieiunantibus,* de ministerio verbi etiàm non possit rectè intelligi, quia non solet hoc ministerium ieiunio coniungi; & cùm hæc fierent ad aliquid à Deo impetrandum, & clarè subdat de oratione, & ieiunio suprà vers. 3. *ieiunantes, & orantes;* ideò crederem posse tutò dici ministerium hoc fuisse in celebratione missæ, præsertim quia verba sunt capienda in potiori significatu, & ministerium missæ maius est quocumque alio ministerio; & in his duobus facio fundamentum, non in verbo, *Domino,* quia in quolibet actu, & actione virtutis, pietatis, & iustitiæ dicimur ministrare Deo, vt per Paulum infrà cap. 20. 19. 24. & sic seruiet contrà hæreticos. Verba, *imponentesquè eis manus,* non videntur obstare ex dictis suprà cap. 6. *dimiserunt illos* ad opus, ad quod eos Deus assumpserat. *Et ipsi quidèm missi à Spiritu sancto, abierunt Seleuciam, & indè nauigauerunt Cyprum. Et*

cùm

cùm venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Iudæorum; gentibus tamèn etiàm prædicabant, sed apud illas non erant loca apta: ideò *in Synagogis. Habebant autèm & Ioannem in ministerio*; de hoc fit mentio, quia secum ex Ierosolymis assumpserant suprà cap. 12. in fin. *Et cùm perambulassent vniuersam insulam vsquè Paphum, inuenerunt quendam virum magum pseudoprophetam Iudæum, cui nomen erat Bariesu, qui erat cum Proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba, & Saulo, desiderabat audire verbum Dei: resistebat autèm illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen eius) quærens auertere Proconsulem à fide* in Iesum. hic mos Iudæorum, ne gentes conuerterentur: *Saulus autèm, qui & Paulus*, binomius ergò erat, & antequàm baptizet Sergium Paulum sic nuncupatur, vt non possit dici nomen Pauli sumpsisse à baptismo Sergij Pauli. Vel postquàm conuersatus est cum Romanis, apud quos Paulus, non Saulus frequens, & fortè tùnc baptizato Sergio Paulo, mutatum est ei nomen ab àlijs, seù proprium corruptum de Saulo in Paulum: *repletus Spiritu sancto intuens in eum, dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ*. hæc omnia ad illum confundendum, & manifestandum qualis esset, *non desinis subuertere vias Domini rectas* tuis fallacijs, prohibens homines has recipere, & supponens inuias, & dolosas. *Et nùnc eccè manus* iustitiæ *Domini supèr te, & eris cœcus, non videns solem vsquè ad tempus*, vt discas auertere te ab his fallacijs, & dolis, & liberos dimittere fidem Iesu amplecti volentes. *Et confestìm cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret*. hæc referuntur, vt appareat de veritate facti, cœcitas huic, proùt Zachariæ taciturnitas: Nabuchodonosori bestialitas. *Tùnc Proconsul cùm vidisset factum, credidit admirans supèr doctrina Domini:* signa infidelibus: nisi signa, & prodigia videritis, non creditis fuit dictum Regulo. *Et cùm à Papho nauigassent Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphiliæ; Ioannes autèm discedens ab eis, reuersus est Ierosolymam*, quod ægrè tulit Paulus, vt infrà. *Illi verò pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ, & ingressi Synagogam die sabbatorum* exemplo Christi *sederunt*, audientes lectionem. *pòst lectionem autèm legis, & Prophetarum, miserunt Principes Synagogæ ad eos*, Paulum, & Barnabam, *dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite: Surgens autèm Paulus, &c.* Eius concio simillima concionibus Petri, supèr quibus iàm dictum; vndè supèr his parùm dicetur. *Viri Israelitæ, & qui timetis Deum*. primò ab origine, deindè à virtute laudat: ideò quòad primum subdit: *Deus plebis Israel, &c. audite*, attentos reddit. *Deus plebis Israel* illi soli manifestus. Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius, *elegit* ex sua misericordia *patres nostros* antiquos, à quibus Messias originem duceret, *& plebem exaltauit*. multiplicando, & protegendo, *cùm essent incolæ*, peregrini *in terra Aegypti, & in brachio excelso*, potentia magna; mirabilibus prodigijs *eduxit eos ex ea*, Aegypto, *& per quadraginta annorum tempus mores eorum* improbos, contumaces *sustinuit in deserto*. more hominum patientèr aliquid molestum ferentium loquitur de Deo. Et postquàm illos introduxit ad terram promissionis *destruens gentes septem in terra Chanaan* Abrahæ promissam pro semine, *forte distribuit eis terram eorum* per Iosue ducem, *quasi pòst quadrigentos, & quinquaginta annos:* tot enim fuerunt vsquè ad diuisionem illam: *Et pòst hæc dedit Iudices* gubernantes populum *vsquè ad Samuel Prophetam. Et exindè postulauerunt Regem* à Samuele, *& dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin, annis quadraginta*. hæc omnia describit, vt doceat plebem Israel sempèr fuisse sub vmbra, gubernio, & protectione speciali Dei. *Et amoto illo* inobediente, & suo semine, *suscitauit*, dedit *illis Dauid Regem, cui testimonium perhibens, dixit: inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, à quibus recesserat Saul inobediens; hoc pacto Dauid inuenit gratiam coràm oculis Domini; & sic inueniri dicitur gratia apud Deum. dum autèm dicitur.

3.Reg.15.5.exceptò sermone Vriæ Hethæi, illum tantùm excipit, quia malitiosè egit Dauid in illo,non sic in numeratione populi immissa in cor eius à Satan, qui peruertit cor eius, & obcœcauit eum, vt ne quidèm verba Ioab auertentis obseruauerit. 1. Paralip.21. in princ. consurrexit autèm Satan contrà Israel, & concitauit Dauid, &c. Miror autèm Abulensem dicentem numerationem populi grauius peccatum fuisse in populo, quàm in Dauid, cùm hoc sit de directo contrà cap.24.2.Reg.& cap.21.1.Paralip. quorum capitum dicta sunt clara, nequè contrà populum actum, vt solueret medium sicli iuxtà cap.30. 5. Exod. vt potuerit recusare, cùm in dd. cc. nullum de hoc verbum;& quod in Exodo habetur ad aliud propositum iubeatur. ***Huius Deus ex semine, secundùm promissionem*** ei factam. De fructu ventris tui ponam supèr sedem tuam, & genealogiam Matthæi, ***eduxit Israel Saluatorem Iesum:*** in hoc enìm solo salus;dum ergò in Apocalypsi dicitur: Eccè vicit leo de tribu Iuda radix Dauid. cap.5.5. Et ego sum radix, & genus Dauid cap. 22. 16. fit ad demonstrandum vndè Christus homo originem traxerit,non è contrà vndè Dauid gratiam habuerit, quia hoc secundum non intenditur, sicùt neque hic: agit enìm de humanis,non diuinis. Vide scripta in Apoc. ***prædicante Ioanne antè faciem aduentus eius baptismum pœnitentiæ omni populo Israel.*** iuxtà Malach. cap. 3. nec refert si propheta dicit: antè faciem meam hic, & Euangelistæ referentes antè te; quia in vtroque loco loquitur persona filij; at in propheta, meam, quia nulla apponenda obscuritas; hic (antè te) cùm hæc verba proferat idem filius. Matth. 11.10. Luc. 7.27. qui nolebat sè tùnc, dum hæc diceret, manifestum reddere: ideò loquitur in tertia persona, proùt sæpè solet, dum de diuinitate agit; Marcus verò cap. 1. 2. refert, vel proùt inuenit in Matthæo, cuius est compendiator, vel proùt aptatur suo Euangelio, & Christo, de quo incipit putans in tertia persona meliùs cadere verba illa. Vndè non placet, quòd Propheta filio, Euangelistæ patri attribuant,quia apud Euangelistas filius profert. ***Cùm impleret autèm Ioannes cursum suum***, ministerium ei commissum annunciandi Messiam, impleret iustitiam, vt in Euangelijs dixi, ***dicebat: quem me arbitramini esse, non sum ego, sed eccè venit pòst me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere***, in viliori ministerio ei ministrare. hæc dixit in principio prædicationis suæ: ideò intelligitur, cùm officio suo Christum manifestandi incumberet, non autèm de fine vitæ suæ. ***Non sum ego***, Christus scilicèt, quod ter dixit,legatis. Io. 1. populo. Luc.3.15. Matth.3.11. Marc. 1.8. & discipulis ipsis, vos mihi testimonium perhibetis. Io. 3. 28. & credendum est pluriès ad eruendam ex animis hanc falsitatem promulgationi suæ, & officio amici sponsi contrariam. ***Viri fratres, filij generis Abraham***, in hoc exultabant, vt in Euangelio: ideò Paulus beneuolentiam iterum captat. ***& qui in vobis timent Deum***, quasi, parùm esset vos descendere ab Abraham, si Deum non timeretis, ***vobis verbum salutis huius***, quæ in Iesu Messia habetur, ***missum est***, sicùt Deus promisit Abrahæ; sed quia poterant auditores dicere: non fuit receptum hoc verbum in Ierusalem à Principibus: ideò volens occurrere, subdit de illorum ignorantia: ***qui enìm habitabant Ierusalem***, plebs,populus, ***& principes eius hunc*** Iesum ***ignorantes:*** si enìm cognouissent,numquàm Dominum gloriæ crucifixissent. 1. Cor. 2. ***& voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur***, hunc Iesum annunciantium, ***iudicantes*** illum, & facientes reum mortis, postquàm se filium Dei, & Messiam coràm Caipha,& concilio clarè dixit, ***impleuerunt***, consummauerunt omnia, quæ de eo scripta erant,& ab ipso Iesu de se enarrata; Et quia poterant dicere: iustè illum ad necem iudicauerunt, occurrit; ***& nullam causam mortis inuenientes in eo***, etiàm falsis testibus adhibitis, ***petierunt à Pilato, vt interficerent eum***, à seipsis potestatem necis non habentes. ***Cumquè consummasset in Iesu omnia, quæ de eo scripta erant***, nempè morti esse tradendum pro gente, & omni populo, & omnibus hominibus, (declarat verbum, ***impleuerunt***, suprà positum) ***deponentes*** alij ex eis, qui neci eius non consenserant, Ioseph, & Nicodemus, ***eum de ligno***, in quo affixus

fixus fuerat, & mortuus, *posuerunt eum in monumento* nouo. Et quia si non surrexisset, omnia erant vana, subdit: *Deus verò suscitauit eum à mortuis tertia die* diuina potentia: nùnc ad probationem Resurrectionis transcendit. *qui visus est* rediuiuus *per dies multos*, quadraginta, *his qui vsquè nùnc sunt testes eius* ad hoc electi *ad plebem*, quam euangelizant; *Et nos* etiàm ad hoc electi (Paulus, & Barnabas) *vobis annunciamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est* sæpiùs, *quoniàm hanc Deus adimpleuit filijs nostris* à patribus illis descēdentibus, *resuscitans Iesum*: hoc enìm & promiserat, inquit Paulus, quod probat, dicens: *sicùt & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, Ego hodiè genui te*, ego hodiè suscitaui te: ex his enim Paulus probat Resurrectionem, & ex contextu, & verbis aliud non intendit; vndè non video quomodò audeant quidam in epist. ad Heb. 1. subterfugere, & dicere Paulum hìc non intelligere hæc verba Psalmi de Resurrectione Christi in tanta verborum, & sensuum perspicuitate: nam absurdum est profectò, & violant verba Pauli, dum verba, *Filius meus es tu, ego hodiè genui te*, ad repromissionem Dauidi factam referunt, tùm quòd relatio fienda est ad proxima, quæ de resurrectione agunt, tùm quòd adimpletionem statuit in suscitatione Christi: nàm, si non resurrexit, inanis est fides vestra, inanis prædicatio nostra. 1. Cor. 15. at resurrexit, proptèr iustificationem nostram. Rom. 4. in fin. & propterea Apostolus subdit vers. 38. de peccatorum remissione, & iustificatione. Tertiò, quia pòst verba, *resuscitans Iesum*, subdit: *sicùt & in Psalmo, &c.* ità vt à Resurrectione hæc auctoritas diuelli non possit ex mente Apostoli, & verbis. Quartò, quia ad idem probandum subdit alias auctoritates: *non dabis Sanctum tuum videre, &c. Quia dabo vobis, &c.* & supèr illis verbis discurrit, applicans eas ad Christi Resurrectionem. Quintò, quia iàm dixerat ex semine Dauid eduxisse Israel Saluatorem Iesum vers. 23. & hanc propositionem non probabat ex verbis, *Filius meus est tu, ego hodiè genui te*, nec verisimilitèr probare intendebat, cùm satis distent locutiones, nec vllam habeant connexionem. Concludendum ergò, verba, *ego hodiè genui te* ex mente Pauli hìc importare Resurrectionem.

Sed an idem sit eius intellectus Heb. 1. 5. & videtur idem, quia cùm semèl Paulus hunc intellectum receperit, non censetur mutasse sententiam, sed in eadem perstitisse, præsertim quia non indigebat Apostolus probare æternam generationem, quam probauerat illis verbis (qui cùm sit splendor gloriæ, &c.) & quia præcedentia, *Filius meus est tu*, sufficientia erant, & quia in eo cap. promiscuè agit modò de æterna, modò de temporali generatione; vndè ad nullam se arctauit. & suprà dixerat de eiusdem exaltatione ad dexteram Patris mediante Resurrectione. At quòd certò perstiterit, patet: nàm intentio Apostoli in ea Epistola, & loco, est ostendere Christum antecellere Angelos: ideò sic dicit: Cui enìm dixit Deus aliquandò Angelorum, Filius meus es tu, ego hodiè genui te? prima verba (Filius meus es tu) absquè controuersia probant intentionem Apostoli, alia (ego hodiè genui te) pro Resurrectione capta eamdem probant: nàm exhibitio operis est ostensio paternitatis: si enim illum resuscitauit, & illius curam egit tamquàm filij, vtiquè pro filio habuisse manifestum redditur: quem enìm in inferno non dereliquit, quem non dedit videre corruptionem, quod in alijs numquàm fecit, quem suscitauit primogenitum mortuorum, vtiquè in filium habuit: ideò subdit Apostolus ad eamdem intentionem: ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium: vult enim intelligere more Patris benigni se ostensurum, gesturum secum decentia Patrem, & Filium, & sicùt cum Salomone, de quo aliud excogitari non poterat, imò sic explicat Deus, subdens, qui si inique aliquid gesserit, &c. 2. Reg. 7. 14. sic cum figurato, qui est Christus, & sic de effectibus loquitur notis, & apparituris: ideò dicit, ero illi, erit mihi, non autèm, sum illi, aut est mihi; proùt & illud (hodiè genui te) nouum quid infert, & sufficit Paulo probare hanc paternitatem, & filiationem in Christo, quæ in Angelis non extat sic, & de quibus hoc non dicitur. Probauerat illam ex nomine (Filius meus es tu) prosequitur

sequitur ibi probare ex facto, proùt ex Resurrectione in verbis, (ego hodiè genui te.) Non ergò dicas, non pertinere ad institutum Apostoli volentis præstantiorem ostendere Christum Angelis, argumẽtum à Christi Resurrectione, quia vidisti quantum id ostendat veritatem filiationis, ex qua illum Angelis præfert, imò ostendit & diuinitatem, & æternitatem quatenùs diuina potentia surrexit non ampliùs moriturus, sed in vno supposito in æternum victurus, quod nulli Angelorum datum, & Resurrectioni annectitur sedes ad dexteram Patris. Phil. 2. & de hac Paulus Heb. 1. vers. 13. in eodem themate. Absurdum verò est dicere hinc non probari Christum ad viuos remeasse, proùt nondum ad vitam redierat, quandò Dauid protulit verba illa: nàm hoc pacto eluderentur omnes prophetiæ, quia quandò proferuntur, certè nondùm apparuerant, & sic possemus negare omnia ad libitum. At Paulus dicit, Christum Resurrexisse, visum esse *per dies multos his, qui simùl ascenderant cum eo, &c.* vt hìc vers. 31. idquè stabilire voluit prophetia Dauid loquentis more prophetarum, ac si dum dicebat, id esset, quod futurum erat: euentus enim, à quo prophetia dependet, ostendit veritatem prophetiæ, & prophetia veritatem euentus futuri ab ea prædicti.


Sed an eumdem sensum retineat Apostolus eadem Epist. ad Heb. cap. 5. 5. vbi eadem verba refert. (Filius meus es tu, ego hodiè genui te?) & non est dubium, cùm (vt dixi) non præsumatur mutatio, & quia verba claritatis, & pontificatus respiciunt iàm incarnatum, & in mundo existentem, non ergò generationem æternam, vel temporalem, sed eo magis Resurrectionẽ, quia vers. 7. subdit spectantia ad illam, qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesquè ad eum, qui possit illud saluũ facere à morte, idest, resuscitare, &c. At intellectus Pauli ad psalmum est admodum conformis, & aptus: nàm psalmus ille agit de Christo, proùt Apostoli intellexerunt. Act. 4. 25. præuidens enim propheta contradictionem à gentibus, & populis Israel in Dominum, & Christum eius Incarnatum, vnctum, & eorum leges fiendam, de qua & Simeon in Christo (in signũ cui contradicetur. Luc. 2.) admirans eorũ insipientiam, intonat: Quarè fremuerunt gentes? &c. vndè hoc? vt velint excutere iugum suaue Domini, cùm, qui habitat in cælis omnipotens, cui resisti non potest, Dominus, irrisurus, & contriturus sit illos? Christus verò (quem inducit loquentem) cui etiàm resistere non poterunt, constitutus sit rex ab eo, Deo (explicat verbum, Christum,) supèr Sion montem sanctum eius, supèr Ecclesiam: ipsum enìm dedit caput supèr omnem Ecclesiam. Ephes. 1. in fin. prædicans præceptum eius, missus ab eo prædicare, seù euangelizare præcepta eius, mandata, Legem Euangelicam, non præceptum, seù constitutionem Regni sibi à Deo collati, quia non quadrat: dicit enim: opus consummaui, quod dedisti mihi. Et quia dici poterat: te prædicantem occident, respondet: nihilominùs fungar intrepidè officio mihi iniuncto: non enìm mihi timendum: Dominus enim dixit ad me: Filius meus es tu, Ego hodiè genui te: occident siquidèm, sed statim te excitabo, & exaltabo: Filius enim meus es tu, egò hodiè genui te, ad denotandum celeritatem, & certitudinem Resurrectionis; ideò loquitur more prophetarum de re futura quasi perfecta, quia enim humiliauit se ad mortem: ideò exaltatus est. Philip. 2. & sic excitato ponentur inimici eius scabellum pedum suorum. Heb. 1. & 1. Cor. 15. & verbum, genui, hic propriè verificatur in Resurrectione: nàm Resurrectio appellatur regeneratio. Matth. 19. in regeneratione; &c. & cùm constet de mente, impropriarentur etiàm rectè verba: sed & Isaias Resurrectionem dixit generationẽ cap. 53. generationem eius quis enarrabit? in illo enim capite agit de passione Domini, & antè illa verba præmisit, de angustia, & de iudicio sublatus est; vndè generationem subdens, intelligit Resurrectionem: nàm pòst passionem exaltatio, non ibi de generatione æterna, quia hoc cui connecteretur? non temporali, quia de passo, ergò necessariò de Resurrectione; & Christus corpus suum resurrecturum nuncupat templum. Ioan. 2. Petrus tabernaculum. Paulus depositum. 2. Cor. 4. At cur generatio in Christo, regene-

generatio in nobis, dixi in Euangelijs. Rectè autèm aptatur is intellectus, quia iàm dixerat: Filius meus es tu, verba filiationem clarè probantia; subdens ergò: Ego hodiè genui te, danda erat noua generatio hodierna, non æterna sempèr permanens, non carnalis, quia iàm facta, ergò necessariò hæc excitatio à mortuis ad vitam potentia diuina inducta: postquàm enim dixit filiationem, Filius meus es tu, in verbis sequentibus intendit aliquod beneficium impertiri, id autèm non filiationem vllam; quia de illis, Filius meus es tu; in iàm autèm Incarnato, & Sacerdotio, & omnibus ornato, nil aliud dari poterat, quàm Resurrectio, ergò de illa, non de alio; & consecutiuè etiàm pòst Passionem: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: quasi dicat, dabuntur & hæc tibi: vndè dixit: data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Sed qualis potestas? Reges eos in virga ferrea, & tamquàm vas figuli confringes eos, ità vt verum sit in Christo quod dixit in principio Psalmi de Deo. Qui habitat in cælis, &c. inimici enim hi cadent. Posset etiàm dici: Postula à me, & dabo tibi gentes, &c. hæcquè gubernium respicere; at sequentia: Reges eos in virga ferrea, &c. diem Iudicij, qui solet commemorari ad terrendos reos, & maiestatem Christi ostendendam. Matth. 3. 12. Luc. 3. 17. cuius ventilabrum, &c. & Caiphæ: veruntamèn videbitis Filium hominis, &c. Cùm venerit Filius hominis in sede maiestatis suæ. At propheta volens contradictores reducere, conuertit sermonem ad Reges, & capita populorum, à quorum nutu dependent populares, vt in Sichimitis, Ieroboam, & Ierosolyma sub Herode Magis appulsis; & nùnc Reges, &c. edocti à me quid futurum sit, & quòd non potestis Deo resistere, ne cogitetis iugum Domini suaue, legem eius immaculatam irritare, & subuertere, imò seruite, &c. apprehendite, &c. ne pereatis de via iusta, recta, à qua deflectitis: fiendæ enim viæ rectæ iuxtà Ioannem. Cùm exarserit in breui ira eius, tàm in iudicio, quàm vsquè ad illud, non strictè ad iudicium, cùm nihil cogat; beati omnes, qui confidunt in eo hac fiducia, quæ bonis operibus, & obedientia fouetur euasuri iram, & indignationem Domini. Qui confidunt in Domino sicùt mons Sion, non commouebitur in æternum Psal. 124. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Ierem. 17. 7. Ex hoc autèm contextu apparet excludi intellectum æternæ, vel temporalis generationis, & adstrui illum Resurrectionis; nisi dicas in epist. ad Heb. Paulum respexisse, non ad mentem Psalmi, qui de Resurrectione agit, sed ad verba, quæ ad sensum suum traxerit, sicquè variet in sensu horum verborum hìc, & in epist. ad Heb. quod tamèn non placet, sed iterùm ad textum.

Verba, *Ego hodiè genui te*, non important hìc generationem æternam. Moueor primò, quia præcedunt ea, *Filius meus es tu*, in quibus illa verificatur, nec opus erat hac repetitione. Secundò, quia nequè Pater vsus est hac repetitione, dum verba (hic est Filius meus dilectus) in Baptismo, & Transfiguratione protulit, potiùs tunc fieda, quàm hìc. Tertiò, quia ad generationem æternam non videtur aptari verbum, *hodiè*, præsens tantùm tempus significans, prout apud Paulum ad Heb. 3. 13. & 4. 7. & 13. 8. & quandò de illa, dictum fuit (antè Luciferum genui te) non hodiè. Quartò, quia verbum, *genui*, quod est præteritum, non se conformat, nec connectitur cum verbo, *hodiè*, quod est præsens, imò pugnant hæc duo; & si dicis, verbum, *genui*, denotat perfectionem, esto. Sed postquàm dixerat, *Filius meus es tu*, perfectionem denotauerat; aptiùs ergò erat dicere: gigno te hodiè, vel *genui te*, absquè verbo, *hodiè*, prout antè Luciferum genui te. Quintò, quia subditur in Psalmo: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam; Et reges eos, &c. quæ spectant ad humanitatem: humiliatione enim crucis meruit sibi dari in hæreditatem gentes; vndè pòst Resurrectionem: data est mihi omnis potestas, &c. euntes ergò, &c. & iudicium (nàm de gubernio in illis dabo tibi gentes, &c.) quia Filius hominis est; vndè etiàm præcedentia versabuntur circà eandem humanitatem. Sextò, ad quid hìc de generatione æterna? nulla enim necessitas, nulla congruentia cogebat. Minùs important

portant generationem temporalem, tùm quia præsupponitur natus, aduersus quem orituræ turbæ, & contradictiones, tùm quia constitutum se Regem asserit, tùm quia præcedit, *Filius meus es tu*, quæ verba satis explicant filiationem. Quartò, quia si iàm filius, quomodò genitus hodiè? non enim in generatione temporali congruit. Quintò, quia quomodò hac excellit Angelos? de quo Paulus. Heb. 1. Sextò, quia verba, *genui te*, non sunt in vsum ad demonstrandam natiuitatem temporalem respectu Patris, cùm potius ex Maria dicamus natum, iuxtà illud Athanasij: Deus est ex substantia Patris antè sæcula genitus, & homo est ex substantia Matris in sæculo natus; & Matth. 1. quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est; dixitquè Angelus. Luc. 1. & virtus Altissimi, idest, Patris, obumbrabit tibi, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei; vndè stando & in verbis Pauli, & in intellectu Psalmi, non videntur hæc verba importare nisi Resurrectionem. Et quia poterant dicere: suscitauit, sed iterum moriturum, subdit: *Quod autèm suscitauit eum à mortuis, ampliùs iàm non reuersurum in corruptionem, ità dixit: quia dabo vobis sancta* promissa, & sancita *David* figurato, Messiæ *fidelia*, stabilia. Ego Deus, & non mutor; semèl loquitur; dona sua sunt sinè pœnitentia. Christus resurgens ex mortuis, iàm nō moritur, mors illi vltrà non dominabitur. *Ideoquè & aliàs dicit: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem:* hoc autèm perpetuum omne tempus verbis negatiuis comprehendens, quæ non admittunt vllam interpretationem. Et ne dicerent: hæc, quæ adduxisti, intelliguntur de Dauid propheta, tollit obiectum, dicens: *David enim in sua generatione cùm administrasset,* hic coma, cùm in suis rebus, quas tractauit, in suis actionibus; sic Luc. 16. 8. filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt, vel iuxtà suam durationem, & vitam; subditur: *voluntati Dei,* in cuius manu tempora nostra, *dormiuit*, idest, iuxtà Dei voluntatem; *& appositus est ad patres suos,* mortuus est, explicat verbum, *dormiuit*, sic Abraham; sic Ismael, & alij dicuntur ad patres suos appositi, quandò mortui. *Et vidit corruptionem:* adhùc enim extat sepulchrum eius, inquit Petrus. *Quem verò Deus suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem:* de hoc ergò, non de se Dauid intellexit. *Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc,* quem proposuit Deus propitiatorem, *vobis remissio peccatorum annunciatur*, quia deleuit morte sua chyrographum, quod contrà nos erat, affigens illud cruci, dummodò pœnitentiam agatis. *Et remissio ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari:* lex enim non iustificabat, vt latè in epist. ad Rom. & Gal. *In hoc* Iesu *omnis, qui credit, iustificatur;* sic & Rom. 5. iustificati igitur ex fide, &c. *Videte ergò ne*, dum non creditis, *superueniat vobis quod dictum est in prophetis* hæc præuidentibus. *Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus* adeò magnum *quod non credetis, si quis enarrauerit vobis*. sed quod opus? vt ex fide in Iesum quis iustificetur: de hoc enim in proximè præcedentibus. *Exeuntibus autèm illis* de Synagoga pòst concionem habitam, *rogabant vt sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc. Cumquè dimissa esset Synagoga,* Congregatio, *secuti sunt multi Iudæorum, & colentium* Deum *aduenarum, Paulum, & Barnabam*. crediderunt, fideles facti sunt. *Qui loquentes suadebant eis, vt permanerent in gratia Dei*, in fide, quam ex gratia Dei receperant. *Sequenti verò sabbato penè vniuersa Ciuitas conuenit audire verbum Dei*, Euangelium; non credo in Synagoga, sed in loco publico. *Videntes autèm turbas Iudæi repleti sunt zelo* inuidiæ, *& contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes*, fortè Iesum. *Tunc constantèr Paulus, & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei*, Euangelium, *Sed quoniam repellitis illud*, contradicentes, & blasphemantes, *& indignos vos iudicatis æternæ vitæ*, quæ ex fide in his, quæ vobis annunciamus, confertur, quasi contrà vosmetipsos sententiam ferentes: *Ecce conuertimur ad gentes*, quæ à Deo vocantur, & inseruntur in oliuam: *sic enim præcepit nobis Dominus*, cui tenemur obedire. *Posui te*, ò Messia, *in lucem gentium*, vt

vt sis in salutem, nedum Iudæo, sed *vsquè ad extremum terræ*, in mundo vniuerso. *Audientes autèm gentes* earum vocationem *gauisæ sunt, & glorificabant*, magnificabant *verbum Domini*, Euangelium, quod despiciebant Iudæi, ità vt sequantur per ordinem verba. Act. 1. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsquè ad vltimum terræ. & verè fundata fide in Iudæa, facilior fuit propagatio in gentibus. *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, prædestinati, vel loquitur secundùm communem vsum: credimus enim credentes, bonumquè operantes præordinatos ad vitam æternam, ab exterioribus sumentes indicium. *Disseminabatur autèm verbum Domini per vniuersam regionem* intèr Gentiles. euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. *Iudæi autèm* inuidi, gentes non sustinentes *concitauerunt mulieres religiosas, & honestas*, quas in antiqua lege retinebant, *& primos Ciuitatis*, quos decipiebant, *& excitauerunt persecutionem in Paulum, & Barnabam*, & eiecerunt eos de finibus suis. hùc tendebat persecutio; sic Geraseni rogantes cum Christo pòst porcos enectos. *At illi excusso puluere pedum in eos*, iuxtà formam à Christo datam, qua significabatur Ciuitatem sic in puluerem redigendam, *venerunt Iconium*. *Discipuli quoquè*, fideles Gentiles *replebantur gaudio, & Spiritu sancto* visibilitèr, vt suprà pluriès.



CAPVT XIV.



1 *ACTVM est autèm Iconij, vt simùl introirent in Sy-*
nagogam Iudæorum, & loquerentur, ità vt crederet Iu-
2 *dæorum, & Græcorum copiosa multitudo. * Qui verò*
increduli fuerunt Iudæi, suscitauerunt, & ad iracundiam
3 *concitauerunt animas Gentium aduersus fratres. * Mul-*
to igitur tempore demorati sunt, fiducialitèr agentes in Do-
mino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante
4 *signa, & prodigia fieri per manus eorum. * Diuisa est autèm multitudo ciui-*
tatis: & quidam quidèm erant cum Iudæis, quidam verò cum Apostolis.
5 ** Cùm autèm factus esset impetus Gentilium, & Iudæorum cum principibus*
6 *suis, vt contumelijs afficerent, & lapidarent eos, * intelligentes confugerunt ad*
ciuitates Lycaoniæ Lystram, & Derben, & vniuersam in circuitu regionem,
7 *& ibi euangelizantes erant. * Et quidam vir Lystris infirmus pedibus se-*
8 *debat, claudus, ex vtero matris suæ, qui numquàm ambulauerat. * Hic au-*
diuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet
9 *vt saluus fieret, * dixit magna voce: Surge supèr pedes tuos rectus. Et exili-*
10 *uit, & ambulabat. * Turbæ autèm cum vidissent quod fecerat Paulus, leua-*
uerunt vocem suam Lycaonicè dicentes: Dij similes facti hominibus, descende-
11 *runt ad nos. * Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium:*
12 *quoniàm ipse erat dux verbi. * Sacerdos quoquè Iouis, qui erat antè ciuitatem,*
13 *tauros, & coronas antè ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare. * Quod*
vbì audierunt Apostoli, Barnabas, & Paulus, conscissis tunicis suis exilie-
runt

14 *runt in turbas clamantes,* * *& dicentes: Viri quid hæc facitis? & nos morta-*
les sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti
ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis
15 *sunt:* * *qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.*
16 * *Et quidèm non sinè testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cælo, dans*
17 *pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra.* * *Et hæc*
18 *dicentes, vix sedauerunt turbas ne sibi immolarent.* * *Superuenerunt autèm*
quidam ab Antiochia, & Iconio Iudæi: & persuasis turbis, lapidantesquè Pau-
19 *lum, traxerunt extrà ciuitatem, existimantes eum mortuum esse.* * *Circum-*
dantibus autèm eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem, & postera die pro-
20 *fectus est cum Barnaba in Derben.* * *Cumquè euangelizassent ciuitati illi, &*
21 *docuissent multos, reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam,* * *con-*
firmantes animas discipulorum, exhortantesquè vt permanerent in fide: & quo-
22 *niàm per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* * *Et cum con-*
stituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunationibus,
23 *commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.* * *Transeuntesquè Pisidiam,*
24 *venerunt in Pamphyliam,* * *& loquentes verbum Domini in Perge, descen-*
25 *derunt in Attaliam:* * *& indè nauigauerunt Antiochiam, vndè erant tradi-*
26 *ti gratiæ Dei in opus, quod compleuerunt.* * *Cùm autèm venissent, & congre-*
gassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset
27 *Gentibus ostium fidei.* * *Morati sunt autèm tempus non modicum cum di-*
scipulis.



ACTVM est autèm Iconij, vt simùl Paulus, & Barnabas *introirent in Synagogam Iudæorum, & loquerentur* primùm illis annunciantes, *ità vt* ex verbis eorum *crederet Iudæorum, & Græcorum*, Gentilium *copiosa multitudo. Qui verò increduli fuerunt Iudæi, suscitauerunt, & ad iracundiam concitauerunt animas Gentium*, Gentilium animos non credentium *aduersùs fratres*, eos, qui crediderant. *Multo igitur tempore demorati sunt* Iconij, *fiducialitèr agentes in Domino,* in ministerio eorum prædicandi Euangelium, *testimonium perhibente verbo gratiæ suæ* per illos fato (explicat quomodò) *dante signa, & prodigia fieri per manus eorum*, per eorum ministerium; sic Marc. 16. Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. *Diuisa est autèm multitudo Ciuitatis* (eccè ignis, quem venit Christus mittere; eccè separationes charorum, de quibus in Euangelijs.) *Et quidam quidèm* non credentes *erant cum Iudæis* pertinacibus, *quidam verò* credentes *cum Apostolis:* In primitiua Ecclesia persecutio cœpit à Iudæis. *Cùm autèm factus esset impetus*, commotio, rixa *Gentilium, & Iudæorum cum Principibus suis, vt*, ità vt *contumelijs afficerent, & lapidarent eos* Apostolos, *intelligentes* Iudæorum machinas *confugerunt ad Ciuitates Lycaoniæ, Lystram, & Derben, & vniuersam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant* in ministerio eorũ. *Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat claudus ex vtero matris suæ, qui numquàm ambulauerat. Hic* vir *audiuit Paulum loquentem*, euangelizantem, & auditus per verbum Dei ad fidem illum excitauit. *Qui* Paulus *intuitus eum, & videns* ex reuelatione *quia fidem haberet vt saluus fieret*, sanaretur:

n

aretur: secundùm enim fidem & Christus dicebat, fiat vobis, *dixit magna voce*, vt cognosceretur ab omnibus ad gloriam Dei à quo hæc fierent: *Surge supèr pedes tuos rectus*, *& exiliuit* illicò, *& ambulabat* in signum veræ sanitatis collatæ. *Turba autèm* (eccè motus) *cùm vidissent quod fecerat Paulus*, vnico verbo, *leuauerunt vocem suam Lycaonicè, dicens: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos*, *&* more Gentilium *vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, quoniàm ipse erat Dux verbi* ob eminentiam scientiæ. *Sacerdos quoquè Iouis, qui erat antè Ciuitatem, tauros, & coronas antè ianuas* dominorum, in quibus Apostoli habitabant, *afferens, cum populis volebat sacrificare*, litare illis vti Dijs more Gentilium. *Quod vbì audierunt Apostoli, Barnabas, & Paulus*, stantes in eo loco, vbì prædicabant, cùm de alio nulla mētio, *conscissis tunicis exilierunt in turbas clamantes, & dicentes*, non assentientes; verisimile est etiàm Danielē cap. 2. 46. recusasse honores diuinos, quòd innuit Scriptura, vice quorum exaltauit eum Rex cum socijs: si enim illos admisisset, proùt fit mentiò horum, ità illorum fieret. Accedat virum pium, & Deum timentem, prophetico spiritu dignatum eos non admissurum, sicùt honores homine dignos non tulit diutiùs Petrus à Centurione, quem eleuauit. *Viri, quid hæc facitis* nobis, quasi Dijs sacrificando? *Et nos mortales sumus*, quibus sacrificia non offeruntur; sic & Petrus. Act. 10. 27. Surge, & ego homo sum: *annunciantes vobis* ex Euangelio, quod seminamus, *ab his vanis*, Idòlis scilicèt, quæ sunt ipsa vanitas. Baruch. 6. *conuerti ad Deum viuum*, relictis illis mutis, & mortuis, *qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt*, creatorem omnium; sic & Ioan. 2. *qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*, suo arbitrio se gerere, & in Psal. dimisit eos secundùm desideria cordis eorum; sic & infrà Act. 17. 26. & 30. vsquè ad tempus hoc sui aduentus, & prædicationis nostræ, & hoc ne dicerent; sic nos consueuimus, sic ab antiquis didicimus: fuit enim permissio Dei, sed malè ab illis gestum. *Et quidèm* non defuit Deus, quin præteritæ generationes intelligerent vias Domini, *non sinè testimonio semetipsum reliquit*, quin cognosci non potuerit ab illis, vt habetur etiam ad Rom. 1. *benefaciens de cælo* omnibus, qui illum recognoscere, & illi gratos esse debuerant, *dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra*, omnibus alimenta, & necessaria, & sufficientia auxilia præbens. Ex eorum peccato elicit occasionem veritatis prædicandæ, proùt & Christus cum Samaritana, & alibi sæpè. *Et hæc dicentes vix sedauerunt turbas ne sibi immolarent*, adeò erant intenti huic temeritati. *Superuenerunt autèm quidam ab Antiochia, & Iconio Iudæi, & persuasis turbis* instabilibus in contrarium contrà Apostolos, *lapidantesquè Paulum*, cui parùm antè offerre tamquàm Deo volebant, *traxerunt extra ciuitatem*, quasi cadauer, *existimantes eum mortuum esse*. *Circumdantibus autèm eum discipulis*, ne iterùm lapidaretur, quasi muro circumcingentibus, *surgens intrauit Ciuitatem, & postera die profectus est cum Barnaba in Derben*; vndè benè Christus, quanta oporteat pro nomine meo pati, & cum persecuti vos fuerint in vna Ciuitate fugite in aliam. *Cumquè euangelizassent Ciuitati illi, & docuissent multos*, (eccè ministerium) *reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam, confirmantes animas discipulorum*, credentium, *exhortantesquè vt permanerent in fide:* perseuerantia enim requiritur: *& quoniàm per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*; non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Considera, regrediuntur ad Ciuitates, in quibus passi erant persecutiones, tanta erat eorum charitas. *Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros*, & sic iàm hoc perfectum erat: ideò verba, *& orassent cum ieiunationibus*, pro populis intelligenda; propterea subditur, *commendauerunt eos Domino*, eos scilicèt, quibus Presbyteros constituerant, *in quem* Dominum *crediderunt*. Colligitur, quòd in discessu, & separatione abinuicèm orationes, & ieiunia præmittebant bona sibi inuicèm precantes, vt hic, & suprà cap. 13. 3. *Transeuntesquè Pisidiam venerunt in Pamphyliam, & loquentes*

quentes verbum Domini in Pergen, descenderunt in Attaliam; numerat loca, ad quæ appulerunt, & gesta in eis, *& indè nauigauerunt Antiochiam, vndè erant traditi gratiæ Dei:* ibì enim dictum: separate mihi Paulum, & Barnabam in opus, *quod compleuerunt* diligentèr. *Cum autèm venissent*, appulissent Antiochiam, *& congregassent Ecclesiam*, multitudinem, seù Ecclesiasticos, *retulerunt quanta fecisset Deus cum illis*, liberando eos à tot persecutionibus, *& quia aperuisset gentibus ostium fidei:* hoc enim erat mirabile intèr Iudæos. *Morati sunt autèm tempus non modicum* ibì *cum discipulis*, credentibus ad illos confirmandos, proùt suprà de alijs dixit.



CAPVT XV.

1 ET quidam descendentes de Iudæa, docebant fratres:
Quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non
2 potestis saluari. * Facta ergò seditione non minima Pau-
lo, & Barnabæ aduersùs illos, statuerunt vt ascende-
rent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad
Apostolos, & Presbyteros in Ierusalem supèr hac quæ-
3 stione. * Illi ergò deducti ab Ecclesia pertransibant Phœ-
nicem, & Samariam, narrantes conuersionem Gentium: & faciebant gau-
4 dium magnum omnibus fratribus. * Cum autèm venissent Ierosolymam, susce-
pti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & senioribus annunciantes quanta Deus
5 fecisset cum illis. * Surrexerunt autèm quidam de hæresi Pharisæorum, qui cre-
diderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoquè seruare legem
6 Moysi. * Conueneruntquè Apostoli, & seniores videre de verbo hoc. * Cum
7 autèm magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos
scitis quoniàm ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gen-
8 tes verbum Euangelij, & credere. * Et qui nouit corda Deus, testimonium
9 perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicùt & nobis, * & nihil discreuit in-
10 tèr nos & illos, fide purificans corda eorum. * Nunc ergò quid tentatis Deum,
imponere iugum supèr ceruices discipulorum, quod nequè patres nostri, nequè
11 nos portare potuimus? * Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari,
12 quemadmodum & illi. * Tacuit autèm omnis multitudo: & audiebant Barna-
bam, & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa, & prodigia in Genti-
13 bus per eos. * Et postquàm tacuerunt, respondit Iacobus, dicens: Viri fratres,
14 audite me. * Simon narrauit quemadmodum primùm Deus visitauit sumere
15 ex Gentibus populum nomini suo. * Et huic concordant verba Prophetarum,
16 sicùt scriptum est: * Pòst hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid,
17 quod decidit: & diruta eius reædificabo, & erigam illud: * vt requirant cæte-
ri hominum Dominum, & omnes gentes, supèr quas inuocatum est nomen
18 meum, dicit Dominus faciens hæc. * Notum à sæculo est Domino opus suum.

* Pro-

19 * Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad
20 Deum, * sed scribere ad eos vt abstineant se à contaminationibus simulachro-
21 rum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. * Moyses enim à tempori-
bus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicent in Synagogis, vbi
22 per omne Sabbatum legitur. * Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni
Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barna-
ba, Iudam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam viros primos in fratri-
23 bus, * scribentes per manus eorum. APOSTOLI, & seniores fra-
tres, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus,
salutem.
24 * Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos
25 verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus: * Placuit nobis col-
lectis in vnum, eligere viros, & mittere ad vos cum charissimis nostris Barna-
26 ba, & Paulo, * hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini No-
27 stri Iesu Christi. * Misimus ergò Iudam, & Silam, qui & ipsi vobis verbis re-
28 ferent eadem. * Visum est enim Spiritui sancto, & nobis nihil vltrà imponere
29 vobis oneris quàm hæc necessaria: * vt abstineatis vos ab immolatis simulachro-
rum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, benè
30 agetis. Valete. * Illi ergò dimissi, descenderunt Antiochiam: & congregata mul-
31 titudine tradiderunt epistolam. * Quam cum legissent, gauisi sunt super consola-
32 tione. * Iudas autem, & Silas, & ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo con-
33 solati sunt fratres, & confirmauerunt. * Facto autem ibi aliquanto tempore,
34 dimissi sunt cum pace à fratribus ad eos, qui miserant illos. * Visum est au-
35 tem Silæ ibi remanere: Iudas autem solus abijt Ierusalem. * Paulus autem,
& Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes, & euangelizantes cum alijs
36 pluribus verbum Domini. * Post aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Pau-
lus: Reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædica-
37 uimus verbum Domini, quomodò se habeant. * Barnabas autem volebat se-
38 cum assumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus. * Paulus autem ro-
gabat eum (vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in
39 opus) non debere recipi. * Facta est autem dissensio, ità vt discederent ab inui-
40 cem, & Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum. * Paulus ve-
41 rò electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus. * Perambulabat au-
42 tem Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta
Apostolorum, & seniorum.

ET *quidam descendentes de Iudæa docebant fratres: Quia nisi circuncidamini secundùm morem Moysi, non potestis saluari*. Hæc fuit contradictio Iudæorum, in quam in omnibus epistolis inuehitur Paulus, & alij Apostoli. *Facta ergò seditione non minima Paulo* (in quo quæ mutatio dexteræ excelsi, cum esset totus pro lege, nunc pro Christo contrà legem) *& Barnabæ* à fratribus, qui sic edocebantur à descendentibus de Iudæa, *aduersùs illos* ità docentes: vult dicere, fratres tumultuantes adierunt Barnabam, & Paulum, conquerentes contrà seminantes hanc doctrinam cogentem ad obseruantiam legalium. Fratres verò hi accurrerunt ad Paulum, & Barnabam, à quibus erant conuersi simplicitèr, nulla legalium facta mentione, vt illos tutarent, & manu tenerent, proùt introierant, & non valentes ipsi superare nouos hos magistros, fuit prouisum ex missione vtriusque partis hominum ad Apostolos in Ierusalem, & sic cessant tot intellectus. *Statuerunt vt ascenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex alijs* aduersantibus *ad Apostolos, & Præsbiteros in Ierusalem supèr hac quæstione*, & absquè dubio hæc est profectio Pauli Ierosolymam pòst annos quattuordecim cum Barnaba, & Tito, de quo non meminit hìc Lucas, quia non erat de electis legatis, vt ad Gal.2. in princip. quia ibi vltrà Barnabam socium, actum fuit de legalibus, proùt hìc, & quia dicit cum illis contulisse Euangelium seorsum ijs, qui videbantur aliquid esse, sed proptèr subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, &c. hi enìm sunt illi, qui legalia suscitabant, & pro legalibus stabant, & missi erant ex parte circunciforum contrà Paulum, & Barnabam in Ierusalem ad Apostolos, & tùnc ea occasione Paulus, & Barnabas declarati fuerunt Apostoli Gentium: Petrus, & Ioannes, & Iacobus circuncisionis, & in eo concilio vltrà Petrum, & Iacobum, interuenit Ioannes, vt volunt aliqui ex eadem Epist. ad Gal.2.9. & hinc clarum fit, profectionem Pauli in Ierusalem pòst tres annos, de qua in eadem Epist. ad Gal.1.18. esse illam, quandò tulit collectam, quia tùnc Petrum, & Iacobum tantùm vidit, vt ibi, non Ioannem. An autèm anni quattuordecim sint à die conuersionis, vel à triennio, remitto ad Chronologos. Illud certum, si attendamus texturam Epistolæ, à triennio illo computationem fiendam: non enim congruit hic sermo. Deindè pòst annos tres veni Ierosolymam, & deindè pòst annos quattuordecim iterum ascendi Ierosolymam, si nollet intelligere à dicto triennio, sed à die conuersionis: vel enim omittenda, vel addenda aliqua, vt caperetur à legentibus, si secùs erat. Sed vide scripta in Epist. ad Gal. An autèm vltrà Petrum, Iacobum, & Ioannem alij Apostoli interuenerint? credo omninò quòd non, quia non est verisimile eos euocatos à ministerio verbi in tanta operariorum necessitate, in tanta messe, & quia hæc non præcogitata ab Apostolis, sed ex improuiso apportata sunt Ierusalem, ita vt non fuerit illos vocandi copia vlla, & sicut illorum trium hìc, & in Epist. ad Gal. fit mentio, & assignatur Circuncisionis, & Gentium prædicatio præsentibus nominatis: sic & de alijs fieret; & discedentes concorditèr Apostoli de Ierusalem Symbolum composuerunt pro tessera, quasi præsagientes numquàm ampliùs in vnum in vita conuenturos. *Illi ergò*, Paulus, & Barnabas, *deducti ab Ecclesia* Antiochena, *pertransibant Phœnicem, & Samariam, narrantes conuersionem Gentium*, quæ erat eis inexpectata, & mirabilis, *& faciebant*, ostendebant *gaudium magnum* de hac conuersione *omnibus fratribus*. *Cum autèm venissent Ierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & Senioribus, annunciantes quanta Deus fecisset cum illis*, & in conuersione, & in persecutionibus, & infrà vers.12. hæc est collatio Euangelij facta à Paulo, de qua ad Gal. 2. 2. vndè concordat hanc esse illam pòst annos quattuordecim profectionē suā Ierosolymitanam, ad quod faciunt verba

Petri

Petri infrà verſ.7. *ab antiquis diebus. Surrexerunt autèm quidam de hæreſi*, ſecta *Phariſæorum*, *qui crediderunt* de habitantibus in Ieruſalem, non de miſſis ab Antiochia, moti in adiutorium miſſorum: ſi enim de miſſis, non diceret: *ſurrexerunt autèm quidam*. Sed obſerua neque hic, neque ſuprà quemquam nominari de Iudaizantibus, ne macula inuratur eis; ſic neque in litteris Concilij verſ.24. *dicentes: Quia oportet circuncidi eos* præputiatos credentes, *præcipere quoque eis ſeruare legem Moyſi. Conueneruntque Apoſtoli, & Seniores videre*, cognoſcere, decernere *de verbo hoc*, ſupèr hoc facto, negocio. Hoc primum Concilium Eccleſiæ; & aduerte, dicitur: *Conueneruntque Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc*, non plebs, non populus, & miſſi erant ad Apoſtolos, non ad hos infimos, licèt & hi poſſint deducere, conſulere, &c. *Cum autèm magna conquiſitio fieret* ſupèr deductis in controuerſiam, *ſurgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus* per ora Prophetarum; nàm antiquitatem non ſapiebat factum Cornelij ſatis propinquum: voluit enim id quod factum erat originem antiquam habuiſſe, vt ſolidiùs illud firmaret, & comprobat Iacobus verſ. 14. *primùm Deus viſitauit*, prouidit, propoſuit ex ſua miſericordia, non ex alicuius merito, ideò vtitur verbo (viſitare) *ſumere ex gentibus populum nomini ſuo*, iuxtà dicta per Paulum ſuprà cap.13. 47. ſed clariùs Iacobus verſ.15. dicens dicto Petri concordare verba prophetarum, proùt & Petrus ſuprà cap. 11. 43. *Deus in nobis*, per nos *elegit*, decreuit *per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere* ſuprà cap. 10. *Et qui nouit corda Deus*, qui ſciebat eorum fidem, *teſtimonium perhibuit*, propalauit hoc, *dans illis Spiritum ſanctum*, ſignum viſibile etiàm linguarum, non daturus niſi primò credidiſſent, *ſicut & nobis* dederat. Acto. 2. *& nihil diſcreuit intèr nos, & illos*: nàm & illi, ſicut nos, loquebantur varijs linguis ſuprà cap.2. & 10. *Fide purificans*, mundans, purgans *corda eorum*; quotquot autèm receperunt eum, dedit eis poteſtatem, &c. his qui credunt in nomine eius. Io.1. fides enim prima in iuſtificatione, ſinè qua impoſſibile eſt placere Deo; & ſuprà Acto.13.39. in hoc omnis, qui credit, iuſtificatur. *Nunc ergò, quid tentatis Deum* his ſignis euidentibus contrarium ſuadentibus *imponere iugum ſupèr ceruices diſcipulorum*, conuerſorum ex Gentibus, *quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus* abſque magna difficultate? adeò graue erat; *ſed per gratiam Domini Noſtri Ieſu Chriſti* omnia ſupplentem *credimus ſaluari, quemadmodum & illi*. Si ergò nos natura Hebræi ab eo onere liberi, & gratia ſola ſaluamur, quomodò ſub illo volumus ſupponere alios? *Tacuit autèm omnis multitudo*, acquieſcens dictis per Petrum, *& audiebant Barnabam, & Paulum narrantes quanta Deus feciſſet ſigna, & prodigia in Gentibus per eos* in confirmationem dictorum à Petro, ex quibus apparebat nil aliud in eis deſiderandum, præſertim legalia, Deo omnia approbante ſignis. *Et poſtquam tacuerunt*, Barnabas, & Paulus, *reſpondit Iacobus, dicens: Viri fratres, audite me. Simon narrauit quemadmodum primùm Deus viſitauit ſumere ex Gentibus populum nomini ſuo*, ſicut ex Hebræis iàm fecerat. *Et huic* dicto *concordant verba prophetarum, ſicut ſcriptum eſt*, & hæc Petrus tantùm adduxit. *Poſt hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud*. Id quod dixerat Angelus Mariæ: & regnabit in domo Iacob in æternum, quia regnum Dauid in Roboam filio Salomonis remanſit diminutum; at hæc ſpiritualitèr, & de Meſſia: ideò ſubdit: *vt requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes ſupèr quas inuocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc*, potens ſcilicèt, cui reſiſti non poteſt. *Notum à ſæculo eſt Domino opus ſuum*, hoc opus non eſt nouum, non eſt horum dierum, ſed ab æternitate, quod cœptum in Cornelio primo ex gentibus vocato expreſsè, & in ſignis: Reuertar ad Gentes, quas dimiſi ingredi vias ſuas in generationibus ſuis, vt per Paulum ſuprà cap.14. 15. & ex eis reædificabo tabernaculum, Eccleſiam, &c. quod meliùs declarat verſ. ſeq. *vt requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes, &c.* & ſic tabernaculum, ſeù Eccleſia non ſit reſtricta ad ſolos Iudæos,

Aduerte, Iacobus omittit reliquias Idumææ suo proposito non facientes, quas ponit Amos, quia de his erat maius dubium illo tempore: ideò reliquiæ Idumææ exprimuntur ibi ad magis exhilarandos Hebræos proptèr odium, quo in Idumæos ferebantur, vel vt persuaderentur ex conuersione Idumææ adeò ab eis auersæ, eo magis gentes omnes conuertendas, & ab ipsis possidendas. Aduerte etiàm ad verba (sicut in diebus antiquis) in Amos, quia referunt tempus antè distinctionem populi factam in Abraham, quasi vnus populus sit constituendus, vt priùs: & sic vniendi parietes diuisi, quæ omittit Iacobus, quia non erant de necessitate præsentis negocij: *proptèr quod ego iudico*, censeo *non inquietari* ad obseruantiam legalium, cogi *eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum, sed scribere ad eos*, conuersos gentiles, vt vers. 19. & cap. 21. 25. *vt abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicationis, & suffocatis, & sanguine.* vers. 20. omnia intelligit concilium ad litteram, proùt sonant, non alio modo: conciliares enim dispositiones strictè capiuntur. Cur hæc duo prohibita in specie non ceremonialia, contaminatio simulachrorum, & fornicationis? quia frequentia erant peccata gentilium, & fornicationem non reputabant peccatum; hìnc in omnibus ferè Epistolis Paulus in eam insurgit; vndè apponunt antidotum occasione legalium. At cur Paulus silet concilium hoc cum Corinthijs. 1. Cor. 8.? ibi dictum. Sed cur gentiles à suffocatis, & sanguine, quæ erant legalia? at erant & antè legem. Genes. 9. & congruum fuit donèc copularentur hi duo parietes, Gentiles, & Hebræi. vt per August. lib. 32. cap. 13. contrà Faustum. *Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis Ciuitatibus qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur*, & quia prohibita continebantur in lege, dicit Iacobus, non egent alia explicatione, nec Hebræis hæc scribenda; quia per omne Sabbatum in Synagogis hæc prædicantur: de Gentilibus enim hic agitur, pro quibus etiàm scribitur, vt infrà vers. 23. non Hebræis; & ideò nihil ad eos, & hæc non apponuntur in litteris scriptis ad fideles Gentiles. *Tunc placuit Apostolis, & Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam viros primos in fratribus*, intèr fratres, *scribentes per manus eorum Apostoli, & Seniores fratres*, litteras ab eis delatas, ne si à missis deferrentur, minùs æstimarentur, vel falsitatis arguerentur.

Dubium an is Sila comes, de quo Paulus. 2. Cor. 8. 19. pro negatiua, quia non fuit is comes ordinatus peregrinationis, vt ibi, sed assumpsit illum Paulus vers. 40. neque potest de eo dici (cuius laus in Euangelio per omnes Ecclesias.) Videtur potiùs Barnabas, qui fuit ordinatus vnà cum Paulo ad opus. Acto. 13. 2. sed incongruit quòd Paulus miserit illum, proùt ibi, quia ex se Euangelium prædicabat, cum esset Apostolus. cap. 10. & 13. & in hoc. vers. 39. in quo discessit à Paulo, & res insimùl ab eo gestæ commemorantur, & quia pòst hanc separationem non legitur ampliùs eos conuenisse; nec dicas, iterum conuenerunt, vt 1. Cor. 9. 6. nàm sermo de illo non stringit, vt possit dici præsens; Prætereà, si fuisset secum, est ne verisimile ipsum in principio Epistolæ non inscriptum, cum Sosthenes simùl nominatus eo minor? & si habuisset suum Barnabam, cur tantus angor pro Tito absente? nonnè melior Barnabas? neque Tito iungeretur Barnabas, sed Barnabæ Titus, & loquitur de Barnaba tamquàm de Apostolo, cui idem competebat quod sibi, non de præsente. Non obstat. Gal. 2. 13. vbi fit mentio Barnabæ Antiochiæ commorantis, dum ibi Paulus, quia fortè tùnc nondum abinuicèm secesserant, & si aliquandò conuenissent, aliqua mentio fieret à Luca in actis, & Paulus in eadem Epistola, quod communibus verbis sibi, & Barnabæ iniunctum erat de pauperibus, in executione verba ad se solum restringit, dicens: quòd etiam solicitus fuit hoc ipsum facere, Barnabam omittens, qui fortè iàm ab eo discesserat; Vndè opinio Card. Baronij de Sila erit verisimilior, & maximè quia Sila potiùs comes peregrinationis, quia electioni Pauli de eius persona consensit fortè Ecclesia: subditur enim: *traditus gratiæ à fratribus* cum Sila scilicèt iàm electo ab eo, proùt & su-

& suprà cap. 14. 22. 25. quàm Barnabas, qui fuit comes ad opus, ad quod Deus eos elegerat, & Silas erat intèr primos viros cum fratribus à Concilio cum Paulo, & Barnaba missus, & cum Paulo fuit in multis regionibus prædicans, vt in seqq. cc. Acto. & in Epistolis Pauli. Qui tamèn vellet tenere opinionem pro Barnaba, cui conueniunt verba (cuius laus in Euangelio, & datus mihi comes. Act. 13. & seqq.) necesse haberet adstruere, quòd etsi non dicatur in actis, pòst separationem se vniuerit Paulo, & tunc secuto esset, & vtatur verbo (misisse) quia Titus ėrat supèr negocio, quę omnia non transeunt absquè difficultate maxima. Opinio Card. Baronij magìs fundaretur, si Silanus pro Silà poneretur. 2. Cor. 1. vt tenent ibi Hieronymus, Theodoretus, Lyranus, & alij communitèr, & 1. & 2. Thes. in princip. in quibus etiàm præponitur Timotheo, fortè tamquàm comes peregrinationis huiusmodi. Confirmatur eadem opinio, quia Paulus dicit se Corinthiorum Epistolam, qui illos solos conuerterit: Ego plantaui, Apollo rigauit, &c. quòd si Barnabas secum in hoc opere fuisset, non negasset ei consortium; vndè existimandum non ampliùs conuenisse simul, præsertìm quia sicùt Silam sempèr habuit secum, & de illo fit mentio, sicut & de Apolline, multo magìs de Barnaba, si redijsset.

De Luca nihil constat ex actis, nec ipse peregrinationis comes, nequè de eo laus in Euangelio prædicato, de quo agit, non scripto, de quo non agit Apostolus: & Lucas non se manifestat comitem Pauli, nisi infrà cap. 16.

Apostoli, & Seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus: non enim hæc Iudæis, vt dixi: *salutem.*

Quoniam audiuimus à missis per nos, *quia quidam* Hebræi *ex nobis* fideles *exeuntes* à se ipsis *turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras,* volentes vobis legalia superinducere, *quibus non mandauimus:* id explicant, ne putent ex eorum scientia, vel iussu id contigisse, & ex hoc se expurgent, & fortè hoc scuto vtebantur mali illi seminatores. *placuit nobis collectis in vnum*, vt firmiora sint illa, & obedientia digna; *eligere viros, & mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba, & Paulo hominibus qui tradiderunt animas suas* voluntariè *pro nomine Domini Nostri Iesu Christi* (hos commendant, vt illis adhibeatur fides, cum iàm starent legalia non obseruanda.) *Misimus ergò Iudam, & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem,* quæ nos scribimus. *Visum est enim Spiritui sancto* (ad omnia stabilienda hoc vtuntur, & quia ille gubernat omnia) *& nobis* congregatis *nihil vltrà imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatus simulachrorum,* ne ad idòlolatriam fierent procliues, *& sanguine, & suffocato,* vt aliquo modo conuenirent cum Hebræis conuersis, & melior fieret vnio, *& fornicatione* intèr Gentiles frequenti, & incognita sub nomine peccati, *à quibus custodientes vos benè agetis* absquè alia legalium obseruatione. *Valete.* Nil aliud credo actum in hoc concilio, tùm quia non aderant nisi duo, vel tres Apostoli ex duodecim, tùm quia de alijs nihil à Luca, tùm quia congregatum fuit ex causa seditionis ortæ in Antiochia, quę terminata fuit. *Illi ergò dimissi* à Ierusalem, *descenderunt Antiochiam, & congregata multitudine tradiderunt Epistolam* cōciliarem; *Quam cum legissent* congregati, *gauisi sunt supèr consolatione,* quam receperunt libertatis à legalibus. *Iudas autèm, & Silas & ipsi cum essent prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt* in fide, quam tenebant. *Facto autèm ibi aliquanto tempore,* seù mora, *dimissi sunt cum pace à fratribus ad eos, qui miserant illos* à Ierusalem. *Visum est autem Silæ* sic dimisso *ibi* in Antiochia *remanere. Iudas autèm solus abijt Ierusalem. Paulus autèm, & Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes, & euangelizantes cum alijs pluribus verbum Domini,* Euangelium.

Volunt aliqui hoc tempore contigisse reprehensionem Pauli contrà Cepham, de qua ad Gal. 2. At vt agnoscamus in quo reprehensibilis esset Petrus, qui meruerit publicè à Paulo reprehendi (id enim inficiari non possumus in defensionē Petri, quia Paulus mendacium non dixisset) præmittendum est

est certum, & exploratum fuisse apud Apostolos legalia ceremonialia cessasse, & eorum loco subrogandam legem Euangelicam, quia illa futura hæc omnia perfecta profert. At quia Hebræi erant suæ legis tenacissimi. Acto.21.20. visum fuit conniuere, vt quædam non dissentientia ab Euangelio seruarent in his initijs, ne scandalizati (si prohiberentur in totum) alienarentur à fide, ad quam eorum magnus concursus factus fuerat, quod colligitur. Acto. 21. 20. cum seqq. sic enim infirmi firmandi ad Rom. cap.14. Infirmum, &c. Gal. 6. 1. At quia legalium defensio eò deuenerat, vt ostio Gentilibus aperto, vellent Hebræi & gentes ad legalium obseruantiam cogere, facta est seditio Antiochiæ supèr his, & missis legatis Ierusalem, ex Concilio iussum est non grauari gentes, nisi quòd abstinerent à fornicatione, immolatis simulachrorum, sanguine, & suffocato, vt vidimus, prima respicientia gentilitatem, secunda vt quamdam simultatem, vnionem, & connexitatem seruarent cum Hebręis, recessura tamèn, & abroganda, prout & sensim factum est, cum non essent necessaria, sed ceremonialia; si ergò expedire cognouissent, illicò omnia legalia ceremonialia abrogassét; hoc autèm tempore licebat Hebræo hebraicè, & gentilitèr viuere (supèr Hebræis enim nihil disposuerat Concilium) tamèn Hebræi gentilitèr viuentes scandalizabant alios Hebræos in legalibus adhùc insistentes, & Gentiles hebraicè. At nullus astringebatur, sed hæc erat differentia: in Hebræo conuerso tolerabatur, & non infringebatur Euangelium, vel quidquam patiebatur. At in Gentili, in quo hæc fiebant de nouo, Euangelio præiudicabatur, quia veritas Euangelij propagandi, & subrogandi legi Mosaycæ, & asserentis omnia perfecta in Christo, quæ in figuris in ea lege habebantur, vacillabat, dum lex Mosayca abrogata, & cessatura ad Gentiles iàm liberatos illius iugo extendebatur, & hoc non erat dispositum in Concilio, sed omissum, at intèr Apostolos animaduersum; Hinc grauis reprehensio Apostoli in Galatas Gentiles iudaizantes, vt in Epistola ad eos. Hoc sic stabilito, Petrus qui edebat Antiochiæ cum gentibus. Cum autèm venissent quidam à Iacobo, subtrahebat, & segregabat se timens eos, qui erant ex circuncisione, & ad hanc simulationem exemplo suo traxerat cæteros Iudæos, & Barnabam addictos suæ legi Mosaycæ, fuit reprehensibilis, quia hac simulatione sua cogebat non vi, sed exemplo (etsi ipse gentilitèr viueret) gentes iudaizare; vndè non rectè ambulabat ad veritatem, & ad propagationem Euangelij destructuri penitùs legalia, & hæc sua simulatio eò erat maioris ponderis, quò descendebat ab eo omnium capite, qui interuenerat in Concilio, & facta Antiochiæ vbì iàm seditio de recenti suborta erat supèr his legalibus: videntes enim Gentiles conuersi Petrum se retrahentem ab esu cum illis, & simulantem, poterant dicere nos parui ducimur à Petro, qui heri nobiscum edebat, hodiè, his aduentantibus, se subtrahit, & fortè nos malè liberati sumus à legalibus, & meliùs erit illa assumere, postquàm videmus Petrum nobiscum mutatum; & sic causa Gentilium claudicabat, ità vt etiàm ratione oneris multi retrocedere possent: vel alij auerti, & non subdere collum Euangelio. Ni mirum, si reprehendit illum Paulus coràm omnibus, tùm quia simulatio nota, tùm quia edocendi erant omnes ne Petrum in simulatione imitarentur, & satisfieret Gentilibus grauatis, & non benè sentientibus, & ipsi non inducerentur ad legalia amplexanda sublata, & cessatura, in quibus extirpandis difficilior fuisset prouincia, si Gentiles illis vsi essent, & hìnc Euangelicæ veritati præiudicabatur; Ideò Paulus, ne Gentiles plus sumerent de legalibus, & ne gentes auerterentur à fide ob legalia seruanda adeò onerosa, vt nec ipsi, nec Patres eorum illa portare potuerint, publicabat vbiquè Concilium. Acto.16.4. Dedit ergò his occasionem Petrus ob suam simulationem, qui in parte excusandus, cum id fecerit ne suos Hebræos scandalizaret, non animaduertens in peius prolabi, & ex sua actione, quam rectam putabat, offici Euangelio respectu gentilium. Quòd si Gentilium nulla habenda fuisset ratio, non erat reprehensibilis, quia de directo non agebat contrà Concilium, & Paulus circumcidit Timotheum infrà cap. 16. 3. permisit Aquilam

ton-

tondere in Cenchris infrà cap. 18. 18. ex consilio omnium purificauit seipsum, tempori, & occasioni se componens, & accommodans proptèr Hebræos, nec peccauit, quia adhùc abrogata non erant legalia, sed benè fecit. Acto. 21. 25. At reprehensibilis saltèm fuit Petrus in hoc tantùm minimo, quia dum noluit Hebræos, scandalizauit nolens,& non aduertens Gentiles. At quomodò ex legalium obseruatione fiebat contrà veritatem Euangelij? quia Euangelium dicebat omnia legalia, ritus, figuras impletas in Christo,& vsus eorum indicabat contrarium, ni mirum, si Paulo hæc displicebant; lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est; Vndè tempus erat insistendi veritati Euangelij, non legalibus, quæ in figuris versabantur,& is videtur intellectus loci illius ad Gal.2.

Pòst aliquot autèm dies dixit ad Barnabam Paulus, cum diù Antiochiæ permansissent: *reuertentes visitemus fratres*, fideles *per vniuersas Ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini*, Euangelium, *quomodò se habeant*, sistant in fide, & præceptorum obseruantia. *Barnabas autem volebat secum assumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum (vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non esset cum eis ad opus* supra cap. 13. 5. 14. vidè quanti id faciebant*) non debere recipi:* obserua, rogabat Paulus. *Facta est autèm dissensio, ità vt discederent abinuicèm*, non tamèn fracta charitate, *& Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprùm. Paulus verò electo Sila profectus est;* sic separati abinuicèm Abraham,& Lot. Gen. 13. *Traditus gratia Dei à fratribus* votis,& orationibus Deo commendantibus; sic suprà cap. 13.& 14. & 2. Cor. 1. & in gratia Dei, & infrà 20. 32. *Perambulabat autèm* Paulus *Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias;* iuxtà quod communicauerat cum Barnaba, *præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum*, de quibus in Concilio, quod & infrà cap. 16. 4. clariùs.



CAPVT XVI.

1 *PERVENIT autèm Derben, & Lystram. Et eccè*
discipulus quidam erat ibì nomine Timotheus, filius mu-
2 *lieris Iudææ fidelis, patre Gentili. * Huic testimonium*
bonum reddebant qui in Lystris erant, & Iconio fratres.
3 ** Hunc voluit Paulus secum proficisci: & assumens cir-*
cumcidit eum proptèr Iudæos, qui erant in illis locis.
Sciebant enìm omnes quòd Pater eius erat Gentilis.
4 *Cum autèm pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant*
5 *decreta ab Apostolis & senioribus, qui erant Ierosolymis. * Et Ecclesiæ quidèm*
6 *confirmabantur fide, & abundabant numero quotidiè. * Transeuntes autèm*
Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum
7 *Dei in Asia. * Cum venissent autèm in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam:*
8 *& non permisit eos Spiritus Iesu. * Cum autèm pertransissent Mysiam, descen-*
9 *derunt Troadem: * & visio per noctem* Paulo *ostensa est: Vir Macedo quidam*
erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adiuua
10 *nos. * Vt autèm visum vidit, statìm quæsiuimus proficisci in Macedoniam,*
11 *certi facti quòd vocasset nos Deus euangelizare eis. * Nauigantes autèm à*
Troa-

12 *Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim: * &*
indè Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas, Colonia. Era-
13 *mus autèm in hac Vrbe diebus aliquot, conferentes. * Die autèm Sabbatorum*
egressi sumus foràs portam iuxtà flumen, vbì videbatur oratio esse: & seden-
14 *tes loquebantur mulieribus, quæ conuenerant. * Et quædam mulier nomine Ly-*
dia, purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum, audiuit: cuius Do-
15 *minus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo. * Cum autèm bapti-*
zata esset, & domus eius, deprecata est dicens: Si iudicastis me fidelem do-
16 *mino esse, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos. * Factum est*
autèm euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum py-
thonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinan-
17 *do. * Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Isti homines serui Dei*
18 *excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. * Hoc autèm faciebat mul-*
tis diebus. Dolens autèm Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi
19 *in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exijt eadem hora. * Videntes autèm*
Domini eius quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum, & Si-
20 *lam perduxerunt in forum ad Principes: * & offerentes eos magistratibus, di-*
21 *xerunt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cum sint Iudæi: * & an-*
nunciant morem, quem non licet nobis suscipere, nequè facere, cum simus Ro-
22 *mani. * Et cucurrit plebs aduersùs eos: & magistratus, scissis tunicis eorum,*
23 *iusserunt eos virgis cædi. * Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos*
24 *in carcerem, præcipientes custodi vt diligentèr custodiret eos. * Qui cum tale*
præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit
25 *ligno. * Media autèm nocte Paulus, & Silas orantes, laudabant Deum: &*
26 *audiebant eos, qui in custodia erant. * Subitò verò terræmotus factus est ma-*
gnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et statìm aperta sunt omnia
27 *ostia: & vniuersorum vincula soluta sunt. * Expergefactus autèm custos car-*
ris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere,
28 *æstimans fugisse vinctos. * Clamauit autèm Paulus voce magna, dicens:*
29 *Nihil tibi mali feceris: vniuersi enìm hìc sumus. * Petitoquè lumine, intro-*
30 *gressus est: & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes: * & producens eos*
31 *foràs, ait: Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam? * At illi dixe-*
32 *runt: Crede in Dominum Iesum: & saluus eris tu, & domus tua. * Et locu-*
33 *ti sunt ei verbum Domini cum omnibus, qui erant in domo eius. * Et tollens*
eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum: & baptizatus est ipse, & omnis do-
34 *mus eius continuò. * Cnmquè perduxisset eos in domum suam, apposuit eis men-*
35 *sam, & lætatus est cum omni domo sua credens Deo. * Et cum dies factus es-*
36 *set, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos. * Nuncia-*
uit autèm custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt magistratus vt di-
37 *mittamini, nunc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autèm dixit eis: Cæsos*
nos publicè, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc oc-
cultè

38 *cultè nos eijciunt? Non ità: sed veniant, * & ipsi nos eijciant. Nunciauerunt*
autem magistratibus lictores verba hæc. Timueruntquè audito quòd Romani
39 *essent: * & venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant vt egrederen-*
40 *tur de Vrbe. * Exeuntes autèm de carcere, introierunt ad Lydiam: & visis*
fratribus consolati sunt eos, & profecti sunt.




PERVENIT *autèm Derben, & Lystram. Et eccè discipulus quidam erat ibì nomine Timotheus, filius mulieris Iudææ fidelis, patre Gentili,* ideò sequebatur conditionem patris. *Huic* Timotheo *testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant, & Iconio fratres,* fideles. *Hunc voluit Paulus secum proficisci* ad opus, seù ministerium, *& assumens circumcidit eum proptèr Iudæos, qui erant in illis locis*(eccè quomodò nondum sepulta lex Mosaica.) *Sciebant enim omnes quòd Pater eius erat Gentilis*(fortè nondum illi capaces erãt etiàm Gentiles vocari.) *Cum autèm pertransirent Ciuitates, tradebant eis* præputiatis conuersis *custodire dogmata,* præcepta, *quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Ierosolymis;* sic & suprà cap. 15. in fin. *Et Ecclesiæ quidèm confirmabantur fide, & abundabãt numero quotidiè.* Fructificabat semen satum à Paulo. *Transeuntes autèm Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto* eos dirigente *loqui verbum Dei in Asia*, aliò amandandi. *Cum venissent autèm in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu. Cum autèm pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem: Et visio per noctem Paulo ostensa est*(eccè cur prohibiti loqui verbum in Asia.) *Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: transiens in Macedoniam adiuua nos.* Is Angelus Prouinciæ; hinc quàm soliciti Angeli nostræ salutis, & Prouinciarum ei commissarum; quod & ex Daniele in resistente viginti, & vno diebus Daniel. 10. 15. *Vt autèm visum vidit, statìm* obedientes visioni *quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quòd vocasset nos Deus euangelizare eis.* Eccè quomodò Deus prouidet suis. *Nauigantes autèm à Troade recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim, & indè Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ Ciuitas, Colonia. Eramus autèm in hac Vrbe diebus aliquot, conferentes.* hìc Lucas manifestat se comitem Pauli. *Die autèm Sabbatorum egressi sumus foràs portam iuxta flumen, vbì videbatur oratio,* congregatio *esse: & sedentes* more docentium *loquebamur mulieribus, quæ conuenerant;* hinc pro deuoto fœmineo sexu; sic suprà cap. 12. in Mariæ conuentu. in hoc cap. in domo Lydiæ cap. 17. fit mentio Gentilium fœminarum conuersarum. vers. 4. & 12. & 34. de Damari; vndè vera est antiphona, pro deuoto fœmineo sexu, & quotidiè probamus. *Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria Ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum, audiuit* corde sincero: *cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo:* ideò Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autèm incrementum dedit: totum facit Deus. *Cum autèm baptizata esset, & domus eius, deprecata est dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse,* dignam, in cuius domum introeatis hospitaturi, *introite in domum meam, & manete,* hospitamini, *& coegit nos;* sic duo discipuli Iesum coegerunt. *Factum est autèm euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum Pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis diuinando;* dicas spiritum inhabitantem, quem eiecit Paulus, vt infrà vers. 18. *Hæc subsecuta Paulum, & nos clamabat, dicens: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciãt vobis viam salutis.* inuitus, & coactus hæc proferebat dæmon: nàm non potest dici, quod in Christo in Euangelijs dictum, dæmonem hæc proferre ad expiscandum qui essent. *Hoc autèm faciebat*

multis

multis diebus sic coactus, fortè sic permittente Deo, vt eijceretur à Paulo, & ipse Deus glorificaretur. *Dolens autèm Paulus*, qui nolebat neque veritatem à dæmone audire, proùt neque Christus, qui dixit: Obmutesce,&c. & vt Gentiles non attribuerent miracula magicis artibus, proùt Iudæi calumniabantur miracula Christi. *Et conuersus* versùs puellam, *spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea, & exÿt eadem hora* ad hoc imperium, cui resistere non valuit. *Videntes autèm domini eius* puellæ, *quia exiuit* dæmon & euanuit *spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum, & Silam* priuata auctoritate *perduxerunt in forum*, in tribunal *ad principes* Ciuitatis, *& offerentes eos magistratibus dixerunt* falsò: *Hi homines conturbant Ciuitatem nostram, cum sint Iudæi, & annunciant morem*, legem (consuetudo enìm est alia lex) *quem non licet nobis suscipere, neque facere cum simus Romani*, Romanis subditi; à diuersitate nationis, & legis arguunt Apostolos seductionis, magno errore ducti; sic & contrà Christum. Luc. 23.2.5. hunc inuenimus subuertentem gentem nostram. Commouet populum docens, &c. *Et cucurrit plebs aduersùs eos* insistens, commota de facili ab illis dominis interesse habentibus ob lucrum cessans. *Et magistratus scissis tunicis eorum*, Pauli scilicèt, & Silæ: de alijs enìm non potest intelligi, cum de illis, non de magistratibus nisi iubentibus agatur, & quia nulla vertebatur causa, vt ipsi vestes scinderent, sed cædendorum; *iusserunt eos virgis cædi. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes Custodi vt diligentèr custodiret eos*. Hoc præmittit, ne miremur, si adeò timuit, & doluit custos putans eos euasisse. *Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno*. Scribit diligentiam custodis, vt quò ea maior, maius appareat miraculum liberatorum. *Media autèm nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum* in tribulatione, (quod & docet nos Iacobus) *& audiebant eos, qui in custodia erant*, in carcere positi, nàm custos dormiebat. *Subitò verò terræmotus factus est magnus, ità vt mouerentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt*. Is strepitus, vt omnibus hoc mirabile innotesceret, & glorificaretur Deus in Apostolis, & conuersione aliorum. *Expergefactus autèm Custos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos*, & timens produci ad mortem, proùt illi Petro abducto, præsertìm ob insolitum præceptum custodiæ iniunctæ, ex quo existimauit eos grauibus delictis teneri. *Clamauit autèm Paulus voce magna, dicens*, misertus eiusdem: *Nihil tibi mali feceris: vniuersi enìm hic sumus*; æstimauit Paulus hac de causa velle sibi mortem consciscere. *Petitoquè lumine* à suis, *introgressus est: & tremefactus procidit Paulo, & Silæ ad pedes*; initium sapientiæ timor Domini; *Et producens eos forás* in domum suam, cognouit ipsorum causa hæc mirabilia patrata: retinuerat enim diutiùs alios pro quibus hæc non successerant. *Ait: Domini, quid me oportet facere vt saluus fiam?* sic illi cum Ioanne Baptista, alij cum Petro suprà; *at illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum* Christum, *& saluus eris tu, & domus tua. Et locuti sunt ei verbum Domini*, Euangelium *cum omnibus, qui erant in domo eius*; sic per vnum Zachæum domus tota, per vnum Centurionem domus sua, & omnes amici, & cognati suprà cap. 10. *Et tollens eos in illa hora noctis lauit plagas eorum* (eccè fidei coniuncta charitas, quæ nescit tarda molimina) *& baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò*, omnes catechizati à Paulo, & Silà. *Cumquè perduxisset eos in domum suam* (nunc supplet quod præcedere debuit) *apposuit eis mensam*, refecit illos cibo (eccè alius gradus charitatis) *& lætatus est cum omni domo sua credens Deo*. hilaritèr cum illis egit: hilarem enim datorem diligit Deus: seruite Domino in lætitia, *Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos*. Cur hæc mutatio, nisi dextera excelsi? iusserant custodiri, nunc diluculò iubent dimitti; vel aliquid audierunt de terræmotu à ministris custodis, vel irruerat in eos timor per somnia iniectus, vel alio modo Deus egerat pro suis. *Nunciauit autèm custos carceris*

verba

verba hæc Paulo: quia miserunt magistratus, vt dimittamini; *nunc igitur exeuntes ite in pace*. *Paulus autèm dixit eis* lictoribus, qui nomine magistratus venerant dimissuri: *Cæsos nos publicè, indemnatos*, nullo ordine seruato tamquàm reos *homines Romanos miserunt in carcerem*, *& nunc occultò nos eijciunt* quasi iniquos? *Non ità* erit, *sed veniant*, *& ipsi nos eijciant*. non erat tempus offerendi alteram maxillam, sed volebat Paulus ex hoc constare de eorum innocentia, & iniquitate magistratus. *Nunciauerunt autèm magistratibus lictores verba hæc* Pauli, *timueruntquè audito quòd Romani essent*, quos non licebat cædere: *& venientes deprecati sunt eos*, vt acquiescerent, *& educentes* è carceribus *rogabant vt egrederentur de Vrbe*, proùt Geraseni cum Christo de finibus eorum; & sic Paulus habuit intentum, & apparuit de eius innocentia; hìnc terræmotus etiàm factus, vt Paulus, & Silas refocillarentur, & saluus fieret custos cum domo sua, nàm reuersi sunt iterum ad carceres, ex quibus etiàm licentia habita exeundi, noluerunt, sed à magistratibus eijci, vt eorum innocentia fieret manifesta; vndè Paulus, & Silas hæc cognouerunt successura: si enim aperti carceres vt euaderent, tentassent Dominum iterum redeundo ad illos, in quibus iniustè detinebantur. Sed cur Petrus ab Angelo eductus non redijt ad carceres, proùt Paulus, & Silas, sed aufugit, vndè Custodes ducti? quia Petrus producẽdus, idest, occidendus erat, non Paulus, qui ideò iubetur exire. Hinc talis iussus non ex auditu terræmotus, cuius causa etiàm reuelanda, non ex relatione custodis, qui fortè non recessit à carcere, nec absquè iussu Pauli retulisset, nec credendum Paulum, qui redierat ad carceres, iussisse, sed quia contenti eos cædisse ad sedandum tumultum popularem iudicabant dimittendos, quos indicta causa, & indemnatos, nullo scilicèt ordine seruato, iusserant cædi. *Exeuntes autèm de carcere introierunt ad Lydiam*, de qua suprà, non ad aliquam regionem; quia nec verbum, *introierunt*, nec visio fratrum se conformat, & Lydiæ facta est mentio proximè, & verba conueniunt; *& visis*, salutatis *fratribus consolati sunt eos*, qui dolorem, & timorem ex eorum flagellationibus, & carcere contraxerant, *& profecti sunt* indè.



CAPVT XVII.

1 *CVM autèm perambulassent Amphipolim, & Apollo-*
niam, venerunt Thessalonicam, vbi erat Synagoga Iu-
2 *dæorum.* * *Secundùm consuetudinem autèm Paulus in-*
troiuit ad eos, & per Sabbata tria disserebat eis de Scri-
3 *pturis,* * *adaperiens & insinuans quia Christum oportuit*
pati, & resurgere à mortuis: & quia hic est Iesus Chri-
4 *stus, quem ego annuncio vobis.* * *Et quidam ex eis cre-*
diderunt, & adiuncti sunt Paulo, *& Silæ, & de colentibus, Gentilibusquè*
5 *multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.* * *Zelantes autèm Iudæi, as-*
sumentesquè de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitauerunt ci-
uitatem: & assistentes domui Iasonis quærebant eos producere in populum. * *Et*
6 *cùm non inuenissent eos, trahebant Iasonem, & quosdam fratres ad* Principes
ciuitatis, clamantes: Quoniàm hi, qui Vrbem concitant, & hùc venerunt,
7 * *quos suscepit Iason, & hi omnes contrà decreta Cæsaris faciunt, regem alium*

I *dicen-*

8 *dicentes esse, Iesum.* * *Concitauerunt autèm plebem, & Principes ciuitatis au-*
9 *dientes hæc.* * *Et accepta satisfactione à Iasone: & à cæteris, dimiserunt eos.*
10 * *Fratres verò confestìm per noctem dimiserunt Paulum, & Silam in Be-*
11 *roeam. Qui cum venissent, in Synagogam Iudæorum introierunt.* * *Hi au-*
tèm erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum
12 *omni auiditate, quotidiè scrutantes Scripturas, si hæc ità se haberent.* * *Et mul-*
ti quidèm crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honestarum, & viri
13 *non pauci.* * *Cum autèm cognouissent in Thessalonica Iudæi, quia & Beroeæ*
prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc commouentes, & tur-
14 *bantes multitudinem.* * *Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, vt iret*
15 *vsquè ad mare: Silas autèm, & Timotheus remanserunt ibì.* * *Qui autèm de-*
ducebant Paulum, perduxerunt eum vsquè Athenas, & accepto mandato
ab eo ad Silam, & Timotheum vt quàm celeritèr venirent ad illum, profecti
16 *sunt.* * *Paulus autèm cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus eius in*
17 *ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem.* * *Disputabat igitur in Synagoga*
cum Iudæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies ad eos, qui aderant.
18 * *Quidam autèm Epicurei, & Stoici Philosophi disserebant cum eo, & quidam*
dicebant: Quid vult seminiuerbius hic, dicere? Alij verò: Nouorum dæmonio-
rum videtur annunciator esse: quia Iesum, & resurrectionem annunciabat eis.
19 * *Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire quæ*
20 *est hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina?* * *noua enìm quædam infers auribus*
21 *nostris. Volumus ergò scire quidnam velint hæc esse.* (* *Athenienses autèm om-*
nes, & aduenæ hospites, ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere, aut audire
22 *aliquid noui.*) * *Stans autèm Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenien-*
23 *ses per omnia quasi superstitiosiores vos video.* * *Præteriens enìm, & videns*
simulachra vestra, inueni & Aram, in qua scriptum erat: IGNOTO
24 *DEO. Quod ergò ignorantes colitis, ego annuncio vobis.* * *Deus, qui fecit*
mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus, non
25 *in manufactis templis habitat,* * *nec manibus humanis colitur indigens aliquo,*
26 *cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia:* * *fecitquè ex vno*
omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, definiens sta-
27 *tuta tempora, & terminos habitationis eorum,* * *quærere Deum si fortè attre-*
28 *ctent eum, aut inueniant, quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum.* * *In*
ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum Poe-
29 *tarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus.* * *Genus ergò cum simus Dei, non*
debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitatio-
30 *nis hominis, Diuinum esse simile.* * *Et tempora quidèm huius ignorantiæ de-*
spiciens Deus, nunc annunciat hominibus vt omnes vbique pœnitentiam agant,
31 * *eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in*
32 *quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* * *Cum audissent*
autèm resurrectionem mortuorum, quidam quidèm irridebant, quidam verò
dixe-

33 *dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.* * *Sic Paulus exiuit de medio eorum.*
34 * *Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areo-
pagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.*




VM autèm perambulassent Amphipolim, & Apoloniam, venerunt Thessalonicam, vbi erat Synagoga Iudæorum. Secundùm consuetudinem autèm Paulus, quam habebat intrandi per Synagogas, proùt Dominus. Luc.4. 16. nec aliud inferrem, quia hìc nihil de Gentilibus; *introiuit ad eos, & per Sabbata tria disserebat eis de Scripturis, adaperiens, & insinuans quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis.* hìc versabatur difficultas, quia Crux erat scandalum Iudæis, stultitia Gentibus: ideò Apostoli annunciantes Christum crucifixum in hoc insudabant. *Et quia hic est Iesus Christus,* Messias, *quem ego annuncio vobis,* quem vos quæritis, & expectatis. *Et quidam ex eis,* quorum Deus corda tetigerat, *crediderunt, & adiuncti sunt Paulo, & Silæ, & de colentibus,* Deum scilicèt, vt infrà vers.17.& cap.18.7.Titi colentis Deum, maximè quia subdit: *Gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ;* sic infrà vers. 11. *nobiliores,* quasi ex hac origine plus cæperint. *Zelantes autèm* zelo malo *Iudæi;* sic & de his perturbationibus Paulus. 1.Thes.1.2. 14. *assumentesquè de vulgo viros quosdam malos,* (nobiles enìm Gentiles sequebantur Paulum infrà vers. 11.) *& turba facta, concitauerunt Ciuitatem* contrà Apostolos, *& assistentes domui Iasonis,* in qua ipsi hospitabantur, *quærebant eos* indè *producere in populum* ad necem: verbum enìm, *producere,* in Act.Apost. sæpiùs sic capitur, præsertìm suprà cap. 12. 6. Cum autèm producturus eum esset Herodes. *Et cum non inuenissent eos* domi, *trahebant Iasonem, & quosdam fratres,* fideles *ad Principes Ciuitatis, clamantes: Quoniam hi* sunt, *qui Vrbem concitant, & huc venerunt, quos suscepit* hospitio *Iason, & hi omnes contrà decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse Iesum.* Ex verbis apparet de calumnia, proùt contrà Christum coràm Pilato. *Concitauerunt autèm plebem, & Principes Ciuitatis audientes hæc,* timentes proùt Pilatus, ne rebellionis insimularentur. *Et accepta satisfactione à Iasone, & à cæteris,* qui obiecta euacuarunt, *dimiserunt eos* liberos. *Fratres verò,* fideles *confestim per noctem dimiserunt Paulum, & Silam in Beroeam* sequentes dictum Christi; Cùm persecuti vos fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam. *Qui cum venissent* Beroeam, *in Synagogam Iudæorum introierunt* Euangelium nunciaturi. *Hi autèm* de Synagoga *erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidiè scrutantes Scripturas, si hæc ità se haberent,* sequentes dictum Christi; scrutamini Scripturas: de me enìm illæ loquuntur. *Et multi quidem crediderunt ex eis* de Synagoga, *& mulierum Gentilium honestarum, & viri* Gentiles *non pauci. Cum autem cognouissent in Thessalonica Iudæi, quia & Beroeæ prædicatum est à Paulo verbum Dei,* Euangelium, *venerunt & illùc, commouentes, & turbantes multitudinem,* plebem ad hos motus faciliorem. *Statimque tùnc Paulum dimiserunt fratres,* fideles, *vt iret vsque ad mare,* ne mali aliquid pateretur. *Silas autem, & Timotheus remanserunt ibi* apud eos. *Qui autem deducebant Paulum* ad mare, *perduxerunt eum vsque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam, & Timotheum vt quàm celeriter venirent ad illum* Athenas, *profecti sunt. Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus eius in ipso* ad opus, *videns idololatriæ deditam Ciuitatem,* quam expurgare gestiebat. *Disputabat igitur in Synagoga cum Iudæis, & colentibus* Deum; de hoc verbo dixi suprà & cap.16. *& in foro per omnes dies ad eos, qui aderant. Quidam autèm Epicurei, & Stoici Philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiuerbius hic dicere? Alij verò: Nouorum dæmo-*

niorum videtur annunciator esse: quia Iesum Crucifixum, passum, *& resurrectionem* eius *annunciabat eis.* hæc subdit, vt cognoscamus vndè tot contradictiones ei fierent. *Et apprehensum eũ ad Areopagum duxerunt:* & hinc ipse habuit occasionem maiorem seminandi Euangelium, proùt Romæ in vinculis, *dicentes: Possumus scire quæ est hæc noua, quæ a te dicitur, doctrina? noua enim quædam infers auribus nostris; volumus ergò scire quidnam velint hæc esse:* potestate contrà Paulum vtuntur *(Athenienses autèm omnes, & aduenæ hospites, ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere, aut audire aliquid noui,* otiabantur, curiosi erant.) *Stans autèm Paulus in medio Areopagi*, vt ab omnibus audiretur, *ait: Viri Athenienses per omnia*, supèr omnes, vel in omnibus, *quasi superstitiosiores vos video. Præteriẽs enim, & videns simulachra vestra*, idòla, *inueni & Aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergò ignorantes* quale id sit *colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt*, omnium creator; sic & Ionas cum nautis, qui territi sunt; *hic cæli, & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat;* sic Stephanus suprà cap. 7. 48. *nec manibus humanis colitur*, ornatur *indigens aliquo:* bonorum enim nostrorum non eget, eius sunt omnia. *Cum ipse det omnibus vitam;* in ipso vita erat; *& inspirationem, & omnia:* quid enim habes, ò homo, quod non accepisti? *fecitque ex vno* Adam à se creato, & in eum spiraculo vitę infuso, *omne genus hominum*, omnes homines *inhabitare*, crescere *supèr vniuersam faciem terræ*, & sic etiam omnium hominum ipse est factor, & creator, *definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum* in terra, tempora, & terminos vitæ, actionum eorum; in manibus enim tuis sortes meæ, tempora mea, *quærere Deum*, ad hoc vt quęrant Deum, dicentes: vndè hæ præfinitiones nobis; *si forte* ex hoc *attrectent*, palpent *eum, aut inueniant*, cum illum quærentibus se manifestet, *quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum*, cum cælum, & terram impleat. *In ipso enim* per ipsum enim *viuimus, & mouemur, & sumus*, ab ipso esse, & conseruationem habemus: *sicùt & quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus;* illum nostrum creatorem agnoscimus; vtitur Paulus ad venandum Athenienses & suis, & Poetarum dictis, captui eorum se componens; nunc ex dictis infert ad exclusionem idòlolatriæ. *Genus ergò cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis, diuinum* genus *esse simile:* non enim potest creatura Creatorem efformare, quia hoc est absurdissimum; hinc infert nullum simulachrum dici posse Deum; & quia dicere poterant, quomodò nunc hęc noua? cur non anteà nobis ostensa? subdit: *Et tempora quidèm huius ignorantiæ despiciens Deus*, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas suprà cap. 14. 15. ignorantiæ rerum diuinarum, veri, & viui Dei; & Psalm. 80. Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum ibunt in adinuentionibus suis. *Nunc* pòst Missionem Filij sui in terras, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem illius, Spiritus sancti missionem, *annunciat* per nos ad hoc munus electos *hominibus*, omnibus, *vt omnes vbiquè pœnitentiam agant* à malis operibus eorum; sic intonauit Ioannes, Christus, Apostoli: pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum. *Eo quòd statuit diem* incertum, *in quo iudicaturus est Orbem in æquitate, in viro*, per virum, *in quo statuit*, quem iudicem constituit, *fidem prębens omnibus*, & in quem omnibus sperandum, fiduciam haberi voluit, tùm salutis, quia pro omnibus mortuus, tùm resurrectionis, suscitans eum à mortuis, cum à mortuis illum excitauerit, cuius resurrectio nostram parturijt. Aliàs dictum: qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum; hæc autèm grata de Christo aperuit ad eos alliciendos, & vtitur verbo, *æquitate*, non, iustitia, ad eumdem finem, vel idem est, *æquitate*, quod, iustitia. Sed cur mentio Iudicij? quia in eo rationem erant reddituri idòlolatriæ, & peccatorum, nisi pœnitentiam egissent. *Cum audissent autèm resurrectionem mortuorum, quidam quidèm irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum*, fidem ei non adhibentes: non enim capere poterant Philosophi à

priua-

priuatione ad habitum dari regressum. *Sic Paulus exiuit de medio eorum* non credentium. *Quidam uerò uiri adherentes ei*, quorum Deus corda tetigerat, *crediderunt; in quibus & Dionysius Areopagita*, qui iàm viderat tenebras, seù Ecclypsim in morte Domini. *Et mulier nomine Damaris.* Cùm verbum, *mulier*, non importet vxor, vt iàm vidimus, non videtur posse teneri Damarim fuisse Dionysij vxorem, quia si fuisset, expressisset, cùm vergeret in maiorem viri gloriam, & mulieris. Solent etiàm Euangelistæ exprimere vxorem, vt de Drusilla vxore Felicis. cap. 24. 24. & Priscilla vxore. infrà cap. 18. 2. vxore Pilati, & similibus; at nō sic de Bernice infrà cap. 25. 13. 23. quod eo magis hìc fecisset Lucas. *Et alij cum eis*, eos sequuti, moti eorum exemplo.




CAPVT XVIII.



1 *OST hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum: * &*
2 *inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponti-*
cum genere, qui nupèr venerat ab Italia, & Priscillam
vxorem eius, (eo quòd præcepisset Claudius discedere om-
3 *nes Iudæos à Roma) accessit ad eos. * Et quia eiusdem*
erat artis, manebat apud eos & operabatur: (erant au-
4 *tèm scenofactoriæ artis. * Et disputabat in Synagoga per*
omne sabbatum, interponens nomen Domini Iesu, suadebatquè Iudæis, & Græ-
5 *cis. * Cum venissent autèm de Macedonia Silas & Timotheus, instabat ver-*
6 *bo Paulus, testificans Iudæis esse Christum Iesum. * Contradicentibus autèm eis,*
& blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester su-
7 *pèr caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam. * Et migrans indè,*
intrauit in domum cuiusdam, nomine Titi Iusti, colentis Deum, cuius domus
8 *erat coniuncta Synagogæ. * Crispus autèm Archisynagogus credidit Domino cum*
omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.
9 ** Dixit autèm Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere,*
10 *& ne taceas: * proptèr quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi vt noceat te:*
11 *quoniàm populus est mihi multus in hac ciuitate. * Sedit autèm ibi annum &*
12 *sex menses, docens apud eos verbum Dei. * Gallione autèm Proconsule Achaiæ,*
insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal,
13 ** dicentes: Quia contrà legem hic persuadet hominibus colere Deum. * Incipien-*
14 *te autèm Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Siquidèm esset iniquum ali-*
15 *quid: aut facinus pessimum ò viri Iudæi, rectè vos sustinerem. * Si verò quæ-*
stiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestrà, vos ipsi videritis: Iudex
16 *ego horum nolo esse. * Et minauit eos à tribunali. * Apprehendentes autèm om-*
17 *nes Sosthenem Principem Synagogæ, percutiebant eum antè tribunal: & nihil*
18 *eorum Gallioni curæ erat. * Paulus verò cùm adhùc sustinuisset dies multos,*
fratribus valefaciens, nauigauit in Syriam, (& cum eo Priscilla, & Aquila)

I 3 qui

19 *qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum. * Deuenitquè Ephe-*
sum, & illos ibi reliquit. Ipse verò ingressus Synagogam, disputabat cum Iu-
20 *dæis. * Rogantibus autèm eis vt ampliori tempore maneret, non consensit,*
21 ** sed valefaciens, & dicens, Iterum reuertar ad vos Deo volente, profectus est*
22 *ab Epheso, * Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutauit Ecclesiam, &*
23 *descendit Antiochiam. * Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambu-*
lans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipu-
24 *los. * Iudæus autèm quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir elo-*
25 *quens, deuenit Ephesum, potens in scripturis. * Hic erat edoctus viam Domi-*
ni: & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Iesu, sciens
26 *tantùm baptisma Ioannis. * Hic ergo cœpit fiducialitèr agere in Synagoga.*
Quem cum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius ex-
27 *posuerunt ei viam Domini. * Cùm autèm vellet ire Achaiam, exhortati fra-*
tres, scripserunt discipulis vt susciperent eum. Qui cùm venisset, contulit mul-
28 *tum his, qui crediderant. * Vehementèr enìm Iudæos reuincebat publicè, osten-*
dens per Scripturas, esse Christum Iesum.



OST hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum: & inueniens quemdam Iudæũ nomine Aquilam, Ponticũ genere, qui nupèr venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius (eo quòd præcepisset Claudius Imperator *discedere omnes Iudæos à Roma.)* Ex his verbis non videtur necessariò inferri omnes Christianos sub nomine Iudæorum eiectos, quia Aquila Iudæus erat, & licèt conuersus, tamèn fortè ratione originis comprehensus; si autèm aliundè ex Auctoribus, vel alio modo deducatur & Christianos comprehensos, me remitto; Imò verisimilitèr, si Lucas intendisset & Christianos comprehensos, proùt de Iudæis, sic de illis fecisset mentionem, eo magìs verba faciens de conuerso ad Christum, quem sub nomine Iudæi non esset contentus nuncupare: *accessit ad eos* Paulus. *Et quia eiusdem erat artis* operarius, *manebat apud eos, & operabatur,* ne illis esset onerosus, prudentèr se gerens, proùt & cum Corinthijs, & Thessalonicensibus, vt in epistolis ad eos. *(erant autèm scenofactoriæ artis.) Et disputabat in Synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Iesu,* pro quo legatione fungebatur, & in quo solo salus, *suadebatquè* ad fidem illius *Iudæis, & Græcis,* Gentilibus. *Cùm venissent autèm de Macedonia.* ex Ciuitate Beroeæ, in qua relicti fuerant suprà cap. 17. 14. *Silas, & Timotheus, instabat verbo Paulus* eo magis ministros secum habens, qui alijs poterant incumbere, *testificans iudæis esse Christum* Messiam *Iesum,* quem prædicabat, nec alium expectandum. *Contradicentibus autèm eis* supèr hoc, de quo persuaderi nõ poterant, *& blasphemantibus* fortè Iesum, *excutiens vestimenta sua,* id erat leuius, quàm excussio pulueris de pedibus, quod grauius quid, & quodã modo sordidius repræsentabat, *dixit ad eos: sanguis vester supèr caput vestrum,* quod & sic inuocastis, & petijstis in morte Christi cum Pilato: sanguis eius supèr nos, & supèr filios nostros; vult ergò dicere Paulus: peccatum, & peccati pœna, quæ consequitur, erit, cadet supèr vos, in eo, vos derelinquemini, *mundus ego* ab eo, & illa, quia annunciaui vobis priùs iuxtà iussionem mihi factam: veh enim mihi, si non euangelizauero, *ex hoc* in posterum *ad gentes* Euangelium nunciaturus *vadam,* transferam. *Et migrans indè intrauit in domum cuiusdam, nomine Titi iusti, colentis,* adorantis

Deum

Deum, cuius domus erat coniuncta Synagogæ ad maiorem commoditatē, ità vt etiàm Iudæi, si vellent, possent accedere audituri. Vel fortè satis fatigatus ex Synagoga exierat, & domus Aquilæ erat distans, & in suburbijs. *Crispus autèm Archisynagogus credidit Domino cū omni domo sua & multi Corinthiorum audientes* Paulum, & Euangelium eius, *credebant, & baptizabantur. Dixit autèm Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas:* clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam: *proptèr quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi vt noceat te.* Dominus à dextris est mihi, ne commouear. Dominus pro me, quis resistet mihi? sic suprà cap. 5. 19. ite, & stantes loquimini. per Angelum, qui aperuit carceres, & vers. 40. 41. *Quoniam populus est mihi multus in hac Ciuitate* crediturus, & legem meam amplexurus. *Sedit autèm*, permansit autèm: sic suprà cap. 2. vbi erant sedentes, permanentes; *ibi annum, & sex menses docens apud eos verbum Dei,* Euangelium. *Gallione autèm Proconsule Achaiæ* existente, *insurrexerunt vno animo*, iunctim *Iudæi in Paulum,* & captum *adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: quia contrà legem* nostram Mosaicam *hic persuadet hominibus colere Deum* alium ab eo, quem nos colimus. *Incipiente autèm Paulo aperire* os in sui defensionem, *dixit Gallio ad Iudæos*, fortè notas habens vanas contentiones ipsorum: *Si quidèm esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum ò viri Iudæi*, quod huic homini obijceretis, *rectè vos sustinerem* audiens: *si verò quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra*, hoc vltimum præcedentia duo comprehendit, *vos ipsi videritis, Iudex ego horum nolo esse;* sic Pilatus, secundùm legem vestram iudicate eum; sic Iudæi ad Iudam: tu videris, respuentes agnoscere quod dicebat de Christi sanguine iusto; *& minauit*, repulit *eos à tribunali. Apprehendentes autèm omnes Sosthenem Principem Synagogæ*. Is Sosthenes non potuit esse tùnc Christianus, quia erat assistens contrà Paulum, quem Iudæi, quorum ipse caput, ad tribunal duxerant: percutientes verò eum, non credendum fuisse suos Hebræos, sed vel satellites, vel Gentiles. Si autèm erat Christianus, & stabat pro Paulo, appellatur Princeps Synagogæ, quia fuerat, non quia esset: vel esset, sed & Christianus, & hæc verior, quia ex parte Hebræorum nullus in reatum vocabatur, sed ex parte Christianorum Paulus, ideò facillimè tamquàm Pauli comes, & pro Paulo stans Iudæis odiosus, quia crederet in Christum, percussiones subijt à Iudæis, qui Paulum ad tribunal duxerant vers. 12. de his enim sub verbo, *omnes*, de quibus præcedebat, continuari creditur sermo, non extraneos subintelligi; & si non fuisset Christianus, non meminisset percussionum Lucas, quæ nihil facerent in Hebræo, in Christiano verò sunt maximæ laudis, & honoris, & is ab aliquibus creditur Sosthenes, quem secum nominat Paulus in prima epistola ad Corinthios, de quo habemus in martyrologio. *Paulus verò cùm adhùc sustinuisset dies multos fratribus valefaciens, nauigauit in Syriam (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum.* Puto verba, *qui sibi totonderat in Cenchris caput* vbi Ecclesia. ad Rom. 16. 1. referri ad Aquilàm hac de causa pòst Priscillam; aliòqui primò nominandum posita, nàm relatiuum, *qui*, ægrè ad Paulum refertur, & impropriè, & insulsè stante particula, *verò*, & cùm iàm de illo egisset, & cùm phrasis ad illum spectans reassumatur ibi; *deuenitquè Ephesum*, non autèm applicatur, *totonderat*, Paulo: si enim de Paulo, dixisset, qui totondit: illud enim, *totonderat*, Aquilam respicit ex verbo, *sibi*. Prætereà nil efficiebat hoc in Paulo, at in Aquila multū, qui ab Apostolo dimittendus erat Ephesum docturus ibi Ecclesiam, cui fortè expediebat, vt hoc cæremoniale retineret coràm Iudæis compariturus: ideò hoc ibi miscet, quod aliàs esset valdè alienum à textura Scripturæ. Prætereà Paulus ex se non se purificauit in Ierusalem cap. 21. sed suadentibus fratribus; vndè nequè hic fecisset: & si hic fecisset, vel dictum, vel obiectum, cùm secundò fecit, vel aliqua mentio facta, & si totondisset se in Cenchris, non indiguisset fortè in Ierusalem. Obstat prædictis parenthesis, qua stante videtur de Paulo referri,

sed

sed longiùs protrahenda vsquè, *deuenitquè Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse verò ingressus Synagogam, disputabat cum Iudæis. Rogantibus autèm eis vt ampliori tempore maneret* ibi, *non consensit, sed valefaciens, & dicens, iterùm reuertar ad vos Deo volente*; sic Iacobus: si Deus voluerit; *profectus est ab Epheso. Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutauit Ecclesiam* Cæsareæ congregatam: quomodò enim de Ierosolymitana, cùm nihil suadeat? & quandò de Ierusalem, exprimitur, vt cap. seq. vers. 21. *Et* indè *descendit Antiochiam. Et facto ibi aliquanto tempore*, aliqua mora, *profectus est* indè, *perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos*, omnes fideles. *Iudæus autèm quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, uir eloquens, deuenit Ephesum* absente Paulo, *potens in Scripturis*; sic Luc. 24. potens in opere, & sermone. *Hic erat edoctus uiam Domini, & feruens spiritu*, magno feruore *loquebatur, & docebat diligentèr ea, quæ sunt Iesu; sciens tantùm baptisma Ioannis*, videlicèt loquebatur quidèm de Iesu, sed quòad baptismata sciebat tantùm illud Ioannis, innuens ignorasse baptismum Christi, quia via Domini ei diligentèr exposita non erat, ideoquè Priscilla, & Aquila diligentiùs exposuerunt, & singularitèr circà baptisma, postquàm de illo expressè præmittitur. *Hic ergò cœpit fiducialitèr*, non fictè *agere*, loqui in Synagoga: *quem cùm audissent Priscilla, & Aquila, assumpserunt eum* secum, admiserunt. assumpsit Iesus Petrum, &c. non ergò verbum (assumpsit eum diabolus,) idest, per aera exportauit, vt aduertimus in tentatione Christi; *& diligentiùs* quàm apprehenderat, *exposuerunt ei uiam Domini. Cùm autèm* Apollo *uellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserũt discipulis*, fidelibus, *ut susciperent eum; qui cum uenisset*, peruenisset Achaiam; *contulit multum his* ex suo sermone, *qui crediderant. Vehementèr enim Iudæos reuincebat*, conuincebat *publicè, ostendens per Scripturas, esse Christum* Messiam *Iesum*, nequè alium expectandum.




CAPVT XIX.

1 *FACTVM est autèm, cùm Apollo esset Corinthi, vt*
Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum,
2 *& inueniret quosdam discipulos: * dixitquè ad eos: Si*
Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt
ad eum: Sed nequè si Spiritus sanctus est, audiuimus.
3 ** Ille verò ait: In quo ergò baptizati estis? Qui dixe-*
4 *runt: In Ioannis baptismate. * Dixit autèm Paulus:*
Ioannes baptizauit baptismo pænitentiæ populum, dicens: In eum, qui ventu-
5 *rus esset pòst ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum. * His auditis, baptizati*
6 *sunt in nomine Domini Iesu. * Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit*
7 *Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. * Erant*
8 *autèm omnes viri ferè duodecim. * Introgressus autèm Synagogam, cum fidu-*
9 *cia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei. * Cùm au-*
tèm quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini co-
ràm multitudine, discedens ab eis, segregauit discipulos, quotidiè disputans in
10 *schola tyranni cuiusdam. * Hoc autèm factum est per biennium, ità vt omnes,*
qui

qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudæi atquè Gentiles:
12 * Virtutesquè non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: * ita vt etiàm
super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia, & recede-
13 bant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. * Tentauerunt autèm
quidam & de circumeuntibus Iudæis exorcistis, inuocare supèr eos, qui habe-
bant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes: Adiuro vos per Iesum, quem
14 Paulus prædicat. * Erant autèm quidam Iudæi Sceuæ principis sacerdotum se-
15 ptem filij, qui hoc faciebant. * Respondens autèm spiritus nequam dixit eis:
16 Iesum noui, & Paulum scio: vos autèm qui estis? * Et insiliens in eos homo,
in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contrà eos,
17 ità vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa. * Hoc autèm notum factum
est omnibus Iudæis, atquè Gentilibus, qui habitabant Ephesi: & cecidit timor
18 supèr omnes illos: & magnificabatur nomen Domini Iesu. * Multiquè creden-
19 tium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos. * Multi autèm ex eis,
qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coràm omnibus:
& computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta
20 millium. * Ità fortitèr crescebat verbum Dei, & confirmabatur. * His au-
21 tèm expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia & Achaia ire
Ierosolymam, dicens: Quoniàm postquàm fuero ibi, oportet me & Romam vi-
22 dere.* Mittens autèm in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum,
23 & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia. * Facta est autèm illo tempore
24 turbatio non minima de via Domini. * Demetrius enìm quidam nomine, ar-
gentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum
25 quæstum: * quos conuocans, & eos, qui huiusmodi erant opifices, dixit: Viri,
26 scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: * & videtis, & auditis quia non
solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ, Paulus hic suadens auertit multam turbam,
27 dicens: Quoniàm non sunt dij, qui manibus fiunt. * Non solum autèm hæc pe-
riclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum
in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia,
28 & orbis colit.* His auditis, repleti sunt ira, & exclamauerunt, dicentes: Ma-
29 gna Diana Ephesiorum. * Et impleta est ciuitas confusione, & impetum fecerunt
vno animo in theatrum, rapto Gaio, & Aristarcho Macedonibus, comitibus
30 Pauli.* Paulo autèm volente intrare in populum, non permiserunt discipuli.
31 * Quidam autèm & de Asiæ principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum
32 rogantes ne se daret in theatrum: * alij autèm aliud clamabant. Erat enìm eccle-
33 sia confusa: & plures nesciebant qua ex causa conuenissent. * De turba autèm de-
traxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autèm manu si-
34 lentio postulato, volebat reddere rationem populo.* Quem vt cognouerunt Iudæum
esse, vox facta vna est omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Dia-
35 na Ephesiorum. * Et cùm sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesij, quis enìm est
hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Iouisq.
prolis?

36 *prolis?* * *Cùm ergò his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil*
37 *temerè agere.* * *Adduxistis enìm homines istos, nequè sacrilegos, nequè blasphe-*
38 *mantes deam vestram.* * *Quòd si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, ha-*
bent aduersùs aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & proconsules sunt,
39 *accusent inuicèm.* * *Si quid autèm alterius rei quæritis: in legitima Ecclesia*
40 *poterit absolui.* * *Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cùm nullus*
obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et cùm hæc
dixißet, dimisit Ecclesiam.



ACTVM est autèm cùm Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus, de quibus in capite præcedenti, *veniret Ephesum, & inueniret quosdam discipulos*, fideles: *dixitquè ad eos: si Spiritum sanctum accepistis credentes?* accepistisne Spiritum sanctum? qui tùnc visibilitèr in fideles infundebatur. Quòd intelligat de confirmatione, clarum est ex facto, quia imposuit supèr eos manus, & Spiritum sanctum acceperunt visibilitèr. At quòd Ioannes in Spiritu sancto non baptizaret, nequè eius baptismus Spiritum sanctum infunderet, clara sunt verba hìc vers. 4. cùm *in eum, qui venturus esset pòst ipsum, vt crederent*, hoc est, in Iesum; & Ioannes; Ego baptizo vos in aqua, qui pòst me venturus est baptizabit in Spiritu sancto; & Christus: Ioannes quidèm baptizauit aqua, vos autèm baptizabimini Spiritu sancto. Act. 1. *At illi dixerunt ad eum: sed nequè si Spiritus sanctus est* Deus, tertia persona, *audiuimus. Ille verò* Paulus *ait: in quo ergò baptismate baptizati estis?* quasi, si in Christi baptismate baptizati essetis, vtiquè sciretis, quis sit Spiritus sanctus. *Qui dixerunt: in Ioannis baptismate*, & per Ioannem, vt innuitur vers. 4. per se enìm baptizabat, non per alios, proùt Christus. Io. 4. At absurdum videtur dicere: *in Ioannis baptismate*, idest, in doctrina Ioannis, tùm quia subditur eos in nomine Iesu baptizatos, tùm quia interrogantur de facto, non verbis, tùm quia Apollo Ioannis baptismate lotus doctrinam Christi, non Ioannis prædicabat, vt in fine cap. præcedentis. Potiùs nullam formam verborum seruasse Ioannem credibile est, quia si illam seruasset, appareret, & verba, *in eum, qui venturus esset pòst ipsum, vt crederent*, erant suasoria ad fidem venturi, fidem requirentia, non formam dantia. *Dixit autèm Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum:* annunciabat enìm vt pœnitentiam agerent à peccatis suis vltrà baptismum, quem conferebat. *dicens: in eum, qui venturus*, manifestaturus *esset pòst ipsum, vt crederent*, hoc est, *in Iesum*, qui Messias est. *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, in baptismo Iesu. *Et cùm imposuisset illis manus Paulus* (hìc sacramentum Confirmationis) *venit*, descendit *Spiritus sanctus supèr eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Erant autèm omnes viri ferè duodecim. Introgressus autèm* Paulus *Synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses disputans, & suadens de regno Dei*, quod annunciare iussit Iesus. *Cùm autèm quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coràm multitudine*, vt alios deciperent, & in suam sententiam traherent, *discedens ab eis, segregauit discipulos*, fideles, ne ab illis contaminarentur. Dicuntur autèm *baptizati in nomine Domini Iesu* absquè expressione formæ tentæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ad effectum diuersificãdi baptismata Ioannis, & Christi, non ad exprimendam nouam formam, quã seruarent in baptismo Christi, de qua iàm constabat ex ore Christi: ideò licèt subdatur: *baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, intelligendum in eius baptismate, seruata tamèn forma ab eo præscripta, quam præterire non licuit, vt aliàs dixi; & facit, quia

& hic

& hìc Spiritus sancti mentio, & Paulus cognoscens nescire eos Spiritum sanctum, cognouit etiàm non esse baptizatos Christi baptismo, & quia in solo nomine Spiritus sancti non dabatur baptismus. Docet autèm Paulus baptismum Ioannis tùnc frustratorium, quia erat in venturum, & Christus iàm nedum venerat, sed resurgens à mortuis abierat in cælum, vltrà alias rationes quæ vrgent; diuersa ergò doctrina à baptismo in nomine Domini Iesu, & hæc forma diuersa à Ioannis baptismate, in quo erant perfectè iuxtà illum baptizati; cùm enìm dicant, *in Ioannis baptismate*, verba intelliguntur de valido, non nullo. An autèm Paulus baptizauerit hos, nullibì constat, potiùs non, quia sicùt de impositione manuum per eũ facta, sic de baptismo enunciaretur, & quia non est missus baptizare, sed euangelizare. 1. Cor. 1. 17. *Quotidie disputans in schola tyrãni cuiusdam:* conferunt, quæ suprà de nobilitate cap. 17. 11. & de Cornelio cap. 10. *Hoc autèm factum est per biennium, ità vt omnes, qui habitabant in Asia audirent verbum Domini, Iudæi, atquè Gentiles*. olìm fuit prohibitus prædicare in Asia, nùnc tempore Deo beneplacito omnes euangelizantur; *virtutesquè non quaslibet*, non communes, sed magnas *faciebat Deus per manum Pauli*, ministerio Pauli, *ità vt etiàm ad languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur*, & sic sermo eius confirmabatur sequentibus signis. *Tentauerunt autèm quidam & de circumeuntibus*, circumuagantibus *Iudæis exorcistis inuocare supèr eos, qui habebant spiritus malos*, possidebantur, arripiebantur à Spiritibus malis *nomen Domini Iesu, dicentes: adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat*, credentes sic infideles eos eijcere nomine Iesu tantùm inuocato. *Erant autèm quidam Iudæi Sceuæ Principis Sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant. Respondens autèm Spiritus nequam dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio*, quibus obedire cogor, *vos autèm qui estis*, vt vobis obediam? *Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum*, duo ex septem id præstabant, *inualuit contrà eos, ità vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.* dixit Christus discipulis interrogantibus, cur ipsi non eijcerent, proptèr incredulitatem euenisse; & Deus per irretitos peccato tùnc talia signa facere noluit, quia non expediebat; sed vide latè dicta in Euangelio cœci nati. *Hoc autèm notum factum est omnibus Iudæis, atquè Gentilibus, qui habitabant Ephesi, & cecidit timor supèr omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Iesu:* Eccè effectus prodigij in filios Sceuæ; Deus enìm illud permisit, vt ipse magnificaretur. *Multiquè credentium* timore illo concussi *veniebant confitentes, & annunciantes actus suos:* verebantur enim ex illis aliquid pati exemplo illorum. Verbum fit de iàm credentibus, & puto baptizatis, quia in baptizandis id nemo requirebat; & si forent baptizandi qui accedebant, diceretur illos baptismum suscepisse, non confitentes, & actus suos annunciantes, quę verba tendunt ad confessionem, & auricularem, quia alio modo nõ excepisset, vel permisisset Paulus, vt seipsos diffamarent; & quia dicitur actus suos quasi distinctos, & quia subditur de publicis vers. seq. & baptizandi Ioanni non reuelabant peccata singillatìm, sed in genere, dicentes se peccatores, quia nec Ioannes permisisset si publicè eodem respectu diffamationis; supèr auriculari verò nullam habebat facultatem, nec inuenta adhùc erat, & quia in aqua erat baptizans, & multitudine præmebatur: vndè non erat ei copia peccata singillatìm excipiendi, quæ omnia hic cessant. quarè teneo hanc probabiliorem sententiam. Accedit quòd à principio necessaria fuit peccantibus, & panem frangentibus, & sacrificium Missæ offerentibus secunda tabula pòst baptismum: ideò præsumitur cœpta illicò, & nihil impedit ità esse, quia data fuit potestas à Christo: quæcumque alligaueritis supèr terram, erunt ligata & in cælis, &c. & Iacob. 5. 16. Confitemini alterutrum peccata vestra; vel si tandèm publicè, restringendi erunt actus ad eos, quos absquè eorum infamia quisque audire posset, quæ esset maxima restrictio. *Multi autèm ex eis*, de quibus dictum in præcedenti vers. non diuersi, & sic credentes ex rationibus

tionibus iàm dictis, & quia motio hæc fuit diuina, quæ in eis operabatur, & ideò potiùs credentes reputandi: infideles enim hæc paruipendissent, nec igni tradidissent libros tanti pretij, vel potiùs illos distraxissent, & Scriptura meminit pretij tamquàm rei admirabilis. *Qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros* forsitàn curiosa, & vana continentes, *& combusserunt coram omnibus, & computatis pretijs illorum, inuenerunt* imputari *pecuniam denariorum quinquaginta millium.* recitat hoc pro magno facinore ex verbis Pauli fabricato; ideò subdit. *Ita fortitèr crescebat verbum Dei, & confirmabatur*, nempè vt etiàm fierent actiones adeò egregiæ. *His autèm expletis proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia, & Achaia ire Ierosolymam, dicens: quoniam postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.* Eccè quandò illùc iturus, exprimit; non ergò sub verbo (Ecclesiam) Ierusalem accipienda, vt dixi. Sed priùs Ierosolymam, quia indè ligatus Romam, etsi ignoraret quomodò Romam. *Mittens autèm in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum, & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.* Eccè Pauli solicitudo omnium Ecclesiarum. *Facta est autèm illo tempore turbatio non minima de via Domini*, fructus Euangelij. *Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ* vendibiles, *præstabat artificibus*, operarijs *non modicum quæstum, quos conuocans, & eos, qui huiusmodi erant opifices* principales eiusdem artis *dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio*; simile illud de Pythone à puella eiecto, vndè turbæ tantæ ob lucrum cessans suprà cap. 16. 19. *Et videtis, & auditis, quia non solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ Paulus hic suadens auertit multam turbam* ab emptione ædium harum per nos fabricaturum, *dicens: quoniam non sunt Dij, qui manibus fiunt*; sic & Baruch; *non solùm autèm hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur.* hoc addit ad magis commouendos animos in honorem Deæ, *sed & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia, & orbis colit.* eccè cœcitas illorum temporum. *His auditis*, facta animorum commotione, *repleti sunt ira, & exclamauerunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum*, quasi ex his vocibus volentes eam extollere cōtrà eam machinata à Paulo. *Et impleta est Ciuitas confusione, & impetum fecerunt vno animo*, concorditèr *in theatrum, rapto Gaio, & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. Paulo autèm volente intrare in populum* sic confusum, & cōmotum, *non permiserunt discipuli* eius, fideles conuersi. *Quidam autèm & de Asiæ principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum* ob periculum manifestum, *alij autèm aliud clamabant*, & sic erat confusio magna in hac vocum contrarietate. *Erat enim Ecclesia confusa*, ciuitatis congregatio, de qua & infrà in legitima Ecclesia, & dimisit Ecclesiam: *Et plures nesciebant qua ex causa conuenissent*, quia Demetrius fuerat caput confusionis. *De turba autèm detraxerunt Alexandrum propellentibus eum Iudæis. Alexander autèm manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo* de tumultu orto, *quem vt cognouerunt Iudæum esse*, ideò Iudæi eum propellerunt, *vox facta vna est omnium, quasi per horas duas clamantium* more insanientium: *Magna Diana Ephesiorum*, quibus verbis intendebant magnificare Deam suam, & venerandam reddere. *Et cùm sedasset Scriba turbas, dixit:* is diuersus ab Alexandro, quem vtì Iudæum noluerunt audire, non Iudæus, quia reiectus esset, vt Alexander, non Iudex, quia in alios iudicium reijcit vers. 38. 39. sed aliquis magnæ auctoritatis, & de populo, quia dicit infrà vers. 40. *periclitamur argui seditionis. Viri Ephesij, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum Ciuitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Iouisquè prolis?* Scriba hic nec mentiri, nec mali quidquam dicere videtur: nàm primò, *quis nesciat, &c.* refert factum, & inclinationem populi, non laudat. Secundò sequitur, *cum ergò his contradici non possit*, idest, effici ne Ciuitas sit cultrix, quasi, in hoc non sit vobis timendum, *oportet vos sedatos esse, & nihil temerè agere*, non quòd Paulus non contradixerit. Tertiò *adduxistis enim homines istos*

nequè

nequè sacrilegos, nequè blasphemantes Deam vestram, potèst enim esse, vt nequè blasphemarent eorum Deam, vel saltèm tùnc non inuenissent eos blasphemantes, seù in fragranti, & probatione res indigeret, & Demetrius nil aliud afferebat, nisi quod Paulus dicebat non esse Deos, qui manibus fiunt; & propterea dicit rectè hæc tractanda. *Quòd si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices habent aduersùs aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & Proconsules sunt, accusent inuicèm*, Iudices adeant, ius suum prosequantur de more. *Si quid autèm alterius rei quæritis: in legitima Ecclesia*, in conuentu Ciuitatis legitimè congregato, non tumultuariè, proùt in præsenti, *poterit absolui: nàm & periclitamur argui seditionis hodiernæ*, in hoc tumultu nostro. *Cùm nullus obnoxius sit (de quo possimus red dere rationem) concursus istius*, & sic in caput multitudinis res decidet. *Et cùm hæc dixisset dimisit Ecclesiam*, congregationem. At non refert defendere Scribam, quia vel Gentilis, vel ignoramus quis esset.



CAPVT XX.



1 *OSTQVAM autèm cessauit tumultus, vocatis Pau-*
2 *lus discipulis, & exhortatus eos, vale dixit, & profectus*
3 *est vt iret in Macedoniam. * Cum autèm perambulas-*
set partes illas, & exhortatus eos fuißet multo sermone,
*venit ad Græciam: * vbi cum fecisset menses tres, factæ*
4 *sunt illi insidiæ à Iudæis nauigaturo in Syriam: habuitq́*
*consilium vt reuerteretur per Macedoniam. * Comitatus est autèm eum Sopater Pyrrhi Berœensis, Thessalonicensium verò Aristarchus, & Secundus, & Gaius Derbeus, & Timotheus: Asiani verò Tychicus,*
5 *& Trophimus. * Hi cum præceßissent, sustinuerunt nos Troade: * nos verò na-*
6 *uigauimus pòst dies Azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in*
7 *diebus quinque, vbì demorati sumus diebus septem. * Vna autèm Sabbati cum*
conueniſsemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus
8 *in crastinum, protraxitquè sermonem vsquè in mediam noctem. * Erant au-*
9 *tèm lampades copiosæ in cœnaculo, vbì eramus congregati. * Sedens autèm quidam adolescens nomine Eutychus supèr fenestram, cum mergeretur somno graui, disputante diù Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsùm, & subla-*
10 *tus est mortuus. * Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit supèr eum: &*
11 *complexus dixit: Nolite turbari, anima enìm ipsius in ipso est. * Ascendens autèm, frangensquè panem, & gustans, satisquè allocutus vsquè in lucem, sic*
12 *profectus est. * Adduxerunt autèm puerum viuentem, & consolati sunt non mi-*
13 *nimè. * Nos autèm ascendentes nauem, nauigauimus in Aßon, indè suscepturi*
14 *ri Paulum: sic enìm disposuerat ipse per terram iter facturus. * Cùm autèm con-*
15 *uenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen. * Et indè nauigantes,*
sequenti die venimus contrà Chium, & alia applicuimus Samum, & sequenti
16 *die venimus Miletum. * proposuerat enìm Paulus transnauigare Ephesum, ne-*

K qua

qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile esset, vt diem Pen-
17 *tecostes faceret Ierosolymis.* * *A Mileto autem mittens Ephesum, vocauit Ma-*
18 *iores natu Ecclesiæ.* * *Qui cùm venissent ad eum, & simul essent, dixit eis:*
Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualitèr vobiscum per om-
19 *ne tempus fuerim,* * *seruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & ten-*
20 *tationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum: quomodò nihil subtraxe-*
rim vtilium, quo minus annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per
21 *domos,* * *testificans Iudæis, atquè Gentilibus in Deum pænitentiam, & fidem*
22 *in Dominum nostrum Iesum Christum.* * *Et nùnc eccè alligatus ego spiritu, va-*
23 *do in Ierusalem, quæ in ea ventura sint mihi, ignorans:* * *nisi quòd Spiritus san-*
ctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens: quoniàm vincula, & tribu-
24 *lationes Ierosolymis me manent.* * *Sed nihil horum vereor: nec facio animam*
meam pretiosiorem quàm me, dummodò consummem cursum meum, & mini-
sterium verbi, quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium gratiæ Dei.
25 * *Et nùnc eccè ego scio quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes, per*
26 *quos transiui prædicans regnum Dei.* * *Quapropter contestor vos hodierna die,*
27 *quia mundus sum à sanguine omnium.* * *Non enim subterfugi, quòminus an-*
28 *nunciarem omne consilium Dei vobis.* * *Attendite vobis, & vniuerso gregi,*
in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisi-
29 *uit sanguine suo.* * *Ego scio quoniàm intrabunt pòst discessionem meam lupi ra-*
30 *paces in vos, non parcentes gregi.* * *Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes*
31 *peruersa, vt abducant discipulos pòst se.* * *Proptèr quod vigilate memoria reti-*
nentes: quoniàm per triennium nocte & die non cessaui, cum lacrymis monens
32 *vnumquemque vestrum.* * *Et nùnc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ip-*
33 *sius, qui potens est ædificare, & dare hereditatem in sanctificatis omnibus.* * *Ar-*
34 *gentum, & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicùt* * *ipsi scitis: quoniàm*
ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus
35 *istæ.* * *Omnia ostendi vobis, quoniàm sic laborantes, oportet suscipere infirmos,*
ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniàm ipse dixit: Beatius est magìs dare,
36 *quàm accipere.* * *Et cùm hæc dixisset, positis genibus suis orauit cum om-*
37 *nibus illis.* * *Magnus autèm fletus factus est omnium: & procumben-*
38 *tes supèr collum Pauli, osculabantur eum,* * *dolentes maximè in verbo,*
quod dixerat, quoniàm ampliùs faciem eius non essent visuri. Et deduce-
bant eum ad nauem.

P*OSTQVAM autèm cessauit tumultus* popularis, de quo suprà, *vocatis Paulus discipulis,* fidelibus; *& exhortatus eos* ad permanendum in fide, *vale dixit, & profectus est vt iret in Macedoniam. Cùm autèm perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam, vbi cùm fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ à Iudæis nauigaturo in Syriam,* quæ insidiæ iudicio meo versabantur in eo occidendo, proùt


prout & suprà. 9. 23. 29. & 21. 31. & 23. 13. & 25. 3. 26. 21. non in pecunia oblata, quam deferebat, subtrahenda, vt infrà vers. 19. & cap. 23. 12. & quia ipse non deferebat pecunias: abstinebat enim se ab hac suspicione. 1. Cor. 16. 4. & 2. Cor. 8. 20. & quia prohibebatur gentibus loqui, ne saluæ fierent. 1. Thes. 2. 16. & 2. Thes. 3. 1. 2. *Habuitquè consilium vt reuerteretur per Macedoniam;* sic dixerat Christus: cum persequētur vos in vna Ciuitate, fugite in aliam. *Comitatus est autèm eum Sopater Pirrhi Berœensis, Thessalonicensium verò Aristarchus, & Secundus, & Gaius Derbeus, & Timotheus: Asiani verò Tychius, & Trophimus. Hi cùm præcessissent, sustinuerunt,* expectarunt *nos Troade: nos vero nauigauimus pòst dies Azimorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, vbi demorati sumus diebus septem:* hæc omnia circà comites, & iter Pauli. *Vna autèm sabbati cùm conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitquè sermonem vsquè ad mediam noctem. Erant autèm lampades copiosæ in cœnaculo, vbi eramus congregati:* hìc videtur agi de pane Eucharistico, quia si esset sermo de pane communi, nihil intererat meminisse de vna sabbati, idest, Dominica die, vel conuentus, vel prædicationis Pauli, quæ omnia sinaxi conueniunt solita fieri die Dominica. Ad hæc si pro pane communi conuenissent, edissent, gustassent, incongruum fuisset protrahere sermonem vsquè ad mediam noctem, & posteà gustare. hæc pro hac sententia. Pro contraria. verba, *cum conuenissemus ad frangendum panem,* intelliguntur de pane communi, quem non dixit fractum, sed frangendum, ad quod cōuenerant ipsi domestici domus, & commensales, non extranei: dilatam autèm innuit fractionem panis, ex nocturna, & longa disputatione Pauli suborta cum eis, qui audituri, vel collocuturi, vel disputaturi accesserant. (multotiès Christo, & discipulis contigit vt nō haberent tempus manducandi.) Ideò prosequens sermonem, & factum, quod cœperat pòst suscitationem Eutychi subdit: *ascendens* Paulus, qui descenderat ad Eutychum excitandum ad inferiora delapsum, & mortuum, *frangensquè panem,* quem fracturi conueneramus, sed nondum fregerat, *& gustans, protraxitquè, &c.* & hæc omnia sunt admodum connexa, quòd si in prima fractione de Eucharistico, in secunda de eo absquè dubio dedisset, & fecisset aliquam distinctionem. Imò protractio sermonis vsquè ad mediam noctem innuit, horam conuentus ad frangendum panem fuisse tardā: hinc lampades copiosæ ibi extabant vers. 8. quæ omnia magis conueniunt pani communi, quàm Eucharistico: si enim de Eucharistico hora diei vicina, vel parùm distante fuisset factus conuentus, & tùnc disputatio non esset tamdiù protracta. Postremò quòd de pane communi agatur, patet ex cōtextu, *cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat,* non ergò aliud agebat, non sacrificabat, non distribuebat; nequè etiàm disputatio conuenit cum fractione panis Eucharistici, sed potiùs prædicatio. & conuentus ibi factus, quia Paulus profecturus in crastinum; non etiàm sinaxis. Et verba, *vna sabbati,* intelliguntur vel vno die infrà hebdomadam, vel si Dominico, quia in illo incidit, euentualis erit. Qui dicunt sinaxim factam die sequenti diluculò, quandò discessit, etsi nihil Lucas, possunt defendi, quia in mediam noctem protractus sermo antè mortem Eutychi, & fortè etiàm gustatum antè eandem, posteà iterum ad sermonem: sed & primus intellectus potest defendi, vt primò de Eucharistico pane, pòst cuius fractionem, & distributionem protractus sermo vsquè in mediam noctem, deindè panem communem fregerit, & gustauerit. At non videtur aptari, quia ex contextu apparet de vnico pane agi, præsertìm quia conuentus non fuit de mane, sed seròr: ideò protractus vsquè ad mediam noctem. *Sedens autèm quidam adolescens, nomine Eutychus supèr fenestram, cùm mergeretur somno graui, disputante diù Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsùm, & sublatus est mortuus,* sic Ochozias per cancellos cœnaculi sui. 4. Reg. 1. 2. occasio data Paulo à Deo confirmādi miraculo quæ longo sermone protraxerat: *ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit supèr eum, & complexus* more Eliæ, & Elisei, vt appareret eius

ministerio miraculum patrari, nec id quisquam inficiari posset, *dixit: nolite turbari; anima enim ipsius in ipso est*; sic Christus: non est mortua puella, sed dormit; Lazarus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum, quæ ostendunt instantem Resurrectionem: *Ascendens autèm* ad cœnaculum, vndè discesserat, *frangensquè panem, & gustans*, edens, vt aliàs animaduerti in Petro gustare volente, in illis, qui deuouerant se non gustaturos: *satisquè allocutus vsquè in lucem, sic profectus est*. Ex his etiàm cognosce non agi da pane Eucharistico, sed communi. *Adduxerunt autèm puerum viuentem* à Paulo excitatum, *& consolati sunt non minimè* supèr illius Resurrectione. *Nos autèm* absquè Paulo *ascendentes nauem, nauigauimus in Asson, indè suscepturi Paulum. sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus* pedester. *Cùm autèm conuenisset nos in Asson, assumpto eo venimus Mitylenen, & indè nauigantes, sequenti die venimus contrà Chium, & alia* die *applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum*. iter Pauli properum: *proposuerat enim Paulus transnauigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis* vt Christum prædicaret ea occasione conuentus plurimorum ad festum; & si voluisset ibì celebrare festum Christianorum, non petijsset Ierosolymam: poterat enim id alibì, & de enixa eius voluntate illùc eundi suprà 19.21. *A mileto autèm mittens Ephesum*, ergò solus Episcopus Ephesinus aderat, & seniores, & Episcopi promiscuè erant sacerdotes, & clarè dicitur: *vocauit maiores natu Ecclesiæ*, Ephesinæ scilicèt, de qua sola agitur, vltrà quòd multas vicinas ciuitates visitauerat, & longum fuisset omnes conuocari Miletum, & occasio non eundi Ephesum non vrgebat in alijs Ciuitatibus; Ephesina etiàm erat primaria, quam cùm non potuisset in præsentia, voluit eo modo illàc transgressus visitare; sic sub verbo Episcopis. Phil. 1. 1. intelligit de sacerdotibus, quia subdit diaconibus, & quia ibì non tot Episcopi, vel fortè tùnc nullus; sic & ad Tit. 1. 5. 7. vbì presbyteros intelligit Episcopos, subdens quæ ad Episcopos. Hinc verba, *Ecclesiam Dei*, non dicas vniuersam, sed Ephesinam illam, cui præerant. Nequè ex verbis, *vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam. Et non videbitis faciem meam vos, per quos transiui*, potest argui conuocasse ibì Episcopos Asianos, quia obstant considerationes præmissæ, & fortè sic genericè loquitur cum Ephesijs metropolitanis. similitèr verba, *attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei*, non obstant: nam cùm non adessent nisi Ephesini vocati, ad eos restringenda: nisi velimus Paulum in persona vnius omnibus denūciasse etiàm absentibus. *Qui cùm venissent ad eum, & simùl essent, dixit eis: Vos scitis à prima die*, nulla mora interposita, *qua ingressus sum in Asiam, qualitèr vobiscum per omne tempus fuerim*, nempè *seruiens Domino* in ministerio promulgationis Euangelij mihi iniuncto *cū omni humilitate*, non in sublimitate sermonis, *& lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum*. Eccè, quò tendebant insidiæ, non ad pecūniam subtrahendam, sed necem inferendā, vt suprà dixi, & de his tribus latè in epistolis: *quomodò nihil subtraxerim vtilium, quòminus annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos* nullam habens vitæ meæ rationem, omni me periculo exponens, *testificans Iudæis, atquè Gentilibus in Deum*, ergà Deum offensum *pœnitentiam* à peccatis peragendam; sic Ioannes, Christus, Apostoli ceteri: pœnitentiam agite, &c. *& fidem in Dominum nostrum Iesum Christum*, sinè qua nullus saluari potest, hæc videtur quasi suæ villicationis in Ecclesia Ephesina rationis redditio, proùt fecit Samuel; & Christus: quis ex vobis arguet me de peccato? *Et nùnc eccè alligatus*, ego astrictus *spiritu*, à spiritu impulsus, proùt dicitur de Christo sic impulso in desertum: *vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sint mihi* certa, & præcipua *ignorans, nisi quòd Spiritus sanctus* me impellens *per omnes Ciuitates mihi protestatur, dicens: quoniàm vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent*, me expectant, mihi incumbunt. *Sed nihil horum vereor* diuina virtute suffultus, *nec facio animam meam pretiosiorem, quàm*

me,

me, nihili æstimo vitam meam; sic 1. Reg. 3. 1. sermo Domini erat pretiosus in diebus illis; & 2. Machab. 3. 34. non enim melior sum fratribus meis; *dummodò consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu*, non ab homine, *testificari Euangelium gratiæ Dei.* Vide ad Gal. *Et nùnc ecce ego scio quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnum Dei*; ideò nùnc vos visurus, & confirmaturus pertranseo. *Quapropter contestor vos hodierna die, quia mũdus sum à sanguine omnium*, rationẽ me non redditurum sanguinis, pœnarum, peccatorum vestrorum, si non credideritis, & operemini; sic sanguis illius supèr nos, & supèr filios nostros. *non enim subterfugi* aliqua mei vtilitate, vel timore ductus, *quòminus*, quin *annunciarem omne consilium Dei vobis* circà salutem vestram versans. *Attendite vobis* primùm, *&* deindè *vniuerso gregi* Domini, *in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos*, superintendentes *regere Ecclesiam* Dei, non vestram, *quam acquisiuit sanguine suo* in Cruce fuso. Psal. 2. postula à me, &c. Data est mihi omnis potestas, &c. *Ego scio quoniam intrabunt pòst discessionem meam lupi rapaces in uos non parcentes gregi* dominico, de his & ad Thes. *& ex uobis ipsis exurgent uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos pòst se*, superbia elati more dæmonum, *proptèr quod uigilate*, ne in has tentationes inducamini, *memoria retinentes, quoniam per triennium noctè, & die non cessaui cum lacrymis monens vnumquemque uestrum*, vt in fide Christi firmi essetis: hæc enim memoria vobis proderit ad tentationes superandas. *Et nùnc commendo vos Deo, & verbo*, idest, effectui, facto *gratiæ ipsius*: verbum enim pro re, seu facto sæpiùs capitur, ac si diceret precor vobis effectus gratiæ ipsius, *qui potens est*, Deus, non effectus gratiæ, ad quam sequentia referri non possunt, sed ad Deum effectorem, *qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus*; his verbis erigit eos, vt recurrant ad Deum, qui potens est ædificare sibi Ecclesiam, fideles, & remunerari dando hæreditatem, regnum cæleste intèr omnes sanctificatos, prædestinatos. *Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiui*, nedum recepi, *sicùt ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrauerũt manus istæ* laborantes: vult dicere: Euangelium gratis absque sumptu vestro vobis ministraui; *omnia ostendi* vobis nihil subtrahens, dedi vobis exemplum. *Quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos*, debiles, ægros. intellectus de subsidio corporali hic videtur magis congruere præcedentibus, cùm agat de quæsitis labore manuum suarũ, quibus suis ministrauit, & subdat sic laborantibus suscipiendos infirmos, & subsequentibus, quia sententia, *beatius est magis dare, quàm accipere*, tendit ad corporalia, non spiritualia; *beatius* verò *est dare*, quia dans exercet actum liberalitatis, & charitatis, quo caret accipiens. *Et cùm hæc dixisset, positis genibus suis orauit cum omnibus illis*, etsi infrà Pascha, & Pentecosten, quia non erant preces publicæ, & solemnes ab Ecclesia institutæ; sic & infrà cap. 21. 5. sic solebant abinuicèm discessuri. *Magnus autèm fletus factus est omnium, & procumbentes supèr collum Pauli osculabantur eum, dolentes maximè in verbo, quod dixerat: quoniàm ampliùs faciem eius non essent visuri, & deducebant*, comitabantur *eum ad nauem*: sæpiùs fit mentio in epistolis de osculo pacis, & tùnc erat in vsu intèr fideles.





CAPVT XXI.

1 CVM autèm factum esset vt nauigaremus abstracti ab eis,
recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum, &
2 indè pataram. * Et cùm inuenissemus nauem transfre-
3 tantem in Phœnicen, ascendentes nauigauimus. * Cùm
apparuissemus autèm Cypro, relinquentes eam ad sini-
stram, nauigauimus in Syriam, & venimus Tyrum:
4 ibi enim nauis expositura erat onus. * Inuentis autèm di-
scipulis, mansimus ibi diebus septem: qui Paulo dicebant per Spiritum ne ascen-
5 deret Ierosolymam. * Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omni-
bus cum vxoribus, & filijs vsquè foràs ciuitatem: & positis genibus in littore,
6 orauimus. * Et cùm valefecissemus inuicèm, ascendimus nauem: illi autèm
7 redierunt in sua. * Nos verò nauigatione expleta à Tyro descendimus Ptole-
8 maidam: & salutatis fratribus, mansimus die vna apud illos. * Alia autèm
die profecti, venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi Euangelistæ,
9 qui erat vnus de septem, mansimus apud eum. * Huic autèm erant quattuor
10 filiæ virgines prophetantes. * Et cùm moraremur per dies aliquot, superuenit qui-
11 dam à Iudæa propheta, nomine Agabus. * Is cùm venißet ad nos, tulit zonam
Pauli: & alligans sibi pedes, & manus dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Vi-
rum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in ma-
12 nus Gentium. * Quod cum audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant,
13 ne ascenderet Ierosolymam. * Tùnc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis
flentes, & affligentes cor meum? Ego enìm non solùm alligari, sed & mori in
14 Ierusalem paratus sum proptèr nomen Domini Iesu. * Et cùm ei suadere non
15 possemus, quieuimus, dicentes: Domini voluntas fiat. * Pòst dies autèm istos
16 præparati, ascendebamus in Ierusalem. * Venerunt autèm & ex discipulis à
Cæsarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasonem quen-
17 dam Cyprium, antiquum discipulum. * Et cùm venissemus Ierosolymam, li-
18 bentèr exceperunt nos fratres. * Sequenti autèm die introibat Paulus nobiscum
19 ad Iacobum, omnesquè collecti sunt seniores. * Quos cum salutasset, narrabat
20 per singula, quæ Deus fecißet in Gentibus per ministerium ipsius. * At illi cùm
audißent, magnificabant Deum, dixeruntquè ei: Vides frater, quot millia sunt
21 in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis, * Audierunt au-
tèm de te quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Iudæo-
rum: dicens non debere eos circumcidere filios suos, nequè secundùm consuetudi-
22 nem ingredi. * Quid ergò est? vtiquè oportet conuenire multitudinem: audient
23 enìm te superuenisse. * Hoc ergò fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quat-
tuor,


24 *tuor votum habentes supèr se.* * *His assumptis, sanctifica te cum illis: & impende in illis vt radant capita: & scient omnes, quia quæ de te audierunt,*
25 *falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.* * *De his autèm, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus iudicantes vt abstineant se ab idòlis, immola-*
26 *to, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* * *Tùnc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletio-*
27 *nem dierum purificationis, donèc offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.* * *Dum autèm septem dies consummarentur, hi, qui de Asia erant, Iudæi, cùm vidissent eum in templo concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, cla-*
28 *mantes:* * *Viri Israelitæ, adiuuate: hic est homo, qui aduersùs populum, & legem, & locum hunc, omnes vbiquè docens, insupèr & Gentiles induxit in tem-*
29 *plum, & violauit sanctum locum istum.* * *Viderant enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quem æstimauerunt quoniàm in templum introduxis-*
30 *set Paulus.* * *Commotaquè est ciuitas tota, & facta est concursio Pauli: Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extrà templum: & statim clausæ sunt*
31 *ianuæ.* * *Quærentibus autèm eum occidere, nunciatum est tribuno cohortis:*
32 *quia tota confunditur Ierusalem.* * *Qui statìm assumptis militibus, & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cùm vidissent tribunum, & milites, cessaue-*
33 *runt percutere Paulum.* * *Tùnc accedens tribunus apprehendit eum, & iussit eum*
34 *alligari catenis duabus: & interrogabat quis esset, & quid fecisset.* * *Alij autèm aliud clamanbant in turba: & cum non posset certum cognoscere præ tumultu,*
35 *iussit duci eum in castra.* * *Et cùm venisset ad gradus, contigit vt portaretur*
36 *à militibus proptèr vim populi.* * *Sequebatur enim multitudo populi, clamans:*
37 *Tolle eum.* * *Et cùm cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno: Si licet mi-*
38 *hi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græcè nosti?* * *Nonnè tu es Aegyptius, qui antè hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quattuor millia vi-*
39 *rorum sicariorum?* * *Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidèm Iudæus à Tarso Ciliciæ, non ignotæ ciuitatis municeps. Rogo autèm te, permitte mihi*
40 *loqui ad populum.* * *Et cùm ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicens:*




VM autèm factum esset vt nauigaremus abstracti ab eis, quasi vi, cùm ex beneuolentia non paterentur discessionem Pauli, *recto cursu uenimus Coum, & sequenti die Rhodum, & indè Pataram. Et cùm inuenissemus* ibi *nauem transfretantem in Phœnicen, ascendentes nauigauimus. Cùm apparuissemus autèm Cypro, relinquentes eam* Cyprum *ad sinistram, nauigauimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim nauis expositura erat onus* mercium, quod susceperat: *Inuentis autèm discipulis*, fidelibus; *mansimus ibi diebus septem*, dum nauis onus exponeret, vel alia subrogaretur: *qui Paulo dicebant per Spiritum* propheticum *ne ascenderet Ierosolymam*, quà ipse tendebat, & vbi suspicabatur malum sibi eueturum suprà cap. 20. 16. & 23. hæc fortè & à seipso, & per alios voluit ei innotescere Deus, vt minùs ipsum ferirent mala supèr eum ventura iàm præui-

præuisa: *Et expletis diebus* septem *profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cũ vxoribus, & filijs vsquè foràs Ciuitatem: & positis genibus in littore, orauimus;* sic suprà c.20.in fin. vbi diximus hoc fuisse in more; & hinc apparet Tyriorum ergà Paulum beneuolentia. *Et cùm valefecissemus inuicèm, ascendimus nauem: illi autèm redierunt in sua. Nos verò nauigatione expleta à Tyro descendimus Ptolemaidam, & salutatis fratribus;* fidelibus, *mansimus die vna apud illos. alia autèm die profecti*, (properabat enim Paulus) *venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem* diaconis electis, *mãsimus apud eum. Huic autèm erant quattuor filiæ virgines prophetantes;* hæ non prædixerunt Paulo, sed alij suprà vers. 4. & cap. 20. 23. Spiritus sanctus, & Agabus vers. 10. si enim & hæ, diceretur, & comites procurassent Paulum auertere, proùt audita Agabi prophetia, & prophetiæ earum fit mentio in illarum, & Patris laudem, quia scientia filij honor Patris. Sed an Cæsareæ celebrauerit Pentecosten? credendum quòd non, cùm non dicatur, & ipse hac de causa properauerat ire in Ierusalem suprà cap. 20. 16. & cùm aliud non dicatur, præsumitur sic factum. *Et cùm moraremur per dies aliquot, superuenit quidam à Iudæa propheta, nomine Agabus. Is* Agabus *cùm venisset ad nos, tulit zonam Pauli, & alligans sibi pedes, & manus,* non Paulo; tùnc enim non congruerent verba, *sic alligabunt;* hanc enim repræsentationem faciebat in persona propria, inferens ad Paulum sic alligandum. *dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi,* proùt me nùnc alligaui, *& tradet in manus gentium*, proùt & contigit, & hæc clarior prophetia. *Quod cùm audissemus, rogabamus nos* comites Pauli, *& qui loci illius erãt, ne ascenderet Ierosolymam*, postquàm hæc imminebãt, quæ à tot prædicebantur. *Tùnc respondit Paulus* intrepidus, *& dixit: quid facitis flentes, & affligentes cor meum,* dum vos sic mœstos video? *Ego enim non solum alligari*, proùt Agabus dicit, *sed & mori in Ierusalem paratus sum pptèr nomen Domini Iesu,* vt & suprà cap.20.24. hinc enim beatitudo, de qua Iesus; sic Iesus cum Petro opponente se passioni: *& cùm ei suadere non possemus, quieuimus, dicentes: Domini voluntas fiat*, sic conformantes se cum Deo. *Pòst dies autèm istos,* quibus ibi morati sumus, *præparati* ad iter *ascendebamus in Ierusalem. Venerunt autèm & ex discipulis à Cæsarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasonem quendam* Cyprium, *antiquum discipulum*, intellige Ierosolymis, quia iàm in Ierosolymam erat ascensus vers. 15. & accessus ad eam vers. 17. vndè non potest intelligi de alio loco, præsertim quia ibi erat necessitas, non in via, cùm intèr Cæsaream, & Ierusalem paruum spatium intercurreret. *Et cùm venissemus Ierosolymam, libentèr exceperũt nos fratres* ad differentiam alterius temporis, quandò vitabant Paulum cap. 9. 26. *Sequenti autèm die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum* Apostolum, *omnesquè collecti sunt seniores*, non quasi ad Concilium, sed Paulum consalutaturi vers. 19. nàm nihil decretum, vel additum primæ Synodo, vt dicetur infrà. *Quos cùm salutasset* Paulus, *narrabat per singula quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius* ad eorum consolationem, & informationem, & quasi rationem reddens sui ministerij. *At illi cùm audissent* relata à Paulo, *magnificabant Deum, dixeruntquè ei: Vides frater quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt* in Iesum, *& omnes* hi *æmulatores sunt legis*, quam acritèr, & obstinatè defendunt, & seruari volunt, & de obseruatione legis ferè in omnibus epistolis Pauli, & aliorum Apostolorum. *Audierunt autèm*, & certò sciunt *de te, quia discessionem doceas à Moyse eorũ, qui per gentes sunt dispersi, Iudæorum: dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundùm consuetudinem ingredi,* ambulare, prosequi; sic suprà Act. 1. 21. à die, qua intrauit, & exiuit intèr nos Dominus Iesus. *Quid ergò est?* quid ex hoc orietur? *vtiquè oportet conuenire multitudinem,* præsertim æmulatores illos: *audient enim te superuenisse,* & de facili fiet seditio, seù tumultus. *Hoc ergò fac quod tibi dicimus* ad tollendam à te omnem suspicionem: *sunt nobis viri quattuor votum habentes supèr se*, qui sunt

sunt sanctificandi. *His assumptis sanctifica te cum illis, & impende in illis*, pro illis, *vt radant capita, &* ex hoc facto *scient omnes, quia quæ de te audierunt* supèr legem Moysis, *falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem* Moysis. *De his autèm, qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus iudicantes vt abstineant se ab idòlis, immolato;* sic suprà cap. 15. *& sanguine, & suffocato, & fornicatione*, quasi, in his nulla fit difficultas, sed in Iudæis tantùm, vt suprà. *Tùnc Paulus* obediens, *assumptis viris* illis quattuor, *postera die purificatus*, sanctificatus *cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donèc offerretur pro vnoquoque eorum oblatio* debita. Num.6. & sic facto se conformauit cum lege Moysis in hac ceremonia. *Dum autèm septem dies* purificationis *consummarentur, hi, qui de Asia erant, Iudæi* odio Paulum prosequentes, apud quos grauia passus erat, *cùm vidissent eum* Paulum *in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes: Viri Israelitæ, adiuuate: Hic* Paulus *est homo, qui aduersus populum, & legem, & locum hunc omnes vbiquè docens*. hæc causa contrà Christum quoquè deducta. Ioan. 12. *insupèr & Gentiles induxit in templum, & violauit sanctum locum istum;* Gentiles templum adibant, at in quadam parte, oppositio ergò versabatur, quòd in locum Gentilibus indebitum illos induxisset. *Viderant enim Trophimum Ephesium* Gentilem *in Ciuitate* Ierusalem *cum ipso* Paulo, *quem æstimauerunt quoniam in templum introduxisset* eum *Paulus;* & sic ex sola suspicione agebant. *Commotaquè est Ciuitas tota, & facta est concursio populi*, iuxtà quod dixerant Iacobus, & seniores; *& apprehendentes Paulum trahebant eum extrà templum, & statìm clausæ sunt ianuæ*, ne in templo homicidium, vel malum fieret. *Quærentibus autèm* illis *eum occidere* (hinc vide quòmodò quærebant Paulum ad necem, non proptèr pecunias, vt alibì dixi) *nunciatum est tribuno cohortis* ità disponente Deo, & volente saluare Paulum, *quia tota confunditur*, euertitur *Ierusalem*. *Qui statìm assumptis militibus, & Centurionibus, decurrit ad illos* tenentes Paulum; *qui cùm vidissent tribunum, & milites, cessauerunt percutere Paulum*, quèm priuato iure cædebant. *Tùnc accedens tribunus apprehendit eum, & iussit eum alligari catenis duabus* (eccè prophetia Agabi) *& interrogabat quis esset, & quid fecisset. alij autèm aliud clamabant in turba: Et cùm non posset* Tribunus *certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra. Et cùm venisset ad gradus, contigit vt portaretur à militibus proptèr vim populi* Paulum prosequentis: *sequebatur enim* eum *multitudo populi, clamans: tolle eum*, interfice eum. *Et cùm cœpisset induci in castra Paulus*, tutus à tumultu *dicit Tribuno: si licet*, licetne *mihi loqui aliquid ad te? qui dixit, græcè nosti?* (græcè enim loquutus erat Paulus.) *Nonnè tu es Aegyptius, qui antè hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quattuor millia virorum sicariorum?* quasi, quomodò in alium te transformas? fortè contrà Paulum à maleuolis hæc falsa Tribuno suggesta, vt periret. *Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidèm Iudæus à Tharso Ciliciæ, non ignotæ ciuitatis municeps*, excludit sic obiectum. *Rogo autèm te, permitte mihi loqui ad populum;* sic enim perorando & populo, & Tribuno satisfacere existimauit. *Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus* eminentibus, *annuit manu ad plebem* dicturus, *& magno silentio facto, alloquutus est lingua Hebræa, dicens:*



CA-



CAPVT XXII.

1 VIRI fratres, & patres, audite quam ad vos nunc reddo
2 rationem. * Cum audissent autem quia Hebræa lingua lo-
3 queretur ad illos, magis præstiterunt silentium. * Et dicit:
Ego sum vir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus au-
tem in ista ciuitate secus pedes Gamaliel eruditus iuxta
veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut & vos om-
4 nes estis hodie: * qui hanc viam persecutus sum vsque ad
5 mortem, alligans & tradens in custodias viros ac mulieres, * sicut princeps sa-
cerdotum mihi testimonium reddit, & omnes maiores natu, à quibus & episto-
las accipiens ad fratres Damascum pergebam, vt adducerem inde vinctos in
6 Ierusalem vt punirentur. * Factum est autem, eunte me, & appropinquante
7 Damasco media die, subito de cælo circumfulsit me lux copiosa: * & decidens in
8 terram audiui vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris? * Ego
autem respondi: Quis es Domine? Dixitque ad me: Ego sum Iesus Nazare-
9 nus, quem tu persequeris. * Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vo-
10 cem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum. * Et dixi: Quid fa-
ciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens, vade Damascum: &
11 ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere. * Et cum non viderem præ
claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus, veni Damascum.
12 * Ananias autem quidam, vir secundum legem testimonium habens ab omni-
13 bus cohabitantibus Iudæis, * veniens ad me, & astans dixit mihi. Saule fra-
14 ter respice. Et ego eadem hora respexit in eum. * At ille dixit: Deus patrum
nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum,
15 & audires vocem ex ore eius: * quia eris testis illius ad omnes homines eorum,
16 quæ vidisti, & audisti. * Et nunc quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue
17 peccata tua inuocato nomine ipsius. * Factum est autem reuertenti mihi in Ie-
18 rusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis, * & videre illum di-
centem mihi: Festina, & exi velociter ex Ierusalem: quoniam non recipient
19 testimonium tuum de me. * Et ego dixi: Domine ipsi sciunt quia ego eram con-
20 cludens in carcerem, & cædens per Synagogas eos, qui credebant in te. * & cum
funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custo-
21 diebam vestimenta interficientium illum. * Et dixit ad me: Vade quoniam
22 ego in nationes longe mittam te. * Audiebant autem eum vsque ad hoc ver-
bum, & leuauerunt vocem suam, dicentes: Tolle de terra huiusmodi: non enim
23 fas est eum viuere. * Vociferantibus autem eis, & proijcientibus vestimenta
24 sua, & puluerem iactantibus in aerem, * iussit tribunus induci eum in castra,

& sta-


& flagellis cædi, & torqueri eum vt sciret propter quam causam sic acclama-
25 *rent ei. * Et cùm astrinxissent eum loris, dicit astanti sibi Centurioni Paulus:*
26 *Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare? * Quo audito,*
Centurio accessit ad tribunum, & nunciauit ei, dicens: Quid acturus es? hic
27 *enim homo ciuis Romanus est. * Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi*
28 *si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. * Et respondit tribunus: Ego multa*
summa ciuilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem & natus
29 *sum. * Protinus ergò discesserunt ab illo, qui eum torturi erant, Tribunus quo-*
que timuit postquam resciuit, quia ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum.
30 *Postera autem die volens scire diligentiùs qua ex causa accusaretur à Iudæis, sol-*
uit eum, & iussit sacerdotes conuenire, & omne concilium, & producens Pau-
lum, statuit intèr illos.




IRI fratres, & patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem status mei, & conuersionis, & fidei in Iesum. *Cùm audissent autèm, quia Hebræa lingua,* ad quã vtì propriam magis affecti erant, *loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium,* & attentionem. *Et dicit: Ego sum vir Iudæus* origine, *natus in Tarso Ciliciæ* (hæc eius patria, vt aliàs obseruaui, & suprà cap. 21. 39.) *nutritus autèm in ista Ciuitate,* ex hoc aperit affectum ergà eam, non autèm quòd aduersùs eam doceat, vt dixerunt cap. 21. 28. *secùs pedes Gamaliel eruditus iuxtà veritatem paternæ legis* Mosaicæ, *æmulator legis* acerrimus suprà cap. 9. *sicùt & vos omnes estis hodiè,* qui ob hanc commoti estis, *qui hanc viam* æmulandæ legis *persecutus sum vsquè ad mortem* (morti enim Stephani interfuit) *alligans, & tradens in custodias viros, ac mulieres* sequentes Iesum, *sicùt princeps Sacerdotum mihi testimonium reddit, & omnes maiores natu, à quibus & epistolas accipiens ad fratres,* Iudæos, *Damascum pergebam, vt adducerem indè vinctos in Ierusalem vt punirentur.* intendit captare animos illorum ex æmulatione, qua ergà legem ferebatur. *Factum est autem* (nunc quomodò mutatus) *eunte me, & appropinquante Damasco media die,* vt decipi non possim, *subito de cælo circumfulsit me lux copiosa* à Iesu emanans, quæ & illum cæcauit: *& decidens in terram* perterrefactus *audiui vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris?* quomodò persequeretur, suprà expressit. *Ego autem respondi, quis es Domine? dixitquè ad me: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum,* distinctam, sed confusam, quia dicitur suprà cap. 9. 7. audientes quidèm vocem, neminem autèm videntes: vtrobiquè enim agitur de voce Iesu cum Paulo loquentis, non Pauli, quod exprimitur hic, *eius qui loquebatur mecum. Et dixi: quid faciam, Domine,* postquàm confundor te persequens? *Dominus autem dixit ad me: Surgens* in virtute mea *vade Damascum, & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere.* voluit Dominus iuxtà eius consuetudinem per hominem edoceri de his. *Et cùm non viderem præ claritate luminis illius,* eccè vndè obcæcatio Pauli, *ad manum deductus à comitibus, veni Damascum,* ergò non equitabat, quia supèr equum reposuissent eum; vndè ex licentia Pictores. *Ananias autèm quidam, vir secundùm legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis* (Ananiæ laudes, & maximè ex lege ponit, vt magis ipsi fidem adhibeant dictis) *veniens ad me iussus à Domino, & astans dixit mihi: Saule frater respice, & ego eadem hora* ex miraculo *respexi in eum. At ille dixit* ad me:

Deus

Deus Patrum nostrorum præordinauit te; & ipsemet Saulus, qui segregauit me ab vtero matris meæ; *vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum,* Iesum, *& audires vocem ex ore eius;* sicut audiuit verè, sic vidit verè, cùm hæc copulentur, & infrà etiàm clarè: *quia eris testis illius* electus *ad omnes homines eorum, quæ vidisti, & audisti.* ad Resurrectionem respicit, quod est principale fundamentum. Act. 1. in Matthia, testem resurrectionis, &c. hinc certum Paulum vidisse Iesum, quod & ipse testatur. 1. Cor. 15. *& nunc quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius,* scilicèt Christi, non ergò erat pro forma, sed recognitio Christi, quæ præcedebat in baptismo. *Factum est autèm reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis, & videre illum* Iesum iterum *dicentem mihi.* ex contextu videntur hæc successisse pòst conuersionem prima vice, qua petijt Ierusalem; sed vide scripta ibi. *Festina, & exi velocitèr ex Ierusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me,* nolo hìc te verba effundere. *Et ego dixi: Domine ipsi sciunt, quia ego eram concludens in carcerem & cædens per Synagogas eos, qui credebant in te: & cũ funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illũ,* quasi dicat, nùnc deberent mihi plus credere. non sempèr repugnatur Deo à deducente rationem aliò impellentem, proùt in Anania notauimus. *Et dixit ad me: vade,* abi hinc: scio enim quod loquor; *quoniam ego in nationes longè mittam te,* suprà cap. 9. Reddit rationem cur ad gentes iuerit prædicatum, quod Iudæis sempèr displicuit. An in Hispaniam peruenerit, dubium, quia vsquè ad hanc diem, & pòst hanc, qua alligatus Romam ductus, non, & postquàm ex carcere Romano liber, ignoratur. Vide scripta in Epistola ad Romanos. *Audiebant autèm eum vsquè ad hoc verbum,* quod sustinere non potuerunt, & tùnc *leuauerunt vocem suam dicentes: tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum viuere.* sola inuidia, & odio mouebantur, nulla ratione. *Vociferantibus autèm eis, & proijcientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aerem* in detestationem dictorum per Paulum quasi abominabilium: de scissione vestimentorum in Caipha, & pulueris iactatione in missione Apostolorum, & discipulorum in Euangelijs: *iussit Tribunus induci eum in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum, vt sciret proptèr quam causam sic acclamarent ei,* non vt furorem leniret vociferantium; vndè barbarum, & irrationabile factum velle à reo scire (omisso accusatore) cur accusetur, quod emendauit vers. 30. *Et cum astrinxissent eum loris* ad effectum illum flagellandi, *dicit astanti sibi Centurioni Paulus: si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?* sic suprà cap. 16. 38. 39. *Quo audito, Centurio accessit ad Tribunum, & nunciauit ei, dicens: quid acturus es? hic enim homo ciuis Romanus est;* vndè flagellis cædi non potest. *Accedens autèm Tribunus* ad Paulum rem exploraturus, *dixit illi: dic mihi si tu Romanus es? at ille dixit: etiàm. Et respondit Tribunus: Ego multa summa ciuilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autèm & natus sum,* quod plus est. *Protinùs ergò discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoquè timuit postquam rescivit, quia Ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum.* Sed magna Dei prouidentia, vt in hoc fides haberetur soli Paulo pro se loquenti. *Postera autèm die volens scire diligentiùs qua ex causa accusaretur à Iudæis, soluit eum* à catenis illis, *& iussit Sacerdotes* Iudæorum *conuenire, & omne concilium, & producens Paulum, statuit intèr illos* causam suam dicturum.




CA-



CAPVT XXIII.

1 INTENDENS autèm in concilium Paulus ait:
Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum
2 antè Deum vsquè in hodiernum diem. * Princeps au-
tèm Sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percute-
3 re os eius.* Tùnc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus,
paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundùm legem,
4 & contrà legem iubes me percuti? * Et qui astabant di-
5 xerunt: Summum sacerdotem Dei maledicis? * Dixit autèm Paulus: Nescie-
bam fratres quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enìm: Principem populi
6 tui non maledices. * Sciens autèm Paulus quia vna pars esset Sadducæorum,
& altera Pharisæorum, exclamauit in concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum,
7 filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. * Et cùm hæc
dixisset, facta est dissensio intèr Pharisæos, & Sadducæos, & soluta est multitudo.
8 * Sadducæi enìm dicunt, non esse resurrectionem, nequè angelum, nequè Spiri-
tum: Pharisæi autèm vtraque confitentur. * Factus est autèm clamor magnus.
9 Et surgens quidam Pharisæorum, pugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus
10 in homine isto: quid si Spiritus locutus est ei, aut angelus? * Et cùm magna dis-
sensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites
11 descendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra. * Sequen-
ti autèm nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto: sicùt enìm testificatus
12 es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari. * Facta autèm die col-
legerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se dicentes, nequè manducaturos,
13 nequè bibituros donèc occiderent Paulum. * Erant autèm plus quàm quadragin-
14 ta viri, qui hanc coniurationem fecerant: * qui accesserunt ad principes sacerdo-
tum, & seniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil gustaturos, do-
15 nèc occidamus Paulum. * Nùnc ergò vos notum facite tribuno cum concilio,
vt producat illum ad vos, tamquàm aliquid certius cognituri de eo. Nos
16 verò priùs quàm appropiet, parati sumus interficere illum. * Quòd cùm au-
disset filius sororis Pauli insidias, venit, & intrauit in castra, nunciauitquè
17 Paulo. * Vocans autèm Paulus ad se vnum ex Centurionibus, ait: Adolescen-
18 tem hunc perduc ad tribunum, habet enìm aliquid indicare illi. * Et ille qui-
dèm assumens eum duxit ad tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogauit me
19 hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. * Appreben-
dens autèm tribunus manum illius secessit cum eo seorsùm, & interrogauit il-
20 lum: Quid est, quod habes indicare mihi? * Ille autem dixit: Iudæis con-
uenit rogare te, vt crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid

21 *certius inquisituri sint de illo: * tu verò ne crediderìs illis: insidiantur enìm ei*
ex eis viri ampliùs quàm quadraginta, qui se deuouerunt non manducare, ne-
què bibere, donèc interficiant eum: & nùnc parati sunt, expectantes promissum
22 *tuum. * Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur quo-*
23 *niàm hæc nota sibi fecisset. * Et vocatis duobus Centurionibus, dixit illis: Pa-*
rate milites ducentos vt eant vsquè Cæsaream, & equites septuaginta, & lan-
24 *cearios ducentos à tertia hora noctis: * & iumenta præparate vt imponentes*
25 *Paulum, saluum perducerent ad Felicem præsidem, (* Timuit enìm ne fortè*
raperent eum Iudæi, & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, tam-
26 *quàm accepturus pecuniam)* scribens epistolam continentem hæc: (LAVDIVS*
27 *Lysias optimo Præsidi, Felici salutem. * Virum hunc comprehensum à Iudæis,*
& incipientem interfici ab eis, superueniens cum exercitu eripui, cognito quia
28 *Romanus est: * Volensquè scire causam, quam obijciebant illi, deduxi eum in*
29 *concilium eorum. * Quem inueni accusari de quæstionibus legis ipsorum, nihil*
30 *verò dignum morte aut vinculis habentem criminis. * Et cum mihi perlatum*
esset de insidijs, quas parauerant illi, misi eum ad te denuncians, & accusato-
31 *ribus vt dicant apud te, Vale. * Milites ergò secundùm præceptum sibi, assu-*
32 *mentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem. * Et postera die di-*
33 *missis equitibus vt cum eo irent, reuersi sunt ad castra. * Qui cum venissent*
Cæsaream, & tradidissent epistolam præsidi, statuerunt antè illum & Pau-
34 *lum. * Cùm legisset autèm, & interrogasset de qua prouincia esset: & cogno-*
35 *scens quia de Cilicia, * Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Ius-*
sitquè in prætorio Herodis custodiri eum.



NTENDENS *autèm in Concilium Paulus, ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona cõuersatus sum antè Deum vsquè in hodiernum diem*, quia quæ agebat contrà Christianos putabat rectè, & secundùm Deum facere; vndè dixit, quia ignorans feci sibi non imputatum, vel dimissum. *Princeps autèm Sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os eius*, quia fortè putauit Paulum arrogantèr loqui; at Paulus eadem repetit infra c. 24. 16. *Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundùm legem, & contrà legem iubes me percuti?* hac dicendi libertate vtitur Paulus ad innocentiam suam demonstrandam, & ne ex percussione reus existimaretur; sic & Christus contrà percutientem se in maxilla coràm Caipha. *Et qui astabant, dixerunt: Summum Sacerdotem Dei maledicis? Dixit autèm Paulus: nesciebam fratres, quia Princeps est Sacerdotum.* Standum est illum non cognouisse, proùt dicit, quia Paulus nequè simularet, nequè mentiretur. quomodò autèm nesciuit non video meliorem rationem, quàm ex illius longa absentia, & aduentu recenti in Ierusalem, & iuxtà hæc accommodanda alia, vt signo nullo sufficienti potuerit scire eum esse Principem Sacerdotum, vel non aduerterit. *Scriptum est enìm: Principem populi tui non maledices.* subdit hoc ad corroborationem præcedentium, quia si sciffet illum Principem, sciebat etiàm præceptum non maledicendi, contrà quod non commisisset. *Sciens autèm Paulus; quia vna pars Concilij esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamauit in Concilio. Viri fratres, ego Phari-*

seus

saus sum filius Pharisaeorum, de spe, & resurrectione mortuorum, quam teneo, & prædico, *ego iudicor*, in iudicium trahor, patior. *Et cùm hæc dixisset, facta est dissensio intèr Pharisæos, & Sadducæos, & soluta est multitudo* congregata, dissolutum concilium. *Sadducæi enim dicunt non esse resurrectionem* mortuorum, *neque Angelum, neque spiritum*; at quod reciperent tantùm Pentateuchum, non video vbi probetur; nàm locus adductus a Christo in Pentateucho singularitèr probat Resurrectionem, & multi alij Angelos, & spiritus extare. *Pharisæi autèm vtraque confitentur*; vndè non conueniebant. *Factus est autèm clamor magnus* intèr illos dissentientes. *Et surgẽtes quidam Pharisæorum, pugnabant* verbis *dicentes: Nihil mali inuenimus in homine isto: quid si spiritus locutus est ei aut Angelus?* quasi, ab illis hæc, quæ dicit, quibus nos credimus, emanare possunt, & vera esse. *Et cùm magna dissensio facta esset, timens Tribunus ne discerperetur Paulus ab eis, iussit milites descendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra*. Eccè protectio Dei pro Paulo. *Sequenti autèm nocte assistens ei Dominus* Iesus *ait: Constans esto* in tribulationibus his: *sicùt enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari*. hæc est causa, cur Paulus agebatur à spiritu in Ierusalem. cap. 19. 22. *facta autem die, &c.* vsquè ad finem capitis. ponitur coniuratio quadraginta virorum, qui voto deuouerant se non manducaturos antequàm Paulum occiderent, quæ per nepotem Pauli ad Tribunum, à quo Paulum producere petituri erant Iudæi, quasi aliquid certius de eo cogniturі delata, militibus, & equitibus assumptis, Paulum ad Præsidem Cæsaream transmisit, vbì in custodia accusatores expectare iussus. Ex his primò apparet, quod sepiùs dixi, Paulum à Iudæis ad necem quæsitum; secundò magna Dei prouidentia pro salute sui serui Pauli.



CAPVT XXIV.

1 *POST quinque autèm dies descendit Princeps Sacerdo-*
2 *tum, Ananias, cum senioribus quibusdam, & Tertullo*
3 *quodam oratore, qui adierunt præsidem aduersus Pau-*
lum. * *Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus, dicens:*
Cum in multa pace agamus per te, & multa corrigantur
4 *per tuam prouidentiam;* * *sempèr & vbiquè suscipimus,*
optimè Felix, cum omni gratiarum actione. * *Ne diu-*
5 *tiùs autem te protraham, oro, breuitèr audias nos pro tua clementia.* * *Inueni-*
mus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in
6 *vniuerso orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum:* * *qui etiàm templum*
violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundùm legem nostram
7 *iudicare.* * *Superueniens autèm tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de*
8 *manibus nostris,* * *iubens accusatores eius ad te venire: à quo poteris ipse iudicans*
9 *de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum.* * *Adiecerunt autèm*
10 *& Iudæi, dicentes hæc ità se habere.* * *Respondit autèm Paulus, (annuente sibi*
Præside dicere) Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro
11 *me satisfaciam.* * *Potes enìm cognoscere quia non plùs sunt mihi dies quàm duo-*

12 *decim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem. * & neque in templo inuenerunt*
me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in Syna-
13 *gogis, * neque in ciuitate: neque probare possunt tibi de quibus nunc me accu-*
14 *sant. * Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hære-*
sim, sic deseruio Patri, & Deo meo, credens omnibus, quæ in Lege, & Prophe-
15 *tis scripta sunt: * spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurre-*
16 *ctionem futuram iustorum, & iniquorum. * In hoc & ipse studeo sine offen-*
17 *diculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper. * Post annos au-*
tem plures eleemosynas facturus in gentem meam, veni, & oblationes, & vo-
18 *ta. * in quibus inuenerunt me purificatum in templo: non cum turba, neque*
19 *cum tumultu. * Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto*
20 *esse, & accusare si quid haberent aduersum me: * aut hi ipsi dicant si quid inuene-*
21 *runt in me iniquitatis cum stem in concilio, * nisi de vna hac solummodo voce,*
qua clamaui inter eos stans: Quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor
22 *hodie à vobis. * Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, di-*
23 *cens: Cum Tribunus Lysias descenderit, audiam vos. * Iussitque Centurioni*
custodire eum, & habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.
24 ** Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla vxore sua, quæ erat Iudæa,*
25 *vocauit* Paulum, *& audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum Iesum. * Disputan-*
te autem illo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix re-
26 *spondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te: * simul*
& sperans, quod pecunia ei daretur à Paulo, propter quod & frequenter accersens
27 *eum, loquebatur cum eo. * Biennio autem expleto, accepit successorem Felix* Portium
Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum vinctũ.




OST quinque autem dies descendit Princeps Sacerdotum Ananias cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore, qui adierunt Præsidem aduersus Paulum, machinantes ei mortem. *Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam prouidentiam:* adulatoria verba: *Semper, & vbique suscipimus* per te gesta, *optime Felix, cum omni gratiarũ actione. Ne diutius autem te protraham, oro, breuiter audias nos pro tua clementia. Inuenimus hunc hominem pestiferũ, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso Orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum,* Christianorum, *qui etiam templum violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundum legem nostrã iudicare:* id enim videbatur eis licere, vel hoc dicit, vt ad illos causa referretur iudicanda. Vide fallaciam oratoris: à pace, & correctione malorum laudat Felicem, Paulum verò seditionis, & turbationis reum insimulat, vt magis in eum Præsidem acuat; sic & contra Christum actum. *Superueniens autem Tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, iubens accusatores eius ad te venire, à quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum.* tacet quæ egerũt contrà Paulum, & quomodò ad necem eum quærebãt, quibus motus Tribunus eripuit eum de manibus eorum. *Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita se habere*, prout exposuit Tertullus. *Respondit autem Paulus (annuente sibi Præside dicere.) Ex multis annis te*

esse

esse Iudicem genti huic sciens, quasi nota omnia huius gentis habentem, & expertum, quod repetit infrà vers. 22. ideò tibi *bono animo pro me satisfaciam* locuturus. *Potes enim cognoscere*, quasi notum est, *quia non plus sunt mihi dies, quàm duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem*, non violare templum. ex breuitate temporis mansionis in Ierusalem defensionem suam roborat; *& neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in Synagogis, neque in Ciuitate, neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant* circà seditionem, & sic excludit omne delictum. *Confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm sectam, quam dicunt hæresim sic deseruio Patri, & Deo meo, credens omnibus, quæ in lege, & Prophetis scripta sunt*, nùnc adimpleta: *spem habens in Deum, quam & ipsi expectant resurrectionem futuram iustorum* ad vitam, *& iniquorum* ad condemnationem. *In hoc & ipse studeo sinè offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines* sempèr. Sequor ergò quod & ipsi sequuntur; euangelizo quod sentio publicè, & palàm; vndè nihil in me ex hoc arguere possunt; sic & Christus: egò palàm locutus sum mundo, &c. *Pòst annos autèm plures eleemosynam facturus in gentem meã*, eique subuenturus, *veni, & oblationes, & vota* soluturus, *in quibus inuenerunt me purificatum*, sanctificatum *in templo:* cum illis ergò quattuor & seipsum purificauit, non illi soli; *non cum turba, neque cum tumultu*, proùt Tertullus dixit. *Quidam autèm ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare si quid haberent aduersùm me*. Et cum non accesserint, qui occasionem capturæ meæ dederunt, calumniæ arguuntur. *aut hi ipsi*, qui accusaturi accesserunt, & præsentes *dicant si quid inuenerunt in me iniquitatis*, criminis, *cum stem in concilio*, sustinens eorum probationes, & accusationes: de præsenti tempore, non alio intelligendum: verba enim sunt præsentis temporis, & in hoc verificantur; vndè nil aliud subintelligendum; *nisi de vna hac solummodo voce, qua clamaui intèr eos stans: Quoniàm de resurrectione mortuorum ego iudicor*, condemnor, patior *hodiè à vobis*, qui me accusatis. *Distulit autèm illos Felix, certissimè sciens de via hac*, de qua disserebant, nempè secta Nazarenorum, *dicens: Cum Tribunus Lysias* informatus *descenderit ad me, audiam vos, iussitque Centurioni custodire eum, & habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei*. cognouit causæ leuitatem Felix. *Pòst aliquot autèm dies veniens Felix cum Drusilla vxore sua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum Iesum*, idest, quæ credenda Paulus proponebat, & euangelizabat. *Disputante autèm illo de iustitia* Dei, *& castitate* seruanda parùm nota Ethnicis, vt suprà cap. 15. dixi, *& de Iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nùnc attinet, vade:* non ad liberam custodiam, quem iàm iusserat custodiri suprà vers. 23. & quem dimisit vinctum discedens infrà vers. 27. & quia cessasset copia vocandi sæpiùs, proùt faciebat sperans xenia vers. 26. & fieret mentio huius relaxationis, proùt suprà custodiæ: *Vade* ergò ad locum tuum: *tempore autèm opportuno accersam te, simùl & sperans quòd pecunia ei daretur à Paulo, proptèr quod & frequentèr accersens eum, loquebatur cum eo*, non fidem quærens. *Biennio autèm expleto accessit successorem Felix Portium Festum* in officio, ergò & de officio biennium, & sic ex textu habemus Felicem per biennium tantùm in officio durasse, & biennium non potest ad aliud trahi. *Volens autèm gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum vinctum*, quem immunem à delicto cognitum liberum dimittere debuerat, sed omnia ad profectum fidei.





CAPVT XXV.

1 FESTVS ergò cum venisset in prouinciam, pòst triduum
2 ascendit Ierosolymam à Cæsarea. * Adieruntquè eum
Principes sacerdotum, & primi Iudæorum aduersùs Pau-
3 lum: & rogabant eum, * postulantes gratiam aduersùs
eum, vt iuberet perduci eum in Ierusalem, insidias ten-
4 dentes vt interficerent eum in via. * Festus autèm re-
spondit seruari Paulum in Cæsarea: se autèm maturiùs
5 profecturum. * Qui ergò in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simùl, si quod
6 est in viro crimen, accusent eum. * Demoratus autèm intèr eos dies non am-
pliùs quàm octo, aut decem, descendit Cæsaream, & altera die sedit pro tribu-
7 nali, & iussit Paulum adduci. * Qui cum perductus esset, circumsteterunt
eum, qui ab Ierosolyma descenderant Iudæi, multas, & graues causas obijcien-
8 tes, quas non poterant probare, * Paulo rationem reddente: Quoniàm nequè in
legem Iudæorum, nequè in templum, nequè in Cæsarem quidquam peccaui?
9 * Festus autèm volens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo, dixit: Vis
10 Ierosolymam ascendere, & ibì de his iudicari apud me? * Dixit autèm Paulus:
Ad tribunal Cæsaris sto, ibì me oportet iudicari: Iudæis non nocui, sicùt tu me-
11 liùs nosti. * Si enìm nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si
verò nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsa-
12 rem appello. * Tùnc Festus cum concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti?
13 ad Cæsarem ibis. * Et cum dies aliquot transacti essent: Agrippa rex, & Ber-
14 nice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum. * Et cùm dies plures ibi
demorarentur, Festus regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus
15 à Felice vinctus, * de quo cùm essem Ierosolymis, adierunt me Principes sacer-
16 dotum, & seniores Iudæorum, postulantes aduersùs illum damnationem, * Ad
quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem
priùs quàm is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumquè defenden-
17 di accipiat ad abluenda crimina. * Cum ergò hùc conuenissent sinè vlla dilatio-
18 ne, sequenti die sedens pro tribunali, iussi adduci virum. * De quo, cum ste-
tissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum:
19 * Quæstiones verò quasdam de sua superstitione habebant aduersùs eum, & de
20 quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere. * Hæsitans autèm
ego de huiusmodi quæstione, dicebam si vellet ire Ierosolymam, & ibì iudicari
21 de istis. * Paulo autèm appellante vt seruaretur ad Augusti cognitionem, iussi
22 seruari eum, donèc mittam eum ad Cæsarem. * Agrippa autèm dixit ad Fe-
23 stum: Volebam & ipse hominem audire. Cràs, inquit, audies eum. * Altera
autèm

autèm die cum venisset Agrippa & Bernice cum multa ambitione, & introis-
sent in auditorium cum Tribunis, & viris principalibus ciuitatis, iubente Festo
24 *adductus est Paulus. * Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes, qui simùl*
adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Iudæorum inter-
pellauit me Ierosolymis, petentes & acclamantes non oportere eum viuere am-
25 *pliùs. * Ego verò comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autèm hoc*
26 *appellante ad Augustum, iudicaui mittere. * De quo quid certum scribam do-*
mino, non habeo. Proptèr quod produxi eum ad vos, & maximè ad te rex
27 *Agrippa, vt interrogatione facta habeam quid scribam. * Sine ratione enìm*
mihi videtur mittere vinctum, & causas eius non significare.

FESTVS *ergò cum venisset in Prouinciam* Iudæam, *pòst triduum ascendit Ierosolymam à Cæsarea. adieruntquè eum Principes Sacerdotum, & primi Iudæorum aduersùs Paulum* agentes, *& rogabant eum* ignarum insidiarum præteritarum, *postulantes gratiam aduersùs eum* Paulum, *vt iuberet perduci eum in Ierusalem, insidias tendentes*, tendere intendentes, *vt interficerent eum in via*, proùt iàm disposuerant sæpiùs. *Festus autèm* à Deo motus *respondit seruari Paulum in Cæsarea, se autèm maturiùs* illùc *profecturum. qui ergò in vobis (ait) potentes sunt*, possunt, *descendentes simùl*, vt vno contextu audiatur causa, *si quod est in viro crimen, accusent eum. Demoratus autèm intèr eos dies non ampliùs quàm octo, aut decem, descendit Cæsaream, & altera die sedit pro tribunali, & iussit Paulum adduci* causam suam peroraturum. *Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Ierosolyma descenderant Iudæi, multas, & graues causas obijcientes*, de quibus in præcedenti capite, & infrà. *quas non poterant probare, Paulo rationem reddente: quoniàm nequè in legem Iudæorum, nequè in templum, nequè in Cæsarem quidquam peccaui*. Ex his elice causas obiectas. *Festus autèm volens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo, dixit: Vis Ierosolymam ascendere, & ibì de his iudicari apud me?* is erat scopus Iudæorum, qui volebant Paulum in via interficere. *Dixit autèm Paulus, ad tribunal Cæsaris sto, ibì*, non alibì, *me oportet*, conuenit *iudicari*, de facto scilicèt. *Iudæis non nocui, sicùt tu meliùs nosti*, ità vt in eorum regione debeam sustinere iudicium: *si enìm nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori; si verò nihil est eorum, quæ hi accusant me*, si omnia vana, *nemo potest me illis donare*, sicùt me illùc transmittendo facere tentas. *Cæsarem appello*. ad repellendam iniuriam, non quòd firmet in eum iurisdictionem. *Tùnc Festus cum concilio* suo proprio, non Hebræorum, qui conuenerant: hi enim erant accusatores, non Iudices, vel Consiliarij, *locutus* ad partes, *respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis*, & hæc erat intentio Spiritus sancti vt iret Romam. cap. 23. 11. *Et cum dies aliquot, &c.* subiungit accessus Agrippæ, & Bernice; & cum textus sit facilis vsquè ad finem capitis, & de iàm gestis, aliqua tantùm annotabo. *Agrippa Rex, & Bernice* soror. Si vxor fuisset, exprimeret, proùt dixi suprà cap. 17. in fin. & si Bernice vxor, textus eam nominasset Reginam, proùt virum Regem: hæc enim stetit in auditorio vsquè ad finem, & ducta cum viris ad colloquium, vt infrà cap. 26. in fin. *Volebam & ipse hominem audire*; in auditu sistit gratia curiositatis, non defendendi, non liberandi insontem. *De quo quid certum scribam Domino, non habeo*. adulabantur, qui olim Imperatorem Orbis Dominum appellabant, vt l. deprecatio. ad l. Rhod. de iac. cum totum non obtineret, & Christus non reliquit dominium

Impe-


Imperatori, sed Petro oues pascendas, dicens: pasce oues meas, intèr quas & ipse Imperator. Sinè ratione, & contrà rationem ex ore suo egit, Paulum innocentem sinè causa transmittens, & detinens.



CAPVT XXVI.

1 AGRIPPA verò ad Paulum ait: Permittitur tibi lo-
qui pro temetipso. Tùnc Paulus extenta manu cœpit ra-
2 tionem reddere. * De omnibus, quibus accusor à Iudæis,
Rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cum sim de-
3 fensurus me hodiè, maximè te sciente omnia, & quæ
apud Iudæos sunt consuetudines, & quæstiones: proptèr
4 quod obsecro patientèr me audias. * Et quidèm vitam
meam à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis, nouerunt om-
5 nes Iudæi: * præscientes me ab initio (si velint testimonium perhibere) quo-
6 niàm secundùm certissimam sectam nostræ riligionis vixi Pharisæus. Et nunc
in spe, quæ ad patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto iudicio subiectus:
7 * in quam duodecim tribus nostræ nocte ac die deseruientes, sperant deuenire.
8 * Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? * Et ego qui-
9 dèm existimaueram, me aduersùs nomen Iesu Nazareni debere multa contra-
10 ria agere. * Quod & feci Ierosolymis, & multos sanctorum ego in carceribus in-
clusi, à Principibus Sacerdotum potestate accepta: & cum occiderentur, detuli
11 sententiam. * Et per omnes Synagogas frequentèr puniens eos, compellebam
blasphemare: & ampliùs insaniens in eos, persequebar vsquè in exteras ciuita-
12 tes. * In quibus dum irem Damascum cum potestate, & permissu Principum
13 Sacerdotum, * die media in via, vidi, Rex, de cælo suprà splendorem solis
14 circumfulsisse me lumen, & eos, qui mecum simùl erant. Omnesquè nos cum
decidissemus in terram, audiui vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Sau-
le, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contrà stimulum calcitrare.
15 * Ego autèm dixi: Quis es Domine? Dominus autèm dixit: Ego sum Iesus,
16 quem tu persequeris. * Sed exurge, & sta supèr pedes tuos: ad hoc enim apparui
tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum, quæ vidisti, & eorum,
17 quibus apparebo tibi, * eripiens te de populo, & gentibus, in quas nunc ego mit-
18 to te, * aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de pote-
state Satanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter
19 sanctos per fidem, quæ est in me. * Vndè Rex Agrippa, non fui incredulus cæ-
20 lesti visioni: * sed his, qui sunt Damasci primùm, & Ierosolymis, & in om-
nem regionem Iudææ, & Gentibus annunciabam, vt pœnitentiam agerent,
21 & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. * Hac ex causa
me

22 *me Iudai cùm essem in templo, comprehensum tentabant interficere.* * *Auxilio*
autèm adiutus Dei vsquè in hodiernum diem sto, testificans minori, atquè ma-
iori, nihil extrà dicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse; & Moy-
23 *ses,* * *si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annun-*
24 *ciaturus est populo, & Gentibus.* * *Hæc loquente eo, & rationem reddente, Fe-*
stus magna voce dixit: insanis Paule, *multæ te litteræ ad insaniam conuer-*
25 *tunt.* * *Et* Paulus: *Non insanio (inquit) optime Feste, sed veritatis, & so-*
26 *brietatis verba loquor.* * *Scit enìm de his Rex, ad quem & constantèr loquor:*
latere enìm eum nihil horum arbitror. Nequè enìm in angulo quidquam horum
27 *gestum est.* * *Credis Rex Agrippa* Prophetis? *Scio quia credis.* * *Agrippa autèm*
28 *ad* Paulum: *In modico suades me Christianum fieri.* * *Et* Paulus: *Opto apud*
29 *Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, sed etiàm omnes, qui au-*
30 *diunt, hodiè fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* * *Et exurre-*
31 *xit Rex, & præses, & Bernice, & qui assidebant eis.* * *Et cùm secessissent,*
loquebantur ad inuicèm, dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid
32 *fecit homo iste.* * *Agrippa autèm Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non*
appellasset Cæsarem.




GRIPPA verò ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso, ad tui defensionem. *Tùnc Paulus extenta manu* intrepidè *cœpit rationem reddere*, ostendere suam innocentiam. *De omnibus, quibus accusor à Iudæis, Rex Agrippa, æstimo me beatum*; cur? *cum sim apud te defensurus me hodiè*; vndè hæc littera nullam patitur controuersiam; confirmatur intellectus, *maximè te sciente omnia, & quæ apud Iudæos sunt consuetudines, & quæstiones*, cùm sim dicturus apud te de rebus nostris informatum, & in eis versatum; *proptèr quod obsecro patientèr me audias*, quærit attētionem. Sanctus Ioannes Chrisostomus hom. 33. in 1. ad Cor. 13. dicit Paulum non assentari Agrippæ, sed hac mansuetudine voluisse eum trahere ad fidem: ideò Agrippa: *in modico suades me Christianum fieri*, & Paulus replicat: *opto, &c. Et quidèm vitam meam à iuuentute*, (incipit à principio) *quæ ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis*, in Ciuitate primaria, non in vico, *nouerunt omnes Iudæi, præscientes me ab initio (si velint testimonium perhibere* pro veritate) *quoniam secundùm certissimam sectam nostræ religionis* Iudaicæ, *vixi Pharisæus. Et nunc in spe, quæ ad Patres nostros repromissionis facta est à Deo* regni Messiæ *sto iudicio subiectus*, accusor, in iudicium trahor, *in quam* spem *duodecim tribus nostræ*, omnis Israel, *nocte, ac die deseruientes* Deo, *sperant deuenire*, quasi, non hoc meum inuentum, commune est hoc omni Israel, & de resurrectione agit: dixit enìm aliàs, quoniàm de resurrectione iudicor, & de hac dicit accusari vers. seq. & in quam sperant deuenire tribus, ergò in resurrectionem, quia si vis de Messia, non potest stare, cùm iàm venisset. *De qua spe accusor à Iudæis, Rex*: quasi, vide quàm futilis accusatio hæc. *Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?* quasi, nonnè hæc apud Deum omnipotentem possibilia? etsi talia, cur credenda proponi non possunt? hoc ad Agrippam videtur referri ex præcedenti, *de qua spe accusor à Iudæis, Rex*. Et quia cum Rege cœpit, & ad eum hæc spectabant edoctum in secta Hebræorum, & iterum vers. 16. 19. 23. ad eum conuertit se. *Et ego quidèm existimaueram, me aduersùs nomen*

Iesu

Iesu Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci Ierosolymis, & multos Sanctorum, fidelium *ego in carceribus inclusi, à Principibus Sacerdotum potestate accepta.: Et cum occiderentur*, (de solo Stephanò constat) *detuli sententiam*, consensi, iui in sententiam aliorum, in necem illius; sic se explicauit ipse suprà cap. 22. 20. astabam, consentiebam, custodiebam, &c. *Et per omnes Synagogas frequentèr puniens eos, compellebam blasphemare* Iesum, vel viam illam, *& ampliùs insaniens in eos, persequebar vsquè in exteras Ciuitates*. Ostendit non temerè de resurrectione Iesû disserere, eumquè sequi, & argumento vehementi vtitur ad mouendum alios à via, quam & ipse primò errans sequebatur. *In quibus dum irem Damascum cum potestate, & permissu Principum Sacerdotum, die media*, non noctu, non in somnis, vt decipi potuerim, non in angulo, non in latebris, sed *in via vidi, Rex, de cælo suprà splendorem solis circumfulsisse me lumen, & eos, qui mecum simùl erant* (id à Christo.) *Omnesquè nos cum decidissemus in terram*, visum ergò ab omnibus lumen suprà cap. 22. 9. & omnes ambiuit, *audiui* ego solus *vocem* formatam *loquentem mihi Hebraica lingua*, vt intelligere possem. Solus ipse audiuit, non socij vocem hanc efformatam, vt aliàs obseruaui; sic Daniel solus, non alij viderunt visionem. Vide scripta in Luc. cap. 1. *Saule, Saule, quid me persequeris?* fidem meã, fideles meos, Ecclesiam meam? *durum est tibi contrà stimulum calcitrare*; nunc euadere non poteris. *Ego autèm dixi: Quis es, Domine?* illicò recognouit Dominum ex his, quæ acciderunt. *Dominus autèm dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris* in meis, *sed exurge, & sta supèr pedes tuos*, non ergò equitabat: sic enim iubeo, & hæc deiectio non est ad malum, sed ad bonum: *ad hoc enim apparui tibi* visibilis in corpore meo; de hac apparitione suprà cap. 9. & Paulus. 1. Cor. 15. 9. nouissimè autèm omnium tamquàm abortiuo visus est & mihi, *vt constituam te* mihi *ministrum*; hinc ministerium opus hoc solet appellare Paulus; *& testem eorum, quæ vidisti*, & præsertìm resurrectionis meæ, proùt in Matthia. Acto. 1. *& eorum, quibus apparebo tibi*, in quibus me tibi demonstrabo, *eripiens*, erepturus *te de populo, & gentibus* te persecuturis, *in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum*, ad aperiendum oculos ignorantiæ eorum, *vt conuertantur à tenebris* ignorantiç *ad lucem, & de potestate Satanæ* ob peccata *ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum* baptizati, *& sortem*, hæreditatem *inter Sanctos*, prædestinatos *per fidem, quæ est in me*, in quo solo salus. *Vnde Rex Agrippa, non fui incredulus cælesti visioni*, & diuinæ: quid enim non credendum de cælo emanantibus? *sed his, qui sunt Damasci primum, & Ierosolymis*, quasi, non in obscuris locis, sed nobilioribus, *& in omnem regionem Iudææ, & gentibus annunciabam* iuxtà imperium Iesu, *vt pænitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pænitentiæ opera facientes*; sic Ioannes Baptista, Christus, alij Apostoli ex præscripto. *Hac ex causa me Iudæi, cum essem in templo*, quasi nihil mali agentem *comprehensum tentabant interficere*; eccè quomodò quærebatur ad necem, vt sæpiùs dixi. *Auxilio autèm adiutus Dei*, à quo id recognosco, *vsquè in hodiernum diem sto*, viuo, *testificans minori, atquè maiori*, vnicuique: testis enim electus sum; *nihil extrà dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses*. de Morte, & Resurrectione Christi, & nostra; vndè infert, quæ dicebat ex illis collecta. *Si passibilis Christus, si primus ex Resurrectione mortuorum, lumen annunciaturus est populo, & gentibus*, quas iàm dixerat cœcas, & versari in tenebris suprà cap. 18. *Hæc loquente eo, & rationem reddente* dictorum, quæ Lucas contraxit; *Festus magna voce dixit. insanis Paule, multæ te litteræ ad insaniam conuertunt*, hæc ille incapax dictorum per Paulum. *Et Paulus; non insanio* (inquit) *optimè Feste, sed veritatis, & sobrietatis verba loquor*, quæ tamèn & omnes deberent apprehendere, & sequi ad salutem. *Scit enim de his Rex, ad quem & constantèr*, sinè timore *loquor: latere enim eum nihil horum arbitror* de rebus nostris expertum. *Nequè enim in angulo quidquam horum gestum est*, sed palàm, ità vt ad eius aures peruenerint. *Credis Rex Agrippa Prophetis?* iàm dixerat, nihil proferre, nisi quæ Prophetæ, & Moyses

ſes locuti fuerant futura; ideò de his interrogat Regem. *Scio, quia credis:* Iudæus enim erat. *Agrippa autèm ad Paulum: In modico* ſensim *ſuades me Chriſtianum fieri,* & conformitèr *Paulus in modico, & magno;* vndè non ſunt verba apprehendentis fidem, ſed nugantis: & nil mirum, quia peccato grauabatur, & aderat igniculus, dico Bernice ſecum; & ſi motio in illo facta eſſet, procuraſſet pro Paulo magiſtro, ſed verba omnia apparent ventoſa, & ex euentu id notum fuit, quia non conſtat de illius conuerſione. Vel dicas Agrippam obicem poſuiſſe; hinc tactus ſurrexit. *Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, ſed etiam omnes, qui audiunt, bodiè,* abſquè mora *fieri tales, qualis & ego ſum* Chriſtianus, *exceptis vinculis his,* quæ nulli opto. Quamuis Paulus cognoſceret iocum Agrippæ, non deſtitit tamèn pronunciare quod ſuum erat, imitans Chriſtum, qui interrumpentes ſermonem, vel aliò trahentes, non auſcultabat, ſed proſequebatur. *Et exurrexit Rex, & Præſes, & Bernice, & qui aſſidebant eis,* conſiliarij, vel alij, non ergò Bernice vxor, quia nominata eſſet & Regina, & vxor. *Et cum receſſiſſent, loquebantur ad inuicèm, dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iſte.* Eccè pronunciata innocentia Pauli. *Agrippa autèm Feſto dixit: Dimitti poterat homo hic, ſi non appellaſſet Cæſarem,* adulatur Feſto Rex, eius opinionem amplecti ſimulans; at appellauit grauatus, tolle grauamen Feſte, & tua eſt cognitio; non poteras inſontem detinere, appellatio nil ei nocebat, nequè ea potes iniuſtitiam tuam fouere, quin eò magis dimittere debueras.



CAPVT XXVII.

1 *VT autèm iudicatum eſt nauigare eum in Italiam, & tra-*
di Paulum, cum reliquis cuſtodijs Centurioni nomine Iu-
2 *lio, cohortis Auguſtæ, * aſcendentes nauem Adrumetinam,*
incipientes nauigare circà Aſiæ loca, ſuſtulimus, perſeue-
rante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi.
3 ** Sequenti autèm die deuenimus Sidonem. Humanè au-*
tèm tractans Iulius Paulum, permiſit ad amicos ire, &
4 *curam ſui agere. * Et indè cum ſuſtuliſſemus, ſubnauigauimus Cyprum, propte-*
5 *reà quòd eſſent venti contrarij. * Et pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ nauigan-*
6 *tes, venimus Lyſtram, quæ eſt Lyciæ: * & ibì inueniens centurio nauem Ale-*
7 *xandrinam nauigantem in Italiam, tranſpoſuit nos in eam. * Et cum multis*
diebus tardè nauigaremus, & vix deueniſſemus contrà Gnidum, prohibente
8 *nos vento, adnauigauimus Cretæ iuxtà Salmonem: * & vix iuxta nauigan-*
tes, venimus in locum quendam, qui vocatur Boniportus, cui iuxtà erat ciui-
9 *tas Thalaſſa. * Multo autèm tempore peracto, & cum iàm non eſſet tuta naui-*
10 *gatio, eo quòd & ieiunium iàm præterijſſet, conſolabatur eos Paulus, * dicens*
eis: Viri, video quoniàm cum iniuria, & multo damno non ſolùm oneris,
11 *& nauis, ſed etiàm animarum noſtrarum incipit eſſe nauigatio. * Centurio au-*
tèm gubernatori, & nauclero magìs credebat, quam his, quæ à Paulo diceban-
12 *tur. * Et cum aptus portus non eſſet ad hiemandum, plurimi ſtatuerunt conſi-*
lium

lium nauigare indè, si quomodò possent, deuenientes Phœnicen, hiemare, por-
13 tum Cretæ respicientem ad Africum, & ad Corum. * Aspirante autem Au-
stro, æstimantes propositum se tenere, cùm sustulissent de Asson, legebant Cre-
14 tam. * Non pòst multum autèm misit se contrà ipsam ventus Typhonicus, qui
15 vocatur Euroaquilo. * Cumque arrepta esset nauis, & non posset conari in
16 ventum, data naue flatibus, ferebamur. * In insulam autèm quandam de-
17 currentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham. * Qua sub-
lata, adiutorijs vtebantur, accingentes nauem, timentes ne in Syrtim incide-
18 rent, summisso vase sic ferebantur. * Valida autèm nobis tempestate iactatis,
19 sequenti die iactum fecerunt: * & tertia die suis manibus armamenta nauis
20 proiecerunt. * Neque autèm sole, neque sideribus apparentibus per plures dies,
& tempestate non exigua imminente, iàm ablata erat spes omnis salutis nostræ.
21 * Et cum multa ieiunatio fuisset, tùnc stans Paulus in medio eorum, dixit:
Oportebat quidèm, ò viri, audito me, non tollere à Creta, lucriquè facere in-
22 iuriam hanc, & iacturam. * Et nunc suadeo vobis bono animo esse, amissio
23 enim nullius animæ erit ex vobis, præterquàm nauis. * Astitit enìm mihi hac
24 nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio, * dicens: Ne timeas Pau-
le, Cæsari te oportet assistere: & eccè donauit tibi Deus omnes qui nauigant
25 tecum. * Proptèr quod bono animo estote viri: credo enìm Deo, quia sic erit,
26 quemadmodum dictùm est mihi. * In insulam autèm quandam oportet nos de-
27 uenire. * Sed posteaquàm quartadecima nox superuenit, nauigantibus nobis in
Adria, circà mediam noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam re-
28 gionem. * Qui & summittentes bolidem, inuenerunt passus viginti: & pusil-
29 lum indè separati inuenerunt passus quindecim. * Timentes autèm ne in aspera
loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quattuor, optabant diem fieri.
30 * Nautis verò quærentibus fugere de naui, cùm misissent scapham in mare, sub
31 obtentu quasi inciperent à prora anchoras extendere, * dixit Paulus Centurioni,
32 & militibus: Nisi hi in naui manserint vos salui fieri non potestis. * Tùnc ab-
33 sciderunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere. * Et cùm lux inci-
peret fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima die ho-
34 diè expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes. * Proptèr quod rogo vos
accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peri-
35 bit. * Et cùm hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu om-
36 nium: & cùm fregisset cœpit manducare. * Animæquiores autèm facti omnes
37 & ipsi sumpserunt cibum. * Eramus verò vniuersæ animæ in naui ducentæ
38 septuaginta sex. * Et satiati cibo alleuiabant nauem, iactantes triticum in ma-
39 re. * Cùm autèm dies factus esset, terram non agnoscebant: sinum verò quen-
dam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, eijcere na-
41 uem. * Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simùl laxantes
iuncturas gubernaculorum: & leuato artemone secundùm auræ flatum tende-
42 bant ad littus. * Et cùm incidissemus in locum dithalassum, impegerunt na-
uem:

uem: & prora quidèm fixa manebat immobilis, puppis verò soluebatur à vi
42 *maris.* * *Militum autèm consilium fuit vt custodias occiderent: nequis cum*
43 *enatasset, effugeret.* * *Centurio autèm volens seruare Paulum, prohibuit fieri:*
iussitquè eos, qui possent natare, emittere se primos, & euadere, & ad terram
44 *exire:* * *& cæteros alios in tabulis ferebant: quosdam supèr ea, quæ de naui erant.*
Et sic factum est, vt omnes animæ euaderent ad terram.



VT autèm iudicatum est à Festo, non Agrippa, qui non tanquàm iudex adscitus, sed auditor suprà cap. 25. vers. 22. vel consiliarius quid scribendum Cæsari. cap. 25. 26. In hoc cap. describitur iter maritimum Pauli, & tempestas, quæ sunt clara, & hystorialia; vndè tangam tantùm aliqua. *Hadrumentinam* designat è quo loco nauis, non quà tenderet: prosequitur enim, *incipientes nauigare. Eo quòd & ieiunium iam præterijsset*, vers. 9. vtiquè de ieiunio noto hæc verba, quod obseruabatur, non de fame, quia ex fame non fit non tuta nauigatio, sed ex tempore, ad quod ex ieiunio transacto alludebat; quale autèm ieiunium, incertum. videtur hiemale. vers. 12. & cap. 28. 2. At infrà vers. 21. dicitur. *Et cum multa ieiunatio fuisset:* & infrà vers. 33. *quarta decima die hodiè expectantes ieiuni permanetis nihil accipientes;* vndè ad famem videtur referendum ieiunium: *amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquàm nauis: astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere;* sic suprà cap. 23. 11. *& eccè donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum;* sic Danieli in Lacu Leonum; sic Ioseph in vinculis succurrit Deus. Cum ipso sum in tribulatione, dicit Psalmus; sed proptèr vnum Paulum bonum tot improbi salui; sic per vnum Lot Segor; sic per paucos bonos Abraham tentabat saluari Ciuitates illas; sic Deus in Ieremia petebat quæri sibi virum vnum, proptèr quem aliorum misereretur; sic Heliodoro donata vita proptèr Oniam. 2. Machab. 3. 34. *Et cum fregisset, cœpit manducare* panem communem, quem sumpserat: vt quid enìm hic de Eucharistia, si de leuanda esurie, & longa ieiunatione frangenda agebatur? & si subditur exemplo Pauli alios sumpsisse cibum? cur in naui, cur præsentibus Gentilibus Eucharistia sumpta?




CAPVT XXVIII.

1 *ET cum euasissemus, tùnc cognouimus quia Melita insu-*
la vocabatur. Barbari verò præstabant non modicam
2 *humanitatem nobis.* * *Accensa enìm pyra, reficiebant*
nos omnes proptèr imbrem, qui imminebat, & frigus.
3 * *Cum congregasset autèm Paulus sarmentorum aliquan-*
tam multitudinem, & imposuisset supèr ignem, vipera
4 *à calore cum processisset, inuasit manum eius.* * *Vt ve-*
rò viderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, ad inuicèm dicebant:


Vtiquè homicida est homo hic, qui cum euaserit de mari, vltio non sinit eum
5 *viuere.* * *Et ille quidèm excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.*
6 * *At illi existimabant eum in tumorem conuertendum, & subito casurum, &*
mori. Diu autèm illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri con-
7 *uertentes se, dicebant eum esse Deum.* * *In locis autèm illis erant prædia prin-*
8 *cipis insulæ, nomine Publij, qui nos suscipiens, triduò benignè exhibuit.* * *Con-*
tigit autèm patrem Publij febribus, & dysenteria vexatum iacere. Ad quem
Paulus intrauit: & cum orasset, & imposuisset ei manus, saluauit eum.
9 * *Quo facto, omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & cura-*
10 *bantur:* * *qui etiàm multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus im-*
11 *posuerunt quæ necessaria erant.* * *Pòst menses autèm tres nauigauimus in naui*
12 *Alexandrina, quæ in insula hiemauerat, cui erat insigne Castorum.* * *Et*
13 *cum venissemus Syracusam, mansimus ibì triduò.* * *Indè circumlegentes deue-*
nimus Rhegium: & pòst vnum diem flante Austro, secunda die venimus
14 *Puteolos;* * *vbì inuentis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem:*
15 *& sic venimus Romam.* * *Et indè cum audissent fratres, occurrerunt nobis*
vsquè ad Appij forum, ac tres Tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratias
16 *agens Deo, accepit fiduciam.* * *Cum autèm venissemus Romam, permissum*
17 *est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.* * *Pòst tertium autèm diem*
conuocauit primos Iudæorum. Cumquè conuenissent, dicebat eis: Ego, viri fra-
tres, nihil aduersùs plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Ieroso-
18 *lymis traditus sum in manus Romanorum,* * *qui cum interrogationem de me*
habuissent, voluerunt me dimittere, eo quòd nulla esset causa mortis in me.
19 * *Contradicentibus autèm Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi*
20 *gentem meam habens aliquid accusare.* * *Proptèr hanc igitur causam, rogaui*
vos videre, & alloqui. Proptèr spem enim Israel catena hac circundatus sum.
21 * *At illi dixerunt ad eum: Nos nequè litteras accepimus de te à Iudæa, nequè*
22 *adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut locutus est quid de te malum.* * *Ro-*
gamus autèm à te audire, quæ sentis: nàm de secta hac notum est nobis, quia
23 *vbiquè ei contradicitur.* * *Cum constituissent autèm illi diem, venerunt ad*
eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensquè
24 *eis de Iesu ex Lege Moysi, & Prophetis à mane vsquè ad vesperam.* * *Et*
25 *quidam credebant his, quæ dicebantur: quidam verò non credebant.* * *Cumquè*
inuicèm non essent consentientes, discedebant dicente Paulo vnum verbum:
Quia benè Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros,
26 * *dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non in-*
27 *telligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis.* * *Incrassatum est enim*
cor populi huius, & auribus grauitèr audierunt, & oculos suos compresserunt:
ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuer-
28 *tantur, & sanem eos.* * *Notum ergò sit vobis, quoniàm Gentibus missum est*
29 *hoc salutare Dei, & ipsi audient.* * *Et cum hæc dixisset: exierunt ab eo Iudæi,*
mul-

30 *multam habentes intèr se quæstionem.* * *Mansit autèm biennio toto in suo con-*
31 *ducto: & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum,* * *prædicans regnum*
Dei, & docens quæ sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia, sinè pro-
hibitione.




T *cum euasissemus,&c.* omnia clara; aliqua tantùm tangemus; *Vbi inuentis fratribus* vers. 14. & 15. Deus voluit seruum suum consolari, & exhilarare humanitate Barbarorum tot signis in insula, & fratrum occursibus, & hùc tendunt verba, (*accepit fiduciam*,) audierant hi eius aduentum, & eius qualitates; sic Deus Moysi ad populum duci aduentanti occurrere fecit Aaron. Exod. 4. vndè etiam in tribulatione vult seruos suos glorificari. *Cum autèm venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet*, separatìm, de per se, *cum custodiente se milite*, non ergò data facultas eundi per totam Ciuitatem: dicitur enìm *manere sibimet*, *& cum custodiente se milite*, non ergò exire, imò vocauit ad se primores Iudæorum vers. 17. quod verisimilitèr, si liber fuisset, non fecisset, sed ipse illos adijsset custodia sua stipatus. *Proptèr hanc igitur causam rogaui vos videre*, & alloqui, vt diluam vobiscum si quid contrà me haberetis, & vt sciatis causam mei carceris esse vobiscum communem: *proptèr spem enim Israel*, idest, Messiam, & resurrectionem, *catena hac circundatus sum*, non alia de causa. *Nos nequè litteras accepimus.* Ierosolymitæ enìm illi Paulum persequentes videntes fouere malam causam, & Romæ peiora laturos, non sunt eum tàm citò prosecuti, contenti angustia hac Pauli, vt Romam vinctus duceretur,& ab ipsis abduceretur, postquàm sanguine eius satiari non potuerunt, quem sitiebant. *Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi,multam habentes intèr se quæstionem*, in his eorum quæstionibus tempus terebant obcæcati. *Mansit autèm biennio toto in suo conducto, & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei* in vinculis, *& docens quæ sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia, sinè prohibitione*, ità vt liberior fuerit in carcere Romæ, quàm solutus in Iudæa, in qua prohibebatur euangelizare. *Rogamus autem à te audire quæ sentis.* curiositate ducti id petunt. *Quia benè Spiritus sanctus, &c.* hæc in Euangelijs discussa, in quibus sæpiùs referuntur. Quid verò Petrus, & Paulus egerint vltrà quàm hìc habetur, videndę historiæ, & præsertìm Card. Baronius, qui in his egregiam nauauit operam; & quia pertransierunt benefaciendo, sanando, prædicando, Ecclesias fundando, Sacerdotes con secrando, & vbiquè ferè, quà transierunt, vestigia laborum suorum dimittendo, & ex his tutiùs ad veritatem ducemur. Non sunt autèm omnia scripta, tùm quia (quod in Christo Ioannes) non sufficissent omnes libri mundi, tùm quia voluit nos Deus in his perscrutandis exerceri, & (proùt in vita Christi) ab vna eorum actione scripta, alia non scripta discere, & imaginari. Sed cur Deus permittit per biennium Paulum vinctum morari, & in suo conducto? quia vincula illa dabant ei aditum prædicandi Christum coràm quocunque tribunali, ad quod trahebatur, & sic nobilioribus sub prætextu defensionis semen Euangelicum proijciebat, quod sinè vinculis ei non licuisset, idem etiàm faciebat in suo conducto, quod fortè libero non esset permissum: nàm non creditur carceratum peccare, & non dicenda dicere; imò magìs quod dicebat, vim recipiebat, & alij etiàm prouocabantur ad loquendum verbum Dei, de quibus ipse scribit ad Philip. 1. 12. Scire autèm vos volo, quia quæ circà me sunt, magìs ad profectum venerunt Euangelij, ità vt vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus, & plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis abundantiùs viderentur sinè timore verbum Dei

loqui; & 2. Timot. 2. 9. Secundùm Euangelium meum, in quo laboro vsquè ad vincula, quasi malè operans; sed verbum Dei non est alligatum. Itidem vbi vincula, & Romæ, & vbiquè gentium annunciabantur fidei fomentum maximum præstabant, cum scirent posse Paulum citò illis liberari, si cessaret à Iesu prædicando, & à lege Mosaica destruenda, & à propagatione Euangelij, pro quibus ab Hebræis accusabatur ad Galat. 5. 11. Quod autèm fecerunt vincula, operata est etiàm eorum memoria, & insinuatio, quam prædicabat omnibus postquàm illis solutus est. Deus autèm more suo cum Paulo egit: nàm docturus gentes peccatis inuolutas, Abraham, & vnà Lot educit, & circumfert. Populum suum in captiuitatem longam derelinquit & in Aegypto, & Babylone, & alibi. Tob. 13. & Ioseph captiuum vti Paulum nostrum duci, & carceri mancipari permittit, vt horum exemplo, vita, doctrina ad cultum veri Dei excitarentur, & ab idòlolatria abstraherentur.



IN




IN EPISTOLAS PAVLI.





OLVIT Deus Ecclesiam suam Scripturarum varietate ornare, fidelesquè illarum lectioni auidè, iugiterquè incumbere, vt discere, & solatium recipere, & nascentia dubia soluere, & refractarijs hæreticis resistere possent; hinc ne dum antiquas, & Euangelia: sed Apostolorum Actus, Epistolas has Pauli, & aliorum Apostolorum, & Apocalypsim habemus, ex quibus futuræ, nascentis, cessantis, & cum triumphante, cælestiquè iungendæ formam, & statum etiàm discimus. At priuilegium Pauli est, vt in Ecclesia sit vas salutaria continens, & sicùt viuus, sic mortuus sit doctor perpetuus à Deo constitutus. Vndè cum iàm Euangelia, & Actus Apostolorum aliquibus notis respersérimus, has Epistolas similitèr respergendas suscipimus, vtinam boni aliquid allaturi ad Dei gloriam, vt petimus.





IN EPISTOLAM AD ROMANOS CAPVT PRIMVM.

1 PAVLVS, seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus,
2 segregatus in Euangelium Dei, * quod antè promiserat
3 per Prophetas suos in Scripturis sanctis * de Filio suo, qui
4 factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, * qui
prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spi-
ritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu
5 Christi Domini Nostri: * per quem accepimus gratiam,
6 & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius, * in
7 quibus estis & vos vocati Iesu Christi: * omnibus qui sunt Romæ, dilectis
Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino
8 Iesu Christo. * Primùm quidèm gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro
9 omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. * Testis
enìm mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio Filij eius, quòd
10 sinè intermissione memoriam vestri facio * semper in orationibus meis: obsecrans,
si quomodò tandèm aliquandò prosperum iter habeam in voluntate Dei venien-
11 di ad vos. * Desidero enìm videre vos: vt aliquid impertiar vobis gratiæ
12 spiritualis ad confirmandos vos: * id est, simùl consolari in uobis per eam, quæ
13 inuicèm est, fidem uestram, atquè meam. * Nolo autèm uos ignorare fra-
tres: quia sæpè proposui venire ad vos, (& prohibitus sum vsque adhùc) vt
14 aliquem fructum habeam & in uobis, sicùt & in cæteris gentibus. * Græcis,
15 ac Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum: * ità (quod in me)
16 promptum est & uobis, qui Romæ estis, euangelizare. * Non enìm erubesco
Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primùm,
17 & Græco. * Iustitia enìm Dei in eo reuelatur ex fide in fidem: sicùt scriptum
18 est: iustus autèm ex fide uiuit. * Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem
impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui ueritatem Dei in iniustitia
19 detinent: * quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis
mani-

20 *manifestauit. * Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta*
sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoquè eius uirtus, & diuinitas:
21 *ità vt sint inexcusabiles. * Quia cum cognouissent Deum, non sicùt Deum glo-*
rificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, &
22 *obscuratum est insipiens cor eorum: * dicentes enìm se esse sapientes, stulti facti*
23 *sunt. * Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis*
24 *corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. * Pro-*
ptèr quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: vt
25 *contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis: * qui commutauerunt veritatem*
Dei in mendacium: & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs quàm Creato-
26 *ri, qui est benedictus in sæcula. Amen. * Propterea tradidit illos Deus in pas-*
siones ignominiæ. Nàm fæminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in
27 *eum vsum, qui est contrà naturam. * Similitèr autèm & masculi, relicto na-*
turali vsu fæminæ, exarserunt in desiderijs suis in inuicèm masculi in mascu-
los turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semet-
28 *ipsis recipientes. * Et sicùt non probauerunt Deum habere in notitia: tradidit il-*
29 *los Deus in reprobum sensum: vt faciant ea, quæ non conueniunt, * repletos*
omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, ho-
30 *micidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, * detractores, Deo odibi-*
les, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obe-
31 *dientes, * insipientes, incompositos, sinè affectione, absquè fœdere, sinè miseri-*
32 *cordia. * Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt quoniàm qui*
talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiàm qui con-
sentiunt facientibus.



AVLVS qui & Saulus, Actor. 13. vel binomius, vel quia primo elemento. S. corrupto (quod in aliquibus regionibus fieri videmus) Saulus in Paulus reformatus fuerit, quod de facili contigit cum cœpit conuersari cum Romanis, vel alijs Ethnicis, apud quos frequens nomen Pauli, non Sauli; At non quia Sergium Paulum baptizauerit, cum duplex nomen in dicto cap. 13. antè referatur, & in baptismate nihil suum recognoscat, sed omnia Christi. 1. Cor. 3. Nec obstat, si fuisset binomius, Lucas antè dixisset; nàm hoc non infringit veritatem dicti Lucæ cap. 13. & Lucas tùnc binomium dixit magna de illo relaturus pòst conuersionem, & Euangelij promulgationem: antè enim non eadem habita illius ratio, sicùt nequè improborum nomina dicuntur apud Deum descripta; Vndè corruit quod prætenditur, Paulum ex humilitate hoc sibi nomen imposuisse, tùm quia similitudo amborum nominum id excludit, tùm quia Euangelista expressisset, & exprimendo Saulus qui & Paulus, hanc humilitatis rationem reijcit. *Seruus Iesu Christi*, & infrà vers. 9. cui seruio: in conuersione enim sua in seruum adscitus est. Vas electionis, idest, electum, est mihi, vt portet nomen meum coràm Regibus, &c. Act. 9. quod & ministerium vocatur. Act. 1. 17. 25. & ipse ministeriū verbi nuncupat. Act. 20. 24. infrà cap. 11. 13. 1. Tim. 1. 13. & hęc seruitus in gloriā,

seruire

seruire Deo regnare est. Dauid: seruus tuus sum ego: ad hanc quisque tenetur. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, & ex hoc declarat se omnia velle, & facturum pro Domino. *Vocatus Apostolus* à Iesu, non quòd dictus, vel tentus ab alijs: nàm subdit, *segregatus in Euangelium*; *&*, *per quem accepimus gratiam*, *& Apostolatum*, *&c.* &, *in quibus estis & vos vocati Iesu Christi*, &, *vocatis sanctis*. Loquitur ergò verè, non denominatiuè, quod clariùs ad Galat. 1. 1. Paulus Apostolus, non ab hominibus, nequè per hominem, & ad Ephes. 1. 1. Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei. *Segregatus in Euangelium Dei* ad euangelizandum alijs, non ipse ad Euangelium tractus, seù conuersus, quod hìc non aptatur, cum loquatur, & scribat vti doctor; & ne dicant cur is ad nos scribit? *Quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo*. sic Hebr. 1. multifariam, &c. nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio. Præmittit hæc omnia Apostolus ad docendum ministerium suum, ne quis obijceret sibi, quòd in alienam messem falcem immitteret, & Romani intelligerent, cur ad illos scriberet. Et quia de gratia cum ipsis, siuè Hebræis, siuè Gentilibus conuersis ad Christum verba facturus erat, omnia, quæ ipse, vel illi gratiosè receperant, in principio Epistolæ commemorat, vt nihil in ea vacuum à persuasione inueniatur. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*; sic: factum ex muliere, factum sub lege. Gal. 4. 5. & 1. Timot. 3. 16. quod manifestatum est in carne. *Ex semine Dauid*, non dicit Abraham, quia longinquior: proximior Dauid, & quia in comperto erat apud omnes ex Dauid genere futurum. Io. 7. 42. & quia virga Genealogiæ fuit erecta, & manifesta reddita in Dauid iuxtà Zach. in Cantico. & erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorũ Iesu Christi Domini nostri*. *Prædestinatus*, segregatus, prælectus: nàm prædestinatio de Christo habetur. Io. 17. 24. vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me antè mundi constitutionem, & ibì dixi; & Hebr. 7. 26. segregatus à peccatoribus.

Sed quomodò Christus prædestinatus? Prædestinari non potuit Iesus vti homo simplex, seù vti prædestinati sunt cæteri homines, quia nunquàm fuit, vel futurus erat homo solus, sed Deus, & homo in vno supposito, quod factum est, cum primùm in vno instanti Verbum assumpsit carnem, antequàm illa caro homo esset, vel dici posset de per se ne momento quidèm. Natura humana, nempè caro illa vnienda diuinitati prædestinari non poterat eodem modo, quia nunquàm habitura erat suppositum proprium: & non dato supposito, prædestinatio quæ fit ad gloriam, non accomodatur. Non potuit prædestinari postquàm Verbum caro factum est, quia non indigebat, vt dicit Augustinus: per vnionem enim hypostaticam fuerunt communicata humanitati omnia idiomata diuinitatis, sicùt è contrà; sic non fuit ei datus Angelus custos, quia illo non indiguit quà homo ob diuinam hypostasim. Vndè illud tantùm dici potest Deum omniscientem ab æterno præuidisse, præscisse, elegisse, & prædestinasse carnem illam vniendam Verbo. Alius intellectus, *prædestinatus*, idest, declaratus, definitus *Filius Dei in virtute*, in potentia. Fecit potentiam in brachio suo; virtus altissimi obumbrabit tibi; at quomodò? *secundùm Spiritum sanctificationis*, idest, Sanctum. Et incarnatus est de Spiritu sancto, qui est primus terminus declarationis, & *ex resurrectione mortuorum*, ex mortuis *Iesu Christi*, facta in propria virtute diuina, qua se Deum declarauit, qui est vltimus, & de his duobus terminis se totum cõprehendere explicat Paulus infrà cap. 10. 9. quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris; nequè agitur hìc de excitatione generali futura mortuorum, quia hæc ad alios, sed de sola resurrectione Christi iàm perfecta, nequè de alijs miraculis, quia ad resurrectionem solam se restringit. Nequè verba, *in virtute*, important miracula, quia præcederent Conceptionem, quod est absurdum, & Paulus loquitur hìc de insignioribus demonstrantibus Christi di-

diuinitatem, quæ sunt Conceptio,& Resurrectio, non de alijs. Si dixeris quomodò ex his manifestatus,cum hæc occulta? Respondeo, ideò voluit hæc prædicari per Apostolos, vt manifestarentur, & crederentur. Fides enim de occultis,sufficit ergò facta fuisse, vt prædicari possent. Hoc intellectu sic stabilito, eò magis destruitur primus, quia prędestinationi æternę non assignantur causæ, aut manifestationes præteritæ, vel futuræ, cum illa stabiliatur in mera gratia Dei sic volentis: ideò cum Paulus causas adducat, de illa non intellexit, sed de manifestatione, & præfinitione in hoc mundo, & coràm hominibus: præmiserat autèm, *factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*, in subsequenti explicat quomodò is, qui factus erat, manifestus redditus fuerit Filius Dei:& cum præmittat de supposito, *factus secundùm carnem*, ergò non applicabilis prædestinatio ob vnionem hypostaticam, qua stante prædestinatione non indigebat, nec Paulus ergò de ea intellexit.

Vel *prædestinatus est*, redditus est manifestus *Filius Dei* per Apostolos *in virtute*, in potentia eis communicata, seù magna vehementia, feruore iuxtà Paulum. 1.Cor.2. in ostensione Spiritus, & virtutis, & *in virtute* Dei *secundùm spiritum sanctificationis*, idest, Sanctum in eis infusum, de cælo missum; sed quomodò? *ex resurrectione mortuorum*, idest,à mortuis *Iesu Christi*, quam supèr omnia missi sunt prædicare, quia illa sola declarauit illum Filium Dei, cum virtute propria se excitauerit, ideò dicit, *ex*, denotans modum, seù rationem, vel fundamentum; Hinc,virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini Nostri, & in electione Matthiæ orant vnum ex istis resurrectionis testem fieri. Acto.1.& ascendens, accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, &c. Acto.1.& quia credentes illam iustificabantur, propterea dicitur resurrexisse proptèr iustificationem nostram infrà cap.4. 25.&, si autèm Christus non resurrexit, inanis est ergò prædicatio nostra,inanis est & fides vestra. 1.Cor.15.14. hoc enim fuit principale in prædicatione Apostolica: & hoc saluare dicit Apostolus infrà cap.10. 9. si confitearis, &c. & similibus verbis, vt hic, visus est Apostolus ad Gal.1. per Iesum Christum,& Deum Patrem,qui suscitauit eum à mortuis. Huic autèm intellectui congruunt omnia, tùm quia agit Paulus principalitèr de euangelio, cuius pluriès meminit in Epistola, *segregatus in Euangelium*,& in fine cap.16. secundùm Euāgelium meum,& prædicationem Iesu Christi; tùm quia quòad incarnationem satis præmisit,*qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*, vndè nihil aliud succedebat,nisi quomodò ostensus Filius Dei, quod explicat, *qui prædestinatus, &c.* Tertiò, quia subsequentia verba, *per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum,&c.* ostendunt Apostolos illum prædicasse, & manifestum fecisse ex officio eis iniuncto,in quo primùm de resurrectione:& is est planior intellectus excludens multò magis primum, & quasi secundum.

Vel *prædestinatus*, demonstratus *est Filius Dei in virtute*, in potentia sua propria quà Deus, *secundùm Spiritum*, non quemlibet, sed *sanctificationis*, sanctum, sanctificantem, viuificantem, non secundùm carnem, de qua suprà, *ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini Nostri*, qui mortuus se ipsum suscitauit; vndè sicùt dixerat illum hominem factum ei ex semine Dauid, sic dicit illum Deum, quod ex resurrectione sua virtute facta probat; sic 1. Timot. 3. 16. manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu. Hebr. 1. tantò melior Angelis effectus, idest, declaratus. 1.Ioan.1. & ipsa vita manifestata est. At melior præcedens, quia verba,*secundùm spiritum sanctificationis*,meliùs componuntur.


Vel qui prædestinatus,manifestatus est Filius Dei naturalis,Deus in virtute,potentia *secūdùm spiritum sanctificationis*, Spiritum sanctum in mundū missum ad hoc testificandum, & manifestandum; Vndè de illo dixit Christus: ille testimonium perhibebit de me, manifestatus dico in virtute, potentia non qualibet, non quorumlibet miraculorum, seù signorum, sed ex resurrectione mortuorum Iesu Christi; excitando enim seipsum mortuum ad vitam probauit se Deum, quia alius à Deo id facere non poterat;

terat; propterea tamquàm necessarium argumentum suæ diuinitatis dedit Iudæis excitationem sui ipsius. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Generatio hæc signum quærit,& signum non dabitur ei,nisi signum Ionæ Prophetæ:sicùt enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ità erit Filius hominis in vétre terræ tribus diebus,& tribus noctibus. Et cum discipulis sicùt ex cruce, & passione docebat humanitatem, ità sempèr subiungens de resurrectione diuinitatem; hinc est quòd iussit illis manifestationem resurrectionis, & huius ipsi testes fuerunt. Act. 1. quod etiàm præstiterunt: nàm virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi Domini Nostri: & hunc credo veriorem intellectum in præcedentes tamèn reincidentem. *Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus*, idest, diuinum præceptum nobis impositum de fide prædicanda in omnibus gentibus. *Pro nomine eius*, idest, loco ipsius, pro ipso legatione fungimur. 2. Cor. 5. 20. hæc magis placet, nàm illa, vt dilatetur nomen Christi, est satìs dura. *In quibus estis, & vos vocati Iesu Christi*, intèr quas gentes vos etiàm numeramini: ne miremini igitur,si ad vos scribo: *omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis*, Christianis: tùnc enim sancti dicebantur. *Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo*, subintellige, sit, vel aliud verbum, quod in omnibus Epistolis Pauli faciendum. Petrus verò. 1. Epist. cap. 12. exprimit, multiplicetur, & in 2. 1. 2. adimpleatur, sicùt & Iudas. 1. 2. & Daniel. 3. 98. & 6. 26. *Primùm quidèm gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis* sic electis, *quia fides vestra* in Iesum Christum *annunciatur in vniuerso mundo*; fortè sic Deus voluit, vt quod recepisset Roma caput orbis, ab alijs reciperetur absquè difficultate: *testis enim mihi est Deus*, sic ad fidem dictis suis procurandam, *cui seruio in spiritu meo*,iuxtà vires meas, in quantum possum, vel ex toto spiritu, & viribus, *in Euangelio filij eius* enunciando, *quod sinè intermissione memoriam vestri facio sempèr in orationibus meis: obsecrans, si quo modo tandèm aliquandò prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos*, (& quomodò Deus concurrerit in hoc cum Paulo. Acto. 23. 11. & 27. 24.) *desidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis*, euangelicæ locutionis *ad confirmandos vos* in fide, *idest, simùl consolari in vobis per eam,quæ inuicèm est*,& quæ nos copulat, & vnum facit. Ioan. 17. *fidem vestram, atquè meam. Nolo autèm vos ignorare fratres, quia sæpè proposui venire ad vos, & probibitus sum vsquè adhùc*, id & sæpè in actibus Apost. sic Isaac vetitus ire in Aegyptum. Genes. 26. *vt aliquem fructum habeam*, recipiam *& in vobis, sicut & in cæteris gentibus* mihi creditis, quarum sum Apostolus. *Græcis, ac Barbaris.* cur non Iudæis? quia gentium Apostolus; *sapientibus, & insipientibus debitor sum*, quia sic mihi iniunctum. Acto. 9. *ità (quod in me est) promptum est & vobis, qui Romæ estis, euangelizare: non enim erubesco Euangelium*, imò in eo glorior. *Virtus enim Dei est in salutem*, idest, potentia salutem tribuens, seù potens salutem tribuere *omni credenti, Iudæo primum* primò vocato, *&* deindè *Græco*, gentili cuilibet; sed cur Græco? quia in Græcis Sapientia, Philosophia; at de incredulitate ipsorum inferiùs agit. *Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem; sicut scriptum est: iustus autèm ex fide viuit.* Ostendit quomodò virtus sit Dei ad salutem credenti, quia *iustitia Dei*, qua impium iustificat, *in eo* euangelio *reuelatur ex fide in fidem*, quæ in iustificatione requiritur, vt infrà cap. 5. iustificati igitur ex fide;&,impossibile est sinè fide placere Deo, traducens sensìm à fide vnius articuli ad alium, cum omnia sint connexa; & ex fide, quæ in animis hominum ingeritur, & deindè vestitur charitate, & bonis operibus, ac formata dicitur, succedit salus, seù vita, qua quisque iustus viuit: hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum; & cum loquatur hìc de salute, & vita, necessariò sub iustitia Dei intelligitur iustificatio, quam operatur in nobis Deus per fidem ex euangelio annunciato. Hęc verba referri debent tàm ad Iudæum, quàm ad Gentilem, cum

cum vtrisque conueniant, non ad Iudæum solùm, cum Iudæum solùm non respiciant, nequè illi soli aptentur, sed omnes comprehendant. Insupèr verba, *ex fide in fidem*, non rectè intelliguntur de fide legis, seù testamenti veteris ad nouum, tùm quòd iuncti sunt Græcus & Iudæus, tùm quòd verba, *ex fide in fidem*, dicunt progressum versantem supèr Euangelio, de quo agitur, non supèr testamento veteri, de quo non agitur; vel à fidei initio ad fidei perfectionem, in qua salus, & quia dum agitur de lege Mosaica non datur fides iustificans, de qua hìc. *Reuelatur enim ira Dei de cælo supèr omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis.* præmiserat reuelari in Euangelio iustitiam Dei quòad bonos, nunc reuelari aliam partem iustitiæ iræ Dei quòad malos è cælo; deindè prosequitur, quomodò ira in non credentes in eum, quem recognoscere debuerant, iusta sit. Vel dixerat Euangelium credenti operari iustificationem; at non credenti subdit reuelari iram è cælo, &c. & neminem non credentem excusari, cum signa data sint ad fidem sufficientia, & hoc pacto docet in quo non credentium consistat iniquitas, & quæ pœna superstet, vt his quisque territus ad fidem accurrat. Hæc ira (vult dicere Paulus) non ex Euangelio, sed à cælo, idest, euidentèr reuelatur in non credentes, & idòlolatras: illinc enim supplicia hominibus in comperto est prouenire; sic diluuium, ignis Sodomorum, lapides, fulmina, vt in Ægyptiacis cladibus, & Machabæicis victorijs, & Iob. 1. 16. ignis Dei cecidit de cælo, &c. & 4. 9. flante Deo perijsse: Dominum formidabunt aduersarij eius, & supèr ipsos in cælis tonabit. 1. Reg. 2. 10. & ille. Me quoquè quæ sensi, fateor Iouis arma timere. Me reor infesto cum tonat igne rapi. Vndè vult dicere Paulus, *non erubesco Euangelium*, in quo tot bona nunciantur, & fiunt credentibus: mala enim idòlolatris statuta è cælo ipso manifestantur. *Supèr omnem impietatem, & iniustitiam*; hæc duo pro eisdem ponit, quia subdit vnum tantùm ex illis, *qui veritatem Dei in iniustitia detinent*, vel *impietatem* non adorando illum sed idòla, & iniustitia contrà id quod sentiunt, & sciunt patranda, nec credendo, nec propalando, vt deberent: verba enim illa, *qui veritatem Dei in iniustitia detinent*, sic interpretarer, qui verum Deum, quem norunt, iniustè occultant alijs, & ipsi non venerantur, non acceptant, spernunt; sic Luc. 11. 52. ipsi non introïstis, & eos, qui introibant, prohibuistis. *Quia quod notum est Dei*, de Deo per se esse Deum, seù prima principia, *manifestum est in illis*, hoc ipsi clarè sciunt ex Dei manifestatione: *Deus enim illis manifestauit.*

Sed quomodò manifestauit Deus in illis? non longè enìm est ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Acto. 17. 28. & per creaturas: *inuisibilia enim ipsius à creatura mundi*, à creatione mundi, *per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur*, apparent manifestè: *sempiterna quoquè eius virtus, & diuinitas*, (eccè *ex fide, in fidem*, ex vno in alium articulum) *ita vt sint inexcusabiles*. At dicitne de omnibus? non, sed de hominibus illis, *qui veritatem Dei in iniustitia detinent*, & sic aliquibus tantùm, puta philosophis; si ergò & alij, qui non cognouerunt, sed cognoscere potuerunt, & debuerunt, damnati, non agit de his Paulus. Non dicas, non cognouerunt, sed cognoscere potuerunt ex creaturis: nàm tria obstant. Primum verba clara Pauli, *manifestum est in illis*, *Deus illis manifestauit*, & *inuisibilia, &c.* &, *ità vt sint inexcusabiles*. Secundum, quia vocat eos impios, & iniustos, quæ duo crimina non videntur aptari non cognoscentibus. Tertium, quia subdit, *quia cum cognouissent Deum, &c.* Et si dicas, aliqui Philosophi non cognouerunt, nihil facit, quia loquitur Paulus de his, qui cognouerunt, vtì de pluribus, & maiori parte; & si alij, vel noluerunt cognoscere, vel obcœcati sunt grauitate criminum, quæ Paulus prosequitur, non aptantur ad hunc locum. Nec potest dici inefficax probatio Pauli: si enim dicit notum esse Deum & illis, &, *quia Deus illis manifestauit*, non posset efficacior modus assignari, quàm *inuisibilia, &c.* nempè per creaturas: Verba autèm prædicta, *à creatura mundi*, censeo à creatione mundi inter-

terpretanda, proùt Marc. 13. 19. non autèm vt Marc. vlt. omni creaturæ, ideſt, hominibus, tùm quia in Marco non poſſumus alio modo ea interpretari, quia de intelligentibus agit, tùm quia ibi creaturæ ſimplicitèr, hic mundi: vndè ibi ſolùm ad homines, hìc largè ad omnia; tùm quia, & ab eiſdem hominibus creatis poteſt in creatoris veritatem deueniri. Non poteſt etiàm dici à creaturis ipſis, &c. quia pro his ſufficiunt alia verba, *per ea quæ facta ſunt, &c. Quia cum cognouiſſent Deum* ex his, quæ ſuprà dixit, *non ſicùt Deum glorificauerunt*, cui ſoli gloria; & dicitur, glorificabunt nomen tuum, *aut gratias egerunt*, quod Dominus expetit: non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, &c. de leproſis. Luc. 17. 18. *ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis*, ad vana declinauerunt, ad idòla, imò euaneſcit omnis, qui Dei gloriam non quærit, aut Deo non agit gratias. Vndè de his dicitur: receperunt mercedem ſuam; ſic de fatuis virginibus gloriam apud homines propriam, non Dei aucupantibus, *& obſcuratum eſt inſipiens cor eorum* ex peccato: ignorantia enim pœna peccati; *dicentes enim*, & reputantes *ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt*, idòla adorantes: ideò ſubdit, *& mutauerunt gloriam incorruptibilis*, immortalis, viuentis *Dei*, cui gloria debebatur, & debetur, *in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium*, quæ adorauerunt; & quibus glòriam dederunt. *Proptèr quod tradidit*, permiſit *illos Deus in deſideria cordis eorum* praua labi, nempè *in immunditiam* illam carnis: *vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis:* infames etiàm fiant, *qui commutauerunt veritatem Dei* eis notam *in mendacium*, quod eſt idòlum, cum nihil ſit, declarat, *& coluerunt, & ſeruierunt creaturæ* eam in Deum extollendo *potiùs quàm creatori* vero, & viuo Deo, *qui eſt benedictus in ſæcula*, in æternum. *Amen. Propterea tradidit*, tradi permiſit *illos Deus in paſſiones ignominiæ:* replicat quod dixerat, exemplificat, *nam fœminæ, &c. & mercedem quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes:* hæc enìm eſt pœna peccati, *& ſicùt non probauerunt* factis *Deum habere in notitiam*, proùt habebant, imò contrarium, *tradidit illos*, tradi permiſit *Deus in reprobum ſenſum*, in mentem reprobam, *vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos, &c.* declarat in quibus reprobus ſenſus. *Qui cum iuſtitiam Dei*, quæ Deus iuſta iuſſerat, *cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia* ſupradicta *agunt, digni ſunt morte* æterna, *& non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*, vndè & facientes ipſi, & alijs conſentientes errauerunt, & pœna digni fuerunt. Non dicas, quomodò homines tanta ſcientia prædìti damnati? id enìm ab ipſis, à Deo ſcientia illis indita. Vide ad hunc locum Pauli. Sapien. 13. & ſeqq. cap.



CAPVT II.

1 *PROPTER quod inexcuſabilis es ò homo omnis, qui*
iudicas. In quo enìm iudicas alterum te ipſum condem-
2 *nas: eadem enìm agis quæ iudicas. * Scimus enìm quo-*
niàm iudicium Dei eſt ſecundùm veritatem in eos, qui
3 *talia agunt. * Exiſtimas autèm hoc ò homo, qui iudi-*
cas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iu-
4 *dicium Dei? * An diuitias bonitatis eius, & patientiæ,*
& longanimitatis contemnis? ignoras quoniàm benignitas Dei ad pœnitentiam

te

5 *te adducit? * Secundùm autèm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesauri-*
6 *zas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, * qui reddet vnicui-*
7 *que secundùm opera eius: * ijs quidèm, qui secundùm patientiam boni operis,*
8 *gloriam, & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: * ijs au-*
tèm, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt au-
9 *tèm iniquitati, ira, & indignatio. * Tribulatio, & angustia in omnem ani-*
10 *mam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci: * gloria autèm, &*
11 *honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco: * non enìm*
12 *est acceptio personarum apud Deum. * Quicumque enìm sinè lege peccauerunt,*
sinè lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur:
13 ** Non enìm auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustifica-*
14 *buntur. * Cum enìm Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis*
15 *sunt, faciunt eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: * qui ostendunt*
opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipso-
rum, & intèr se inuicèm cogitationibus accusantibus, aut etiàm defendentibus,
16 ** in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, secundùm Euangelium meum*
17 *per Iesum Christum. * Si autèm tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege,*
18 *& gloriaris in Deo, * & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, instru-*
19 *ctus per legem, * confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in te-*
20 *nebris sunt, * eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem for-*
21 *mam scientiæ, & veritatis in lege. * Qui ergò alium doces, teipsum non doces:*
22 *qui prædicas non furandum, furaris: * qui dicis non mœchandum, mœcharis:*
23 *qui abominaris idòla, sacrilegium facis: * qui in lege gloriaris, per præuarica-*
24 *tionem legis Deum inhonoras. * (Nomen enìm Dei per vos blasphematur intèr*
25 *Gentes, sicùt scriptum est.) * Circumcisio quidèm prodest, si legem obserues:*
26 *si autèm præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. * Si igitur*
præputium iustitias legis custodiat: nonnè præputium illius in circumcisionem
27 *reputabitur? * & iudicabit id, quod ex natura est præputium, legem consum-*
28 *mans, te, qui per litteram, & circumcisionem præuaricator legis es? * Non*
enìm qui in manifesto, Iudæus est: nequè quæ in manifesto, in carne est circum-
29 *cisio: * sed qui in abscondito, Iudæus est: & circumcisio cordis in spiritu non lit-*
tera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.



ROPTER *quod inexcusabilis es, &c.* quia Paulus in hac Epistola intendit auocare Gentiles, & Hebræos à contentione intèr eos orta, in qua quisque eorum se putabat præferendum, cum in præcedenti cap. satis dixerit contrà Gentiles legem non habentes scriptam, nunc Iudæos ex prædictis Gentiles iudicantes perstringit, docetquè vanitatem eorum iudicij, quod contrà eos malè agentes retorquet, & in operibus bonis, siuè per legem scriptam, siuè naturalem insistendum, & tàm Gentilem contrà legem in corde, quàm Hebræum contrà Moysen facientem condem-

nari, vel eisdem satisfacientem coronari. Quòd enim cum Hebræis agat in hoc cap. innuunt verba, *si autèm tu Iudaus cognominaris, &c.* vers. 17. & totus ferè contextus: etsi in principio loquatur genericè, & indefinitè, ità vt non videatur Hebræos speciatim tangere: hoc enim æstimo factum, vt eò magis illos perstringat præmissis generalibus, cum clarè posteà ad illos descendat, non tamèn inficiandum quin generalis sermo omnes tangere posset in eisdem peccantes. Nec excluditur intellectus ex verbis. *existimas autèm, &c.* vers. 3. tùm quòd certum est agi in hac Epistola de controuersijs intèr Gentiles, & Hebræos conuersos exortis, tùm quia omnium peccatorum est non cogitare de pœnis, quod intendit Paulus: dicunt enim, peccauimus, & quid nobis triste accidit? & non est timor Dei antè oculos eorum, & non veniet supèr nos malum: quis enim adfuit, & audiuit? &c. Ierem. 23. 18. vult ergò dicere Paulus: miseri, non effugietis iram Dei, consulens eos ab his iudicijs abstinere, proùt Dauid. Psalm. 2. & nunc reges intelligite, &c. Vndè etiàm dicit, *proptèr quod inexcusabilis es ò homo omnis, qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis* mala, *quæ* in alijs *iudicas* talia, idest, si Gentiles ne dum hæc facientes, sed etiàm consentientes digni morte, multo magis tu Hebræe, qui facis te lumen eorum, & qui legem habes, quam non ignoras, eadem quæ illi faciens, incurris, & in quo illos iudicas, te ipsum condemnas, qui eadem agis, & inexcusabilitatem deducit in contrafacientes Hebręos, quia iudicabant Gentiles præuaricantes. Nequè iuuat te opinio tua, quasi tu diuersimodè iudicandus sis quòd Hebræus, & nondum reiectus, vt Gentilis (nondum enim ad præsentes terminos res redacta erat) *scimus enim quoniàm iudicium Dei est secundùm veritatem,* idest, rei, factorum existentiam, non opinionem, vniforme *in* omnes *eos,* siuè Gentilem, siuè Hebræum, *qui talia agunt; existimas autèm hoc ò homo* Hebræe, *qui iudicas eos, qui talia agunt* mala, *& facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* quasi, non confidas dicens, quid mihi nunc triste accidit, quod tu minaris? vel quia tu filius Abrahæ, nàm non effugies venturum Dei iudicium, *an diuitias bonitatis eius* Dei, *& patientiæ, & longanimitatis contemnis?* nihili facis beneficium Dei differentis supplicium? *ignoras quoniàm benignitas Dei* te expectantis, & differentis *ad pœnitentiam te adducit,* adducere intendit, quia non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat? *secundùm autèm duritiam tuam* Deo resistentem, *& impœnitens cor* in sua malitia perseuerans *thesaurizas tibi iram,* quasi, thesaurum conseruas, *in die iræ;* sic dicta à Sophonia. cap. 2. *& reuelationis* improuisæ *iusti iudicij Dei:* quasi, quò tardior, eò acerbior erit pœna tua: tùnc enim Deus, qui nunc te ad pœnitentiam expectat, daturus est Gentili, & Hebræo secundùm opera, quia non est personarum acceptor, sed iudicat æqualitèr peccantes, legem, vel non habentes, opera recta requirens à singulis, & hic est scopus huius capitis, quod per se patet, nec habet aliam difficultatem. Aduertendum autèm perstringere Hebræos ob vitia similia gentium, prætèrquàm idòlolatriam, à qua ipsi immunes his diebus: ideò dixit, *qui abominaris idòla.* Vereor etiàm tùnc Romæ intèr fideles ex circuncisione, & Gentibus viguisse discordiam, dicentibus conuersis ex circuncisione teneri ad legalia, Gentiles conuersos, proùt Antiochiæ: innuit enim hoc cap. 2. & 14. *qui reddet vnicuique secundùm opera eius: ijs quidèm, qui secundùm patientiam* propriam, non Dei, *boni operis* sui (incongrueret si diceret *patientiam boni operis* Dei) *gloriam, & honorem* Dei, vel suum, *& incorruptionem* propriam, vel à peccato, vel immortalitatem, æterna, non momentanea *quærunt, vitam æternam* reddet, attende quia opera bona requiruntur, vt etiàm infrà dicit. *Iis autèm, qui sunt ex contentione,* impatientes scilicèt: contentionem enim opponit patientiæ, vel contumaces, vel qui in sola contentione legis insistunt, *& qui non acquiescunt veritati, credunt autèm iniquitati* nedum quòd quidquam boni operentur (& hi Iudæi, vt in Euangelijs, & Deut. 31. 27. scio contentionem tuam, vos sempèr contentiosè egistis, & etiàm Philosophi in disputationibus, & contentionibus vanis versantes, quas euitari.

tari. 1. Timot. 1.4. Tit. 3.9. monet Apostolus: quod & obiecit Stephanus Iudæis, vos semper Spiritui sancto resistitis: veritas enim ab eo, & illustratio) *ira & indignatio* æterna, idest, infernus manet, non reddet, quia ille non paratus hominibus, sed diabolo, & Angelis eius. Vide in simili. 2. Thess. 2.10. *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*, idest, in omnes homines malos, *Iudæi primùm, & Græci: gloria autèm & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco*. Quia quæsita ab operantibus bonum conuertuntur cum recipiendis à Deo, nàm idem *gloria, honor, pax*, quod vita æterna; quod subdit Paulus imprecans, seù recapitulans operantibus bonum, gloriam, honorem, pacem, idem quod dixerat videtur repetere: non enim quid minus subiunxisset, quia videretur se incontinenti corrigere; vltrà quòd & ex se idem important, vt dixi: ideò videtur excludi alius intellectus, eò magis ex interpunctione, seù comis in Bibilijs Sixtinis. Prçtereà incongruit prçmitti præmium quçsitioni, proùt congruit è contrà: primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis, & in malis idem seruat; nàm præmittit indignè facta, *ex contentione, &c.* exindè pœnam, *ira, & indignatio;* vndè is intellectus tenendus, reijciendus alius. At considera quomodò vtrique conformia, operanti, & quærenti gloriam, honorem, incorruptionem, vitam æternam, operanti malum, contentioso, non acquiescenti veritati, iniquitati credenti (horum illi, si veritatem dico vobis, quarè non creditis mihi? Ioan. 8.47.) *ira, indignatio, tribulatio, Iudæo primùm*, qui secùs putabat, & gloriabatur, *& Græco*, cum Deus non sit acceptor personarum, vt etiàm dictum in Dauide eligendo, non iuxtà intuitum hominis ego iudico. 1. Reg. 16. 17. *Iudæo* quidèm præuaricatori legis scriptæ, *Græco* legis naturalis, non scriptæ: ideò *quicunque sinè lege peccauerunt, sinè lege peribunt*, & hi gentiles: *& quicunque in lege peccauerunt per legem iudicabuntur*, & hi Hebræi. Nec suffragatur Hebræo legem scriptam, & Græco legem in corde inditam audisse, vel scisse, quia debuerant, & secundùm eas fecisse, etenìm beati qui nedum audiunt verbum Dei, sed & custodiunt illud, primum non iuuat, nisi sequatur secundum: *non enim auditores legis iusti sunt apud Deum*, ità vt vitam æternam mereantur, *sed factores legis iustificabuntur*, iusti erunt, reputabuntur, vtì iusti remunerabuntur: de præmijs enim loquutus est suprà, & nunc quoquè de eisdem prosequitur; Vndè Iacob. 1. 22. & seqq. estote autèm factores verbi, & non auditores tantùm; & in fine de faciente: hic beatus in facto suo erit, proùt auditor vanus vtì respiciens speculum reijcitur: auditores enim tantùm habent laudem ex hominibus, non ex Deo, vt in fine cap. Et suprà vers. 7. dixit, *secundùm patientiam boni operis*, innuens opera bona requiri. *Cum enim gentes, quæ legem non habent* Mosaicam, *naturalitèr ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem* Mosaicam *non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt* ex factis *opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & intèr se inuicèm cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum iudicabit Deus occulta hominum* mala. 1. Cor. 4. 5. vbì dixi, tùnc apparitura *secundùm Euangelium meum per Iesum Christum*. Quæri poterat, quomodò gentes legem non habentes iustificabuntur? Respondet & ipsas habere legem à natura insitam, iuxtà quam Dei gratia adiuuante operantes saluæ sunt, & hoc clarè apparriturum in die iudicij, qua occulta iudicabuntur à Deo *per Iesum Christum* visibilem iudicem datum, iuxtà Euangelium, quod prædicat. Vel *secundùm Euangelium meum*, mihi reuelatum *per Iesum Christum*, qui vltimus intellectus magis placèt, quia dicit, *in die, cum iudicabit Deus occulta*, quæ phrasis, & oratio est perfecta, vndè meliùs connectuntur verba vltimò posita, *per Iesum Christum*, verbis proximè antecedentibus: relatio enim fit ad proximiora, *secundùm Euangelium meum*, quod alibì, & suprà in principio profitetur à Christo recepisse; & quia si primus intellectus staret, verba, *secundùm Euangelium meum*, deberent scribi per parenthesim, quæ non adest, imò adest coma, seù interpŭctio ad verbum hominum, & nunc non est consilium

Apostoli explicare Christum iudicem visibilem. Hoc autèm loco credo Paulum loqui de Gentibus, quibus nondum Euangelium prædicatum fuerat, tùm quia loquitur de seruantibus legem inditam, quod non aptatur pòst Euangelij promulgationem, tùm ex verbis, & contextu, quia in sola lege naturali persistit, & de Hebræis legi addictis Mosaicæ illam non seruantibus, & Gentibus sinè illa,& vice illius naturali munitis sempèr loquitur, non de Euangelio. Quomodò autèm hæ naturalem seruantes saluæ, ex textu: suprà enim præmiserat, factores legis, non auditores iustos esse apud Deum, seù iustificari, subdit exemplum de Gentibus: *cum enim gentes, &c.* intelligit ergò has legem obseruantes iuxtà præmissa iustas esse, vel iustificari secundùm requisita iustitiæ, iustificationis apud Deum ex operibus,quæ præsupponunt antecedentem fidem à Deo gratis impartitam, sinè qua impossibile placere ei; & hæc fides nisi opera sequantur,remaneret mortua; at illa eam corroborant, augent,non tamèn opera antè fidẽ,quia fides gratìs à Deo, vt Aug.& omnes;& probatur.1.Ioan.5.4.omne,quod natum est ex Deo, vincit mundum: sed quale hoc? declarat: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, ergò à Deo infusa iuxtà præcedentia; at in quo fides? subdit, quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniàm Iesus est Filius Dei? & infrà cap.3.24. iustificati gratìs, &c. Vel si interpretemur, *iustificabuntur*, idest, præmium recipient, iusti declarabuntur; formanda in iustis fides à Deo, quam operibus coaluerint, & auxerint iuxtà legem naturalem eis inditam gratia coadiuti. Et ex hoc vers. &seqq.vsquè in fin.cap.Paulus probat suam intentionem, & simùl intendit docere Gentes ad legalia non teneri, & quòad omnes cessatura, vt incipiant ad id assuescere. *Si autèm tu Iudæus cognominaris*, hoc solo nomine contentus, *& requiescis in lege* te saluatura, *& gloriaris in Deo* te amplexuro; Non est alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicùt Deus noster adest nobis; *& nosti voluntatem eius* ex lege, *& probas vtiliora*, meliora scis eligere, *instructus per legem, confidis* vanè *te ipsum esse ducem cæcorum* gentilium, *lumen eorum, qui in tenebris* ignorantiæ *sunt*, versantur, *eruditorem insipientium*, stultorum, (dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt) *magistrum infantium, habentem formam scientiæ, & veritatis in lege*, quam sequaris, & doceas, quæ omnia sunt tua maxima priuilegia, & tamèn præuaricaris in eisdem, in quibus Gentes; quomodò fit? *qui ergò aliũ doces,teipsum non doces*,nescis tibi sapere, *qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idòla, sacrilegium facis* in tẽplo,vel alio modo: *qui in lege gloriaris,per præuaricationem legis Deum inhonoras*(*nomen enim Dei per vos* præuaricantes, & ab exemplo vestro malo *blasphematur intèr Gentes,sicùt scriptum est*) quasi, ex his malè captis nihil lucraberis; nec confidas in tua circuncisione: nàm *circuncisio quidèm prodest, si legem obserues:* opera enim bona requiruntur, vt suprà: *Si autèm præuaricator legis sis, circuncisio tua præputium facta est*, euanuit, est ac si non sis circuncisus. *Si igitur præputium*, præputiatus, gentilis *iustitias*, mandata *legis custodiat, nonnè præputium illius in circuncisionem reputabitur?* erit ac si circuncisus; *& iudicabit id, quod ex natura est præputium, legem consummans*, obseruans,*te,qui per litteram*,legem, *& circuncisionem*, quibùs à præuaricatione arceri deberes, *præuaricator legis es? Non enim qui in manifesto*,apparentèr ex nomine *Iudæus* verus *est, nequè quæ in manifesto*, euidentèr *in carne* præputij *est circuncisio* vera, operans, *sed qui in abscondito* operans iuxtà legem *Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu, non littera*, non à lege iussa, vera est, *cuius laus non ex hominibus* fallacibus,apud quos nec quærenda gloria, *sed ex Deo est*, qui falli non potest, qui videt in abscondito, apud quem vera laus, & gloria quærenda.

CA-



CAPVT III.



1 VID ergò ampliùs Iudæo est? aut quæ vtilitas circum-
2 cisionis? * Multum per omnem modum. Primùm qui-
3 dèm quia credita sunt illis eloquia Dei. * Quid enim si
quidam illorum non crediderunt? Numquid increduli-
4 tas illorum fidem Dei euacuabit? Absit. * Est autèm
Deus verax: omnis autèm homo mendax: sicùt scri-
ptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis: & vincas
5 cum iudicaris. * Si autèm iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid
dicemus? numquid iniquus est Deus, qui infert iram? (secundùm hominem
6 dico.) * Absit. alioquin quomodò iudicabit Deus hunc mundum? * Si enim
7 veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius: quid adhùc & ego
8 tamquàm peccator iudicor? * & non (sicùt blasphemamur, & sicùt aiunt qui-
dam nos dicere) faciamus mala vt veniant bona: quorum damnatio iusta est.
9 * Quid ergò? præcellimus eos? Nequaquàm. Causati enim sumus Iudæos, &
10 Græcos omnes sub peccato esse, * sicùt scriptum est: Quia non est iustus quis-
11 quam: * non est intelligens, non est requirens Deum. * Omnes declinauerunt,
12 simùl inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsquè ad vnum.
13 * Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant: Venenum
14 aspidum sub labijs eorum: * Quorum os maledictione, & amaritudine plenum
15 est: * Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: * Contritio, & infeli-
16 citas in vijs eorum: * & viam pacis non cognouerunt: * Non est timor Dei an-
17 tè oculos eorum. * Scimus autèm quoniàm quæcumque lex loquitur, ijs, qui in
18 lege sunt, loquitur: vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus
19 Deo: * quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coràm illo. Per le-
20 gem enim cognitio peccati. * Nunc autèm sinè lege iustitia Dei manifestata est:
21 testificata à lege, & Prophetis. * Iustitia autèm Dei per fidem Iesu Christi in
22 omnes, & supèr omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio: * Omnes
23 enim peccauerunt, & egent gloria Dei. * Iustificati gratìs per gratiam ipsius,
24 per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, * quem proposuit Deus propitiatio-
25 nem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ proptèr remissio-
26 nem præcedentium delictorum * in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ
eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu
27 Christi. * Vbì est ergò gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Facto-
28 rum? Non: sed per legem fidei. * Arbitramur enim iustificari hominem per
29 fidem sinè operibus legis. * An Iudæorum Deus tantùm? nonnè & Gentium?

30 *Imò & Gentium. * Quoniàm quidèm vnus est Deus, qui iustificat circumci-*
31 *sionem ex fide, & præputium per fidem. * Legem ergò destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.*



VID ergò ampliùs Iudæo est, quàm Gentili? *aut quæ vtilitas circumcisionis* in Iudæo respondet: *Multum per omnem modum*. Apostolus in præcedenti cap. contrà Hebræos inuectus erat acritèr, temperat nunc in princip. huius cap. ex priuilegijs eis collatis. *Primùm quidèm quia credita sunt illis eloquia Dei*, idest, promissiones Dei cœptæ ab Abraham: de his enìm loquitur: ideò subdit, *quid enìm si quidam illorum non crediderunt* Deo, vel promissiones non euenturas? *numquid incredulitas illorum fidem Dei*, fidelitatem Dei *euacuabit?* irritam faciet, operabitur, vt Deus non obseruet quod promisit? *Absit*, non erit hoc: *est autèm Deus verax*, fidelis; fidelis Deus in omnibus verbis suis. Deus fidelis, dicit Moyses in Cant. quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita: *omnis autèm homo mendax*, inobseruans, quasi dicat, de homine hoc dici potest, non de Deo, *sicùt scriptum est:* quasi, id adeò verum, vt negari non possit, quia scriptura nitimur, quæ falli non potest, & ex his dicta cap. 4. credidit Abraham, &c. rectè interpretabuntur. *Vt iustificeris*, verax appareas *in sermonibus tuis*, quibus promiseras filios Dauid ad regnum euecturum, & Messiam ex illo oriundum, eaquè præstes, etsi ego peccauerim, quæ Deus etiàm præstitit peccato Dauidis non obstante, de quo ipse timebat exemplo Saulis reiecti cum progenie sua: & hæc auctoritas benè probat intentionem Pauli Deum non recedere à promissis etiàm ob peccata. *Et vincas cum iudicaris* ab hominibus, quasi, non verax, vel inobseruans sis. *Et vincas cum iudicaris*, cum es in iudicio, cum exercetur iudicium contrà te, prout Act. 23. 23. 6. de spe, & resurrectione mortuorum ego iudicor, & Ezech. 20. 35. iudicabit vobiscum facie ad faciem, & sicùt iudicio contendi, &c. & Ierem. 12. & Iob. 40. 3. numquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, vt tu iustificeris? solent enìm homines quasi iudicium exercere cum Deo, dum eius facta rimantur; vndè & 2. Esdr. 9. 31. & tu iustus es in omnibus, quæ venerunt supèr nos, quia veritatem fecisti, nos autèm impiè egimus, & antè præmiserat de minis. Et aduerte idem est iustificari, & in iudicio vincere, & sic hæc verba simplicitèr intelligenda quasi repetentia, seù declarantia quæ præcedunt. Vndè non placet, *vincas cum iudicaris*, quasi, non faciens vindictam seruorum tuorum ad te clamantium. Luc. 18. 7. imò benè sit impijs, eorumquè via prosperetur. Ierem. 12. vel muteris. Ionæ 4. Vel non sis ille Deus visitans peccata patrum in tertiam, & quartam generationem, quasi peccata ignores, & decipiaris; cum omnia aperta sint in conspectu suo, nec possit decipi, qui vidit delicta Adam, Cain, antè diluuium, ad turrim Babel, Sodomorum: hæc enìm omnia non aptantur. Placuit aliàs intellectus, *vt iustificeris* in pœnis mihi comminatis per Nathan, vel mihi debitis inferendis. At nunc displicet. Primò, quia non ab vltione, sed à misericordia, quæ in eo præualet, laudamus Deum. Secundò, discordat à Paulo hìc vers. 4. & 26. qui intelligit de promissis Dauid factis: poterat enìm timeri ne Deum pœniteret ob scelus ab eo patratum; hinc præmiserat Apostolus, *quid enìm si quidam illorum non crediderunt. Nunquid incredulitas illorum fidem*, idest, fidelitatem *Dei euacuabit? est autèm Deus verax, &c.* Tertiò, non dicimus Deum veracem, vel mendacem, quia pœnas infert, vel adimit: in his enìm profitetur se mutaturum iuxtà mutationem peccatoris, vt in Dauid, & Achab, & clarè in Ezechiele cap. 18. Quartò, Dauid ab his petebat liberari, quomodò ergò vult vincere Deum in illorum illatione? Quintò, quæ victoria Dei, vel quod iudicium exercetur contrà Deum, si non punit? potiùs si etiàm via peccatorum prosperatur:

ratur: tùnc enim apparere videtur non vlcisci, at nequè non verax, nequè inobseruans. Non etiam placet intellectus, *vt iustificeris in sermonibus tuis*, quibus prædicas te vltorem scelerum, vel misericordem, quia præsumitur Dauidem agere de spectantibus ad eum, non de communibus, vel vniuersalibus: præmittit enim. Tibi soli peccaui, &c. Non agit ibi Dauid an probari, vel non posset peccatum suum absquè sua confessione agens cum Deo, cui omnia aperta, proùt per Nathan ei rem significauerat, sed vltrò aperit culpam suam, proùt cum Nathan egerat, vt Deum ad pietatem attrahat. *Si autèm iniquitas nostra iustitiam*, fidelitatem *Dei*, obseruantiam promissorum suorum *commendat*, laudat, magnificat, apparere facit quia stante nostra iniquitate Deus recedere posset à promissis, cum pacta recipiāt interpretationem rebus sic stantibus; vndè non credendo exuberat iustitia obseruantiæ illius, *quid dicemus?* quomodò negare poterimus Deum non esse veracem? sic infrà cap. 5. 8. commendat autèm charitatem suam Deus in nobis, quia cum adhùc peccatores essemus, secundùm tempus promissum, cum venit plenitudo temporis, Christus pro nobis mortuus est: ità vt sempèr stet promissis. Hinc habes quomodò intelligas: credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, scilicèt ad obseruantiam, vt obligatus remāserit Deus, vt ibì dicam; *nunquid iniquus est Deus, qui infert iram?* qui nos punit, si ex nostra iniustitia ipse laudatur, beneficium recipit? (*secundùm hominem dico*) vtor sermone ad homines accommodato, qui non conuenit Deo: *absit*, falsum est: *aliòquin*, si iniquus esset Deus, *quomodò iudicabit Deus hunc mundum?* omnes enìm repræsentari oportet antè tribunal Christi, &c. simili argumento vtitur Abraham cum Deo. Genes. 18. 25. Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatquè iustus sicùt impius, non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram, nequaquàm facies iudicium hoc; & Iob. 34. Absit à Deo impietas, & ab omnipotenti iniquitas: opus enim hominis reddet ei, & iuxtà vias singulorum restituet eis. Verè enim Deus non condemnabit frustrà, nec impietas subuertet iudicium. Quem constituit alium supèr terram, aut quem posuit supèr orbē, quem fabricatus est? *si enim veritas*, fidelitas, obseruantia *Dei in meo mendacio*, dum ego mendax, inobseruans, *abundauit*, exuberauit *in gloriam ipsius* misericordis, & pij, *quid adhùc & ego tanquàm peccator iudicor?* cum hoc modo potius benè operor? *Et non (sicut blasphemamur*, iniustè arguimur, *& sicut aiunt quidam nos dicere* falsò, cum id non dicamus) *faciamus mala, vt veniant bona*, proùt ex mendacio, seù malo nostro præcedente euenit, & sic sequamur: *quorum* sic dicentium *damnatio iusta est*: impiè enìm loquuntur, cum id nullo modo attentandum, cum sic tentaremus Deum. Non sunt facienda mala, vt veniant bona. Hoc non fecit Lot iuxtà Caietanum, exhibendo filias: non enìm eas educturus, sed à tanta libidine illos abducturus oblatione tàm humili filiarum, quas nequè ipsi accepturi erant, proùt solemus ad aliquem à malo auertendum dicere, potiùs hoc tibi concederem, non vt concessuri: inuerisimile est enim eum, qui Angelos habebat hospites, & comites præsentes, & eum corporalitèr seruare volentes lapsum fuisse, & non à peccato præseruatum: Angelica enìm custodia reddit nos tutos: vndè Tobias tutus, Iacob, & alij ab Angelis ducti, & associati: Vltrà quòd Angeli, si verè educturus dixisset, nō dimisissent eū absquè magna correctione, cum præsertìm fuisset peccatum publicum: si enim nos ad id tenemur, quid ipsi facturi? & quid fecerunt contrà Sodomitas in ostium Lot irruentes? nonnè percusserunt cæcitate? Facit, quia nec hospes Gabaita, qui dixit se educturum filiam suam Virginem, & concubinam peregrini, vt eis abuterentur, id facto præstitit, quasi & ipse volens eos oblatione simili vincere, sed peregrinus eduxit concubinam solam. Iudic. 19. Nec diceretur. Sapien. 10. 6. hæc, iustum Lot à pereuntibus impijs liberauit fugientem descendente igne in Pentapolim, & cap. 19. 16. percussi sunt cæcitate, sicùt illi Sodomitæ in foribus iusti Lot, & Ecclesi. 16. 9. & non pepercit peregrinationi Lot, nequè Petrus 2. 2. (si hoc malè Lot) iustus Lot, sed exciperetur verbum, proùt

in

in Dauide verbum Vriæ, præsertìm quia illum dicit iustum tùnc dum à nefandorum iniuria opprimeretur, & subdit de luxurijs, à quibus non fuisset liber Lot volens filias educere; & si Angeli non correxissent, Deus non dimisisset iustum incorreptum: Deus enìm in iustis nihil etiàm minimum incorrectum dimittit. Insupèr si peccasset, nequè tùnc eductione inuita, & significatione pro generis, & alijs, nec salutatione, nec exauditione pro Segor dignus fuisset, nec in illo facto, & Sapien. 10. 6. & 19. 16. & 2. Pet. 2. iustus nominaretur, nequè in suæ memoriæ gratiam descendentes eius Moabitæ, & Ammonitæ dimissi essent liberi à Filijs Israel. Genes. 19. in fin. iuncto. Deuter. 2. 9. non enim facti eorum horrore deterritus quasi à sensibus alienus, aut humana passus ea dixit, vel fecit, quia loquebatur vt prudens: nolite quæso fratres mei hoc malum facere, &c. Obstare videtur concubitus sequens cum filiabus, quasi pœna fuerit ob præcedens malè factum, at potiùs tutelam Dei habuit, ne peccaret, cum esset ebrius facto, & malitia filiarum; peccarunt filiæ, non ipse, nec defendi possunt ex verbis, quæ ipsæ proferunt: nullus virorum remansit in terra, &c. vt seruare possimus semen de patre nostro: nàm. Primò, non licuit eis hoc malum facere etiàm proptèr bonum indè oriturum. Secundò, si loquuntur de vniuerso mundo, mentiuntur, quia non præsumuntur filiæ Lot tanti viri ignorasse absumptis regionibus vicinis totum mundum conflagrasse: si de eorum patria, fuerant in Segor salua, in qua homines extabant, & sic mentiuntur. Tertiò, sciebant peccata Pentapolitanorum. Quartò, Patrem non interrogarunt, qui illas informasset. Quintò, videntur & libidine ductæ dicentes: nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxtà morem vniuersæ terræ, & iàm sponsæ erant, & ex generatione pessima ex parte matris, quam nec tulit Deus supèr terram, sed in statuam salis inobedientem conuertit, vt ne vna quidèm de ciuitatibus illis superstes esset. Vide scripta. 2. Pet. 2. & Genes. 19. *Quid ergò? præcellimus eos? &c.* posteaquàm & Gentiles prostrauit, & erexit, & Iudæos contriuit, & subleuauit, nunc docet neutri eorum legem siuè naturalem, siuè scriptam ad iustificationem profecisse, sed omnes gratia Dei indiguisse. *Quid ergò? præcellimus* scilicèt nos Iudæi *eos* Gentiles? *nequaquàm causati enìm sumus Iudæos, & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est, quia non est iustus quisquam, non est intelligens;* audiens, *non est requirens Deum* in veritate *omnes declinauerunt* à via recta *non est qui faciat bonum, non est vsquè ad vnum*, non comprehensa Maria, quæ sempèr immaculata. Et verba D. Chrysost. in Psal. 13. quæ sunt. Et ipsius matris Mariæ animam gladius dubitationis pertransijt ex tentatione, & suggestione diaboli, non ex assensu; an possimus interpretari? præsertìm quia tentatio gladius, quo terrimur, & angustiamur, non assensus, & quia dicit pertransijt, quasi, non infixus est, non stetit; in hom. verò 49. in Genes. dubitationem intelligit de modo, quo conceptura, & paritura, vt ex seqq. apparet, omnes enìm conueniunt interrogasse de modo. *Sepulchrum patens est guttur eorum* spurcitijs infectum, *linguis suis dolosè agebant*, proximum decipientes, inobseruantes, *venenum aspidum* deceptorium *sub labijs eorum: quorum os maledictione, & amaritudine plenum est*, nesciunt nisi maledicere, & amara loqui. *Veloces pedes* affectus *eorum ad effundendum sanguinem*, ad cædes, homicidia. *Contritio, & infelicitas in vijs eorum*, & tamèn in eorum peccatis infelices, vias difficiles ambulantes, *& viam pacis* salubrem, quietam *non cognouerunt; non est timor Dei*, qui est initium sapientiæ, *antè oculos eorum*, ità vt perfricta fronte in omnem malitiam defluxerint. *Scimus autèm quoniàm quæcunque lex loquitur, ijs, qui in lege sunt*, legis obseruantia tenentur, *loquitur;* subiungit hæc verba Apostolus, quia Hebræi poterant dicere, hæ auctoritates ex scriptura adductæ non tangunt nos, & propterea subdit, *vt omne os obstruatur* secùs dicens: *Et subditus fiat omnis mundus*, omnes homines, tàm Hebræi, quàm Gentiles *Deo* vero; conclusit enim omnia Deus sub peccato, at vbi venit plenitudo temporis ei beneplaciti, misit filium suum liberatorem omnium, *quia ex operi-*


operibus legis non iustificabitur omnis caro, omnis homo *coràm illo*. *Per legem enim cognitio peccati*, vt illud vitaremus, non liberatio à peccato. *Nunc autèm* in temporis plenitudine *sinè lege* illa *iustitia Dei*, fidelitas, obseruantia Dei, qua iustificat, *manifestata est: testificata* priùs *à lege* illa, *& Prophetis*, quibus Deus reuelauerat, non nouum inuentum. *Iustitia autèm Dei*, iustificatio non à lege, sed *per fidem Iesu Christi*, in Iesum Christum *in omnes* Hebræos, & Græcos, non Hebræos tantùm, *& supèr omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio*, seù acceptio personarum apud Deum. sic Ioan. 1. dedit eis omnibus potestatem Filios Dei fieri, his, qui credũt in nomine eius. *Omnes enim* tàm Hebræi, quàm Gentiles *peccauerunt*, *& egent gloria Dei*, gratia Dei, iustitia Dei, iustificatione Dei, sinè qua non potuerunt, nec possunt resurgere à peccato: in his enim versatur Paulus; gloria autèm est, quia ipse solus glorificandus, à quo solo gratis iustitia infunditur, proùt illud: non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam operando quod petimus; sic Iosue ad Achan: da gloriam Deo, quod declarat Apostolus, subdens. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, non nostris meritis, *per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*, per Iesum Christum factam, *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius* à peccato Adam citrà *ad ostensionem iustitiæ suæ*, cui voluit satisfieri sanguine Christi, proùt decebat, *proptèr remissionem præcedentium delictorum:* credentes enim in venturum saluabantur, *in sustentatione Dei*, qui sustinuit vasa iræ infrà cap. 9. 22. præstolans hunc sanguinem Christi, necnon *ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore* pòst sanguinem Christi fusum, in eos, qui non credunt, & sanguine illo non vtuntur, *vt sit ipse iustus*, obseruans quod promisit, *& iustificans eum, qui est fide ex Iesu Christi*, qui credit in Iesum Christum. *Præcedentium delictorum*. Vndè Agnus occisus est ab origine mundi. Apocal. 13. quæ verba possunt referri ad agnum, cum non sit coma pòst verbum, occisus est, sed liberè sequatur phrasis tota. Nec obstant verba. Apocal. cap. 17. & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi,) quia ex diuersis non infertur: quamuis enim cap. 13. præcedant verba: & adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est, &c. tamèn in cap. 17. non habetur quidquam de Agno; & transportatio verborum, ab origine mundi, ad nomina scripta non congruit, & meliùs annectuntur proximioribus (vtì fieri debet regularitèr) qui occisus est; præsertìm quia nedum verba illa stare possunt cum occisione Agni, sed propositio est vera, quæ confirmatur etiàm ex his verbis Pauli, & Hebr. 9. 12. ibì æterna redemptione inuenta, & 26. dum enìm negat ab origine mundi pati debuisse, significat tractam fuisse suam passionem ad illa tempora, & 1. Pet. 1. 20. At in vtroque loco agit de non prædestinatis, & nulla intèr eos differentia, nisi quòd cap. 13. explicat vndè salus, nempè ex morte Christi, quod tacet cap. 17. Quinimò tantùm abest, vt hæc propositio possit à dictis verbis auferri, vt si auferas, corruat tota quòad alium sensum; Nàm si de scriptis in libro vitæ agendum erat, æterna tempora erant repetenda, in quibus nomina scripta: sic enìm intelligitur. Deuter. 32. 32. & Ephes. 1. elegit nos antè mundi constitutionem; si de agni occisione, eadem æterna designanda; at quia voluit sumere tempus illud, quò ab ortu, & peccato hominis cœpit operari passio Christi futura, in qua sola quisque saluandus, & scribendus (nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Acto. 4. 12. & solet Scriptura ostendere rem fieri, dum manifestatur) propterea sub eodem tempore vtrumque determinauit. Nec mireris, si cap. 13. liber Agni, cap. 17. liber vitæ; nàm quod agnus & vita: in ipso enìm vita erat, &c. eccè Agnus, qui tollit peccata, &c. & 1. Pet. 1. 19. prætioso sanguine quasi Agni, &c. vide scripta in Apocal. *Proptèr remissionem præcedentium delictorum*, & Coloss. 1. 14. in quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum. Ephes. 1. 7. idem meminit primò *præcedentium*

tium

tium delictorum, vt ordinem seruet, & quia præmiserat, *ad ostensionem iustitiæ suæ*, & subdit, *in sustentatione Dei*, quæ ostensio, & sustentatio non poterant adhùc intelligi, vel dari in præsentibus, vel futuris, & quia quòad præsentia, & futura satisfacit subdens, *ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus*, ecce præsens, *& iustificans, &c.* quod habet tractum successiuum, ecce futurum, iunctis subsequentibus, *qui est ex fide*, quæ omne tempus, & homines omnes capit; congruum autèm fuit explicari præcedentia eo modo, quo facit, quia videbatur casus magis dubitabilis, vt postmodum descenderet ad faciliorem præsentium, & futurorum. Prætereà, nonnè satis dixerat in antecedentibus, *iustitia autèm Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & supèr omnes, qui credunt in eum?* Vt quid ergò hìc hanc excitare quæstionem? *Vbi est ergò gloriatio tua* ò Hebræe, *exclusa est*, vana reddita: *per quam legem? factorum?* Mosaicam intelligit, etiàm impletam. *Non*: quia illa non iustificabat, *sed per legem fidei* in Christo: *arbitramur enim* tutò *iustificari hominem per fidem* Iesu Christi *sinè operibus legis*, quæ nunc vanè obijcitur exclusa. *An Iudaeorum Deus tantùm?* quos solos velit per legem saluos? *nonnè & Gentium? imò & Gentium. Quoniàm quidèm* certò *vnus est Deus* solus, *qui iustificat circuncisionem*, Hebræos *ex fide, & præputium*, Gentiles *per fidem* candem. sic Galat. 3.20. mediator autèm vnius non est populi, scilicèt Hebræi, sed duorum, Hebræi, & Gentilis, Deus enim saluans omnes, vnus est. *Legem ergò destruimus per fidem* pręualentem? *absit*: non est verum: *Sed legem statuimus*, quomodò? quia credimus per eandem fidem quidquid lex dixit, quidquid scriptura pręsignificauit, imò per fidem ostendimus omnia adimpleta, quæ in eis dicebantur, ex quibus lex illa statuitur in omnibus siuè moralibus, siuè iudicialibus, siuè ceremonialibus, non quòd omnia nunc obseruanda: de hoc enim non agitur, sed quòd omnia ritè facta, rectè mandata figurantur, adimpleta dicuntur, & is videtur verus sensus, quia in tota oratione de fide agit; vndè sic dicas, *legem ergò destruimus per fidem? absit: sed legem statuimus*, per fidem; sic repetenda fides in fine, quia fides fundamentum est, & sinè ea omne ædificium corruit, ideò in circumcisione, vt operaretur iustificationem, requirebatur fides in venturum, vt ex Paulo hìc, proùt fides in eundem antè illam saluabat, quæ fides, proùt tùnc ex protestationibus, sacrificijs, vel alijs externis actibus eliciebatur, sic ex circuncisione ad hoc instituta. Nec videtur posse negari circuncisionem cum fide non iustificasse, quia si inobseruans, damnabatur. Genes. 17.14. masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit, ergò obseruans saluus erat, & Paulus infrà cap. 4.12. æquiparat circuncisos fideles, vel credentes absquè circuncisione; vndè verior opinio Sancti Augustini, quam sequor. Non obstat quod dicitur de Abrahàm iustificato ex fide, non ex circuncisione, quia ex nouo intellectu in cap. seq. apparebit hæc nihil obstare: nàm iustificatus erat antè verba, credidit, &c. eò magis quandò circuncisus; & illa verba ad iustificationem spiritualem non referuntur.



C A-



CAPVT IV.



1 VID ergò dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum
2 ſecundùm carnem ? * Si enim Abraham ex operibus iu-
3 ſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum .* Quid
enim dicit Scriptura ? Credidit Abraham Deo : & repu-
4 tatum eſt illi ad iuſtitiam . * Ei autèm , qui operatur ,
merces non imputatur ſecundùm gratiam , ſed ſecundùm
5 debitum . * Ei vero , qui non operatur , credenti autèm
in eum , qui iuſtificat impium , reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundùm pro-
6 poſitum gratiæ Dei . * Sicùt & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus ac-
7 cepto fert iuſtitiam ſinè operibus : * Beati , quorum remiſſæ ſunt iniquitates , &
8 quorum tecta ſunt peccata . * Beatus vir , cui non imputauit Dominus pecca-
9 tum . * Beatitudo ergò hæc in circumciſione tantùm manet , an etiàm in præpu-
10 tio ? Dicimus enim quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam . * Quomodò
ergò reputata eſt , in circumciſione , an in præputio ? Non in circumciſione, ſed in
11 præputio . * Et ſignum accepit circumciſionis , ſignaculum iuſtitiæ fidei , quæ eſt
in præputio : vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & il-
12 lis ad iuſtitiam :* & ſit pater circumciſionis non ijs tantùm , qui ſunt ex circun-
ciſione , ſed & ijs , qui ſectantur veſtigia fidei , quæ eſt in præputio patris noſtri
13 Abrahæ . * Non enim per legem promiſſio Abrahæ , aut ſemini eius vt heres eſ-
14 ſet mundi , ſed per iuſtitiam fidei . * Si enim qui ex lege , heredes ſunt : exina-
15 nita eſt fides , abolita eſt promiſſio . * Lex enim iram operatur . Vbi enim non
16 eſt lex : nec præuaricatio . * Ideò ex fide , vt ſecundùm gratiam firma ſit pro-
miſſio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei, qui ex fide eſt Abra-
17 hæ, qui pater eſt omnium noſtrum (* ſicùt ſcriptum eſt : Quia patrem multarum
gentium poſui te) antè Deum , cui credidit , qui viuificat mortuos , & vocat
18 ea quæ non ſunt, tamquàm ea quæ ſunt . * qui contrà ſpem in ſpem credidit, vt
fieret pater multarum gentium ſecundùm quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum.
19 * Et non infirmatus eſt fide , nec conſiderauit corpus ſuum emortuum , cum iàm
20 ferè centum eſſet annorum : & emortuam vuluam Saræ . * In repromiſſione
21 etiàm Dei non hæſitauit diffidentia : ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo:
22 * pleniſſimè ſciens quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere . * Ideò & re-
23 putatum eſt illi ad iuſtitiam . * Non eſt autèm ſcriptum tantùm proptèr ipſum
24 quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam :* ſed & proptèr nos, quibus reputabitur cre-
dentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis ,
25 * qui traditus eſt proptèr delicta noſtra , & reſurrexit proptèr iuſtificationem
noſtram .

QVID



VID ergò dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum, qui fuit antè legem, ſi iuſtificatio ex lege, vel factis? *Abraham patrem noſtrũ ſecundùm carnem*, ideſt, à quo nos deſcendimus, originem habemus: illa enim verba, *ſecundùm carnem*, regulantur à præcedentibus, *patrem noſtrũ*; ſic 1. Cor. 10. 18. Videte Iſrael ſecundùm carnem, & ſi illa retuliſſet ad opera, non præmiſiſſet, *patrem noſtrum*, ſed ſimplicitèr dixiſſet, *Abraham*, eſt etiàm alienum à ſenſu quòd verba, *ſecundùm carnem*, importent opera; & abſquè hac intelligentia aliena à verbis optimè currit ſenſus, & phraſis, & ſtatim ſubijcit de operibus; *ſi enim Abraham, &c.* Accedit, velle oſtendere Paulum Abraham patrem communem ex fide tàm Hebræorum, quàm Gentilium, proptereà præmiſit ad differentiam internoſcendam, *patrem noſtrum ſecundùm carnem; Quid ergò dicemus inueniſſe Abraham*, vult dicere; ſi in fide non eſt omne fundamentum in quouis homine vel Gentili, vel Hebræo, proùt dixi, quid recepiſſet Abraham ex operibus? non certè gloriam, ſeù gratiam apud Deum; ideò ſubdit, *ſi enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum, quid enim dicit Scriptura?* quaſi, Scriptura clara eſt tribuens totũ fidei. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*, in fide igitur ſtat iuſtitia, & lex ſtabilitur. Videtur autem Paulus de prima iuſtificatione Abrahæ agere, quia totum tribuit fidei, non operibus, quas nùnc ſeponit, & hunc intellectum firmat ſubſequens auctoritas Dauidis de prima iuſtificatione ſimilitèr loquentis. Nec obſtat, quod antè illa verba, *credidit Abraham Deo, &c.* Abraham multa opera egregia feciſſet & præſertim in locum exire, de qua fide. Heb. 11. 8. quia cùm hæc verba, *credidit, &c.* comprehendant, & referantur ad totum tempus antecedens, Paulus capit tempus primum, quo in eo ex fide gratioſa facta eſt à Deo iuſtificatio nullis operibus præcedentibus illam merentibus, & ſic non excludit Paulus opera pòſt primam iuſtificationem ſubſequuta, requiſita à Iacobo ad maiorem iuſtificationem, ſeù ſecundam quærendam; clarum eſt antèm Iacobum de ſecunda loqui, quia præſupponit ſempèr opera. cap. 1. 22. cap. 2. 14. vſquè in fin. cap. & ad primam iuſtificationem opera non præcedunt. Et dum dicit Abraham ex operibus iuſtificatum, vult dicere, in iuſtitia magis auctum. At pro nùnc Paulus ſtat in prima abſquè operibus: eadem enìm promiſſio, quæ facta fuit Abrahæ. c. 15. in quo extant verba (credidit, &c.) eadem ſunt in c. 12. quandò iuſſus egredi, & quòd ibidem ponendum fuit de fide Abrahæ, quæ ex facto, & obedientia elicitur, dilatum fuit ad cap. 15. Paulus verò agit de prima iuſtificatione, quia excludit opera, *ſi enim ex operibus, &c.* ſi enim de ſecunda, illa non excluderet iuxtà Iacobum, & ſi hæc & ad primam gratiam referantur, tamèn differunt, quia hæ ad mercedem, ad debitum, illa ad gratiam meràm; vt proſequitur Apoſtolus. Neceſſariò autèm hæc videntur dicenda, quia cùm Paulus excludat opera ab Abraham, quæ in cap. 15. conſiderari poterant, ſequitur intellexiſſe de primo tempore, quo vocatus ad egreſſum; in quo & promiſſio facta: in te benedicentur, &c. cap. 12. antè quod tempus opera conſiderari non poterant, & quòd Paulus de prima iuſtificatione in totum gratuita intelligat. At quid nodum in ſcirpo quærere, ſi Scriptura dicit, *credidit, &c.?* & ſic in ſola fide ſtat, operibus non veſtita: quid enim volumus in cõtrarium coniectari? Si dicis, dum refers verba, *credidit, &c.* ad promiſſionem, ſub qua referuntur. c. 15. intelliguntur de augumento iuſtitiæ, non de prima iuſtificatione, quià tùnc erant opera in Abraham; eſto, ſufficit mihi eadem intelligi de prima, dum ad primam promiſſionem cap. 12. referuntur, & hoc tempus attendiſſe Paulum opera excludentem, quæ in ſecunda iuſtificatione, ſeù progreſſu iuſtitiæ attenduntur. Benè verum eſt quòd poſtquàm Apoſtolus oſtendit non meruiſſe Abraham, & ſemèn eius per legem, ſeù opera, ſed

ra, ſed

ra, sed, per fidem, vt hæres esset mundi, subdit de maiori eius fide, & iustificatione secunda, dum non considerauit, &c. tùnc enim Apostolus figit pedem in promissione ei facta cap. 15. referens verba, sic erit semen tuum, & ætatem illius temporis ferè centum annorum. Fateor passum esse difficilem, & nihil satisfacit eorum, quæ vidi, & dixi. Sed meliùs consideranti hæc occurrunt. suprà cap. 3. docuit Paulus omnes peccatores, & gloria Dei indigere, iustitiam verò haberi per fidem in Iesum Christum, inanitèr autem præsumi ab Hebræo iustitiam hanc haberi per legem facta intendentem. In hoc cap. ad corroboranda præmissa, nempè ex fide haberi iustificationem (& hoc commune vtrique populo) vtitur exemplo Abrahæ Patris omnium credentium, ad cuius exemplum regulanda fides seminis eius, & dicto Dauidis. At quoàd Abraham non considerat opera, nisi externa, & quæ intentionem suam probare possint euidentèr; dum ergò de operibus Abrahæ loquitur, intelligit tantùm de circuncisione, ad quam opera restringit vers. 9. Dicit ergò, vultis cognoscere Hebræi iustificationem gratis dari per fidem, non per opera? *credidit Abraham* nondum circuncisus, sed præputiatus *Deo, & reputatum est illi ad iustitiam:* tempore enim eductionis cap. 11. in fin. & 12. & promissionis factæ. cap. 15. nondum erat circuncisus, nam cap. 17. mandatum datum fuit circuncisionis, ergò iustificatio fidei, non operibus assignanda. Vndè enim meruit Abraham benedictionem seminis sui, & ex lumbis eius nasci Christum? non ex circuncisione, idest ex operibus (nam non ex operibus quæ fecimus nos sed, secundùm suam misericordiam Deus saluos nos fecit) sed ex fide ei gratis cōcessa; frustrà ergò confiditis in circuncisione; sicùt autèm cōtigit Abrahæ (vult dicere Paulus) cui fides reputata est ad iustitiam, ità nobis *credentibus in eum, qui suscitauit Iesum, &c.* fides *reputabitur*; & idem sensus est Apostoli ad Galat. 3. 6. qui ergò tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei? sicut scriptū est, Abraham credidit Deo, &c. & hoc modo ab Abraham infert ad nos, & hoc de more suo, vt 1. Cor. 10. à principio, vsquè ad vers. hæc autèm; & infrà cap. 9. dum à temporalibus Iacob, & Esau arguit ad spiritualia. Aduertendum ergò quæcunque dicit de Abraham seruire in argumentum hoc modo; sicuti Abrahæ credenti verbis Dei, Deo promittenti, fides sua reputata est ad iustitiam, ità vt secum paciscere-tur, & obligaretur Deus futurum proùt promiserat, & ipse crediderat, idquè quod Deus ex mera gratia promiserat, quodquè nec Abraham, nec homo vllus mereri potuit, vt dixi, ex iustitia deberet, & id obseruauerit. Gen. 21. 1. (hæc enim iustitia. Genes. 15.) de qua in simili Paulus: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. 2. Timot. 4. 8. & Heb. 12. 11. omnis autèm disciplina in præsenti quidèm videtur non esse gaudij, sed mœroris, posteà autèm fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ; & Psal. 17. & retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam, &c. & 2. Cor. 9. 10. augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ; & Matth. 3. 15. sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam; & cap. 21. 32. in via iustitiæ, in manifestatione scilicèt, quia sicùt Deus promiserat missurum Messiam, sic manifestaturum, vt in Euangelio dixi; Et Dauid: vt iustificeris in sermonibus tuis; quæ tamèn in nobis efficitur mediante prima gratia iustificante & adiuuante, vt per Paulum. 2. Cor. 9. 8. 10. 12. sic iustificatio impij procedit ex mera fide à Deo infusa, non ex operibus, & sic se declarat Paulus in fin. cap. ibi, *non est autèm scriptum tantùm proptèr ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam, sed & proptèr nos, quibus reputabitur credentibus in eum, &c.* imò argumentum stringit. Si id in hac promissione Abrahæ, quantò magis in iustificatione impij, in qua magis apparet potentia, & misericordia Dei simùl? omnia ergò in fide fundantur. Iustitia itaquè ibi non est iustificatio, qua ex impio Abraham iustus fit; nàm in egressu fides, de qua Heb. 11. 8. & Actor. Apost. probauimus nunquàm Abraham idololatria cōtaminatum, sed qua quod sibi nullo modo debebatur, ex mera gratia motus Deus voluit ei deberi ob fidem, quam habuit; Vndè Myoses Deut. 9. 5.

vt compleret verbum suum Dominus: quod sub iuramento pollicitus est Patribus tuis, Abraham, Isaac, Iacob. Pondera verbum (pollicitus) pollicitatio enim est ex parte vnius tantùm, scilicèt Dei, non Abrahæ, & succedente fide Abrahæ, pollicitatio transiuit in pactum, & sic Deus in nobis remunerat, & commendat dona sua, fidem tantùm in nobis requirit; hinc sinè fide impossibile est placere Deo, &; si habueritis tantum fidei, quantum granum sinàpis, &c. ab infirmis sanandis hanc Christus expetebat, vel in eis creabat, vel posteà succedebat, vt in cœco, languido, quibus se pòst sanitatem manifestauit; in Samaritana: crede mihi; Martha: credis hoc? Ideò hic non dicitur proùt in fin. cap. 10. corde creditur ad iustitiam, sed *reputatum est*, id scilicèt, quod ei non debebatur, *ad iustitiam*, ac si deberetur: obligauit enim se Deus, dum prædiceret ei, & ad credendum proponeret quæ prædixit, & proposuit: in carne enim stare fecit testamentum. Eccl. 44. 21. credendo siquidèm ex carne sua emortua suscitatum iri semen, stabiliuit hac fide pactum Dei secum factum. Vndè sanctus August. de verbis Apost. serm. 16. Debitor nobis factus est Deus, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo nobis, vt dicamus ei: redde quæ promisisti, quia fecimus quod iussisti, & hoc ipsum, quod fecimus, tu fecisti, quia nos laborantes iuuisti; ideò id præuidens Deus præmiserat: noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis; similis locus. 1. Machab. 2. 52. Abraham nonnè in tentatione, scilicèt occisionis Isaac, inuentus est fidelis, & reputatum est illi ad iustitiam? quam? de qua Gen. 22. per memetipsum iuraui, &c. idem habetur Iacob. 2. 21. ibi enim iustitia, & iustificatio quòad Abraham sic capienda circà promissiones Dei, & promissiones vocat Apostolus ad Gal. 3. 16. Faciunt ad prædicta in exemplum Caleb. Ios. 15. 16. & Iud. 1. 12. Saul. 1. Reg. 17. 25. & cap. 18. 25. erant illi in sua libertate promittendi filias; at postquàm promiserunt sub conditione, & conditioni fuit satisfactum, tenebantur ex iustitia illas tradere adimplenti; sic etiàm Deus, qui nullo modo tenebatur, teneri voluit ex sua liberalitate Abrahæ credenti, & illi reputari fidem in iustitiam. Et cùm dicit Paulus, *si enim Abraham ex operibus iustificatus est*, intelligendus est iuxtà ea, quæ illicò subdit. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam* datam sibi à Deo per fidem, ex quo promissiones accepit. Non ergò recurrendum, an prima iustificatio Abrahæ, quæ credenti quòd Deus sit & remunerator, &c. confertur, an secunda, quæ operibus quæritur, sed dicendum ex fide meruisse gratiam illam, quā promisit Dominus de multiplicatione seminis sui, & Christi ortu ex lumbis suis: si enim de fide iustificationem præeunte intellexisset, non dixisset, *reputatum est illi ad iustitiam*, sed proùt Paulus infrà cap. 10. corde creditur ad iustitiam, quasi fide infusa à Deo gratis, quæ non stet in suspenso, & nihil operans, sed illicò eam concomitetur iustificatio; hinc cap. 5. iustificati ergò ex fide; Vndè dicendo, *reputatum est*, videtur aliquid remotum, & subsecuturum innuisse, proùt fuit, quia deindè natus Isaac; sic Iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus Noe. Heb. 11. 7. recepit enim quod Deus promiserat, vt ibì dixi; sic reputatum est Phinees ad iustitiam zelus suus. Num. 25. 7. ob insigne enim factum illud recepit testamentum, idest, pactum æterni sacerdotij. vers. 11. & Psal. 105. 31. & reputatum est ei in iustitiam. Eccles. 45. 28. 1. Machab. 2. 54. nàm obligauit se Deus illi ob factum egregium, & hæc dicitur reputatio ad iustitiam, nempè vt sit quod verè non erat, ac si esset verè, vt Gen. 48. 5. & suprà cap. 2. 27. sicùt quod non est verè, vel fictè non dicitur reputari. Iudic. 4. 9. victoria non reputabitur tibi. Quemadmodum ergò fides Abrahæ credentis Deo, sic factum Phinees reputationem ad iustitiam recepit. sic Daniel. 6. 23. dicitur de Daniele, nulla læsio inuenta est in eo, quia credidit Deo suo; sic Elisabeth ad Mariam, Beata quæ credidisti, perficientur in te, &c. Luc. 1. Similitèr non est insistendum, an Paulus intellexerit de prima promissione cap. 12. Gen. an secunda. Gen. 15. vbi verba illa: credidit, &c. quia id non refert, cùm vel non versemur in difficultate, an de prima, vel

ma, vel secunda iustificatione agatur, vel quia Paulus clarè prodit de secunda sub cap. 15. agere ex his, quæ iàm dixi. Et aduertendum; quòd ex sola reputatione concludi poterat in illis terminis de prima iustificatione agi, quia si reputatio, ergò nulla merita, sed gratia, in qua sola prima iustificatio fundatur: dicitur enìm, *credidit Abraham Deo, & reputatum est*, quid? id quod credidit, & sic fides Deo habita, *ad iustitiam*, & sic nulla opera considerata. At si de prima iustificatione intellexisset Paulus in Abraham, non probabat suam intentionem, quæ erat, gratias Dei fidei solùm, non operibus imputandas; nàm illæ occultæ, nemini notæ. At gratia facta Abrahæ fidei imputata clara, vt ex textu, probans, & firmās suam intentionem. Præterea quid commune habebat cum his, quæ agebantur, & à Deo promittebantur Abrahæ pro se, & semine suo interpretatio verborum, *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, idest, iustificatus est, nempè vel primam, vel secundam iustificationem recepit? non congruebat vllo modo, & inusitatum est in Scriptura, cùm nedum sibi reputatum fuerit, sed & descendentibus; & Abraham, & alij Patres hæc de longè aspexerint, non receperint. Heb. 11. 13. Vndè Christus. Luc. 10. 24. beati oculi, qui vident quæ vos videtis: dico enìm vobis quòd multi prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, &c. & Ioan. 8. 56. Abrahàm pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauisus est. At congruit modo præmisso. Confirmatur, quia illicò Deus per vaccam triennem occisam, & alia, omnia corroborauit, & stabiliuit, & hæc causa cur in dicto cap. 15. non alibì dicatur (credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam) cùm nullibì hæc externa adhibita. Si dicis ibì actum de terra prouidenda; at aduertè, quia & de semine possessuro, ibiquè specialem fieri mentionem in pacto, seu testamento Dei de semine; imò quia & semini promittebantur hæc futura. Heb. 11. tanto inuerisimiliùs agit de prima, vel secunda iustificatione Abrahæ, sed de promissione Dei in pactum redacta in alios deriuanda, & illa sit iustitia tangens etiàm omne semen tàm ex circuncisione, quàm ex præputio; vt hoc cap. prosequitur Paulus, quia non fuit personalis ad personam Abrahæ restricta, sed vltrà ad omne semen porrecta, & protensa, & hæc est repromissio, hoc testamentum, seù pactum, quod petebant adimpleri patres, & quod adimpletum dixit Paulus filijs generis Abraham. Act. 13. & idem Paulus explicat infrà vers. 12. *vt reputetur & illis ad iustitiam*, & vers. 16. *ideò ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, &c.* & sanctissima Virgo, & Zacharias in canticis, vt appareat verba illa, *credidit, &c.* de prima, vel secunda iustificatione Abrahæ non posse intelligi. Ex his inferas circuncisionem iuncta fide in venturum iustificasse, vt in fin. cap. 3. dixi, alioquin ad quid remedium adeò acerbum inutile? cur non capiens damnatus, si capiens fructu defraudatus? & cur Paulus æquiparat circuncisos, & præputiatos fideles? & inferioris conditionis fuissent masculi, quàm fœminæ, quæ ex protestatione sola fidei in venturū saluæ fuissent, quo caruissent masculi. Et mors comminata. Gen. 17. non intelligitur de carnali, sed spirituali: quis enim vmquàm exequutus est eam in carne? imò fortè verba (delebitur anima illius de populo suo) intelliguntur, idest, non computabitur in populo. Nec quidquam obstat factum contrà Moysen, quia Angelus voluit occidere illum, non filium. Vndè fuit aliquid extraordinariū, scilicèt ne exemplo filij Ducis, & Imperatoris alij præputiarentur, & ad puniendam Moysis negligentiam, à quo non possumus sumere argumentum, lex verò dirigit verba in non circuncisos, non in Patres. Præterea non est verisimile Deum dedisse debilius remediū, quàm primò in sacrificijs, protestationibus, & alijs actibus, quibus saluabantur. Insupèr ex vicinitate præcedentis natiuitatis circuncisio octauo die requisita censenda est data ad tollendum peccatum, alioquin esset tantùm signum distinctiuum, nec esset vera propositio: Agnus occisus est ab origine mundi, & omninò tenenda hæc opinio, quia à principio Deus pòst lapsum primi hominis dedit remedia ad salutem per fidem venturi. Inimicitias, &c. Gen. 3. 15. *Sicùt & Dauid di-*

cit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sinè operibus: Beati, quorũ, &c. De iustificatione impij loquitur Paulus, dũ adducit Dauid, & cùm dicat, *sinè operibus*, & de peccatore loquatur, intelligit de prima iustificatione, & argumentum sumptum à Dauide de prima ostendit & de prima arguere, & agere ab exemplo Abrahæ, ne thema diuersificetur, & hoc pacto videntur posse ad concordiam reduci omnes difficultates. Ad confirmationem præmissorum faciunt quæ subdit Apostolus vers. 20. *in repromissione etiàm Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens quia quæcumque promisit* Deus, *potens est & facere, ideò & reputatum est illi ad iustitiam, &c.* Et fidem reputatam esse Abrahæ in præputio, non in circuncisione, non in opere hoc, vt diximus. Sed quia dici poterat, cur ergò circuncisus? respondet accepisse *signum circuncisionis signaculum*, in sigillum, seù stabilimentum, certitudinem *iustitiæ*, promissionum, pactorum, iuramenti Dei, *fidei* suæ attributorum, *quæ* quidèm fides *est*, vel fuit *in præputio*, idest, dum adhùc præputiatus esset, quod non sinè ratione factum est, sed *vt sit Pater omnium credentium* etiàm *per præputium*, *vt reputetur & illis* præputiatis fidelibus *ad iustitiam* quasi debitum, ad quod Deus se obligauit, *& sit Pater* (magis explicat) *circuncisionis non ijs tantùm, qui sunt ex circuncisione*, circuncisis, *sed & ijs, qui sectantur vestigia fidei, quæ est*, vel fuit *in præputio Patris nostri Abrahæ*, dum scilicèt ille adhùc præputiatus, credidit, & promissionem recepit. *Non enim per legem* scilicèt circuncisionis (quia adhùc Mosaica non erat) *promissio* facta fuit *Abrahæ, aut semini eius, vt hæres esset mundi*, vt fieret in gentem magnam, *sed per iustitiam fidei*, ex fide quæsitam: *si enim qui ex lege* circuncisionis, siuè si circuncisi tantùm *hæredes sunt* mundi, *exinanita est fides*, euanuit quod dictum, *credidit Abraham, &c.* etiàm in posteris ex præputio, *abolita est promissio* facta à Deo Abrahæ præputiato; id autèm esse non potest, quia Deus fidelis, & verax, & obseruans, & quia lex circuncisionis id operari non potuit: *Lex enim iram* tantùm *operatur* in Deo contrà inobseruantes, & non se circuncidentes. Gen. 17. non autèm irritat promissiones magnas factas Abrahæ; nec mirandum, si dixi legem iram operari, quia *vbi non est lex, non est præuaricatio*, seù contrauentio, & per consequens nequè ira. *Ideò ex fide* promissio facta Abrahæ, non ex operibus, non ex circuncisione, aut lege, *vt secundùm gratiam*, non opera, alioquin non esset gratia, *firma sit*, seruiat, prosit *promissio* illa *omni semini*, omni posteritati, *non ei, qui ex lege* circuncisionis *est solùm* Hebræo, *sed & ei, qui ex fide est Abrahæ* Gentili (fidem enim solam attendit Deus in gratia, & promissione) *qui Pater est omnium nostrum (sicùt scriptum est, quia Patrem multarum gentium*, non circuncisarum tantùm, præsertìm cum tùnc esset ille præputiatus *posui te) antè Deum cui credidit, qui viuificat mortuos*, viuificare poterat mortuos Gentiles, *& vocat ea quæ non sunt, tamquàm ea quæ sunt*; sicùt vocabo (in Osea) nõ plebem meam plebem meam. Verba hìc, *omni semini* nõ sunt cõtraria verbis ad Gal. 3. semini vno, quia hìc verba capiuntur spiritualitèr pro duobus vno circũciso, alio præputiato, ibi de descendentia ab Abraham carnalitèr. Deindè prosequitur vehementiam fidei Abrahæ, & quomodò etiàm proptèr nos scriptum, quia reputàbitur nobis credentibus, &c. & sic ex toto contextu apparet quæ sit illa iustitia creata ex fide Abrahæ, & quomodò in nobis credentibus spiritualitèr creetur illius exemplo. Quò verò ad epist. Iacob. cap. 2. 23. vbi opera requirit, aduertendum, Iacobum loqui de secunda iustificatione, in qua opera requiruntur, ideò non vtitur exemplo Abrahæ, dum credidit Deo reuelanti futurum ex eo semen, sed ex oblatione Isaac, opere illo egregio, de quo Deus, quia fecisti hanc rem, &c. Gen. 22. 16. & ideò vniens Iacobus fidem, & opera subdit: suppleta est Scriptura dicẽs: credidit Abraham Deo, &c. ne obijceretur sibi ex illo dicto fidem solam sufficere, quæ absquè dubio sufficit in prima iustificatione, non in secunda; de qua ibi Iacobus, ideò dicit suppletam Scripturam, quia sic nuda non habet locum in secunda iustificatione; Iacobus ergò manu ducit nos ad fidẽ exercendam,

cendam,


tendam, & ostendendam, & augendam, sicùt fecit Abraham, qui pòst fidem opera fecit, circuncidit se, & alios, obtulit Isaac, vndè Deus iterùm renouauit promissiones: quia fecisti hanc rem, &c. Et ex hoc dicto (si ageretur de iustificatione, quod iàm reieci) probaretur in illis verbis: credidit, &c. ex Iacobo agi de prima iustificatione, & sic nullam contrarietatem esse intèr Paulum, & Iacobum, & Scripturas, & de hac fide vnà cum operibus Paulus ad Heb. 11. & de secunda iustificatione ex operibus Petrus 2. 1. 10. Vel dictum Iacobi intelligitur proùt hoc Pauli, vt suprà dixi, vt reputatio ad iustitiam sit, vt illi deberentur ex iustitia promissa Dei aliàs ei indebita. Ex operibus ergò Abrahæ secutis pòst fidem promissionibus Dei habitam, factum est, vt magìs meruerit à Deo accipere promissa. Quod autèm exemplum Abrahæ commune sit tàm Hebræo, quàm Gentili, Paulus docet, quia de illo hæc dicta dum esset præputiatus, nondum circuncisus; Vndè infertur fidem vtrique deseruire, tàm Hebræo, quàm Gentili. Sed ad textum. ***Ei autèm, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum***. dixerat ex sola fide reputatum fuisse Abrahæ ad iustitiam, quasi se obligasse Deum ex gratia; ex his verbis probat gratiam fuisse, quia nulla opera erant; nàm si fuissent opera, non esset gratia, sed merces, quæ datur benè operanti; ***ei verò, qui non operatur, credenti autèm***, sola fide innitenti ***in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam***, ad iustificationem ***secundùm propositum*** beneplacitum ***gratiæ Dei***, non iuxtà opera, quæ non concurrunt, ***sicùt, & Dauid dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert***, donat ***iustitiam***, iustificationem ***sinè operibus***, sed ex sola gratia. ***Beati quorum remissæ sunt*** gratuitò ***iniquitates, & quorum tecta sunt peccata***, vt ampliùs coràm Deo punienda non appareant. ***Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*** ad culpam, vel pœnam. ***Beatitudo ergò hæc***, seù iustificatio ***in circuncisione tantùm manet***, in solis Hebræis, ***an etiàm in præputio?*** in Gentilibus? ***dicimus enìm*** simplicitèr, & indistinctè, ***quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. quomodò ergò reputata est? in circuncisione***, dum erat circuncisus, ***an in præputio?*** dum adhùc erat præputiatus? respondet, ***non in circuncisione, sed in præputio***, dum adhùc non erat circuncisus. ***Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei*** debitæ, ***quæ*** fides ***est in præputio***, dum adhùc præputiatus esset. ***Vt sit Pater omnium credentium per præputium***, præputiatorum, Gentilium, ***vt reputetur & illis ad iustitiam*** ad receptionem promissorum Abrahæ per Deum, ***vt reputetur & illis ad iustitiam*** fides scilicèt, replicat quod dixit latiùs strictè ad circuncisionem, ***& sit*** Abraham ***pater circuncisionis:*** primus enìm circuncisus, & cui datum mandatum; ***non ijs tantùm, qui sunt ex circuncisione***, Hebræis, ***sed & ijs, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ***, dum præputium retineret, & sic in his verbis loquitur de præputiatis, seù Gentilibus, non Iudæis credentibus, ex quo mentio est præputij, & in circuncisione de illis; replicauit autèm Abraham patrem circuncisionis, vtì erat, morem gerens Hebræis, ne illos auerteret, cum iàm præmisisset illum patrem omnium credentium; & si in his verbis de circuncisis ageret, non diceret, ***non ijs tantùm, qui sunt ex circuncisione, sed & ijs, &c. sed***, enìm aduersatiua, & distinguens, & verbum, ***ijs***, alios à iàm dictis, & diuersos innuit, sed diceret, ***non ijs tantùm, qui sunt ex circuncisione, sed qui*** vnà etiàm ***sectantur vestigia fidei***; Præthereà ratio, quam subiungit id suadet: ***non enìm per legem promissio Abrahæ, & ideò ex fide, &c.*** At parùm refert quia in alijs locis declarat vltrà circuncisionem fidem requisitam, & præsertìm in his sequentibus verbis; ***Ideò ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege*** circuncisionis ***est solùm, sed & ei, qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum***, fidelium scilicèt, eccè fidem in omnibus requirit. Et euacuatur dubitatio Origenis supèr his verbis, qui legem intelligebat hìc naturalem, quod est à textu alienum, præsertìm quia subdit paternitatem ab Abraham ex fide acquisitam, & filij debent fidem paternam sequi. ***Non enìm per legem*** Mosaicam, seù factorum ***promissio*** facta est ***Abrahæ, aut***

semini eius carnali, *vt hæres esset mundi*, quia illa restricta ad Hebræos solos, *sed per iustitiam fidei*, quæ ad omnes homines ad vtrunque populum aptatur, imò nec dum legem circuncisionis habuerat, stat in promissione, non in adimplemento, hoc enim diuinatiuum; Prætereà verba, *per iustitiam fidei*, promissionem respiciunt. Vndè *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam: si enim qui ex lege*, soli Hebræi *hæredes sunt*, si ex lege capienda esset hæreditas, non ex fide, *exinanita est fides*, nihil operabitur, quia ex fide non caperetur hæreditas, *abolita est promissio*, euanuerunt tot pacta Dei. *Lex enim iram operatur*, nedum gratiam confert, sed tendit ad puniendum, & est occasio peccati: nesciebam peccatum, nisi lex diceret, &c. quia *vbi non est lex, nec præuaricatio*, nec pœna consequentèr; quòd si iram, hæreditas ex illa haberi non potest. *Ideò ex fide*, in fide est fundamentum, *vt secundùm gratiam* Dei, non opera, *firma sit promissio omni*, vtrique *semini, non ei, qui ex lege est solùm*, Hebræo carnali, *sed & ei, qui ex fide est Abrahæ*, Gentili, spirituali, *qui* Abraham *pater est omnium nostrum* credentium tàm Hebræorum, quàm Gentilium (*sicùt scriptum est, quia Patrem multarum* omnium innumerabilium *gentium posui te*) *antè Deum*, Deo sic disponente, *cui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tamquàm ea, quæ sunt*. Hæc verba sunt Pauli, qui hæc differit de Deo, non fidei Abrahæ, quæ repetijt. 1. Cor. 1. 28. quorum phrasis. Sap. 11. 26. Nam circà fidem Abrahæ incipit ibi, *qui contrà spem, &c.* hæc verò stant absquè relatione ad Abraham, & sunt generalia, non restricta ad aliquam actionem Abrahæ, proùt illa, *qui contrà spem, &c.* Nequè placet, quòd ad immolationem Isaac referantur, quem credidit resuscitandum, quia non est verisimile præmisisse de illa antè illius ortum, quod non fecit in epist. ad Heb. 11. vbi priùs de fide seminis sui, quàm immolationis. Nec est verisimile hìc loqui de immolatione illa, quia demonstrare intendit paternitatem Abrahæ, & quomodò fide illam quæsierit, & ad hoc seruiũt quæ ad propagationem applicantur, & quasi extrà rem fuisset de contingentibus circà Isaac loqui; & si illis vti voluisset clariùs (vt ad Heb. 11.) non sub verborum inuolucro loquutus esset, proùt clarè loquitur de seminis propagatione. Vltimò, non est vsus immolatione Isaac, quia tùnc circuncisus Abraham, & hic agit de fide in præputio: ex hoc enim eum patrem omnium credẽtium aptiùs demonstrat, de quo non intendit in epist. ad Heb. 11. Et si tandèm ad Abraham verba illa, *qui vocat ea, quæ non sunt, &c.* referenda, poterunt aptari ad semen, & propagationem: & sequentia, *qui contrà spem, &c.* erunt ad declarationem præcedentium, *qui viuificat, &c. qui contrà spem* iuxtà naturæ cursum *in spem* à Deo supernaturalitèr in eum acturo *credidit, vt fieret pater multarum gentium, secundùm quod dictum est ei, sic erit semen tuum*. Gen. 15. 5. *& non infirmatus est fide*, sed animatus, fortis redditus, *nec considerauit corpus suum emortuũ, cum iàm ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ*. Emortuum ergò erat corpus Abraham, vt generare non posset, non Saræ solius, clara enim sunt verba Pauli, quibus nõ possumus contradicere, & cùm vtrumque æquiparet, vel similibus verbis vniat, quod clarum in Sara, clarum & in Abraham, & est hoc admodum conforme. Gen. 18. 11. erant ambo senes, decrepitæq. ætatis, & Gen. 17. 17. putasne centenario nascetur filius? aut Sara nonagenaria pariet? ad quæ verba Apostolus respexit. Nec obstat, quòd Paulus Heb. 11. dicat de Sara sola; fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit etiàm prætèr tempus ætatis, quasi dicturus & de Abraham, si beneficium hoc recepisset, quod cùm non dixerit, non sit censendum habuisse. Nam non est bona argumentatio, dixit de vno, de alio tacuit, ergò is alius non obtinuit hoc beneficium, etenim quod non in illo loco, hic dixit, & dicunt capita illa Gen. & fortè explicuit ibi de Sara, quia duplex in ea fuit beneficium, vnũ quia sterilis, aliud quia prouectioris ætatis; in Abraham verò ætas tantùm nõ permittebat; quarè tenenda est secũda opinio Augustini, quòd Deus miraculosè impartitus sit beneficiũ generandi Abrahæ, quo ob ætatem priuatus erat. *In re-*

promis-

promissione etiàm Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriã Deo, plenissimè sciens; quia quæcumque promisit Deus, *potens est & facere, ideò & reputatum est illi ad iustitiam*, hæc sua fides, & fiducia magna in Deum. Ex quibus clarũ fit. Gen. 17. 17. non hæsitasse Abraham, sed verba illa in corde suo dixisse, nesciens an seriò loqueretur Dominus; vel parabolicè, seù per mysterium ex Caietano; vel admirans magnum Dei beneficium: si enim Abraham hæsitasset, vel mulctatus esset, proùt Zacharias, vel notatus, proùt Sara ridens, & mentiens cap. 18. neque subiunxisset de conseruatione Ismaelis, quia diffidenti non accomodabatur, sed confidenti, neque petitioni suæ supèr Ismaele annuisset Deus, neque diceretur, *credidit Abraham, &c.* ni mirum, si Deus subiunxit iterũ, vt certus esset mentis diuinæ: Sara vxor tua pariet tibi filium, & nomen filij Isaac vocandi expressit, & ex eo semen propagandum. Similitèr non hæsitauit Abraham supèr terra concedenda, dicens; vndè scire possum, quòd possessurus sim eam? cap. 15. 8. proùt nec Virgo sanctissima: quomodò fiet istud, &c.? sed vterque de modo, de executione interrogãt. *Non est autẽ scriptũ* hoc *tãtùm propter ipsum* Abraham, *quia reputatum est illi ad iustitiam, sed & propter nos:* quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, *quibus reputabitur* ad iustitiam *credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis:* iustificabimur enim per hanc fidem. *Qui traditus est propter delicta nostra* abolenda, idest, morte tulit peccata nostra, delens chyrographum, quod contrà nos erat, & affigens illud Cruci; & 1. Cor. 15. 3. Christus mortuus est pro peccatis nostris; *& resurrexit propter iustificationem nostram*, & 1. Cor. 15. 17. quòd si Christus non resurrexit vana est fides vestra: adhùc enim estis in peccatis vestris: si enim non resurrexisset, non probaretur eius diuinitas, quia mortuus ex infirmitate, scilicèt carnis nostræ. 2. Cor. vlt. & consequentèr neque remissio peccatorum per mortem illius, seù iustificatio peccatoris; at quia Deus, impossibile erat eum teneri doloribus inferni, vndè viuit ex virtute Dei. 2. Cor. vlt. *resurrexit* ergò *propter iustificationem nostram*, nàm nos credentes eum resurrexisse propria virtute, credimus & illum Deum, qui potuit auferre, & abstulit peccata morte sua, & hac fide resurrectionis vera, non vana, vt dicit Apostolus, iustificamur, iusti efficimur, mundamur, gratia replemur, & passio sua nobis prodest; ideò resurrectio iubetur prædicari, & Apostoli prędicarunt: aliàs quomodò in mortuum credidissemus? & sic dic. non meruit nobis Christus iustificationem per resurrectionẽ, sed effecit, vt merita Passionis nobis applicarentur, & sic iustificaremur. Et is intellectus colligitur ex præcedentibus verbis, *sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis*; & facit etiàm quia pòst Resurrectionem prædicarũt Apostoli hanc, & simùl remissionem peccatorum. Luc. vlt. 47. Act. 13. 38. 39. Item ex verbis: in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, qui iustificabantur. Item dixerat se resurrecturum, si ergò non resurrexisset, nulla fide dignus erat, nec in nobis iustificatio poterat locum habere; ideò Angeli dicunt resurrexisse, sicùt dixit, alióqui non fuisset Propheta ille, de quo Moyses. Deut. 18. Hinc Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia in eum non crediderunt, de iustitia, quia ad Patrem ibat per mortem, gloriosus surrecturus, qua iustitia credita iustificabantur, vt hìc. Ideò intellectus quòd resurrexerit, vt exemplo eius resurgentis moueamur ad nouitatem vitæ, non est conformis Apostolo dicẽti resurrexisse propter iustificationem nostram, nàm sicùt morti peccatorum remissio vera, ità resurrectioni iustificatio vera iuxtà superiorem intellectum danda. Vel intellectus, quòd resurrexerit promoturus iustificationem, non est conformis Apostolo attribuenti iustificationem resurrectioni iàm factæ, cuius fides eam operatur in nobis, non alicui promotioni eiusdem Christi futuræ, nàm ad aliud spectat. Aduocatum habemus apud Patrem, &c.


CA-



CAPVT V.

1 IVSTIFICATI ergò ex fide, pacem habeamus ad
2 Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: * per
quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam,
in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.
3 * Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus:
4 scientes quòd tribulatio patientiam operatur: * patientia
5 autem probationem, probatio verò spem: * spes autem non
confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum san-
6 ctum, qui datus est nobis. * Vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi esse-
7 mus secundùm tempus pro impijs mortuus est? * Vix enim pro iusto quis mori-
8 tur: nam pro bono forsitàn quis audeat mori. * Commendat autèm charitatem
suam Deus in nobis: quoniàm cum adhuc peccatores essemus secundùm tempus,
9 * Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magìs nunc iustificati in sanguine
10 ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. * Si enim cum inimici essemus, reconci-
liati sumus Deo per mortem Filij eius: multo magìs reconciliati, salui erimus in
11 vita ipsius. * Non solùm autèm: sed & gloriamur in Deo per Dominum no-
12 strum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. * Propterea
sicùt per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum
mors, & ità in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt:
13 * Vsquè ad legem enìm peccatum erat in mundo: peccatum autèm non imputa-
14 batur, cum lex non esset. * Sed regnauit mors ab Adam vsquè ad Moysen etiàm
in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma
15 futuri. * Sed non sicùt delictum, ità & donum. si enim vnius delicto multi
mortui sunt: multo magìs gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu
16 Christi in plures abundauit. * Et non sicùt per vnum peccatum, ità & donum.
nam iudicium quidèm ex vno in condemnationem: gratia autèm ex multis de-
17 lictis in iustificationem. * Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum:
multo magìs abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in
18 vita regnabunt per vnum Iesum Christum. * Igitur sicùt per vnius delictum
in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes ho-
19 mines in iustificationem vitæ. * Sicùt enim per inobedientiam vnius hominis,
peccatores constituti sunt multi: ità & per vnius obeditionem, iusti constituentur
20 multi. * Lex autèm subintrauit vt abundaret delictum. Vbì autèm abunda-
21 uit delictum, superabundauit gratia: * vt sicùt regnauit peccatum in mortem:
ità & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per Iesum Christum
Dominum nostrum.


IVSTI-


VSTIFICATI ergò ex fide. Probata, & stabilita hac conclusione, iustificationem non lege naturali, vel scripta, sed ex fide procedere, infert, *iustificati ergò ex fide*, hac igitur gratia ex fide recepta, *pacem habeamus ad Deum*, fiduciam habeamus in Domino, in eo quiescamus, non proptèr nos, non ex meritis nostris, sed *per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam* iustificationis, eam ab ipso recognoscentes, *in qua stamus* firmi, stabiles, *& gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei* anhelantium ad hæreditatem, gloriamur proùt Filij Dei, quod si filij, & hæredes, gloria autèm est Regnum Cælorum. *Non solùm autèm* sic gloriamur, *sed & iustificati gloriamur in tribulationibus*, quas aliàs vitabamus, nam cogitantes gloriam filiorum Dei, & ad illam aspirantes, quæ omne desiderium superat, has nihili facimus, imò lucramur, *scientes quòd tribulatio*, quam sustinemus, *patientiam* virtutem hanc *operatur*, *patientia autèm spem* in Deum remuneranteni virtutem illam, iuxtà Dauid. 2. Reg. 16. 12. *Spes autèm non confundit*: quia eueniet quod speramus, non erubescemus frustrà expectantes quod sperauimus; sic Salomon matri: non enim fas est, vt auertam faciem tuam. 3. Reg. 2. sic Gal. 4. 20. quoniàm confundor in vobis, & Phil. 1. 20. quia in nullo confundar, & 2. Thes. 3. 14. vt confundatur, & 2. Timot. 1. 12. sed non confundor: Hinc: quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, &c. certus sum enim quia neque mors, &c. poterit nos sperare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino Nostro infrà capit. 8. 35. 39. *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, eccè ratio, & stabilimentum, quia eo amore perfusi sumus, vt spe erigamur, & nulla ratio dubitandi remaneat: ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus Filij Dei, quòd si filij, & hæredes, &c. Meminit tribulationum, quas tùnc fideles frequentèr patiebantur, vt magis accenderentur ad patientiam, & ne conquererentur ob illas, præsertìm quia grati erant Deo ob fructum, quem ex illis habebant, de quo agit. An autèm verba, *charitas Dei diffusa, &c.* intelligantur de charitate Dei, qua nos ipse, vel in nobis creata, qua nos illum diligimus? Crederem Apostolum de creata in nobis, qua illum diligimus intelligere, tùm quia tota series locutionis in iustificatos refertur, & à iùstificatis requirit, quæ scribit, tùm quia adsunt verba, *diffusa*, &, *in cordibus nostris*, &, *qui datus est nobis*, quæ innuunt ad inhærentem in nobis, quæ & præsupponenda iustificatione præsupposita, & quia ratio, cur spes non confundat, non frustretur, *quia charitas, &c.* idest, pignus hoc habemus ex gratia nobis infusa, & quæ iàm est in nobis perfecta: ad iustificatos enim est sermo, ideò eò magis loquitur de charitate in nobis inhærente, & de priuilegijs nobis collatis, quia posteà infert, *si* hoc *cum inimici essemus*, quantò magis confidendum nos ab eo nùnc recepturos amicos suos? & tùnc intelligit de charitate Dei ergà nos vigente, & prompta; priùs ergò de fauoribus in nos collatis, posteà de inferendis, charitas ergò Dei hìc est illa in nobis efformata, & creata, qua mouemur ad opus, & ad spem: Spiritus enim datus docet, instruit nos, ad spem erigit, qui sunt eius effectus. *Vt quid enim Christus, cum adhùc infirmi essemus*, non valentes surgere, aut resistere ob peccata, quibus deijciebamur, *secundùm tempus* decretum ad redemptionem hominum *pro impijs mortuus est?* nisi vt spem habeamus gloriæ filiorum Dei; cur ergò spe destituimur æternorum, siuè gloriæ filiorum Dei, cùm Christus mortuus sit pro nobis infirmis, & impijs, pacificans, siuè quæ in cælis, siuè quæ in terris, & reddens nos fortes, & pios? & per quem infusa charitas, & datus spiritus? nàm spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatùs. Vt autèm cognoscamus magis nos debere Christo pro nobis infirmis, & impijs mortuo, dicit, *vix enim pro iusto quis moritur*, & hic pro impijs, *nàm*

pro bono, ideſt, benefico *forſitàn quis audet mori* : horum enim extant exempla, ſed is pro nobis, cui nullum beneficium contuleramus, ideò ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, non ex operibus, quæ fecimus; vult inferre; ſi ergò Chriſtus hæc pro nobis, quid diffidimus, quid deprimimur, ne gloriam ſimus conſecuturi? Et eodem modo, *commendat charitatem ſuam Deus*, maiorem apparere facit *in nobis*, ergà nos, *quoniàm cum adhùc peccatores eſſemus* (quaſi peccata noſtra eum ab hac miſericordia non auerterunt) *ſecundùm tempus* ab eo præſtitutum, quod non prorogauit; *Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, proprio Filio non pepercit. *Multo igitur magis nùnc* iàm *in ſanguine ipſius*, Chriſti, *ſalui erimus ab ira* Dei *per ipſum* Chriſtum, & perueniemus ad gloriam Fliorum Dei. *Si enim cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius, multò magis* iuſtificati in ſanguine ipſius pro nobis fuſo *ſalui erimus ab ira*, à pœna, à vindicta *per ipſum in vita ipſius*, qui hæc nobis meruit morte ſua, & quem aduocatum, & interpellantē habemus apud Patrem, & cuius vita reſurrectionem noſtrā certam fecit, & quia reſurrexit proptèr iuſtificationem noſtram, vndè ex his ſpes noſtra magis exaltatur. *Non ſolùm autèm: ſed & gloriamur in Deo*, recognoſcentes hanc gratiam ab illo, *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus* in arrham futurorum bonorum, quæ expectamus; vndè nobis nullo modo diffidendum, aut ſpes reijcienda. Saluatorem expectamus Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuę. Cur bis, *ſecundùm tempus*, verſ. 6. & 9? ad tollendam ex animis dubitationem, cur non antè factum, cur dilata mors: os enim omnium claudit, id actum *ſecundùm tempus*, nec aliud quærendum; ideò Dauid dicebat: Benignè fac in bona voluntate tua, ideſt, iuxtà beneplacitum tuum Sion, petens mitti Meſſiam. *Propterea, ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt*; intendit probare quomodò per Chriſtum reconciliationem, de qua dixerat, recipimus, & incipit argumentum, quod in hac clauſula non perficit, ſed per multum diſcurſum, quem ſubijcit, ideò nihil in hac clauſula ſubintelligendum: ſatis enim ſuprà dixerat reconciliationē ſequutam per Chriſtum, & ſe declarat Apoſtolus, & omnibus ſatisfacit in ſequentibus, & quòad clauſulam habetur complementum, quia ſicùt peccatum in omnes per vnum, ità & mors. *Vſquè ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autèm non imputabatur, cum lex non eſſet, ſed regnauit mors ab Adam vſquè ad Moyſen etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri*. probat Apoſtolus omnes in Adam peccaſſe, & mortis pœna affectos, dicit itaquè, *peccatum*, actuale *erat in mundo* antè legem, quod *non imputabatur, cum non eſſet lex* Moſaica pœnas ſtatuens (de originali enim, & eius imputatione iàm clarum, ideò de illo hìc non intelligit, cui etiàm pœna externa, & legalis non aptatur, & quia ſubdit, *in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*, quæ in eo fuit actualis) *ſed regnauit mors* pœna peccati *ab Adam vſquè ad Moyſen* legis promulgatorem *etiàm in eos, qui non peccauerunt* actualitèr *in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*, ideſt, proùt Adam actualitèr peccans; ac ſi ipſi quòad mortem incurrendam peccaſſent, ergò in omnes transfuſum peccatum, cuius pœna transfuſa. *Qui* quidèm Adam *eſt*, ſeù fuit *forma*, exemplar *futuri* huius ſupplicij in omnes homines ob ſuum peccatum ſic transfuſum; poſitus eſt in exemplar demonſtrans quid in cœteros homines contingere debeat, ſcilicèt quia mors ipſi illata in omnes pertranſijt; & verbum, *forma*, pro exemplari capitur. Philip. 2. & 3. 28. 1. Pet. 4. 5. Vndè cùm hìc de peccato, & morte agatur, & hæc ſit ratio dictorum, cur *in ſimilitudinem præuaricationis Adæ* omnes actualitèr non peccātes mortem incurrerint, incongruè hæc vltima verba ad Chriſtum referuntur abſquè vlla concatenatione, imò cum tranſpoſitione ad alium ſenſum, etſi de Chriſto hìc nullibi. Præterea quomodò Adam forma Chriſti, cùm ſit in totum diuerſus à Chriſto? & cur ſtatim ſubdit,

dit,

dit, *sed non sicùt delictum, &c.?* & sempèr vsquè ad fin. cap. docet maiora beneficia à Christo, quàm mala ab Adam. Nec saluatur dictum, quia ipsi contrarius; nàm ex hoc dicendum formam illius non esse. At non est diuinatio sub verbo, *futuri*, intelligere de Christo iàm nato, passo, in cælis stante, qui omnia consummauit? Insupèr si sequentia aduertantur, quid infertur ex verbis, *qui est forma futuri?* ex verbis nihil, de sensu diuinare est quòad Christum. Verba, *in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri*, nequè inferunt, nequè cõnectuntur ad sequentia, cum illa stent de per se. Sed necessariò intelligenda de peccato Adæ transfuso in alios, non de actuali cuiusuis hominis ad eius similitudinẽ, quod ipse patrauit ob rationem, quam subiungit, *qui* Adam *est forma futuri*, quod in posteros euenturum erat ex suo peccato, quod in posteris originale est, non actuale, nàm sequitur thema diuersum, vt infrà. Dum meminit legis, intelligit de Mosaica scripta: naturalis enim cum homine nata, & faciendo mentionem Moysis, est ac si legis mentionem fecisset. *Sed non sicùt delictum, ità & donum: si enim vnius* Adæ *delicto multi*, omnes *mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit, &c.* vsquè ad fin. cap. Postquàm docuit quomodò omnes in Adam peccauerunt, & mortem subierunt, nùnc vult docere quomodò in Christo omnes salui, & iustificati sint, & reconciliati; & quia suprà dixerat, nos iniustos morte Christi reconciliatos, multò magis nùnc saluos futuros ab ira Dei in vita Christi; docet hoc beneficium à Christo descendens eò vsquè protendi, vt excedat importantiam casus ex delicto Adæ, quod probat, quia delicto vnius omnes condemnati; at gratia Christi ab omnibus delictis, nedum ab illo vno liberati, imò & filij, & hæredes, & reges constituti sumus: dedit eis potestatem filios, &c. Io. 1. hinc Christus per Præcursorem, & per se, & Apostolos intimauit: pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum. & Ioannes Baptista: Eccè Agnus Dei, eccè quì tollit peccata mundi: *sicùt enim per inobedientiam vnius hominis peccatores* verè: in Adam enim omnes peccauerunt, *constituti sunt multi*, omnes, *ità, &c.* Quòad bona, quæ dicit sanctus Io. Chrysostomus, intellige, proùt dicimus, de peccato Deum elicere bona, & proùt illud: felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem. *Lex autèm subintrauit, vt abundaret delictum:* quia dixerat suprà secundùm veriorem intellectum, ab Adam vsquè ad Moysen, seù legem mortem regnasse, & subiunxit abundantiam gratiæ Christi, ne dimitteret intactam legem, & illius effectus, subdit, legem, de qua dixit suprà, subintrasse intèr Adam, & Christum intermediam, & hoc vult innuere ex verbo, *subintrauit*, at nedum ad perfectum deduxisse, imò pòst illam eius occasione abundasse delictum; & ità intelligendus locus strictè, quia agit de transgressione, non de ignorantia, vel alijs, vel quia duratura vsquè ad Christum: hæc enim extranea. *Vbì autèm abundauit delictum, superabundauit & gratia*, quia vt dictum est, Christus nedum originale, sed omnia actualia sustulit, *vt sicùt regnauit peccatum in mortem*, mortiferum, seù in mortem deducens, *ità & gratia regnet per iustitiam*, seù meritũ Christi *in vitam æternam per* ipsum *Iesum Christum Dominum nostrum*; vndè morti corporis, & animæ successit vita sempiterna, & hoc lex non est operata, sed Christus.



CA-




CAPVT VI.



1 *VID ergò dicemus, permanebimus in peccato vt gra-*
2 *tia abundet? * Absit. Qui enim mortui sumus peccato,*
3 *quomodò adhuc viuemus in illo?* An ignoratis quia qui-*
cumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius
4 *baptizati sumus? * Consepulti enim sumus cum illo per*
baptismum in mortem: vt quomodò Christus surrexit à
mortuis per gloriam Patris, ità & nos in nouitate vitæ
5 *ambulemus. * Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simùl*
6 *& resurrectionis erimus. * Hoc scientes, quia vetus homo noster simùl crucifi-*
7 *xus est, vt destruatur corpus peccati, & vltrà non seruiamus peccato. * Qui*
8 *enim mortuus est, iustificatus est à peccato. * Si autèm mortui sumus cum*
9 *CHRISTO: credimus quia simul etiàm viuemus cum Christo: * scientes*
quòd Christus resurgens ex mortuis iàm non moritur, mors illi vltrà non domi-
10 *nabitur. * Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semèl: quod autèm vi-*
11 *uit: viuit Deo. * Ità & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, vi-*
12 *uentes autèm Deo, in Christo Iesu Domino nostro. * Non ergò regnet peccatum*
13 *in vestro mortali corpore vt obediatis concupiscentijs eius. * Sed neque exhibea-*
tis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquàm
14 *ex mortuis viuentes & membra vestra arma iustitiæ Deo. * Peccatum enim*
15 *vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia. * Quid ergò?*
16 *peccabimus, quoniàm non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. * Nescitis*
quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis,
17 *siuè peccati ad mortem, siuè obeditionis ad iustitiam? * Gratias autèm Deo*
quòd fuistis serui peccati, obedistis autèm ex corde in eam formam doctrinæ, in
18 *quam traditi estis. * Liberati autèm à peccato, serui facti estis iustitiæ. * Hu-*
19 *manum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis mem-*
bra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ità nùnc exhibe-
20 *te membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. * Cum enim serui essetis*
21 *peccati, liberi fuistis iustitiæ. * Quem ergò fructum habuistis, tùnc in illis, in*
22 *quibus nùnc erubescitis? * Nam finis illorum mors est. * Nùnc verò liberati à*
peccato, serui autèm facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem,
23 *finem verò vitam æternam. * Stipendia enim peccati, mors. Gratia autèm*
Dei, vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.

QVID



VID ergò dicemus? permanebimus in peccato vt gratia abundet? Quia in fine præcedentis cap. dixerat: vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia, ne quis deciperetur dicens, ergò peccemus, vt gratia augeatur, subdit. *Absit,* non sunt facienda mala, vt veniant bona: *qui enim mortui sumus peccato,* semèl peccatum abiecimus, ità vt illi mortui simus, illud non amplius gustaturi, velut mortui nihil amplius operantes, *quomodò adhùc viuemus in illo? an ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu,* in baptismo eius, *in morte ipsius baptizati sumus? cõsepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortẽ,* quid enim hoc? *vt quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris,* idest, virtute diuina (crucifixus est ex infirmitate, viuit ex virtute Dei. 2. Cor. vlt.) non ampliùs moriturus, non ampliùs in vita mortali ambulaturus; *ità & nos in nouitate vitæ ambulemus,* non ampliùs peccato morituri: sicùt enim per baptismum assimilati ei sumus in morte, ità & similes ei erimus in resurrectione, & nùnc in nouitate vitæ, quam assumpsimus per baptismum, esse debemus; sed pergens ad idem thema, subdit. *Si enim complantati,* insititij *facti sumus similitudini mortis eius: simùl & resurrectionis erimus.* prosequitur loqui de resurrectione à peccato ad nouitatem vitæ, quod & in sequentibus facit; vndè non est præsumendum intermediare aliam materiam diuersam. Nec obstat verbum, *erimus,* quia cùm circà nouitatem vitæ loquatur de futuro, itidem de futuro prosequitur opportunè: præcedit enim verbum, *ambulemus,* cui quadrat, *erimus. Hoc scientes,* certi *quia vetus homo noster* in peccatis genitus *simùl* cum Christo *crucifixus est, vt destruatur corpus* massa *peccati, & vltrà non seruiamus peccato,* quæ est seruitus mortis: *qui enim mortuus est,* peccato scilicèt, *iustificatus est à peccato,* iustus declaratus est, iuxtà illud: sed non in hoc iustificatus sum: *si autèm mortui sumus cum CHRISTO: credimus, quia simul etiàm viuemus cum Christo* à peccato liberi in nouitate vitæ: is enim scopus Apostoli, qui & colligitur ex cõclusione, *ità & vos existimate, &c.* nõ ergò hìc de resurrectione corporis. Mors igitur peccati destructa fuit in Cruce per Christum, vt clarè Apostolus; per baptismum verò secum consepelimur, de morte illa, siuè effectibus participantes, & vnà resurgimus ad vitæ nouitatem, & hoc rectiùs, & ad mentem Apostoli, quàm quòd in baptismo moriamur, vt per alios. *Scientes quòd Christus resurgens ex mortuis, iàm non moritur, mors illi vltrà non dominabitur,* non ampliùs moriturus: satis enim fuit vnica mors pro omnibus. *Quod enim mortuus est peccato* ob peccata nostra, *mortuus est semèl* pro omnibus sufficientèr: *quòd autèm viuit, viuit Deo,* morti non obnoxius, sed à morte tutus, habitans lucem inaccessibilem morti, immortalitate indutus, viuens, Deus, in forma Dei, in gloria Patris, dextera Dei exaltatus, vbi neque mors, neque luctus, neque dolor; cõcludit. *Ità & vos existimate, vos mortuos quidèm esse peccato,* non verè, quasi dissoluta anima à corpore, ideò dicit, *existimate, &, peccato,* & sic restringit omnia præmissa de morte ad spiritualem peccati, ne quis putaret illum loqui de naturali, *viuentes autèm Deo* spiritualitèr *in Christo Iesu Domino nostro,* à quo habemus hoc beneficium, qui est vita nostra, non ampliùs, proùt ipse, morituri peccato. *Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore,* ne Christo dissimiles efficiamini iterum morti tradendi, & tanta ingratitudine notemini, dum in hac vita peregrinamini, *vt obediatis concupiscentijs eius* ad mortem trahentibus, & seruitutem peccati, cum iàm sitis ab eo liberi, & sitis serui iustitiæ, cui obedire tenemini; *sed neque exhibeatis membra vestra: arma iniquitatis peccato,* ad peccatum nutriendum, *sed exhibete vos Deo tamquàm ex mortuis viuentes,* excitati à mortuis per ipsum, qui vos à peccatis liberauit, *& exhibete membra vestra arma iustitiæ Deo,* ad seruiendum Deo in sanctitate, & iustitia: *peccatum enim vobis* sic agentibus *non dominabitur,*


iterum in vobis dominium non capiet: *non enim sub lege estis*, ex qua occasionem sumatis ad peccandum, *sed sub gratia*, qua releuemini, & adiuuemini, à facilitate eos mouet, quia adiuuabantur à gratia, proùt ad idem vtitur argumento: humanum dico, &c. ab æquitate, & facilitate; plùs nolens eos in his, quàm in peccatis solebant conferre. *Quid ergò? peccabimus quoniam non sumus sub lege* grauante, *sed sub gratia* suauitèr adiuuante? *Absit. Nescitis, quoniàm cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis, siuè peccati ad mortem, siuè obeditionis ad iustitiam?* cur ergò vultis liberi in seruitutem vos tradere? *gratias autèm Deo* habendas censeo, *quòd fuistis serui peccati:* eratis enim aliquandò tenebræ, *obedistis autèm ex corde* sincero *in eam formam doctrinæ, in quam* nùnc *traditi estis*, Euangelicam scilicèt; vndè lux estis in Domino. *Liberati autèm à peccato*, non existimetis vos liberos, nam *serui facti estis iustitiæ*, quæ vos à peccato liberauit. *Humanum dico*, facile, *proptèr infirmitatem carnis vestræ*, cui compatior: *sicùt enim exhibuistis mēbra vestra seruire immunditiæ* carnali, *& iniquitati ad iniquitatem*, de vno in aliud peccatum, *ità nùnc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem* acquirendam. *Cùm enìm serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ*, quam in peccato stantes spernēbatis; *quem ergò fructum habuistis tunc in illis* immunditijs, peccatis, *in quibus nùnc erubescitis*, iustitiam sequentes? *Nàm finis illorum mors est* æterna. *Nùnc verò liberati à peccato, serui autèm facti Deo*, qui nos redemit pretio sanguinis agni immaculati Christi, *habetis fructum vestrum in sanctificationem*, sanctum, *finem verò vitam æternam*, in illis mors, in his vita. *Stipendia enim peccati, mors* æterna. *Gratia autèm Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro*, per Iesum Christum Dominum nostrum.



CAPVT VII.

1 *AN ignoratis fratres (scientibus enìm legem loquor) quia*
2 *lex in homine dominatur quanto tempore viuit? * Nàm*
quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi:
si autèm mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri.
3 ** Igitur, viuente viro, vocabitur adultera si fuerit cum*
alio viro: si autèm mortuus fuerit vir eius, liberata est
à lege viri, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro.
4 ** Itaquè fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alte-*
5 *rius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus Deo. * Cum enìm essemus in*
carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris no-
6 *stris, vt fructificarent morti. * nùnc autèm soluti sumus à lege mortis, in qua*
detinebamur, ità vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litte-
7 *ræ. * Quid ergò dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cogno-*
ui, nisi per legem: nàm concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non con-
8 *cupisces. * Occasione autèm accepta, peccatum per mandatum operatum est in*
9 *me omnem concupiscentiam. Sinè lege enìm peccatum mortuum erat. * Ego au-*
tèm

tèm viuebam sinè lege aliquandò. Sed cum venisset mandatum, peccatum re-
10 *uixit. * Ego autèm mortuus sum: & inuentum est mihi mandatum, quo erat*
11 *ad vitam, hoc esse ad mortem. * Nam peccatum occasione accepta per manda-*
12 *tum, seduxit me, & per illud occidit. * Itaquè lex quidèm sancta, & man-*
13 *datum sanctum, & iustum, & bonum. * Quod ergò bonum est, mihi factum*
est mors? Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum
14 *est mihi mortem: vt fiat suprà modum peccans peccatum per mandatum. * Sci-*
mus enìm quia lex spiritualis est: ego autèm carnalis sum venundatus sub pec-
15 *cato. * Quod enìm operor, non intelligo. non enìm quod volo bonum, hoc ago:*
16 *sed quod odi malum, illud facio. Si autèm quod nolo illud facio: consentio le-*
17 *gi, quoniàm bona est. * Nùnc autèm iàm non ego operor illud, sed quod habi-*
18 *tat in me peccatum. * Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea,*
19 *bonum. Nam velle, adiacet mihi: perficere autèm bonum, non inuenio. * Non*
20 *enim quod volo bonum hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. * Si autèm*
quod nolo, illud facio: iàm non ego operor illud, sed quod habitat in me, pecca-
21 *tum. * Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniàm mihi ma-*
22 *lum adiacet: * condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: * vi-*
23 *deo autèm aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & ca-*
24 *ptiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. * Infelix ego homo, quis me*
25 *liberabit de corpore mortis huius? * Gratia Dei per Iesum Christum Dominum*
nostrum. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei: carne autèm legi peccati.




N *ignoratis, &c.* Probat in hoc cap. fideles non sub lege, sed sub gratia esse, proùt antè dixerat. *An ignoratis fratres (scientibus enìm legem* Mosaicam *loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit?* homo scilicèt, non lex, tùm quia, *lex*, stat cum verbo, *dominatur*, tùm quia addit rationem tangentem hominem, non legem, subdens. *Nàm quæ sub viro est mulier* nupta, *viuente viro alligata est legi: si autèm mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri:* mors enìm omnia soluit. *Igitur, viuente viro, vocabitur*, erit, *adultera si fuerit cum alio viro* in concupiscentia: *si autèm mortuus fuerit vir eius. liberata est à lege viri,* quia tenebatur illi seruare fidem, *vt non sit adultera si fuerit cum alio viro*, tùm quia verbum, *viuit*, non aptatur legi ex se, & ex mente Apostoli hic, qui in subsequentibus vitam, & mortem homini applicat, ibi, *viuente viro: mortuus vir, &c.* tùm quia verba, *quanto tempore viuit*, non conueniunt legi, quam ignoramus defecturam; at hominem scimus moriturum, tùm etiàm quia hoc expleto argumento, infert ad legem naturalem, & ad homines mortificatos vers. seq. *Itaquè fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi*, idem est ac si diceret, lex occasionalitèr peccatum operans, & delictum superabundare faciens in vobis, mortua est *per corpus Christi*, per eius sanguinem, & passionem, quæ ab illa lege vos liberauit, vt præmisit in præcedenti cap. & simili phrasi ad denotandum peccatum in nobis mortuum suprà cap. 4. vtitur qui mortui sumus peccato: & pluriès cap. 6. Mortua autèm ea, liberi estis ab illa, proùt mulier mortuo viro, ità *vt* non ampliùs *sitis* legis, sed *alterius*, quasi ad secundas nuptias traducti, sed cuius? illius Christi scilicèt, *qui ex mortuis resurrexit vt fructificemus Deo.* vt vberiores fructus producamus iuxtà il-

lud, facite fructus dignos pœnitentiæ. sed cur, *vt fructificemus Deo? Cùm enim essemus in carne*, idest, carnales, *passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti*, idest, per occasiones ad peccatum ex lege orientes deducebamur ad fructus mortuos ad peccatum; *nùnc autèm soluti sumus* per Christum *à lege mortis*, operante mortem in nobis, nec spiritum dante ad perficiendum, *in qua detinebamur, ita vt* nùnc *seruiamus in nouitate spiritus* gratiæ, *& non in vetustate litteræ*, idest, legis antiquæ Moysis; ità suprà cap. 6. 4. in nouitate vitæ ambulemus, & hæc est ratio, cùr tùnc fructus mortis, nùnc viuos Deo nostro producere possimus. Verba, *corpus Christi*, intellige de vero, non mystico, quia subdit, *vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit*, & verba in dubio propriè capienda, & in præcedenti cap. Paulus de Christo egit, non de Ecclesia. Paulus igitur vtitur argumento mulieris per mortem viri solutæ à lege, sub qua ipso viuente tenebatur, ad significandum sic nos alligatos legi dum vigeret, ea mortua, ab illa effectos liberos, & deindè descendit omnes ad Christum defecisse liberatorem, & complementum legis, non ergò ad alia trahendum argumentum, vel confundenda materia ex discrimine applicationum, quæ ad nihil seruiunt iudicio meo. Item aduerte hìc non determinari per Apostolum an alia via, quàm mortis mulier fiat libera à lege viri, quia vltrà non progreditur, & vtitur his pro argumento, & exēplo; & nondum sepulta lex Moysis, dum hæc scriberet, & alibì de hoc clarè disserui, & tùnc claræ auctoritates pro hoc dogmate, vt hic per alios. Quod hic dicit Estius Moysen. Deut. 24. Ierem. iàm cap. 3. innuere mulierem dimissam per libellum repudij, & alteri nuptam pollutam esse, & abominabilem factam coràm Domino, est satis alienum, nam Moyses ibi nullo modo. Ieremias dicens: numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? loquitur si primus vir pòst repudium eam reduceret, quod non licebat. Deut. 24. ideò vtitur verbo, erit, futuro, non præsenti, sed vide latè per me scripta supèr Euangelio de libello repudij. Matth. 19. non enim Deus permisisset in lege scripta, & simul puniuisset, quod enim fit lege permittente, pœnam non meretur. *Quid ergò dicemus? lex peccatum est? Absit.* deindè prosequitur quomodò lex Moysis non sit peccatum, sed manifestatio peccati, præsertim concupiscentiæ ignotæ in lege naturæ, *Sed peccatum non cognoui, nisi per legem, nàm concupiscentiam nesciebam* secundùm rationem culpæ, quæ est offensa Dei, nec secundùm pœnam, qua damnor in æternum, *nisi lex diceret: Non concupisces*, quod ad omnia peccata trahitur: *Occasione autèm accepta* ex lege data, *peccatum*, fomes *per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam* malam, quia nixus sum in vetitum, & contrarium meæ libertati: *sinè lege enim peccatum mortuum erat*, non cognoscebatur, quia nihil prohibitum; assumit statum primum hominum antè præceptum de non comedendo de ligno scientiæ boni, & mali, vel hominum antè legem Mosaicam viuentium. *Ego autèm viuebam sinè lege aliquandò*, antequàm Deus præceptum primum daret, vel legem Moysis. *Sed cum venisset mandatum* primum datum à Deo, vel lex, *peccatum reuixit*, resurrexit, quod antè legem mortuum erat, non erat cognitum: *Ego autèm mortuus sum*, data est mihi occasio moriendi per mandatum, per legem mihi præscriptam *&* coniunctiuè, vel, *&*, pro quia, *inuentum est*, & contigit *mihi mandatum* Dei, *quod erat ad vitam*, ad fructificandum Deo, ad merendam beatitudinem, *hoc esse ad mortem* æternam animæ, & corporis: *nam peccatum*, fomes *occasione accepta per mandatum, seduxit me* concupiscentem, & in vetita euntem, *& per illud*, illo mediante *occidit*, mortem comminatam intulit. *Itaquè lex quidèm sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum*. respondet illis verbis, *lex peccatum est? Quod ergò bonum est* in se, *mihi factum est mors?* pœnas mihi tàm graues intulit? *Absit*. Et vsquè ad finem cap. verba facit de homine iusto enitente euadere à fomite carnis illum ad peccatum pertrahente, & contrà illum pugnante acritèr, nec euasuro absquè gratia Dei, & non de iniusto, qui nec pugnat, nec contradicit,

nec

nec cognoſcit, nec incipit bonum, vt perficiat, nec dicitur nolens malum facere, nec condelectatur legi Dei, ſed cadit, cedit, cæcus fit, bonum non amat, ad bonum incipiendum, vel perficiendum non ſe accingit, voluntariè peccat, peccato, non lege Dei delectatur, at ex vltimis verbis clarum. *Infelix ego homo*, &, *Igitur ego ipſe*, in his anguſtijs, *mente ſeruio legi Dei: carne autèm, legi peccati*, quæ ad iuſtum tantùm referri poſſunt. de hac pugna ad Gal. 5. 17. caro enìm concupiſcit aduersùs ſpiritum, ſpiritus autèm aduersùm carnem: hæc enìm ſibi inuicèm aduerſantur, vt non quæcumque vultis illa faciatis; & ſuprà cap. 2. 15. qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & intèr ſe inuicèm cogitationibus accuſantibus, aut etiàm defendentibus, &c. Et Chriſtus diſcipulis: ſpiritus quidèm promptus eſt, caro autèm infirma. Ad hæc ſcopus erat hìc oſtendere quomodò à iugo legis ad peccatum per occaſionem impellentis, & à fomite gratia Dei liberamur, & ſubleuamur, non quomodò à peccato; ideò verſ. 25. *gratia Dei, &c.* & aſſumpſit Apoſtolus perſonam hominis carne ſub legis iugo poſiti, & fomite affecti. Sed ad textũ: *ſed peccatum*, fomes, *vt appareat* manifeſtum *peccatum*, *per bonum* per legem, *operatum eſt mihi mortem:* ex hac enim pœna illud notum factum eſt: *vt fiat* ex hac pœna mortis æternæ, *ſuprà modum peccans peccatum* exceſſiuum, abominabile admodum, læſiuum *per mandatum*, per legem, legis occaſione: *ſcimus enim quia lex ſpiritualis eſt* ad ſpiritum dirigendum, *ego autèm carnalis ſum venundatus*, traditus *ſub peccato* peccante primo homine, & ſic ſeruus factus. Sic Achab dicitur venundatus ob Iezabelem. 3. Reg. 21. 25. probat ſe carnalem, ſubdens. *Quod enim operor* tractus concupiſcentia, *non intelligo*, non procedit à meo intellectu; *non enim quod volo bonum*, quod in intellectu firmatur, *hoc ago: ſed quod odi malum* in intellectu ex cõcupiſcentia, *illud facio*, operor. *Si autèm quod nolo* in intellectu meo, *illud facio*, & eſt contrà legem: *conſentio legi*, legem approbo ex prima electione intellectus, *quoniam bona eſt lex*. *Nùnc autèm iàm non ego operor illud*, quia nollem quantum ex me eſt, *ſed* operatur illud, *quod habitat in me peccatum*, fomes. *Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea*, quatenus carnalis, *bonum*, gratia, quaſi carne ad malum trahor. *Nàm velle* bonum *adiacet mihi* in ſpiritu, in anima: *perficere autèm bonum, non inuenio*, non aſſequor. *Non enìm quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago*, video meliora, proboquè, deteriora ſequor. *Si autèm quod nolo* malum, *illud facio: iàm non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum*, fomes, quo trahor ad malum. *Inuenio igitur legem* concupiſcentiæ, *volenti mihi facere bonum* aduerſantem, mihi autèm cognitam, *quoniàm mihi malum adiacet*, mecum eſt, fouetur mecum, quod ſubſequentèr clariùs declarat: *condelector enìm legi Dei*, volens bonum facere *ſecundùm interiorem hominem*, ſpiritualem animam: *video autèm aliam legem* fomitis, ſeù concupiſcentiæ *in membris meis*, in corpore, *repugnantem legi mentis meæ*, qua ad bonum trahor, *& captiuantem me in lege peccati*, fomitis, *quæ eſt in membris meis*, non tamèn vt peccato conſentiam, vtitur verbo, *captiuantem*, ad denotandum non poſſe euadere, ſeù bonum perficere, niſi gratia Chriſti accurrat; nõ loquitur de peccatore actu, vel conſenſu ſed de nõ cedente, ſiuè enìm de ſe loquatur, vt aliqui volunt, ſeù in vniuerſum ex perſona ſui, quod verius eſt, non feciſſet ſe actu, vel conſenſu peccatorem, qui non erat, turpitèr mentiendo: *Infelix ego homo* in his anguſtijs, & anfractibus poſitus, *quis me liberabit de corpore mortis huius?* de omnibus circà me verſantibus, quæ expreſſi ad mortem me trahentibus, ſeù de huiuſmodi lege repugnante, ſeù lege carnis fomitis, ſeù mẽbrorum, vel peccati, vel mortis, quæ omnia enumerauit, non enìm agit hìc de ſolutione corporis, vt reſurgat fruiturus, quod non præmiſerat, etiàm ſi vtatur verbo, *mortis huius;* tùm quia præcedentia refert, tùm quia ad reſurrectionem trahi non poſſunt; & gratiam Dei dicit liberaturã quæ hìc datur, pòſt reſurrectionem verò gloria; dicens autèm, *de corpore mortis huius*, per corpus voluit

uit denotare pondus, seù massam, qua trahebatur ad mortem. Respondet. *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum Nostrum*, quo mediante hanc recipimus, & quę nos à peccato subtrahit, & vincere facit. *Igitur* dum sum in eo statu, de quo dicebã, nàm interponit de gratia Dei liberante, sed non assumit adhùc personam liberati, sed persistit in primis dictis, *ego ipse mente*, voluntate *seruio legi Dei: carne autèm* rebellante, & in contrarium trahente, *legi peccati*, non tamèn vt subijciatur, sed tantùm torqueatur, & contradictionem, ac rebellionem patiatur ab ea vt suprà dixit. Hi intellectus videntur conformes Augustino iuxtà cumulata per Perrerium.




CAPVT VIII.



1 NIHIL ergò nunc damnationis est ijs, qui sunt in Chri-
2 sto Iesu: qui non secundùm carnem ambulant. * Lex
enìm Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege pec-
3 cati & mortis. * Nàm quod impossibile erat legi, in quo
infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in
similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit pec-
4 catum in carne, * vt iustificatio legis impleretur in nobis,
5 qui non secundùm carnemambulamus, sed secundùm spiritum. * Qui enìm se-
cundùm carnem sunt: quæ carnis sunt, sapiunt, qui verò secundùm spiritum
6 sunt: quæ sunt spiritus sentiunt. * Nam prudentia carnis, mors est: prudentia
7 autèm spiritus, vita, & pax. * Quoniàm sapientia carnis inimica est Deo: le-
8 gi enim Dei non est subiecta: nec enìm potest. * Qui autèm in carne sunt, Deo
9 placere non possunt. * Vos autèm in carne non estis, sed in spiritu: si tamèn spi-
ritus Dei habitat in vobis. Si quis autèm Spiritum Christi non habet: hic non
10 est eius. * Si autèm Christus in vobis est: corpus quidèm mortuum est proptèr
11 peccatum, spiritus verò viuit proptèr iustificationem. * Quòd si Spiritus eius,
qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum
à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, proptèr inhabitantem Spiri-
12 tum eius in vobis. * Ergò fratres debitores sumus non carni, vt secundùm car-
13 nem viuamus. * Si enìm secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autèm
14 spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. * Quicumque enim spiritu Dei
15 aguntur, ij sunt filij Dei. * Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in
timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba
16 (Pater.) * Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus
17 filij Dei. * Si autèm filij, & hæredes: hæredes quidèm Dei, cohæredes autèm
18 Christi: si tamèn compatimur, vt & conglorificemur. * Existimo enim quòd
non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur
19 in nobis. * Nàm expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat.
20 * Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed proptèr eum, qui subie-
cit

21 *cit eam in spe : * quia , & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in li-*
22 *bertatem gloriæ filiorum Dei . * Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit ,*
23 *& parturit vsquè adhùc . * Non solùm autèm illa , sed & nos ipsi primitias*
spiritus habentes : & ipsi intrà nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectan-
24 *tes , redemptionem corporis nostri . * Spe enim salui facti sumus . Spes autèm ,*
25 *quæ videtur , non est spes : nàm quod videt quis , quid sperat ? * Si autèm*
26 *quod non videmus , speramus : per patientiam expectamus . * Similitèr autèm*
& Spiritus adiuuat infirmitatem nostram : nàm quid oremus , sicùt oportet ne-
27 *scimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus . * Qui au-*
tèm scrutatur corda , scit quid desideret Spiritus : quia secundùm Deum postu-
28 *lat pro sanctis . * Scimus autèm quoniàm diligentibus Deum omnia cooperantur*
29 *in bonum , ijs , qui secundùm propositum vocati sunt sancti . * Nam quos præ-*
sciuit , & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui , vt sit ipse primoge-
30 *nitus in multis fratribus . * Quos autèm prædestinauit , hos & vocauit : &*
quos vocauit , hos & iustificauit : quos autèm iustificauit , illos & glorificauit.
31 ** Quid ergò dicemus ad hæc ? si Deus pro nobis , quis contrà nos ? * Qui etiàm*
32 *proprio Filio suo non pepercit , sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo*
33 *non etiàm cum illo omnia nobis donauit ? * Quis accusauit aduersùs electos Dei?*
34 *Deus qui iustificat , * quis est qui condemnet ? Christus Iesus , qui mortuus est ,*
imò qui & resurrexit , qui est ad dexteram Dei , qui etiàm interpellat pro no-
35 *bis . * Quis ergò nos separabit à charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an*
36 *fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? an gladius ? * (sicùt scri-*
ptum est : Quia proptèr te mortificamur tota die : æstimati sumus sicùt oues occi-
37 *sionis .) * Sed in his omnibus superamus proptèr eum , qui dilexit nos . * Certus*
38 *sum enim quia nequè mors , nequè vita , nequè Angeli , nequè Principatus , ne-*
39 *què Virtutes , nequè instantia , nequè futura , nequè fortitudo , * nequè altitu-*
do , nequè profundum , nequè creatura alia poterit nos separare à charitate Dei,
quæ est in Christo Iesu Domino Nostro .



IHIL *ergò nunc damnationis est ijs, &c.* Postquàm docuit legem Mosaicam non potuisse hominem subleuare, seù liberare, sed gratiam Dei liberaturam, nunc incipit docere cessasse ex lege Christi, & gratia illas difficultates, & contradictiones, ità vt lex Dei facilè impleatur. *Nihil ergò dãnationis*, seù maledictionis ex carne, seù fomite orientis *est ijs, qui sunt in Christo Iesu*, credentibus, non secundùm carnem ambulantibus; hi non angustiantur his curis, quæ dixi, sed tuti, liberiquè sunt; Vel *nihil* habent *damnationis* orientis ex peccato, à quo vt subdit, sunt liberi. Vel *nihil* habent *damnationis*, idest, nihil quod in eis condemnari possit, seù quod ad malum perducere valeat, nàm in vers. 35. *Quis ergò, &c. certus sum, nequè mors, nequè vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei. Lex enim spiritus vitæ* viuificans *in Christo Iesu*, per Christum lata, lex scilicèt euangelica (quę est virtus omni credenti ad salutem suprà cap. 1.) vel potiùs lex gratiæ, seù gratia, de qua in fine præcedentis capitis, & quia in

in ſequentibus verbis docet quomodò per aduentum Chriſti ſublàtum peccatum abſquè mentione Euangelij; *liberauit me* (ſumit ſuam perſonam, vt ſuprà) *à lege peccati, & mortis*, quæ ſuprà dixerat corpus mortis huius. Et lex peccati hic non poteſt intelligi de lege Moſaica, nequè etiàm occaſionalitèr, ſed fomitis, de quo proximè egerat in præcedenti capite, & à dictis in illo infert, *nihil ergò damnationis, &c.* & quia ſubdit de lege Moſaica in concurſum, & ex oppoſito illius, quæ eſt ſpiritus, nempè quòd ipſa non liberabat, lex ſpiritus liberabat, ideò ſubdit. *Nàm quod impoſſibile erat legi*, Moſaicæ ſcilicèt. Et quòd de Moſaica, non alia agat, patet, quia in ſuperiori cap. de illa egit in principio: ſcientibus enìm legem loquor, & deindè per totum cap. & in hoc cap. proſequitur idem thema, & quia vtitur verbis, quibus ſolet de illa intelligere, *in quo infirmabatur per carnem*, quia carnalia, non ſpiritualia reſpiciebat, ideoquè non valebat liberare, nequè adiuuabat, cum non conferret gratiam, & id patet per totum cap. & quia intelligendum de lege proximè antecedente, & fortiori, quæ erat hæc Moyſis, ſupèr qua erant contentiones, & de qua Hebræi gloriabantur. Item verba intelliguntur de caſu dubitabili, qui erat in lege Moyſis, non de indubitabili, qui erat in lege naturæ, cui non eſſet addita lex Moyſis, ſi ipſa potens fuiſſet, & mundus alia non indiguiſſet. Deus enìm non multiplicat remedia fruſtrà, & abſquè neceſſitate, & vtilitate; & ex verbis verſ. 15. *non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis, &c.* vbi de lege Moſaica, *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*, vt pati poſſet, & mundum redimere, *& de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum. De peccato damnauit peccatum in carne*, ideſt, ſimilitudine carnis peccati per filium ſumptæ, in qua paſſus, (nàm Deitas non eſt paſſa, ſed caro illa) *damnauit*, ſuſtulit *peccatum in carne* exiſtens verè, & inhærens, ideſt, concupiſcentiam reluctantem, & effrenem, de qua ſuprà; ſuſtulit & peccata omnia, ſed de concupiſcentia hic agitur. Dixit autèm ſimplicitèr de peccato, non curans reiterare quod præmiſerat, & diſtinxerat in ſimilitudinem carnis. Hic intellectus mihi videtur litteræ accomodatus, & menti diuinæ, quæ voluit carne carnem redimere: facit pro hac phraſi. Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs, ideſt, cum tua ſubſtantia, & cum primitijs. Apocal. 21. 16. de arundine aurea, ideſt, cum: ſic de peccato, ideſt, cum peccato. Vel primitijs, ſubſtantia, arundine, peccato ſimplicitèr abſquè præpoſitione vlla. Ille pro peccato expiationem ponens recidit in idem, quia mors, oblatio, ſacrificium interuenit, ſed meliùs ſtat propria locutio. Alius pro peccato patrato in morte Chriſto inferenda non currit, nàm peccatum illud non ſuſtulit peccatum, ſed paſſio Chriſti per illud operata, vndè impropriè ad peccatum refertur quod paſſionis eſt proprium, & Apoſtolus loquitur de re à Deo naſcente, & originem trahente, proùt dum dicitur: de plenitudine eius accepimus. Ioan. 1. peccatum autèm ipſe non fecit, ſed inuidia Iudæorum traditus fuit. Non eſt bonus alius, pro peccato ſumens diabolum, qui excluditur à verbis ſubſequentibus, *vt iuſtificatio legis impleretur in nobis. Qui enim ſecundùm carnem ſunt, &c.* vſquè ad verſ. 10. *Si autèm Chriſtus.* oſtendit quomodò lex Moſaica per carnem infirmaretur, & carnales nõ liberarentur, ſed ſpirituales. *Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt*, non eleuantur ad ſpiritualia, carne depreſſi: *qui verò ſecundum ſpiritum ſunt: quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt*, quod clariùs in verſ. 16. *Nàm prudentia*, cura *carnis, mors eſt: prudentia*, cura *autèm ſpiritus, vita, & pax: quoniàm ſapientia* cura *carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta*, legem Dei non curat; ſpernit: *nec enim poteſt* ſubijci, dum ſenſui obedit. *Qui autèm in carne ſunt*, in carnalibus verſantur, *Deo*, qui eſt ſpiritus, & quærit adoratores in ſpiritu, & veritate, *placere non poſſunt. Vos autèm* Romani, *in carne non eſtis*, non eſtis carnales, *ſed in ſpiritu*, ſed ſpirituales: *ſi tamèn ſpiritus Dei habitat*, permanet *in vobis. Si quis autèm ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius*, quia is mortuus, ſpiritus enìm Chriſti viuificans. *Si*

autèm

autèm Christus in vobis est: corpus quidèm mortuum est proptèr peccatum, spiritus verò viuit proptèr iustificationem. Quòd si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia, corpora vestra proptèr inhabitantem spiritum eius in vobis. Si Christus in vobis est per gratiam, corpus quidèm morti subiectum est proptèr peccatum Adæ, spiritus autèm viuit proptèr iustificationem, quæ operabitur vt Deus, *qui suscitauit Christum à mortuis*, viuificet in resurrectione generali *mortalia corpora vestra proptèr inhabitantem spiritum eius in vobis.* August. lib. 1. de pec. mor. & remiss. cap. 4. 5. 6. 7. *Ergò fratres, &c.* monet, vt iuxtà spiritum, non carnem viuant, & de effectibus vtriusque. *Ergò fratres debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus*, cum simus Christi spirituales, & si volumus in spiritu cum Christo viuere æterni: *si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini*, nàm stipendia peccati mors: *si autèm spiritu facta carnis* reluctantis *mortificaueritis*, non consentiendo, sed reprimendo illam ad peccatum trahentem, *viuetis* in Christo. *Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt Filij Dei:* præmiserat omnes ambulantes in spiritu non victuros carni, & resurrecturos gloriosos sicùt Christus; sed quia Christus Filius Dei naturalis; ideò ad probandum quod prius dixerat, docet nos Filios adoptiuos esse, & eadem immortalitate donandos, dicit ergò, *quicunque spiritu Dei aguntur*, reguntur, mouentur, diriguntur, *ij sunt Filij Dei*, quarè Filij? subdit. *Non enim accepistis spiritum seruitutis* seruilem *iterum in timore*, proùt in lege Moysis, *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo* infallibili *clamamus* vtì filij, non serui *Abba*, quam vocem Hebræam retentam (proùt multas alias, Dorcas, Talitachumi, Maranatha) interpretatur. *(Pater:)* ex hac autèm vocatione per spiritum facta consequitur testimonium ipsius spiritus spiritui nostro, mẽti nostræ factum, *quòd sumus filij Dei. Si autèm filij* (eccè conclusio) *& hæredes*, nàm hæreditas Dei est omnibus diuisibilis: *hæredes quidèm Dei, cohæredes autèm Christi*; ergò *spiritus eius, qui suscitauit* filium *Iesum* hæredem *à mortuis, viuificabit, & mortalia corpora vestra, proptèr inhabitantem spiritum eius in vobis*, qui filij, & cohæredes Christi estis, & assumemini ad gloriam cum ipso: Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ: *si tamèn compatimur, vt & conglorificemur*, quia & oportuit Christum pati, & ità intrare in gloriam suam, & hæc omnia proptèr Christum, ideò dicitur, *compatimur*, cum Christo scilicèt. Beati qui persecutionem patiuntur proptèr iustitiam. Beati estis, &c. mentientes proptèr me, proptèr Filium hominis. Luc. 6. *Existimo enim quòd non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, sic Sapien. 3. 5. in paucis vexati, in multis benè disponentur, &c. Suprà dixerat per Christum Patrem suscitaturum, & viuificaturum *corpora vestra*, nos filios Dei, & hæredes Christi, *si tamèn compatimur, vt & cõglorificemur*: & ne quis deterreatur à patiendo cum Christo, imò alliciatur, subdit magnitudinem præmij excedere has passiones, proùt & 2. Timot. 12. si sustinebimus, & conregnabimus. Non negat iudicio meo hìc meritum operum Paulus, sed dicit illa imparia, inæqualia, non comparanda gloriæ, quæ illa longè superat. At dicens, *non sunt condigna*, & illarum habet rationem, sicùt 2. Timot. 4. 8. in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ; & 2. Cor. 4. 17. id enìm quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, &c. & suprà cap. 4. ei autèm, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm iustitiam. S. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 3. distinguit: aut considerantur opera respectu liberi arbitrij nostri, & non sunt condignæ, vt hìc: si quatenus procedunt ex gratia, seù Spiritu sancto, & tùnc condignę sunt. At quia hìc Paulus loquitur de operibus factis in gratia, & à filijs Dei adoptiuis, & nemo potest operari bonum ad patriam consequẽdam, nisi gratia Spiritus sancti mediante, nos enim serui inutiles, qui sinè illa nihil possumus, non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tamquàm ex nobis, sed om-

omnis sufficientia nostra ex Deo est, vt alibi dicit Paulus; & si ex solo arbitrio nostro procederent, nihil operarentur; ideò puto sententias Pauli vtrobiquè easdem, sed hìc explicare voluisse magnitudinem gloriæ ad Romanos alliciendos, vt ad illam anhelarent. Vel Deum adeò munificum, vt etiàm vltrà merita coronet; sic Ecclesia (quæ merita supplicum excedis, & vota, & quæ omne desiderium superant) ità vt secundùm iustitiam quidèm glorificet, & nihilominùs excedat, & ob hunc excessum dicat Paulus non esse condignas passiones nostras ad illam gloriam in nobis reuelandam. Vndè idem Paulus. 1. Cor. 2. quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum; sic: audiui arcana verba in illa gloria, quæ non licet homini loqui, & faciunt aliæ auctoritates suprà adductæ. Sed si excedit (dices) ergò non ex iustitia. Respondeo ex iustitia, quia illam præparauit, & promisit. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, quod Christus prædicabat, & prædicari iussit à Ioanne, & Apostolis, & in cap. 9. 24. quæ præparauit in gloriam; sed præparatio à principio considerata excedit, ideò seruo, cui dedit quinque talenta, nedum ad rationem quinque talentorum dat, sed supèr omnia bona sua illum constituit, & in paucis vexati in multis benè disponentur. *Nàm expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat*; quia dixerat nos glorificandos, & suaserat ex gloriæ magnitudine, quam præsupposuerat, ad compassiones cum Christo inæquales gloriæ, ne quis dubitaret de gloria illa, aggreditur demonstrare illam certò in nobis reuelandam vsquè ad finem huius capitis; non enim hìc loquitur de magnitudine gloriæ, quę improbabilis est, nec posset ab his creaturis demonstrari, vndè dixit absolutè, *quæ reuelabitur in nobis*; & alibi: quæ præparauit Deus diligentibus se, & in suo raptu dicit, audiuisse arcana verba, quæ non licet homini loqui, nec referebat eam probare, quia quisque scit extare, & ad illam credens pergit, & anhelat. Primò ergò probat gloriam illam in nobis reuelandam à creatura sensibili expectante per prosopopeiam; sed propriè à Deo hoc instinctu ornata, vt illam expectet in nobis filijs Dei adoptiuis in anima, & corpore, pòstquam & ipsa innouanda; argumentum verò sic est; certum est hæc sensibilia in mundo expectare pòst gloriam nostram eorum innouationem, ergò certa gloria nostra, & ideò verba, *nàm expectatio*, determinant illa, *quæ reuelabitur in nobis*. Clarum est autèm loqui hìc Paulum de creatura sensibili, non de iustis, aut humana natura, quæ confunditur cum iustis, tùm quia dicit eam expectare hanc reuelationem filiorum Dei, qui sunt iusti, ergò diuersa illa à iustis, tùm quia dicit gloriam in iustis pluriès reuelandam. Tertiò, quia ab expectatione hac creaturæ intendit demonstrare certitudinem gloriæ iustorum. Quartò, ex verbis, *& ipsa creatura liberabitur*, quæ sunt consecutiua pòst gloriam iustorum. Quintò, quia dicit, *scimus enim*, nos scilicèt iusti, *quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit*, ergò illa diuersa à iustis. Vltimò, quia de iustis prosequitur, & ab illis idē probat, vt videbimus, nec præsumitur repetitio. At dices, quomodò creatura expectat, & indè certa gloria nostra? respondeo, expectat, quia insitum illi naturalitèr à Deo, & si in illa hoc faciendum pòst nos, ergò certa præcedens gloria in nobis, quibus illa seruiuit, loquitur Paulus per prosopopeiam, inducens illam sic expectantem, & tacet de natura impellente, vt magìs accendat nos ad illam gloriam eius exemplo, & voto sic adducto. *Vanitati enim creatura* nunc *subiecta est non volens*; sic Eccles. 1. vanitas vanitatum; *sed proptèr eum, qui subiecit eam in spe*, dedit illi hunc instinctum expectandi, *quia & ipsa creatura* insensibilis *liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, quandò & ipsi ducentur ad gloriam. *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsquè adhùc*, dum est corruptioni subiecta; hinc excluduntur Angeli: Deus enim illos vanitati non subiecit, nequè seruituti corruptionis, à qua liberandi sint, & transferendi in libertatem filiorum Dei, quam ipsi tenent, nequè possunt dici nolentes, nequè ingemiscunt, aut parturiunt, cum sint beati, nec homines custo-

sto-

ſtodiendo patiuntur, nequè proptèr ſe, ſed proptèr homines poſſunt optare reſurrectionem, & Paulus agit de creatura corporali, & expectante, & immutanda, quod Angelis non aptatur; vndè quæcunque dixeris (cum immutatio non detur) extranea erunt. Prætereà non ſubderet. *Non ſolùm autèm illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes: & ipſi intrà nos gemimus;* quibus verbis tranſit à creatura inſenſibili ad homines illi ſuperiores, & ſi intelligeremus in creatura illa Angelos, tranſiret ab Angelis ſuperioribus ad homines inferiores, quod non accomodaretur ad verba, vel ſenſum, nàm ſempèr arguendo auget, ideò dicit. *Non ſolùm autèm illa* creatura inſenſibilis, *ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes*, primi vocati ad fidem, *& ipſi intrà nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes* redemptionem corporis noſtri, ideſt, expectantes adoptionis effectum, conſummationem, perfectionem, nempè redemptionem corporis noſtri in reſurrectione vniuerſali: certitudinem reuelationis glorię in nobis; Alio argumento probat ex deſiderio iuſtorum ad illam anhelantium, & gementium iuxtà illud Dauidis: concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini, & Pauli: cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & ſuprà: infelix ego homo, &c. cap. 7. 24. & ſic ſempèr reſpicit certitudinem gloriæ, non magnitudinem. *Primitias ſpiritus habentes*, omnes Chriſtiani: non enim veriſimile Paulum ſe reſtrinxiſſe ad Apoſtolos, & alios excluſiſſe, præſertìm ad quos ſcribebat ſanctos ab eo nuncupatos, & ſi de illis, ſpeciatìm expreſſiſſet, proùt Epheſ. 1. 11. non generalitèr loquutus eſſet, non etiàm ſcribit in communi, ſed ſolus, materia eſt communis omnibus, verſans circà ſperanda, *ſpe ſalui facti ſumus*, non particularis in Apoſtolis; ſic & 2. Cor. 5. nàm & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtrã, quæ de cælo eſt; ſuperindui cupientes, generalitèr loquitur. Adde quòd à creatura deſcendit ad primitias ſpiritus habentes, vndè non eſt caſus dubius, proùt eſſet, ſi ab hominibus aliquibus ad hos deſcendiſſet. Probat expectationem ſic. *Spe enìm ſalui facti ſumus, ſpes autèm quæ videtur, non eſt ſpes, nam quod videt quis, quid ſperat? Si autèm quod non videmus, ſperamus: per patientiam expectamus: Spe ſalui facti ſumus* ex adoptione iàm ſecuta, Si dicis, at vbi eſt res? reſpondet, ſpes eſt eorum, quæ non videmus, ſed per patientiam, & tolerantiam paſſionum, in quibus gemitus noſter verſatur, expectamus; expectant ergò iuſti, ergò certa gloria nunc in ſpe, in re futura in nobis reuelãda, & perficienda. Et ſic quòad creaturam etiàm in ſpe. *Similitèr autem & ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram*, adiuuamur etiàm ad hanc gloriam obtinendam, & ad patientiam pro illa aſſequenda à Spiritu ſancto; *ſimilitèr* accedit expectationi, & gemitibus noſtris, quia *& Spiritus ſanctus*, ſinè quo nihil poſſumus: ſinè me nihil poteſtis facere: *adiuuat infirmitatem noſtram: nàm quid oremus, ſicùt oportet, neſcimus* ad illam gloriam obtinendam; ſic Ioſaphat. 2. Paralip. 20. 18. cum ignoremus quid agere debeamus, ea tanta eſt, vel pro quibus, ignorantes qui iuſti, qui efficacitèr adoptandi, vt correſpondeat verbo iuſtis infrà poſito; *ſed ipſe ſpiritus* doctor noſter (ipſe vos docebit omnia) *poſtulat*, poſtulare nos docet, & facit pro effectu adoptionis in nobis *gemitibus inenarrabilibus*, quos in nobis generat, vehementiam quandam precum opportunam in nobis creat, vt digni efficiamur exauditione pro redemptione corporis noſtri, ſicùt & ſuprà dixit, clamare nos facit *Abba* (*Pater*,) & hæc eſt illa lex ſpiritus, quam ſuprà nominauit; vndè ex hoc ad certitudinem gloriæ infert: ſi enim non eſſet in nobis reuelanda, nec creatura, nec iuſti expectarent, nec Spiritus ſanctus adiuuaret, videtur autèm relatio ad proximiora melior, vt feci, quàm ad alia magis diſtantia, præſertìm quia connexio rectè fit. Dicuntur autèm gemitus inenarrabiles, ideſt, magni, excelſi, ex intimo cordis erumpentes, inexplicabiles alijs, quia ſpiritum neſcimus vndè veniat, aut quò vadat, nobis intrà nos noti, qui ad adoptionem efficacem aſpiramus. Intellectus Toleti in idem reincidit: idem eſt enim quod poſtulare nos docet, & faciat, vel nobis vtatur tanquàm inſtrumentis ad poſtulandum: ſufficit enìm ipſum Spiritum ſanctum eſſe motorem, quod ſi id non intelligit ipſe, & facit


ſpi-

ſpiritum interpellantem, obſtant argumenta aliorum, vel fateor me non intelligere quid velit. De Angelis pro ſpiritu non poteſt intelligi, quia Spiritui ſancto, non ipſis hi effectus diuini attribuuntur, cuſtodiunt ipſi, referunt, at non creant talia. *Qui autem ſcrutatur corda*, Deus ſcilicèt, *ſcit quid deſiderat ſpiritus* noſter, quia gemimus moti à Spiritu ſancto, vel Spiritus ſanctus mouens corda noſtra ad huiuſmodi deſideria, & gemitus, quod in idem reincidit, ſcit; & quomodò ignoraret qui hæc in nobis producit? ſcit ergò quia non terrena, aut ſecularia, ſed *quia ſecundùm Deum*, ſecundùm Dei voluntatem, prædeſtinationem, *poſtulat*, ſi ad noſtrum ſpiritum referamus: ſi ad Spiritum ſanctum, nos poſtulare facit *pro ſanctis*, pro iuſtis, pro filijs Dei adoptiuis expectantibus patientèr redemptionem cor poris, gloriam in anima, & corpore, exiſtentibus in gratia, prædeſtinatis, de quibus ſubdit, & ſic petitiones noſtras iuſtificat, & fructificare facit. Ij enim ſpiritu Dei acti, ſunt filij Dei, ſupèr quos ſpiritum ſuum infundit. Sed à communioribus reddere conatur claram certitudinem gloriæ reuelandæ, nàm ſubdit omnia tendere ad illam pro iuſtis. *Scimus autem*, ideſt, certum eſt autèm, *quoniàm diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum* ad gloriam, ideò & hæ anguſtiæ, & compaſſiones, ad quas vos inuitaui, cooperabuntur ad gloriam reuelandam, *ijs, qui ſecundùm propoſitum* Dei prædeſtinantis *vocati ſunt ſancti*, ad ſanctitatem, quæ per gradus oſtenditur. Intellige autèm de bonis actibus, non de malis, quia de bonis actibus ſempèr egit: nàm ſi de malis, incurreret in id, quod ſuprà vitauit, & de quo arguebatur. 1.3.8. vndè oſtendens falſam obiectionem, dicebat: non ſunt facienda mala, vt veniant bona; etſi verum ſit etiàm mala cedere ad eorum profectum, at non ad ſenſum Apoſtoli. *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui* in reſurrectione, & gloria, *vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, intèr omnes prædeſtinatos, qui ideò ad imaginem eius conformes fiunt. Eccè hic Chriſti prædeſtinatio, & quòd eſt caput prædeſtinatorum. *Quos autèm prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autèm iuſtificauit, illos & glorificauit;* primum verbum, *præſciuit*, videtur cognitionis, non voluntatis, quia ſubdit quod eſt voluntatis, *prædeſtinauit:* hæc enim duo diſtincta, non vnita, vel idem importantia, & quia duo hæc ſimplicitèr poſuerat, vel quia dixerat, *nam quos præſciuit, & prædeſtinauit*, nempè illos; proptereà in ſequentibus non repetit primum verbum, *præſciuit*, proùt ſecundum, *prædeſtinauit*, cui annectit tertium, *vocauit*, & loquitur Apoſtolus ad captum noſtrum: priùs enim præmittenda cognitio in nobis, vt exindè velimus, ſeù deſtinemus aliquid facere, ni mirum, ſi ſic diſtinctè, & tot verbis rem explicat in Deo. *Conformes fieri imaginis Filij ſui*, recipi in adoptionem filiorum Dei, proùt ipſe filius naturalis, quæ adoptio cum ſit redemptio corporis noſtri. ver. 23. erit ac fieri conformes gloriæ Chriſti; vndè alibi Paulus: qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ: &, oportet enim mortale hoc induere incorruptionem, & incorruptio facit eſſe proximum Deo. Sapien. 6. 20. *quos autèm iuſtificauit, illos & glorificauit*, ducit ad gloriã: aliòqui ad quid antecedentia faceret infructuosè, præſertim quia dixit, *conformes fieri imaginis Filij ſui* in gloria, & *vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, præiens vti exemplar, & caput. Coloſſ. 1. 15. ? *Quid ergò dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodò non etiã cum illo omnia nobis donauit?* vult dicere. Sed timemusne à nobis auferendum quidquam præmiſſorum? vndè ſubdit. *Quid ergò dicemus ad hæc* clara, & certa? nobis auferenda? & quæ vis hoc facere poterit? *ſi Deus pro nobis* omnipotens, *quis contrà nos*, quis deijciet nos, priuabit nos? Diuiditur autèm hoc à ſuperioribus, quia ſuprà de geſtis Spiritu ſancto adiuuante, hìc generalitèr de omnibus etiàm aduerſis. Vel *ſi Deus pro nobis*, qui hæc in nobis operatur, *quis contrà nos*, potens illi reſiſtere, ne hæc nobis dentur? ſic Ioſeph cum fratribus: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Geneſ. 50. 20. Timemuſne ipſum defuturum? nequaquàm.

Qui

quia etiàm proprio Filio, &c. quomodò non omnia cum illo? qui maius dedit, dabit quod minus, ideò nulla vobis hæreat dubitatio: vide quomodò sempèr ad certitudinem. *Quis accusabit aduersùs electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?* quæ accusationes admittentur? veræ erunt? subsistent? si *Deus qui iustificat*, vt dixi, *quis est qui condemnet* quem ille iustificauerit? cum iudicium illius sit secundùm veritatem? suprà cap. 2. 2. vndè Paulus alibi dicebat: nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: quasi, si iustificatus essem, tutus essem; & Iob. 34. 29. ipso pacem concedente, quis est qui condemnet? *si Deus pro nobis, quis contrà nos?* qui autèm iudicat me, Dominus est scilicèt Iudex; *Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiàm interpellat pro nobis*; fortè condemnabit nos *Christus Iesus, qui* pro nobis iustis efficacitèr *mortuus est, qui resurrexit* etiàm pro nobis, sedet ad dexteram Patris pro nobis interpellans? aduocatum habemus, &c. à tanto, redemptore, & patrono id non expectandum. *Quis ergò nos separabit à charitate Christi?* vt deijciamur à certitudine gloriæ reuelandæ? *tribulatio? &c. sed in his omnibus superamus* nos prædestinati, non autèm nos Apostoli tantùm, *proptèr eum, qui dilexit nos*, nihil ergò nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu. Confidite, ego vici mundum (*sicùt scriptum est, quia proptèr te mortificamur tota die*,) si enim proptèr ipsum hæc patimur, cur nobis deerit? Beati qui persecutionem patiuntur proptèr iustitiam, &c. Beati eritis, &c. mentientes proptèr me. Non dicatur non dari hanc interpellationem nunc, dum sedet in cęlis gloriosus, quia & ibi in cælis humana facit, & quà homo orat. Hebr. 7. 25. 1. Ioan. 2. 1. vt dixi latiùs cap. 1. Apocal. At pronuncio finalitèr ego Paulus. *Certus sum enim, &c.* nihil *poterit nos separare, &c.* & sic contextus benè currit in omnibus, & quòad certitudinem, cum loquatur in genere de prædestinatis, nulla est difficultas, & quamuis dicat in persona prima, & sua, *certus sum, &c.* non tamèn se includit, sed phrasis est, qua in persona propria enunciamus, quod in alia poteramus, ideò dixit, *nos separabit*, non me, dixerat suprà, *electos*, non se electum, aliàs dixit, nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, alibi verò loquitur in spiritu: ideoquè reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus, tùnc enim more prædestinati, vel sperantis loquitur. Poterat Paulus ad hæc comprobanda dicere de raptu suo, sed cum non dicat adducor in eam opinionem, vt adhùc ei non contigisset. At vide quæ ad Act. scripsimus iuncto Card. Baronio qui de cronologia. Aduerte, Paulus hìc loquitur de filiatione, & adoptione efficaci, seù prædestinatione: & licèt filij peccent, cum tamèn ad gloriam sint prædestinati, iuxtà illud: septiès in die cadit iustus, & resurget, non priuantur hæreditate, seù regno, iuxtà quod Deus dixit Dauid, si autèm derelinquerint, &c. visitabo in virga, &c. misericordiam autèm meam non dispergam ab eo. *A charitate Dei*, intellige passiuè nostra ergà Deum, quia aduersantia per Paulum enumerata, *tribulatio, &c.* &, *certus sum enim, &c.* &, *mortificamur:* &, *æstimati sumus*, non poterant contrà Deum dici: ex parte enim Dei prædestinati non peribunt in æternum, & non rapiet eos quisquam de manu sua. Ioan. 10. sed contrà nos; & verba sunt directa in nos, non in Deum: ideò dicit, *nos separare*, &, *à charitate* Christi, & *Dei, quæ est in Christo Iesu Domino Nostro*, ergò nostra, aliòquin dixisset, *separare* Deum, vel Christum, proùt dixit *nos*; quod sicùt esset incõgruum, ità incongruum verba illa ad Deum, vel Christum dirigere. Vltrà quòd perditio tua ex te Israel, à me omne bonum, & ego sum Deus, & non mutor, beneficia Dei sunt mansura, nõ priuat bonis eos, qui ambulant in innocentia, nos retrocedentes immutamus quæ contulit nobis; prædestinatus enìm peccare potest, & priuari gratia interim donèc resurgat. Benè verum est, quòd nobis separatis, fit & separatio ex parte Dei, cum peccatum cum illo stare non possit, at non agunt illa in Deum, sed in nos. Sed contrà quia dicit, *sed in his omnibus superamus proptèr eum, qui dilexit nos*, ergò dum loquitur de separatione, intelligit de charitate Dei, seù Christi actiua, non passiua. At

respondeo hęc verba non importare nisi dilectionem Dei ergà nos; quam fatemur, & præsupponimus, imò diligimus illum, quia ipse prior dilexit nos, sed non potest inferri ex eis, quòd agens de separatione intelligat de illa charitate Dei, quia stant simùl hæc, quòd proptèr dilectionem Dei superemus, ne separemur ab illo, & tamèn quòad separationem intelligat de nostra ergà Deum charitate. Non obstant verba, *à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*, nàm intelliguntur passiuè quæ in nobis est per Iesum Christum Dominum nostrum; gratia enim & veritas per Iesum Christum facta est, seù charitas in nobis.



CAPVT IX.

1 *VERITATEM dico in Christo, non mentior: testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu san-*
2 *cto: * quoniàm tristitia mihi magna est, & continuus*
3 *dolor cordi meo. * Optabam enim ego ipse anathema es-*
se à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei se-
4 *cundùm carnem, * qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est*
filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, &
5 *obsequium, & promissa: * quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm*
6 *carnem, qui est supèr omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. * Non autèm*
quòd exciderit verbum Dei. Non enìm omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israe-
7 *litæ: * nequè qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi*
8 *semen: * idest, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis,*
9 *æstimantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est: Secundùm hoc tem-*
10 *pus veniam: & erit Saræ filius. * Non solùm autèm illa: sed & Rebecca ex*
11 *vno concubitu habens, Isaac patris nostri. * Cum enim nondum nati fuissent,*
12 *aut aliquid boni egissent, aut mali, (vt secundùm * electionem propositum Dei*
13 *maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: * Quia maior seruiet*
14 *minori, sicùt scriptum est: Iacob dilexi, Esau autèm odio habui. * Quid ergò*
15 *dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. * Moysi enim dicit: Mise-*
16 *rebor cuius misereor: & misericordiam præstabo cuius miserebor. * Igitur non*
17 *volentis, nequè currentis, sed miserentis est Dei. * Dicit enim Scriptura Pha-*
raoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam: &
18 *vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. * Ergò cuius vult miseretur,*
19 *& quem vult indurat. * Dicis itaquè mihi: Quid adhùc quæritur? volunta-*
20 *ti enim eius quis resistit? * O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid*
21 *dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? * An non habet potesta-*
tem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidèm vas in honorem, aliud ve-
22 *rò in contumeliam? * Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere po-*
23 *tentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, * vt*
ostende-

ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ: quæ præparauit in glo-
24 *riam. * Quos & vocauit nos non solùm ex Iudæis, sed etiàm ex Gentibus,*
25 ** sicùt in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam,*
26 *dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. * Et*
erit: in loco, vbì dictum est eis: Non plebs mea vos: ibì vocabuntur Filij Dei
27 *viui. * Isaias autèm clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel tam-*
28 *quàm arena maris, reliquiæ saluæ fient. * Verbum enim consummans, & ab-*
breuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus supèr terram:
29 ** sicùt prædixit Isaias. Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicùt So-*
30 *doma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus. * Quid ergò dicemus?*
Quòd gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iusti-
31 *tiam autèm, quæ ex fide est. * Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iu-*
32 *stitiæ non peruenit. * Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offende-*
33 *runt enim in lapidem offensionis, * sicùt scriptum est: Eccè pono in Sion lapidem*
offensionis, & petram scandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur.

VERITATEM dico in Christo, non mentior, phrasis Hebræa ad magis affirmandū, *testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto,* ità vt falli non possim. In cap. præcedenti Apostolus egerat de prædestinatis à Deo ex quauis causa ab eo non separandis, & quia horum occasione tractaturus erat de Iudæis reprobatis, & Gentibus electis, vel Gentibus, & Iudæis prædestinatis, quod odiosū Hebræis nouerat futurum, vel creditu difficile, ideò vt apud eos fidem quærat, & possit liberè dicere quæ intendit, præmittit assertiones plures cum iuramento de veritate dicendorum, deindè de tristitia, & dolore cordis sui, quibus angebatur pòst eius conuersionem à Iudaismo, dicens, *quoniàm tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo,* ità vt optarem *anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem,* ijdemquè *Israelitæ,* sic nuncupat, quia à Iacob, qui & Israel capita duodecim tribuum orta, ità vt clariùs significare non potuerit hæc omnia dicere pro suo populo Hebræo; & vt optio sua appareat rationabilior, & misericordia dignior, & apud ipsos mereatur, subdit eorum dignitatem, & excellentiam, à qua ceciderant, & qua ipse tùnc mouebatur; *quorū adoptio est filiorum:* populus enim peculiaris Dei erat, *& gloriam, & testamentum:* nàm pacta illis facta, *& legislatio:* lex enim illis data per Moysen, *& obsequium* cultus Dei, *& promissa* tot bonorum, præsertim Messiæ, *quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est supèr omnia Deus;* & is contextus, qui tendit etiàm ad dissensiones intèr conuersos ex gentilitate, & circuncisione ortas componendas, cùm Hebræos turgidos humiliet. At duo dubia. Primum, an antè conuersionem, vel pòst optio illa, & dicendum quòd pòst, nàm antè illam statum Iudæorum reputabat tutiorem, quàm Christianorum, ideò persequebatur Ecclesiam Dei. Act. 9. & vbiquè, & in epistolis Galat. 1. 13. 23. 1. Timot. 1. 16. Prætereà tùnc non poterat anathema esse à Christo, qui nondùm Christum induerat; nequè poterat scire hæc ardua, præsertim reprobationem Iudæorum, & Gentilium acceptationem, quæ in scola Christi didicit. Secundum dubium, quid sibi velit Apostolus in illis verbis, *optabam,* & opto, quia præmittit, *tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, anathema esse à Christo pro fratribus meis,* & cùm verbum, *ana-*

thema, importet separationem, intendit ex hoc modo loquendi per hyperbolē indicare vehemens,& excedens desideriū salutis fratrū suorū, non autèm intendit, vel intendere debuit hoc verè in eo fieri, quia fuisset peccatum. Dixissem, & non potuit,& mentitus esset, quia erat prædestinatus, & non poterat id ei contingere, sed hoc nesciebat. Et iuxtà hunc intellectum explicat se. cap. 10. in princ. voluntas cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Dices, ad tempus potuit optare, respondeo nec potuisse fieri, quia pro illo tempore peccasset; vltrà quòd loquitur simplicitèr non se restringens ad tempus; & quis vellet etiàm ad tempus gratia priuari? quis certus redditur de regressu? Dices, non à gratia, sed à gloria. respondeo verba Pauli esse generalia, non restricta; Prætereà quomodò id quæso? gloriam non poterat habere, nisi pòst mortem, quid illud fuisset defraudari gloria? quid hoc fratres iuuisset? vndè ad impropria diuertimus. Vltrà quòd quis fatuus verè vellet à gloria separari proptèr alios, eò magìs Paulus, qui pro ea militabat, quam deperibat: cupio dissolui,&c.? vnde non potest dici, nisi quòd hyperbolicè, & per excessum loquatur. Dices, vt Christus glorificaretur optabam ego perire, illos saluari; non procedit, quia hic nihil de Christi gloria, sed amore coniunctorum, *pro fratribus meis*; secundò, & id foret per hyperbolem, vel si ex hoc mereretur, ità vt nec separaretur à Christo, non esset verum quod dicebat, & sic ad mendacium hyperbolē traducimus, nàm quæ gloria Christi in Pauli peccato? quæ charitas, animæ suæ præferre alios? quæ commutatio dari potest? quomodò hoc, cùm nec facienda mala, vt veniant bona? Dices, volebat mori pro suis, aut probris affici, at non currit, quia explicat se anathema fieri à Christo, separari à Christo, non mori, & si optaret mortem, esset magna charitas, sed non perueniret ad hyperbolem separationis à Christo, imò magis vniretur, proùt optabat aliàs, vltrà quòd verbum, *anathema*, nimis distorquetur, nec vnquàm importare legitur separationem mediante morte. Nec potest dici, *anathema a Christo*, idest, proptèr Christum, quia verba, *anathema pro fratribus meis*, excludūt hunc intellectum. Ad hæc si dicis, *a Christo*, idest, proptèr Christum, à quo erit separatio? vltrà quòd & hyperboles esset: non enim sic volebat pro eis, sed pro Christo. Act. 20. 24. 21. 13. & alibi sæpè. Non placet, secundùm partem inferiorem animæ, nō secundùm superiorem, proùt Christus, aufer à me calicē: veruntamèn, &c. quia petijsset ille malum, Christus secundum carnem, sed nō malum. Standum est igitur Paulum hyperbolicè, & ex magno excessu, ac confidentia loqui, proùt Rebecca: in me sit, ait, ista maledictio fili mi. Gen. 27. 13. & proùt Moyses pro populo dicens: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Exod. 32. 32. non enim voluit peccare Moyses peccato adeò graui, nec poterat contingere in prædestinato, nec potuit esse in desiderio, cùm illam adeò optaret videre: ostende mihi gloriam tuam. Exod. 33. 18. Nec placet opinio, quòd Moyses intellexerit deleri de libro, idest, mori corporalitèr, quia primò liber ille non est morientium, sed intelligitur communitèr prædestinatorum, nàm aliòquin omnes tàm boni, quàm rei in eo libro describendi fuerant, & tamèn iniquorum nulla memoria, non scribuntur horum nomina in cælo, & illud (deleantur de libro viuentiū) intelligitur, idest, prædestinatorum quod declaratur (& cum iustis non scribantur) cùm non dicantur deleri propriè præsciti, sed non scribi, & sic intellige quod respondit Deus, qui peccauerit delebo eum de libro meo, nàm de non prædestinatis loquens intelligit nō scribam, & Christus dicens: gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cælo, excludit scripturam non saluandorum in illo. Secundò, ex responsione Dei, qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo, deletio ergò erat ob peccatum: si ob peccatum, ergò Moyses intelligebat de morte spirituali, & sic hyperbolicè loquebatur. Tertiò, quandò Moyses intellexit de morte simplici, clarè loquutus est. Num. 11. 15. Quartò, si intelligis verba Dei (qui peccauerit delebo eum de libro meo) pro morte corporali, sequitur, ergò qui non peccauerit non morietur; & tamèn

mèn ſtatutum eſt omnibus ſemel mori, ergò verbum Moyſis erat de deletione ex libro prædeſtinatorum, & de morte ſpirituali at per hyperbolem. Quintò, ſi ſermo eſt ob peccatum maximum, ergò de pœna maxima agitur, ea verò eſt excludi à gloria, ergò de hac, non de morte naturali agebat Moyſes hyperbolicè: quarè tenenda eſt hæc opinio & in verbis Moyſis. Similitèr non placet, Moyſes ſic dixit, vt obtineret primum, ſciens ſecundum fieri non poſſe, quia fuiſſet illuſoria deprecatio & indigna Deo, cui offerebatur, & Moyſe deprecante. *Non autèm quòd exciderit verbum Dei*, tot nempè promiſſionum Patribus, & Iſraelitis factarum, quia Iſraelitæ ſecundùm carnem reiecti: *non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt* fideles, *ij ſunt Iſraelitæ* ex carne, *neque qui ſemen ſunt Abrahæ* ex carne, *omnes filij*, credentes, fideles, *ſed in Iſaac* cuius ſolius ſemen electum ad propagationem fidelium, *vocabitur*, erit *tibi ſemen: ideſt, non qui filij carnis* Iudæi, *hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis*, in quibus promiſſiones factæ verificandæ, *æſtimantur*, repreſentantur *in ſemine* non ex natura, ſed ex vocatione, & ſic firmat diſtinctionem ſuam. Vult dicere Paulus; alio modo intelligebat Deus, quo modo etiàm res ſe habuit, vt ex hoc oſtēdat prædeſtinationem fieri gratuita Dei voluntate vocantis, & ſic Hebræi humilientur, nec præſumant, quia Iſraelitæ ſecundùm carnem, ideò ſubdit: *non enim omnes, &c.* Deindè probat filios promiſſionis eſſe ex vocatione, & electione Dei exemplo Iſaac, & Iacob, & Eſau, & Gentes vocatas. Non placet ſenſus, *non eſt autèm mihi triſtitia, cum non exciderit verbum Dei*, nàm Paulus triſtitiam, & dolorem dicit continuum, non ergò intermiſſum, vel relaxatum, & illud dixerat ad Iudæos conciliandos; neque præſumenda mutatio incontinenti; intendit ergò alio modo, ſcilicèt omnia verificata in præiudicium Iſraelitarum ex carne, quod vt poſſet tutò dicere, præmiſit prima illa verba doloris, & triſtitiæ, & deindè docet quomodò promiſſiones illæ intelligi debeant. *Promiſſionis enim verbum hoc eſt*, de quo dixi, *ſecundùm hoc tempus*, quo hìc nunc ſum, *veniam*, redibo, *& erit Saræ filius.* Gen. 18. 10. *non ſolùm autèm illa*, Sara ſic concepit, ſic cum illa actum, *ſed & Rebecca* ex *vno concubitu habens, Iſaac patris noſtri*, ſcilicèt prolem geminam, Iacob, & Eſau. *Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali* ne quis exiſtimaret in vtero eos habuiſſe vſum rationis vti Maria, & Ioannes, & etiam Ieremias ſecundùm aliquos, quibus non aſſentior, vt Luc. cap. 1. dixi; præmittit hæc verba Paulus, vt magis dilucidet quod ſubdit *vt ſecundùm electionem propoſitum Dei* prædeſtinantis *maneret*, firmum eſſet *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei*, nempè filiationem, ſeu prædeſtinationem, ſeu gentium electionem procedere à ſola Dei voluntate, vt & infrà cap. 10. in fin. *non ex operibus*, in quibus ex ſententia Pauli non fundatur Deus in prædeſtinando, ſed ex Deo vocante, prædeſtinante. Vndè non poteſt inferri ad præuiſionem operum, quia opera omnia, & voluntates omninò excludit Paulus, nec habenda eſſe in conſideratione clarè pronunciat quouis tempore etiàm in reprobatis, ibi, *aut aliquid boni egiſſent, aut mali*, & ibi, *non ex operibus*, quæ verba reſpiciunt tàm Iacob, quàm Eſau, & pariformitèr determinant vtrumque; & ſicut non attendit maſſam corruptam in prædeſtinatis, ſic neque in reprobis, eò magis quia Deus ab æterno prædeſtinat, & præſcit, & ſic antè corruptionem, vndè quis poteſt dicere illam attendiſſe? vltrà quòd ſi in Iacob vocato nihil conſiderauit, cur in Eſau vis conſideraſſe; quaſi implicaretur operum præuiſio in Iacob, ſi daretur eadem malorum in Eſau, & ſolemus dicere contrariorum eandem eſſe diſciplinam, & rationem; facit exemplum Pharaonis à Deo excitati; & quod ſubiungit. *Ergò cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*: ex his enim verbis oſtendit omnia etiàm circà reprobos à Dei mera voluntate pendere; & cum omnia à mera voluntate dependeant, cur potius in vno cauſam expiſcamur, quam negamus in altero? vrget exemplum figuli, qui fingit vas contumelioſum non valens hiſcere contrà fictorem, quaſi ab ipſo fictore totum quod in ſe eſt dependeat. *Quia maior ſeruiet minori, ſicùt ſcriptum eſt: Iacob dilexi,*

Esau autèm odio habui. loquitur hìc de sua materia prædestinationis, & electionis Gentium Apostolus, non de bonis temporalibus, quæ nihil ad ea, quæ tractat: Hinc dicit cùm *nihil boni, aut mali egissent* (*vt secundùm electionem propositum Dei maneret*) *non ex operibus, sed ex vocante*, quæ omnia ad prædestinationem; sed meliùs, & clariùs ex subsequentibus, quæ vide. Et nihilominus cum in Malachia cap. 1. Gen. 25. 23. à quibus desumit Apostolus, agatur de temporalibus, posset forsàn dici ab illis ad spiritualia arguere, proùt & in Abraham dixi suprà cap. 4. *Quid ergò dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Absit.* ostendit ex voluntate Dei pura omnia fieri, sed non iniquè, qui (cum nemini debeat) iniustus esse non potest, si gratiam ex sua liberalitate vni elargitur, alteri negat: si Hebræos dimittit, gentes recipit. Hinc sumit quod dixit Deus Moysi. Exod. 53. *Miserebor cuius misereor: & misericordiam præstabo cuius miserebor*, quæ verba probant intentionem ex voluntate Dei prædestinationem, & Gentium vocationem, de qua per totum cap. pendere; neque ibì illa verba trahi possunt ad punitionem, vel absolutionem eorum, qui adorauerant vitulum, cùm Moyses peteret gloriam sibi ostendi, & Dominus illi suæ petitioni respódeat, & satisfaciat, & sint verba simplicitèr, & absolutè prolata; sed clariùs ex illationibus Pauli. *Igitur non volentis, neque currentis*, seu operantis, *sed miserentis est Dei* opus, non iniqui. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te*, ad duritiam permisi, vt contrà populum meum excitareris, *vt ostendam in te virtutem meam*, potentiam meam, *& vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra*, & sic glorificer: præmiserat de Iacob dilectione, odio Esau, primum probauerat ex verbis Moysi; secundum his verbis, ex quibus constat circà electionem, vel reprobationem pari gradu Deum moueri, scilicèt absquè præuisione meritorum, vel voluntatum, sed mera sua voluntate, vt dixi, & etiàm reprobationem ad sui gloriam cedere. Prou. 16. Vniuersa proptèr semetipsum operatus est Dominus, impium quoquè ad diem malum. Ex his infer non esse necesse verba Moysis ad electionem, & reprobationem trahere, cùm de electione, & misericordia tantùm agant, & pro secundo membro seruiat exemplũ Pharaonis; & proptereà sicùt dixerat pro primo membro, *Moysi enim, &c.* sic pro secundo, *dicit enim, &c.* vndè verbum, *enim*, optimè congruit; similitèr ad vtrumque membrum seruit subiunctum exemplum figuli, vas vnum in honorem, aliud in contumeliam fabricãtis; sic pro primo membro, *ergò cuius vult miseretur:* & pro secundo, *& quem vult indurat.* Et quia dixerat de Israelitarum, & præscitorum reprobatione sub Esau, & Pharaonis indurati exemplo, infert, *& quem vult indurat*, scilicèt non miserendo, neque auxilia efficacia elargiendo ad vitam æternã consequendam. *Dicis itaquè mihi: Quid adhùc quæritur? voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* ex his eò magis apparet omnia in voluntate Dei consistere iuxtà Mardocheum. Esther 13. 9. & non est qui possit tuæ voluntati resistere. *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid*, cur *me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidèm vas in honorem, aliud uerò in contumeliam?* ex hoc colligitur Deum ab æterno prædestinantem non meritis, non voluntatibus, non peccatis etiàm originali, quia antè contractionem etiàm illius prædestinat, aut alia re moueri, nisi voluntate sua mera, quia nedum creat animas proùt figulus vasa formans, sed antè præeligit, & prædestinat; vndè si voluit vas vnum in contumeliam, aliud in honorem erigere, quid potest ei obijci? eò magis quia vtroque modo cedit gloriæ suæ, vt subijcit Paulus, & probatur infrà cap. 11. 5. secundùm electionem gratiæ suæ, si autèm gratia, &c. & vers. 35. aut quis prior, &c. & in eo quod dixit suprà de Iacob, & Esau *cùm nondum nati essent, aut aliquid boni, aut mali egissent:* & de Pharaone, quod clariùs dicere non poterat. At quamuis sit immutabilis voluntas Dei, tamèn cùm incerta sit nobis sententia, non debemus torpere, sed ad gloriam suam operari: creaturæ enim suæ sumus, & ei tenemur sempèr operari, & cùm secundùm

opera

opera fiendum iudicium, magnum erit prædestinationis signum, si operati fuerimus, proùt reprobationis, si torpuerimus. Imò si quis certus esset suæ reprobationis (quod non datur, vel raro, nec de facili credendum, ne decipiamur à dæmone) tamèn proptèr eius factorem deberet ad vineam progredi, & operari ad eius gloriam. Vide Ezechiel. cap. 3. & 18. *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia uasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in uasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*, quid ei imputare volumus? aut non licet ei quod vult facere? puto hìc alia ratione Apostolum elidere obiectum nempè ab euentu apparere iustitiam Dei, quia reprobatorum manifestantur demerita non à Deo procedentia, quia cum ipsis etiàm lenitate vtitur, sed ab ipsis, ideò dicit, *sustinuit in multa patientia uasa iræ, apta in interitum*, proùt bonitas apparet prædestinatorum, *sustinuit in multa patientia*; sic Isa. 2. laboraui sustinens; ad idem propositum, & suprà cap. 3. 26. in sustentatione Dei, & 1. Timoth. 1. 16. sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. *Quos & uocauit* vasa misericordiæ, *nos non solùm*, idest, non solùm nos *ex Iudæis* secundùm carnem, *sed etiàm ex Gentibus* secundùm fidem Abrahæ, *sicùt in Osee dicit: Vocabo non plebem meam*, gentilitatem, *plebem meam: & olim non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam*, quia non vocabantur, *misericordiam consecutam*, ex vocatione. *Et erit: in loco, vbi dictum est eis* Gentilibus: *Non plebs mea vos*, sed Israel: *ibi vocabuntur*, erunt, *Filij Dei viui*, non ampliùs idòlorum mortuorum, mutorum. *Isaias autèm clamat pro Israel*, ad fauorem Israel: *Si fuerit numerus filiorum Israel tamquàm arena maris*, qualis qualis fuerit numerus etsi maximus, *reliquiæ saluæ fient* tempore nouissimo vt infrà. Pro hoc intellectu seruit quod subdit Apostolus, *nisi Dominus reliquisset nobis semen, &c.* & quod superiùs dixerat ad fauorem gentilitatis *vocabo non plebem, &c.* nàm subdit, & pro Israel Isaias, &c. benè verum est hunc fauorem restrictum ad reliquias, & in tempore nouissimo, & sic cessant omnes difficultates recentiorum volentium verba Isaiæ trahi ad reprobationē Iudæorum: *Reliquiæ saluæ fient*, quod in fine euenturum. Deut. 4. 30. postquàm te inuenerint omnia quæ prædicta sunt, nouissimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius, scilicèt cùm plenitudo Gentiū intrauerit infrà c. 11. 25. ideò volens Apostolus denotare tempus illud, dicit, tùnc fiet, cùm Dominus faciet *verbum*; idest, factum *consummans*, cū consummauerit, seu perfecerit omnia opera sua, *& abbreuians in æquitate, quia verbū breuiatum faciet Dominus supèr terram*: dies enìm illi Antichristi, & prædicationis Eliæ, & Enoch pauci erunt, & proptèr electos breuiabuntur, & apud Deum mille anni tamquàm dies hesterna, quæ præterijt, vel quia erūt horribiles, pleni ira: irati enim breuiatè loquuntur. sic Psal. 2. de Iudice illo, cùm exarserit in breui ira eius: vel quia sicùt fulgur paret in Occidente, &c. in ictu oculi, in nouissima tuba, &c. *in æquitate*, in iustitia, in iudicio illo extremo. eodem verbo, *in æquitate*, vtitur Paulus. Act. 17. 31. & ad prædicationem illorum, Enoch, & Eliæ reliquiæ illæ conuertendæ. Sic in Isaia cap. 10. 22. à quo Paulus, reliquiæ conuertentur, deindè consummatio, idest, desolatio mundi abbreuiata inundabit, apportabit iustitiam, idest, iudicium; in iudicio enìm Deus exercebit iustitiam, iustitias iudicabit, inundatio quædam erit, quia sicùt flumen inundans replet aquis terram. Eccl. 39. 27. vt nihil aliud nisi aqua appareat, ità tùnc nil aliud apparebit, quàm iudicium; hac similitudine vtitur Ezechiel 26. 10. & Oseas 4. 2. de vitiorum inundatione, & 1. Machab. 2. 30. Luc. 6. 48. & ad maiorem expressionem subdit Isaias, consummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum, (quem Paulus *Sabaoth*) faciet in medio omnis terræ, idest, tota terra; & Paulus, *supèr terram* (ità vt tollatur interpretatio in medio Ierusalem) quandò cæli, & terra soluentur, & transibunt, & conflagrabuntur omnia; sic Matth. 24. 4. 14. & 13. 39. 40. 49.

capitur

capitur enim verbum, consummatio, pro mundi conflagratione. Matth. 13. 4. & Isa. 28. 22. pro fine sæculi: ibi enim pòst admonitionem, vt terreat, subdit: consummationem enim, & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum supèr vniuersam terram, quid clarius? Idem Eccl. 18. 21. memento iræ in die consummationis, & tempus, &c. sic Psal. 58. 14. in ira consummationis; &, ero vobiscum vsquè ad consummationem sæculi. At pro abbreuiatione, Eccl. 7. 18. memento iræ quoniàm non tardabit; & Soph. 1. in fine clariùs de vtroque. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione cunctis habitantibus terram; sic Dan. 9. 24. septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ sunt, &c. & clariùs cap. 12. Ioel. cap. 2. 32. & cap. 31. 2. vbi clarè reliquias conuertendas in fine; sic & Ierem. 30. 7. & 31. & Ezech. 38. 39. maximè in fin. clarè Osee 3. & Malach. 4. Et quoniàm saluatio reliquiarum ex misericordia Dei, ideò Paulus subdit, *& sicùt prædixit Isaias: Nisi Dominus reliquisset nobis* hoc *semen* reliquiarum, *sicùt Sodoma facti essemus, & sicùt Gomorrha similes fuissemus* derelicti, & pœnitùs extincti: in illis enim vrbibus nihil remansit; hæ igitur reliquiæ dabunt fructum in fine mundi, quod non erit in Sodoma & Gomorrha, quarum nullæ reliquiæ. Hoc autèm dixit Paulus tēperans quod dixerat primò de Gētibus, spē retinens Hebræos. Quod autèm dicit Paulus de verbo breuiato ex Isaia, intelligendum de iudicij vniuersalis tempore: tùnc enim fiet verbum breuiatum, vt dixi, & congruit quod cap. 11. 26. dicit Apostolus ex Isaia 59. vbì denotat tempus, quod tacet Apostolus, cùm venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit, quæ verba sonant Antichristum quasi fluuium violentum, quem tamèn spiritu Domini occidendum alibi docet Apostolus. Nec possunt hæc verba ad Christum, Christi Incarnationem, vel Euangelium trahi, quia dum hæc diceret Paulus, iàm Christus ascenderat, Euangelium iam dudùm publicabatur, & in fine mundi in omnem terram promulgatum erit, & verbum, *faciet*, respicit futura, non præterita, & si plenitudo gentium priùs intratura, antequàm reliquiæ saluæ fiant infrà cap. 11. 25. quomodò in his potest verificari verbum breuiatum? &c. hoc enim percutit tempus illud reliquiarum saluandarum, & ad illud referendi omnes intellectus, & reijciendi alij: dat enim pro ratione Paulus, seu assignatione temporis extremi; *verbum enim, &c.* & Osee 3. in nouissimo dierū Domino reuersuri filij Israel; idem probatur Malach. 4. Eccl. 48. Matt. 17. de Elia tùnc venturo ad illos saluandos; & 1. Thes. 2. 14. peruenit enim ira Dei supèr illos vsquè in finem; idem habetur Dan. 12. & Isa. 46. 4. vsquè ad senectam, vsquè ad canos portabo. Vndè credo hunc verum intellectum verborum, quæ tempore Pauli non impleta, implenda sunt tempore nouissimo, & ex his tollitur dubium infrà cap. 11. excitatum, quo tempore reliquiæ conuertendæ, vt ibi etiàm dicam: Sed an omnes, qui tùnc erunt Hebræi saluabuntur? incertum, vide hìc scribentes, & supèr 7. Apoc. Ex verbis Pauli, & Isaiæ videtur colligi omnes saluandos; quia dicitur, *si fuerit numerus filiorum Israel tanquàm arena maris reliquiæ saluæ fient*, qui igitur tùnc extabunt, qualis numerus fuerit, saluabuntur, sicùt verba videntur innuere: sed clariùs ex verbis eiusdem Pauli cap. 11. 12. & 26. omnis Israel; qua phrasi vsus & Moyses. Deut. 30. 4. & Ierem. 23. 4. nullus queretur ex numero. At potiùs restringendum ad prædestinatos. ex Dan. 12. 1. & Paulo infrà cap. 11. 2. *Nisi Dominus Sabaoth*, dicitur Dominus exercituum, vt explicat Isaias d. cap. 10. quia habet sub se infinitam multitudinem Angelorum quasi militantem, vndè Iacob, castra Dei, & Christus, & præbebit mihi duodecim legiones Angelorum. Non tamèn sub hoc exercitu comprehende malos, sed tantùm bonos Angelos: nàm mali potiùs sub nomine tortorum, quàm militum, & sæpiùs in Euangelio, & Apocalypsi, & præsertim cap. 19. repræsentatur Iesus in equo albo debellaturus diabolum, & Antichristum, & dicitur: & exercitus, qui sunt in cælo, sequebātur eum in equis albis, &c. sic 3. Reg. 22. Vidi Dominum sedentem supèr solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei à dextris, & à sinistris. Nec dicatur à sinistris

nistris angelorum malorũ exercitum stare, quia decipiuntur hoc dicentes, nec animaduertentes verbum, cæli, quod bonos tantùm respicit, non malos: mali enim non possunt dici cæli, à quo ceciderunt, & cùm represen tetur Deus quasi imperator stipatus militibus, vtiquè erant à dextris, & à sinistris, & ab vtroque latere latrones stare conuenit. Non obstat quòd fuerit ibi spiritus mẽdax, nàm non erat de assistentibus, sed dicitur: egressus est autèm, & sic de alio loco, ità & Iob. 1. non dicitur assistens, sed adfuit, sicùt & cap. 2. non vti de illis; vel potiùs, & si sic repræsentetur, factum ad nostram intelligentiam, cùm in cælo non detur sinistra: hinc repræsentatur apud Isa. cap. 6. stans diabolus, qui sempèr insidiatur homini; videns præuaricationes Achab, petijt potestatem à Domino decipiendi illum proùt contrà Iob. Quomodocunquè sit, insulsum est velle cum exercitu angelico beato assistente Deo iungere satanicum è cœlo eiectum Deo contrarium, & operibus suis aduersantem, & pœnas dantem, igneque ardentem, & contrà fideles Dei pugnantem: non enim est nobis colluctatio, &c. *Quid ergò dicemus?* cum in hoc fine cap. Apostolus loquatur de reprobatione Iudæorum, non videtur consistere quod dixi, Isaiam loqui pro Israele, idest, ad fauorem Iudæorum; sed distinguenda tempora, & concordabuntur Scripturæ. dicta hic ab Apostolo respiciunt tempus intermedium: ab Isaia, tempus nouissimum iudicio vniuersali propinquum. *Quid ergò dicemus?* eccè quod dico, *Quòd gentes, quæ non sectabantur iustitiam*, sed omni iniquitate maculatæ erãt suprà cap. 1. *apprehenderunt iustitiam: iustitiam autèm* non qualemcunque, sed *quæ ex fide est*, saluantem, iustificantem. *Israel verò sectando legem iustitiæ*, qua ducebatur ad iustitiam tamquàm à pedagogo, *in legem iustitiæ*, quæ ex fide est, *non peruenit*, & sic remansit infidelis. *Quarè* hoc in Israel? *Quia non ex fide* ambulauit, *sed quasi ex operibus*, quibus non iustificabatur: *offenderunt enim in lapidem offensionis*, & petram scandali; sic Luc. 2. in ruinam; idem lapis & petra, & is Christus, huiusmodi synonymis plena est Scriptura. Gen. 4. 23. occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum: de vnico enim occiso, non pluribus agebat; *sicùt scriptum est*: vt maiorem fidem dicta acquirant, probat ex Scriptura: *eccè pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur*, non credentes autèm confusi.



CAPVT X.

1 *FRATRES, voluntas quidèm cordis mei, & obsecra-*
2 *tio ad Deum, fit pro illis in salutem. * Testimonium enim*
perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non se-
3 *cundùm scientiam. * Ignorantes enim iustitiam Dei, &*
suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.
4 ** Finis enim legis, Christus, ad iustitiam omni creden-*
5 *ti. * Moyses enim scripsit, quoniàm iustitiam, quæ ex*
6 *lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. * Quæ autèm ex fide est iustitia, sic di-*
cit: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cælum? idest, Christum deducere:
7 ** Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare. * Sed*
8 *quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est ver-*

bum

bum fidei, quod prædicamus. * Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum,
9
10 & in corde tuo credideris quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Cor-
11 de enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem. * Dicit enim
12 Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur. * Non enim est di-
stinctio Iudæi, & Græci: nàm idem Dominus omnium, diues in omnes, qui
13 inuocant illum. * Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus
14 erit. * Quomodò ergò inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò cre-
15 dent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient sinè prædicante? * Quo-
modò vero prædicabunt nisi mittantur: sicùt scriptum est: Quàm speciosi pedes
16 euangelizantium pacem, euangelizantium bona! * Sed non omnes obediunt Euan-
17 gelio. Isaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro? * Ergò fides ex
18 auditu, auditus autem per verbum Christi. * Sed dico: Numquid non audie-
runt? Et quidèm in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ
19 verba eorum. * Sed dico: Numquid Israel non cognouit? Primus Moyses di-
cit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem,
20 in iram vos mittam. * Isaias autem audet, & dicit: Inuentus sum à non
21 quærentibus me: palàm apparui ijs, qui me non interrogabant. * Ad Israel au-
tèm dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & con-
tradicentem.



RATRES, *voluntas quidem cordis mei* prompta, & *obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem* à me: Hebræos reprehẽsurus ex charitate ostendit id præstare, non odio: ideò etiàm pro illis orantem se facit, & eos demulcet primis verbis, *Testimonium perhibeo, &c. Ignorantes enim, &c. Testimonium enim perhibeo illis quòd æmulationem Dei habent,* qua ipsi mouentur, *sed non secundùm scientiam,* veritatem, etenim decipiuntur. *Ignorantes enim iustitiam Dei,* quæ consistit in fide, vt suprà cap. præcedenti, *& suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti,* non iustificantur, remanent sinè fide ad iustificationem necessaria. *Iustitiam suam* dicit, quam ex lege præsumebant habere vi operum: ideò subdit: *Finis enim legis, Christus, ad iustitiam,* idest, ad iustificationem *omni credenti,* in cuius fide sola salus, & deindè, *Moyses enim &c finis legis Christi:* scopus enim legis dirigens omnia in illum, & de hoc scopo intelligit Apostolus, quia agit de fide per alios in Christum habenda, cum esset is scopus legis, non de contentis, aut consumptis in lege, aut per Christum perfectis, seu ad Christum spectantibus. *Moyses enim scripsit, quoniàm iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea.* Leuit. 26. *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit, &c.* differentiam ponit iustitiæ legis, & fidei, prima dat vitam in illa continente temporalia, hæc spiritualia quia Christum cõtinet. Non placet, *viuet in ea,* idest, morte non morietur ob multos casus in quibus mors pro pœna, nàm loquitur Apostolus positiuè de obseruantibus, non negatiuè de inobseruantibus: de præmio, non de pœna: & iterum Paulus ad Gal. 3. 12. dicit, viuet in illis: iucundabitur enim in bonis temporalibus à Deo promissis, vt Deut. 30. à quo desumitur, & Ezech. 20. pluriès, *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit. Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cælum? idest, Christum deducere: Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare,*


simili

simili phrasi. Baruch.3. 29. Abd.1.4. Verbis Moysis populum ad legis obseruantiam suadentis docet Paulus fidei iustitiam, remouendo obstacula, non est, inquit, necesse credenti, vt cælum petat Christum indè deducturus, non in abyssum Christum indè à mortuis reuocaturus, quæ duo diuina iàm facta, sed in tua est potestate,& facile quod agas, vndè subdit: *Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deus suscitauit illum à mortuis:* descendisse scilicèt, & à mortuis surrexisse, &c. quæ duo in fide consistunt, & ab Apostolis prædicabantur *saluus eris*. Et verba illa Moysis Deut. 30. 12. 14. non possunt trahi ad pœnitentiam, quia pœnitentia non est sub mandato, sed remedium non obseruantium mandatum; quandò ergò dicit, mandatum hoc, &c. intelligit de præceptis Dominicis non de remedio. Vtitur ergò Apostolus illis phrasibus, quas suo proposito accomodat, & sicùt tùnc populum in legis obseruantia continere debuerunt, ità nùnc ad Christi fidem erigere. Nequè possunt illa verba importare quæ dicit Apostolus de Christo: Moyses enìm profert illa clarè respectu mandati nō continentis quæ dicit Apostolus, sed legis obseruationem, non iustitiam fidei, de qua in ea phrasi nihil. Hinc tribuit Apostolus Moysi scripta de iustitia legali, at non scripta de iustitia fidei, sed iustitiammet introducit loquentem; quòd si vteretur Moysi verbis ad litteram, stylus nō erat ab ipso ad iustitiam conuertendus, sed standum in eodem Moyse, de quo præmiserat proximè. Accedit, si dicimus diuersam iustitiam legis à iustitia fidei, quomodò possumus nùnc dicere Moysen de iustitia fidei loqui, quem sempèr in tota hac epistola dictum est de iustitia legali verba facere? Vndè excluditur quòd Apostolus interpretetur eo loci loqui Moysen de iustitia fidei. Aliòquin cur Apostolus eniteretur auocare Hebræos à lege tamquàm non continente iustitiam fidei? esset hoc absurdum,& contrarium omnibus hucusquè dictis per eum. Insupèr si Apostolus dat normam,& regulam in credendo, *si confitearis, &c.* quæ non est in Moyse, quomodò dicimus Moysis inuentum, vel in Moyse comprehensum? At tantùm abest, vt loquatur ibi Moyses de fide, quæ consistit in non apparentibus, vt dicat in eis esse mandata iuxtà illos, in ore, corde, non ad credendum, sed vt faciant illa, quod non aptatur vllo modo iustitiæ fidei. *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum.* iàm venisse, *& in corde tuo credideris quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris;* sic 1. Io.4.2.& c.5.1.5.& 2.7. Iudas vers. 4. Cur resurrectio in corde? sub resurrectione vult omnia quę fidei sunt circà Christum cōprehendere; at difficilius,& magis cōprehensiuum in corde posuit explicitè quod tamèn implicitè in confessione comprehendatur: vtrūque enìm par est siuè *in ore*, siuè *in corde;* at ne quis proferret ore aliqua omittens difficilia, expressit, *in corde*, in veritate hæc credenda, prout ore proferūtur. *Corde enim creditur ad iustitiam*, idest, iustificationèm consequendam; sic, Abraham credidit Deo, &c. secundùm communem intellectum, qui tamèn non est illius loci, vt tenui: fide enim iustificamur gratis, illicò, ideò creditur indefinitè, nec stat sinè operatione fides, & in suspenso; & quia opera Dei sunt perfecta, fidem ergò infusam comitatur iustificatio prima gratiosa: *ore autē*, hominis ministerio cōcurrente, *confessio fit*, seù oratio: confiteor tibi Pater, seù inuocatio, seù bona opera *ad salutem* consequendam. non hìc de martyrio in specie, sed de bonis operibus, & alijs dictis in genere. *Dicit enim Scriptura: omnis qui credit in illum*, & illum inuocat, *non confundetur*, non reijcietur; sic 3.Reg.1.16.20. qui enìm à petitis excluduntur, pudefiunt. *Non enim est distinctio Iudæi, & Græci:* dixerat, *omnis*, ne ex hac vniuersali quis scandalizetur, subdit rationem hanc: *nàm idem Dominus omnium* hominum mundi, *diues*, largus *in omnes, qui inuocant illum. Omnis enìm quicumque inuocauerit nomen Domini* quisquis ille sit, *saluus erit*, exaudietur absquè distinctione. Vt autèm doceat quomodò ad hæc perueniri possit, quærit à seipso. *Quomodò ergò inuocabunt, in quem non crediderunt?* cum fides requiratur. *Aut quomodò credent ei,*

ei, quem non audierunt? etenim de omninò incognitis neque per auditum quæ fides? *quomodò autèm audient sinè prædicante?* sic Eunuchus cum Philippo. Act. 8. 31. *Quomodò verò prædicabunt nisi mittantur?* nàm nemo sibi assumere debet honorem, Heb. 5. & sic per gradus ostendit missionē euangelizantium, prędicationem verbi Christi, auditum, fidem, inuocationem requiri. *sicùt scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* ex hoc probat aliquos mitti, proùt Isa. 52. 7. & Nahum 1. 15. & intendit ad auditum allicere ex bonis, quæ nunciant, non aliud iudicio meo. Et Isaias, & Nahum ad demonstrandam celeritatem futurorum, quæ annunciabant, proferunt verba illa quasi annunciantem, & euangelizantem viderent, tùm vt spe proxima retineant, tùm vt alliciant audientes ex annunciandis, quæ pacem, & bona proferebant, & quia missos expectabant probatur dictum Apostoli missionem requiri, & credo hunc esse sensum litteralem illius loci. *Quàm speciosi pedes*, quàm pulchra actio, pedes pro actione in Cant. Zach. ad dirigendos pedes nostros in viam pacis; sic Enoch, Noe, coràm Deo ambulauit, bona operatus est, & pedes in Isaia, & Nahum, vndè desumitur, ponuntur loco citò euntium, apparentium, venientium, vndè benè ad actionem referuntur; sic Isa. 23. 7. ducent eam pedes sui ad peregrinandum; pedibus non designat Apostolos cum subdat *euangelizantium*, idest, Apostolorum, ergò pes quid aliud ab Apostolis. Neque pes hìc pro affectu; nàm cum dicat *speciosi*, intelligit de apparentibus, non de occultis. *Euangelizantium pacem*, reconciliamini Deo, pœnitentiam agite, qua placatur Deus, cum quo pax quæritur, *euangelizantium bona?* regnum cælorum, appropinquauit regnum cælorum. *Sed non omnes obediunt Euangelio, &c.* dixerat, *Quàm speciosi pedes, &c.* vndè consequens erat, vt omnes electi obedirent, & tamèn secùs dicit, & cur id fiat, explicat. *Sed non omnes obediunt Euangelio, &c.* putant aliqui hìc Apostolum loqui de Iudæis solis, alij de Gentilibus solis, alij de vtrisque, ego credo de Iudæis tãtùm, quod vt appareat, repetendum est. cap. 9. in fine Apostolum dixisse Gentes apprehendisse iustitiam fidei, Iudæos iustitiam quasi ex operibus; in hoc autèm cap. 10. aperto errore Iudæorum, & differentia iustitiæ ex lege, & ex fide, & quid velit iustitia fidei, subdit quomodò credendum, inuocandum, confitendum, hæc autèm omnia spectant ad Iudæos errantes. At quia dixerat in inuocatione salutem consistere, quærit *quomodò inuocabunt* vt saluentur, & facta graduatione subdit: *Quàm speciosi, &c.* quàm desiderabiles, quàm acceptabiles (proùt ò quàm pulchra est casta generatio cum claritate) *euangelizantium* salutem sub typo pacis, & bonorum, & nihilominus quomodò fit, quia *non omnes obediunt Euangelio*, adeò bono nuncio salutis? & respondet, nil mirum, quia *Isaias* (vtitur hoc loco Isaiæ pro se, & suo tempore, seù Apostolorum) *dicit* de Hebræis solis proùt & Io. 12. *Domine quis credidit auditui nostro?* ijs quæ à nobis audierunt, seù audiunt? quasi, rari, pauci: multi enim sunt vocati, pauci verò electi, & cùm non audierint, aures suas obturauerint, neque alia præmissa ad salutem in eis succedere potuerunt. *ergò fides ex auditu* nascitur, *auditus autèm per verbum Christi*, Euangelium prædicatum. *Sed dico: nunquid non audierunt?* verbum Christi scilicèt? *Et quidèm in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* Apostolorum, qui cæli dicuntur, quia per totam Iudæam disseminatus sermo, & per nationes; vndè verba, *non omnes obediunt*, sunt Pauli contrà Hebræos, non Hebræorum obijcientium contrà Gentiles, aut illos non æstimantium. Non obstant verba, *non est distinctio Iudæi, & Græci*: quia id ad docēdum Hebræos quoslibet saluari posse. Non obstant verba, *numquid Israel non cognouit?* quæ videntur innuere quòd in præcedentibus de Gentilibus, vel vtrisque fuerit sermo: nàm nominatio Israelis fit ad maiorem emphasim, & ad maiorem errorem denotandum, nempè Israel ille dilectus, cui credita eloquia Dei, &c. non autèm excluditur ex his, quin sermo præcedens non sit de eisdem, quem etiàm prosequitur in fin. cap. 11. in quo posteà & ad Gentes vocatas declinat vers. 11. *Sed dico: Numquid Israel*

non

non cognouit hoc verbum Dei? similis phrasis. Isai.40.21.28.& volens ostendere scientiam Israelis, subdit auctoritates, & probat Israelem inuidia extabuisse, & defecisse, quod magis firmat intellectum, quem præmisimus. Non ergò dicas, *non cognouit*, idest, vocationem Gentium: nàm loquitur de spectantibus ad Hebræos, sed ex actis pro Gentibus probat quomodò cognouit, at noluerit. *Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non Gentem*, Gentiles ij erant: *in gentem insipientem, in iram vos mittam*. Deus hoc fecit benefaciendo præputiatis; à Domino enim in ipsos Iudæos hoc faciendum, non ab ipsis Iudæis contrà præputiatos: indignamur enim, cum videmus nobis olìm adeò gratis alios præponi, & regna nobis promissa, vel per nos tenta nobis non dari, vel à nobis auferri, & alijs deferri, præsertim nobis odiosis, & eò magis colligitur ex subsequentibus verbis, *in iram vos mittam*, quasi, irascibimini proptèr hoc, nec sustinere poteritis, proùt ego (more humano loquitur) prouocatus sum à vobis ob conuersionem vestram ad idòla. Deut. 32. 21. Ex hoc Deus voluit elicere bonum, vt Iudæi æmularentur Gentes in eum adorando, & sequendo, & in hâc partem interpretatur Apostolus eod. cap.11. & 14. si quo modo ad æmulandum prouocem, &c. *Isaias autèm audet, & dicit: Inuentus sum à non quærentibus me*, qui erunt Gentiles: *palam apparui ijs, qui me non interrogabant*, sed idòla. *Ad Israel autèm dicit: Tota die expandi manus meas*, vt ad me congregarentur, *ad populum non credentem, & contradicentem* mihi, nolentem congregari: alibi, quotiès volui congregare filios tuos, proùt gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti, eccè, &c.




CAPVT XI.

1 *DICO ergò: Numquid Deus repulit populum suum?*
Absit. Nàm & ego Israelita sum ex semine Abra-
2 *ham, de tribu Beniamin: * Non repulit Deus plebem*
suam, quam præsciuit. An nescitis in Elia quid dicit
Scriptura: quemadmodum interpellat Deum aduersùm
3 *Israel? * Domine Prophetas tuos occiderùnt, altaria*
tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt
4 *animam meam. * Sed quid dicit illi diuinum respon-*
sum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua antè
5 *Baal. * Sic ergò & in hoc tempore reliquiæ secundùm electionem gratiæ saluæ*
6 *factæ sunt. * Si autèm gratia, iàm non ex operibus: aliòquin gratia iàm non*
7 *est gratia. * Quid ergò? quod quærebat Israel, hoc non est consecutus: electio*
8 *autèm consecuta est: cæteri verò excæcati sunt: * sicùt scriptum est: Dedit illis*
Deus spiritum compunctionis: oculos vt non videant, & aures vt non au-
9 *diant, vsquè in hodiernum diem. * Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum in la-*
10 *queum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. * Obscu-*
11 *rentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum sempèr incurua. * Dico ergò:*
Numquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est
12 *Gentibus vt illos æmulentur. * Quòd si delictum illorum diuitiæ sunt mundi,*

R & di-

13 *& diminutio eorum diuitiæ Gentium: quantò magìs plenitudo eorum?* * *Vobis*
enìm dico Gentibus: Quamdiù quidèm ego sum Gentium Apostolus, ministe-
14 *rium meum honorificabo,* * *si quomodò ad æmulandum prouocem carnem meam,*
15 *& saluos faciam aliquos ex illis.* * *Si enìm amissio eorum, reconciliatio est*
16 *mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?* * *Quòd si delibatio sancta est,*
17 *& massa: & si radix sancta, & rami.* * *Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt,*
tu autèm cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedi-
18 *nis oliuæ factus es,* * *noli gloriari aduersùs ramos. Quòd si gloriari: non tu ra-*
19 *dicem portas, sed radix te.* * *Dices ergo: Fracti sunt rami vt ego inserar.*
20 * *Benè: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autèm fide stas: noli altum sa-*
21 *pere, sed time.* * *Si enìm Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi*
22 *parcet.* * *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eos quidèm, qui cecide-*
runt, seueritatem: in te autèm bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alio-
23 *quin & tu excideris.* * *Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inse-*
24 *rentur: potens est enìm Deus iterum inserere illos. Nàm si tu ex naturali exci-*
sus es oleastro, & contrà naturam insertus es in bonam oliuam: quantò magìs
25 *ij, qui secundùm naturam, inserentur suæ oliuæ?* * *Nolo enìm vos ignorare*
fratres mysterium hoc: (vt non sitis vobisipsis sapientes) quia cæcitas ex par-
26 *te contigit in Israel, donèc plenitudo Gentium intraret,* * *& sic omnis Israel*
saluus fieret, sicùt scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat im-
27 *pietatem à Iacob.* * *Et hoc illis à me testamentum: cum abstulero peccata eo-*
28 *rum.* * *Secundùm Euangelium quidèm, inimici propter vos: secundùm ele-*
29 *ctionem autèm, charissimi propter patres.* * *Sinè pœnitentia enim sunt dona,*
30 *& vocatio Dei.* * *Sicùt enim aliquandò & vos non credidistis* Deo, *nunc au-*
31 *tem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum:* * *ità & isti*
nunc crediderunt in vestram misericordiam: & vt ipsi misericordiam conse-
32 *quantur.* * *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate: vt omnium miserea-*
33 *tur.* * *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ* Dei: *quàm incomprehensi-*
34 *bilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* * *Quis enim cognouit sensum*
35 Domini? *Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribue-*
36 *tur ei?* * *Quoniàm ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in*
secula. Amen.



DICO *ergò: Nunquid Deus repulit populum suum? Absit.* ad retinendos Hebræos, ne desperarent, & ex gentilitate conuersos nè despicerent, aut gloriarentur, docet non in vniuersum Hebræos repulsos, & quemquè ad salutem posse aspirare, & subdit ad maiorem confirmationem. *Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin* minima proùt dixit Saul, & tamèn, vult dicere, nedum conuersus, sed & ad ministerium maximum assumptus: *Non repulit Deus plebem suam*, populum suum Israeliticum in vniuersum, eam, *quam præsciuit*, seù prædestinauit. *An nescitis*

tis in Elia quid dicit Scriptura quemadmodum interpellat Deum *aduersùm Israel?* qui à Deo videbatur in totum alienus. *Domine prophetas tuos occiderunt* Israelitæ, *altaria tua* ad sacrificia deputata *suffuderunt*, destruxerunt: *& ego relictus sum solus* Propheta, *& quærunt animam meam*, quærunt me ad necem. *Sed quid dicit illi diuinum responsum?* deciperis Elia. *Reliqui mihi septem millia virorum*, sub his innumerabiles, *qui non curuauerunt genua antè Baal* idolum; non videtur ex hoc concludere Apostolus, nam erat verbùm Eliæ (*ego relictus sum solus*) errantis, at repulsa populi Hebræi est Dei non errantis. At quæ dicit Apostolus seruiunt hoc modo; primum euidentia, quia iàm aliqui Hebræi Christo adhærentes; secundùm, quia non solet Deus omnes pœnitùs repellere exemplo facti Eliæ. *Sic ergò & in hoc tempore* præsenti, quo versamur, *reliquiæ* aliquæ ex Israel *secundùm electionem gratiæ* Dei *saluæ factæ sunt*, non ex operibus, non ex lege non iustificante, ad plenum non deducente. *Si autèm gratia* hoc factum, *iàm* certum est *non ex operibus* contigisse: *aliòquin* si ex operibus *gratia*, quam dixi, *iam non est gratia*, malè sic diceretur. *Quid ergò* actum? *quod quærebat Israel* malè ab operibus, *hoc non est consecutus: electio autèm* ex gratia, ex parte Dei cuius facta infallibilia, *consecuta est*, habuit effectum in ijs, quos ipse elegerat: *cæteri verò excæcati sunt*, gratia destituti: *sicùt scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis*, quia permisit eos impingere in lapidem: *oculos, vt non videant*, sinè luce ignorantiam, *& aures, vt non audiant*, sinè auditu *vsquè in hodiernum diem*, sinè quo, & si non captiuetur intellectus, non potest ad fidem perueniri, si *vsquè in hodiernum diem*, vt & Deut. 29. 5. non ergò excludit, quin in futurum aliqui conuerti possint; *Et Dauid dicit* nō imprecans, sed futura præuidens: *Fiat mensa eorum*, idest, sacra Scriptura *in laqueum, & in captionem*, hæc synonima, *& in scandalum*, in quod impingant, *& in retributionem* malam *illis*, Israelitis, quia quidquid faciebat Israel, & quærebat, ex illa deducebat, malè eam interpretans, ideò rectiùs de illa verba hæc intelliguntur, quàm de alijs ad mentem Apostoli. *Obscurentur*, obscurabuntur *oculi eorum ne videant*, nec intelligant illam: *& dorsum eorum* contumax, & induratum *sempèr incurua*, eos affligens afflictione perpetua consummabuntur. *Dico ergò: Nunquid sic offenderunt vt caderent* nunquàm surrecturi? *Absit*, non; ex Ierem. 8. 4. nunquid qui cadit non resurget? *Sed illorum delicto, salus est Gentibus*, quidèm, at *vt* & ipsi Hebræi *illos* Gentiles *æmulentur*, ità vt gentes conuersæ sint illis causa æmulationis, & æmulatione hac aliqui Iudæorum salui fiant; sic suprà cap. 10. 19. & hic intellectus fouetur ex sequentibus. *Quòd si delictum illorum*, eorum infidelitas, *diuitiæ sunt mundi*, quia vocatus totus mundus, *& diminutio* abiectio *eorum diuitiæ Gentium* ad fidem tractarum: *quantò magis plenitudo eorum?* si conuerterentur omnes, vel maior pars ad diuitias mundi, & Gentium conferet? *Vobis enim dico Gentibus*, ego id cognoscens: *Quandiù quidèm ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum* mihi iniunctum *honorificabo*, non deero, satisfaciam, tamèn & quæram, *si quomodò ad æmulandum* vos credentes *prouocem* prædicatione mea *carnem meam*, Israelitas, *& saluos faciam aliquos ex illis*, sciebat non admittendam plenitudinem, sed paucitatem eorum, & vers. 13. cum seqq. *Quandiù quidèm ego sum Gentium Apostolus, si quomodò, &c.* vult dicere, eousquè, *ministerium meum honorificabo*, vt etiàm *prouocem ad æmulandum carnem meam*, & hoc pacto Iudæis, & Gentibus salutem impertiar. *Si enim amissio eorum*, perditio ex te Israel, *reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?* Hebræis enim exemplo Gentium prouocatis, Gentes exemplo Hebræorum commouebo: & sic Gentibus proderit assumptio eorum, *nisi vita ex mortuis?* non sunt hæc trahenda ad finem mundi, sed currentia tempora Pauli, cum ipse dicat accinctum se ad aliquos conuertendos, nec adhùc explicuerit quandò reliquiæ saluandæ, quod ad magnum mysterium reseruat infrà, cum plenitudo Gentium intrauerit. Vndè *nisi vita*, idest, viuificatio per fidem *ex mortuis*, ex iàm mortuis Gentilibus de quibus sæpè, ob infidelitatem, & sic se cooperatu-


rum docet conuersioni Gentium etiàm Iudæos conuertendo. Non possunt trahi verba, *nisi vita ex mortuis?* vita Hebræorum ex mortuis? quales nunc sunt, quia referuntur ad beneficium Gentium, non Iudæorum, *si amissio, reconciliatio, assumptio, vita mundi, &c. Quòd si delibatio* iàm conuersorum ex massa extracta ex Iudæis *sancta est, & massa*, ex qua alij trahentur, *sancta*, si vsquè adhùc ex illis conuersi sancti, *& massa sancta*, quod verificari potest in alijs conuertendis; sic dicitur, respicite ad petram, ex qua excisi estis: & ordine conuerso, *si radix sancta*, origo Iudæorum, *& rami* sancti quà conuertendi: non enim potest arbor bona malos fructus facere, & hinc infert, *si massa, radix, delibatio, rami* sancti, ergò non repulit eos Deus. Ideò rectè ego Paulus enitor ad æmulationem eos adducere, vt saluos faciam aliquos ex eis, & sic claudit os dicentibus, vel dicere valentibus, Paulum frustrà tempus terere in hoc; & iudicio meo ex hoc vers. vsquè ad finem cap. Apostolus vult probare aliquos ex Iudæis sempèr inserendos, donèc plenitudo in fine intret, quod ipse nitebatur, & nos experimur quotidiè videntes aliquorum conuersionem. Delibatio autèm differt à radice, nàm delibatio capitur de massa iàm facta, non radix, & proptereà delibatio non potest referri ad originem Iudæorum, & ad Patriarchas, qui constituerunt massam, seù à quibus massa cœpit, vndè delibatio capta, sed primitiæ Christianorum ex massa desumptæ, & hoc conuenit, quia de delibatione dixerat, nominans seipsum in principio capitis. At benè radix ad primos patres Abraham, &c. refertur, ex qua rami, & ideò Apostolus dixit, & de delibatione, & de radice, quia si de patribus tantùm intellexisset, sufficiebat adducere radicem. Vel sic, *si delibatio*, si primi Christiani, qui ex Hebræis eruti ex massa sancti, ergò massa sancta, *& si radix*, quæ & massa, *sancta*, ergò *& rami* inserendi, seù conuertendi sancti, ni mirum, si de eorum salute solicitus sum, & fortè is melior intellectus; *Quòd si aliqui ex ramis, &c.* vsquè ad vers. *volo enim*, hæc dicta ad gentes deprimendas, ne contrà Iudæos insurgerет. *Quòd si aliqui ex ramis*, ex Iudæis *fracti sunt* in infidelitate, *tu autèm* Gentilis *cùm oleaster esses* despectus, *insertus es in illis* ramis, *& socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es* Deo te vocante, *noli gloriari aduersùs ramos* derelictos. *Quòd si gloriaris, non tu radicem portas*, qui insertus es, *sed radix*, quæ erat Iudæi, *te* oleastrum insertum portat, malè ergò gloriaris contrà te portantem, & sustinentem. *Dices ergò* ad exclusionem dicti mei: *fracti sunt rami* Iudæorum, *vt ego inserar*, ideò nunc illos fractos non attendo, *Benè*, respondet Paulus: *Propter incredulitatem fracti sunt. Tu autèm* insertus *fide stas: noli altum sapere*, noli gloriari, *sed time*, humiliare, caue, quasi, idem posset tibi contingere quod illis. *Si enim Deus naturalibus ramis*, qui erant Hebræi, *non pepercit: ne fortè nec tibi parcat*, maximè dum illos contemnis: punit enim in quo deliquimus, *Vide*, considera *ergò bonitatem*, longanimitatem, *& seueritatem Dei: in eos quidèm, qui ceciderunt* ex Hebræis, *seueritatem: in te autèm* vocato *bonitatem*, misericordiam, benignitatem *Dei, si permanseris in bonitate;* perseuerantia enim vsquè in finem necessaria, *aliòquin, & tu* tamquàm ramus inutilis *excidèris*, frangèris. *Sed & illi* ex Hebræis, *si non permanserint in incredulitate, inserentur* in pristinam oliuam, recipientur à Domino misericorde; *potens est enim Deus iterùm inserere illos:* recipit enim omnes ad se venientes, &c. *Nàm si tu*, qui *ex naturali excisus es oleastro, & contrà naturam* oleastri *insertus es in bonam oliuam: quantò magis ij, qui secundùm naturam, inserentur suæ oliuæ?* in habentibus enim symbolum facilior est transitus. *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc*, Sacramentum hoc absconditum (*vt non sitis vobis ipsis sapientes* ne secundùm sapientiam vestram iudicetis) *quia cæcitas ex parte* non in totum *contigit in Israel, donèc plenitudo Gentium intraret*, vsquequò Gentes intrent, *& sic* posteà in fine mundi *omnis Israel saluus fieret, sicùt scriptum est: Veniet ex Sion*, Ierusalem, seù Ecclesia, *qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob: Et hoc illis à me testamentum*, pactum: *cùm abstulero peccata eorum*. Hinc collige intellectum datum suprà cap. 9. de verbo breuiato

to bonum, & retinendum, quia plenitudo Gentium non intrabit nisi nouissimo tempore, & sicùt plenitudo Gentium intrabit, sic posteà plenitudo Iudæorum suprà cap. 9. vers. 27. Non potest autèm hic locus trahi ad alia tempora, quia quomodò alijs temporibus omnis Israel saluus fiet? volumusne radicem hanc deficere, & minimè reperiri tempore Enoch,& Eliæ,& Antichristi?quod esset contrà scripturam, & de singulis in paruo numero conuertendis satis suprà egit Apostolus; at nunc de plenitudine, vltrà ea, quæ hìc per alios; exceptio autèm tribus Dan,non placet,ità vt nullus ex ea conuertendus: nec facit quia in Apocal. intèr centum quadraginta quattuor millia nullus ex ea numeretur ex his, quæ ibì dixi. Veniet Elias ex Sion, qui sua prædicatione eripiat, & auertat impietatem à Iacob, à populo Israelitico. Eccles.48. & Malach.4. At verba Isaiæ. cap.59.19. vndè desumit Apostolus, quæ sunt. Et timebunt qui ab Occidente,nomen Domini: & qui ab ortu solis, gloriam eius: cum venerit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit, sic interpretarer. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, & timebunt,quasi, totus orbis timebit,& sic fiet vnum ouile, & vnus pastor, hoc autèm erit cum venerit quasi fluuius violentus,quem spiritus,ventus Domini cogit in vnum, vel Antichristus: vel designatur tempus Iudicij proximum: vel potiùs Elias zelo æstuans, & sic descriptus. Eccles. 48. & is verior intellectus iuxtà mentem Apostoli lòquentis de conuersuro Israel: & venerit Sion, datiuo, redemptor; vel is Elias operaturus sua prædicatione salutem populi,quod seruiret ad maiorem declarationem præcedentium, si de Elia interpretari velimus. Vel redemptio à Domino, qui redimet Israel ab omnibus iniquitatibus suis, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, pœnitentibus, & ad Dominum conuersis, dicit Dominus,hoc fœdus meum, pactum meum, & sic verba Pauli, *cum abstulero peccata eorum*, non sunt ab eo addita, sed in Isaia reperiuntur,ibì redemptor, & ibì qui redeunt ab iniquitate: quis enim dubitat hoc fieri à Deo? *Et hoc illis à me testamentum*,idest, pactum, promissio, fœdus. Isa.59. 21. donum, misericordia, & propterea subdit, *sinè pœnitentia enim sunt dona,&c.*& addit qualitatem, *cum abstulero peccata eorum*, quod erit in tempore nouissimo, vt dixi; non autèm, *testamentum*, idest, nouum, non vetus: non enim aptatur. *Secundùm Euangelium quidèm inimici proptèr vos. Secundùm electionem autèm, charissimi proptèr patres. Secundùm Eungelium quidèm*, cui non credunt, *inimici* Deo Hebræi, *proptèr vos* inserendos consecutiuè; ijdem verò *charissimi*, qui credituri, vel nunc credunt *secundùm elctionem*, & sic indiuidui, seù seminis habetur respectus *proptèr patres*,quos Deus adeò dilexit, vt semen, & lucernam relinquere decreuerit. Inimicitia igitur, & charitas est respectu præscitorum, vel prædestinatorum. *Sinè pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei*;fiet itaquè iuxtà electionem, seù prædestinationem Dei; nec existimetis Deum mutasse sententiam ex eo quòd nunc charitas non apparet, quia manifestabitur certè in fine,cum plenitudo Gentium intrauerit, & fortè dixit, *proptèr patres*, ne incredulitate extantium pœnitentia in Deo adstrueretur; sed probat quod dixit exemplo Gentium. *Sicut enim aliquandò & vos non credidistis Deo*: fuistis enim & vos aliquandò tenebræ,*nunc autèm misericordiam consecuti estis*, & facti estis lux in Domino *proptèr incredulitatem illorum: ità & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam*, quæ scilicèt vobis facta est à Deo ob fidem, quam ipsi reiecerunt, *vt & consequentèr ipsi misericordiam consequantur*, cum facti fuerint fideles, proùt vos. Vel, *sicut enim aliquandò & vos* Gentiles *non credidistis Deo*, dum Hebræi crederent, & reputastis eos non benè credere, & Hebræi non putabant vos inserendos; *nunc autèm* vos credentes *misericordiam cõsequuti estis proptèr incredulitatem illorum*, illis non credentibus: *ità & isti Hebræi nunc non crediderunt in vestram misericordiam*, quæ facta est in vobis à Deo: vt crederetis, vt sic increduli (cum omnia in incredulitate concluserit Deus) *& ipsi misericordiam consequantur*, proùt vos, & tùnc fiet vnum ouile,& vnus pastor. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate* tàm in illis, quàm in

vobis: *vt omnium* tandèm *misereatur*, & omnia à sua misericordia recognoscantur. *O altitudo diuitiarum* infinitarum *sapientiæ, & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt* nobis *iudicia eius, & inuestigabiles*, non vestigabiles *viæ eius!* non enim viæ meæ, viæ vestræ, &c. dicit Dominus. *Quis enim cognouit sensum Domini?* quò Dominus tendat? quid ipse velit lux inaccessibilis? *Aut quis consiliarius eius fuit?* cum omnia ex se scrutetur? *Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* quasi, ab obnoxio Deo? eccè prædestinatio ex mera gratia; & Iob. 41: quis antè dedit mihi, vt reddam ei? omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, ab ipso omnia procedunt, in ipso omnia recondita, per ipsum omnia facta, & conseruantur: *ipsi gloria in sæcula:* glorificatur enim in omnibus ab eo dispositis. *Amen.* Magnitudinem mysterij, quam verbis, & argumentis ostendit, hac exclamatione comprobat, qua quisque terreatur, humilietur, & in Deum omnia referat, nihil sibi arrogans.



CAPVT XII.



1 *BSECRO itaquè vos fratres per misericordiam* Dei,
vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo *placentem, rationabile obsequium vestrum.*
2 ** Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in*
nouitate sensus vestri: vt probetis quæ sit voluntas Dei
3 *bona, & beneplacens, & perfecta. * Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt intèr vos:*
Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & vnicuique
4 *sicùt Deus diuisit mensuram fidei. * Sicùt enim in vno corpore multa membra*
5 *habemus, omnia autèm membra non eundem actum habent: * ità multi vnum*
6 *corpus sumus in Christo, singuli autèm alter alterius membra. * Habentes autèm donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes: siuè prophe-*
7 *tiam secundùm rationem fidei, * siuè ministerium in ministrando, siuè qui do-*
8 *cet in doctrina, * qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui*
9 *præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate. * Dilectio sinè simulatione.*
10 *Odientes malum, adhærentes bono: * Charitate fraternitatis inuicèm diligentes:*
11 *Honore inuicèm præuenientes. * Solicitudine non pigri: Spiritu feruentes: Do-*
12 *mino seruientes: * Spe gaudentes: In tribulatione patientes: Orationi instantes:*
13 ** Necessitatibus sanctorum communicantes: Hospitalitatem sectantes. * Bene-*
14 *dicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. * Gaudere cum gau-*
15 *dentibus, flere cum flentibus: * Idipsum inuicèm sentientes: Non alta sapien-*
16 *tes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: * Nul-*
17 *li malum pro malo reddentes: prouidentes bona non tantùm coràm Deo, sed*
18 *etiàm coràm omnibus hominibus. * Si fieri potest, quod ex vobis est, cum om-*
19 *nibus hominibus pacem habentes: * Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed*
date locum iræ, scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Do-
mi-

20 *minus.* * *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc*
21 *enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* * *Noli vinci à malo, sed*
vince in bono malum.



BSECRO itaquè vos fratres per misericordiam Dei, quam in vobis conuertendis exercuit, *vt exhibeatis corpora vestra*, infert ad exhortationem conformem omnibus præmissis, continentéquè eos in suo statu, & gradu, & alia varia edocentem, & omnia ad pacem, & concordiam, & dilectionem, vt concludit. cap. 13. 8. 9. 10. quæ omnia credo in vniuersum, & ad omnes loqui, tùm quia dicit, *omnibus, qui sunt intèr vos: & vnicuique* vers. 3. tùm ex ratione: sicùt enim vers. 4. non strictè ad functiones Ecclesiasticas habentes: Romæ enim tùnc fortè non aderant hi ordines Ecclesiastici, & distincta ministeria, quæ vix, & fortè non in Ierusalem, & non cumulat in diaconibus exempli causa multa vnita, sed ad singulos singula applicat, qui tribuit, &c. & si ad diaconos, dixisset, (distribuit) non ad diaconos, (*qui præest*) cum alij eis essent superiores Presbyteri, Episcopi. Insupèr loquitur de diaconibus secundùm gratiam, non de functionibus. Non est etiàm propositum Apostoli differere de spectantibus ad ordines Ecclesiasticos, sed ad pacem conciliandam intèr conuersos ex circuncisione, & præputio. Et si loqueretur de spectantibus ad ordines Ecclesiasticos, præciperet, non obsecraret, & Apostolus in princip. 10. c. obsecrat omnes ob magnum beneficium vocationis præcedens, vt exhibeant corpora, &c. quomodò autèm id faciant, prosequitur docere. *Hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum: hostiam*, quod est abnegare se ipsum, & tollere crucem, & sequi Christum, exhibeatis vos totos Deo proùt hostia Deo oblata, vt infrà cap. 15. 16. ideò *sanctam:* oblatum enim Deo sanctum Deo dicitur; *viuentem*, operantem, non mortuam, proùt in sacrificijs legis. *Deo placentem*, in odorem suauitatis Deo, vt hostia placens Abelis, Noe; sic infrà cap. 13. 14. induimini Dominum Iesum Christum. *rationabile obsequium vestrum* cultum, seruitium, obedientiam, non more pecudum, sed hominum ratione vtentium: ideò, *& nolite conformari huic sæculo*, more equorum, & mulorum viuentes, *sed reformamini in nouitate sensus vestri*, & sitis toti spirituales: *vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*, & sic Dei toti sitis, ad quæ obtinenda proponit humilitatem. *Dico enim* vobis *per gratiam, quæ data est mihi* Apostolatus. cap. 1. *omnibus qui sunt intèr vos:* (excipio neminem.) *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* iuxtà officium suum, ne labamini: & *vnicuique* dico *sicùt Deus diuisit mensuram fidei*, sic sapiat: nàm varia sunt dona Spiritus sancti. 1. Cor. 12. 17. Ephes. 4. 7. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autèm membra non eundem actum*, actionem *habent*, sed diuersam ad totum corpus seruientem: *ita multi*, omnes *vnum corpus sumus in Christo, singuli autèm altèr alterius membra*, non ergò singuli corpus vt in vno omnia collecta. *Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis* à Deo gratuitas *differentes: siuè prophetiam secundùm rationem*, seù propositionem *fidei*, non vltrà, *siuè ministerium in ministrando*, ità vt quod agis agas, *siuè qui docet in doctrina* disseminanda, *qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate* absquè alia consideratione, *qui præest* alijs *in solicitudine*, subditos accuratè gubernans, *qui miseretur in bilaritate:* Hilarem enim datorem diligit Deus, & hoc non officij, sed affectus est tribuentis; & deindè ponit ordinem, *habentes autèm donationes, &c.* si enim non seruat quisque locum suum, confunditur ordo, imminuitur charitas; deindè prosequitur singula ad spiritus nouitatem conducentia. *Dilectio* ergà proximum *sinè simulatione:* non hìc de Dei dilectione, quæ non recipit hanc de-

declarationem, cum nuda, & aperta ſit voluntas hominis Deo, quæ non apparet hominibus, ſed ſimulatio facilè colligitur in dilectione proximi, ſi non opere, & veritate exerceatur. Vltrà quòd hìc omnia ad proximum, nihil ad Deum: imò in ſeqq. explicat quomodò hæc ſinè ſimulatione; & verba, ***odientes malum, &c.*** reſpiciunt proximum, non Deum; & quandò de Deo, explicitè loquitur, ***Domino ſeruientes***; de Deo præmiſerat, ***exhibeatis, &c. hoſtiam Deo placentem***, quod reſpicit dilectionem in Deum. ***Dilectio ſinè ſimulatione***, vt in Samaritano, qui opere, & veritate fecit, & Dauid cum ſeruo Aegyptio. Non poteſt trahi ad Agapen, quia nec verbum, ***dilectio***, nec, ***ſinè ſimulatione***, conuiuanti aptantur, ſed de ſuo elargienti; & quia ſuprà dixit, ***miniſterium in miniſtrando, qui tribuit in ſimplicitate, qui miſeretur in hilaritate,*** quod in idem recideret, & quia eſt præpoſitio vniuerſalis, ***dilectio, &c.*** non arctanda ad Agapen, & quia ſicùt de dilectione prælocutus, ità ſubdit de odio in genere, ***odientes malum, &c.*** & multa alia vniuerſalia, quæ à dilectione orditus eſt, intèr quæ etiàm illud excludens: ***Neceſſitatibus ſanctorum communicantes: Hoſpitalitatem ſectantes; ſi eſurierit, &c.*** & ſi hìc de Agape, coniunxiſſet quod infrà cap. 13. non in commeſſationibus, &c. eſt enìm vna ſtructura. Minus faciunt verba, ***charitate fraternitatis, &c.*** quia quam dixerat dilectionem puram, odio liberam, eandem vult eſſe fraternam, & mutuam, ideò quomodò hæc ad Agapen? imò ferè omnia ſubiuncta ab Apoſtolo ſeruiunt primæ propoſitioni dilectionis, vt abſonus ſit intellectus Agapes, quæ non requirit tanta, proùt: honore inuicèm præuenientes, & ferè omnia; vt dixi: ***Odientes malum, adhærentes bono***, in his duobus perfectio: ***Charitate fraternitatis inuicèm diligentes***, dilectio protendatur vſquè ad amorem fraternum. ***Honore inuicèm præuenientes,*** elationem tollit: ***Solicitudine*** vtentes, ***non pigri***; piger enìm ad nihil valet: ***Spiritu feruentes:*** hi enìm ad omnia ſuperanda apti: ***Domino,*** cui omnia debemus, ***ſeruientes, ſpe gaudentes*** reſpicientes in æternam remunerationem: ***In tribulatione patientes***, expectantes à Domino retributionem: hæc enim grata Deo; eſt propoſitio de per ſe nulli alij reſtricta, proùt alia, quæ ſequuntur: ***Orationi inſtantes: Neceſſitatibus ſanctorum,*** Chriſtianorum ***communicantes***, non memorijs, quia nullæ adhùc memoriæ extabant; vel quid communicandum illis? orandum dixiſſet. Fauet quod ſequitur: ***Hoſpitalitatem ſectantes:*** ob hanc enìm multi latuerunt. ***Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere***; ſic & Chriſtus docuit: ***Gaudere cum gaudentibus,*** vt fiat maius gaudium, ***flere cum flentibus,*** vt conſolentur: ***Idipſum inuicèm ſentientes***, vt pax magìs ſeruetur ex animorum vnanimitate: ***Non alta ſapientes***, ne à gloria opprimamini, ***ſed humilibus conſentientes,*** quia ſic non errabitis: ***Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos,*** quod ſapit ſuperbiam, ſed omnia Deo: ***Nulli malum pro malo reddentes***, quod eſt perfectorum: ***prouidentes bona non tantùm coràm Deo***, qui omnia videt, ***ſed etiàm coràm omnibus hominibus*** apparentia, non ad gloriam ab eis aucupandam, ſed ad illos exemplo inuitandos. ***Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes:*** hæc enìm manifeſtos facit Dei Filios. coniunguntur vt in editione Romana: ***Non voſmetipſos defendentes***, vindicantes, ***chariſſimi, ſed date locum iræ***, non reſiſtere malo. Matt. 5. 39. Domino remittentes. Eccleſ. 28. 1. ideò ſubdit. *Scriptum eſt enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus*. Deut. 32. 35. mea eſt vltio, & ego retribuam eis, quod & ad Hebr. 10. 30. At meliùs date locum iræ iniuriantis, fugite, recedite: declarat enìm, ſeù amplificat quod præcedit; ***Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed, &c.*** cum autèm in præcedenti de iniuria proximi, in ſequenti de eiuſdem proximi ira, non Dei, de quo nihil præcedit. Et ſi de ira Dei loqueretur, non dixiſſet, ***date locum iræ,*** ſed, remittite Domino. Nec dicatur, eccè ſubdit. ***Mihi vindicta, &c.*** nàm hoc meliùs ſubſequitur, ſi detur locus iræ proximi, quàm Dei: vult enim dicere, da locum iræ, ne te vindices: non enìm debes aſſumere quod Dei eſt, & ſicùt non eſt quærenda ira Dei contrà proximum, ſic nec videtur poſſe dici, ***date locum iræ*** Dei, ſed orandum pro proximo,

mo, sed reuelando causa sua Deo. Ierem. 11. 20. vndè Paulus non potuit hoc intendisse, imò subdit, *Sed si esurierit inimicus tuus ciba illum; si sitit, potum da illi*; & Christus; orate pro calumniantibus, & persequentibus vos; & suprà Paulus, *benedicite, & nolite maledicere, nulli malum pro malo reddentes*, sed dimittendum proximo, vt nobis dimittatur. Matth. 6. 14. 18. 33. Marc. 11. 25. 26. sic intellige, Ecclesi. 28. 1. Sic verba illa. Matth. 5. 40. si quis te percusserit, &c. non intelliguntur vt de facto porrigatur alia maxilla, quia prouocaremus proximum ad malum, sed vt simus parati, si oportuerit, &c. quomodò ergò vult optari iram Dei, vel dari locum eius iræ in proximum? Nec dicas. Ierem. 11. 20. & 20. 12. optare vindictam, dum dicit, videam vltionem tuam ex eis, nàm non sunt optantis, sed prophetantis verba, scientis mala supèr eos ventura, quæ ibi subsequitur, approbantis factum Dei, & sic intelligenda loca Scripturæ, in quibus videtur à sanctis optari, vel peti à Domino vindictam. Non obstant subiuncta verba, *mihi vindicta, &c.* nàm si des locum iræ proximi, si reueles causam tuam Deo, abstines te ab eo, quod Dei est, à vindicta, quæ remanet Deo; sed, *si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi*: non enim dilectio consistit in verbis, sed in factis, vt ex Ioanne. Filioli non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate: *hoc enim faciens, carbones ignis congeres supèr caput eius*, hoc bonum facies, quia superabis inimicum tuum hisce egregijs operibus, ità vt confusus, & accensus ad te amandum recurrat, non autem intelligas, cumulabis supèr eum pœnas, quod non liceret facere, aut intendere. Qui enim vindictam vult, quærit à Domino, inueniet vindictam contrà eum, & peccata illius seruans seruabit. Eccles. 28. 1. nec dixisset, aut docuisset Apostolus in hoc sensu, cum scriptum sit: orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Nec potest defendi opinio ex deductis per recentiores, quia etsi liceret optare vindictam, & eam petere, conformando intentionem nostram cum diuina, non tamèn absquè peccato possumus de industria quidquam operari, quod inducat inimicum ad maiorem pœnam, prout operaremur; si hac voluntate benefaceremus ei, vt carbones igniti supèr eum congererentur ad pœnam, quod nec dixisset, nec docuisset vnquàm Apostolus ad malum. Vlteriùs considero, verba, *congeres carbones, &c.* referuntur ad benefacientem, at cibo, & potu malum non præstatur, sed bonum, ergò in bonam partem intelligit Apostolus; est hoc prout illud sapientis: Mollis responsio frangit iram, ità beneficio vincitur inimicus, & in hoc sensu capienda verba Pauli desumpta. Prouerb. 25. 21. vbi adduntur verba: & Dominus reddet tibi, quæ reddunt rem claram, vt dixi; nàm Dominus non redderet, non remuneraret, si malo animo fieret, vt is maiores pœnas subiret. Quod est contrà eos, qui putant iustè, rectèq; moueri ad sæuiendum contrà proprias vxores, seu propinquas eis suspectas, vel luxuriosè agentes, quarum animas cum corporibus impiè iugulant improuisa morte; nulla enim lege nituntur, imò quauis destituuntur, non diuina, qua nemini licet vltio soli Deo reseruata; non humana, quà Iudices vult adiri; non ciuili à canonibus abrogata; non mundi, cùm lex impia duelli imparibus armis munitum aggredientem infamia notet; & quæ minùs armata mulier imbellis, & armis inepta? non vlla lege charitatis, qua vinciuntur, cum sint vna caro, si viri; si propinqui, propinquitate, & deberent esse contenti pœnis legum, & canonum, qui tanta adinuenerunt, imò satius esset omnia ardore charitatis condonare, prout Ioseph volebat cogitans occultè dimittere eam; Vndè sempèr exhorrui viros irruentes armis in mulieres suas, & optarem è mundo virus hoc eijci, & vellem contrà hos gladium principum, quorum maiestas læditur, dum audent hi sibi ipsis ius dicere priuata auctoritate, & subuertunt more Pharisæorum mandata Dei proptèr traditiones impias hominum: leges enim populorum vanæ sunt. Ierem. 10. 3. & prædicatores omnes in vitium insurgere, vt penitùs aboleretur, & extirparetur, prudentèr admonentes mulieres, vt à similibus caueant contrà fidem matrimonij, quam seruare tenentur, & viros, quàm de facili decipi possint, exemplis Scripturæ, maximè Susannæ, & Thamar. Et

quia

quia à dæmone obcœcati putant hæc licere, & honorem aereum vindicare actu impio, & damnato, cum sufficiat solus dissensus, & quàm facilè perdatur sapientia sapientium, & prudentia prudentium reprobetur à Domino: prudētia enim carnis mors est. *Noli vinci à malo*, ab iniuria tibi illata, qua ad malum traheris, *sed vince malum* iniuriæ *in bono* quod rependere te debere monui.



CAPVT XIII.




1 *OMNIS anima potestatibus sublimioribus subdita sit:*
Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à
2 *Deo ordinatæ sunt. * Itaquè qui resistit potestati, Dei*
ordinationi resistit. Qui autèm resistunt, ipsi sibi dam-
3 *nationem acquirunt: * nàm Principes non sunt timori*
boni operis, sed mali. Vis autèm non timere potestatem?
4 *Bonum fac: & habebis laudem ex illa: * Dei enìm mi-*
nister est tibi in bonum. Si autèm malum feceris, time: non enim sinè causa
gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit.
5 ** Ideò necessitate subditi estote non solùm proptèr iram, sed etiàm proptèr con-*
6 *scientiam. * Ideò enim & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc*
7 *ipsum seruientes. * Reddite ergò omnibus debita: cui tributum, tributum: cui*
8 *vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. * Nemi-*
ni quidquam debeatis: nisi vt inuicèm diligatis: qui enim diligit proximum, le-
9 *gem impleuit. * Nàm: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non*
falsum testimonium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum,
10 *in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicùt teipsum. * Dilectio pro-*
11 *ximi malum non operatur. Plenitudo ergò legis est dilectio. * Et hoc scientes*
tempus: quia hora est iàm nos de somno surgere. Nunc enim proprior est nostra
12 *salus, quàm cum credidimus. * Nox præcessit, dies autèm appropinquauit.*
13 *Abijciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis. * Sicùt in die ho-*
nestè ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, &
14 *impudicitijs, non in contentione, & æmulatione: * sed induimini Dominum Ie-*
sum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs.



OMNIS anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enìm potestas nisi à Deo: quæ autèm sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaquè qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, prosequitur Apostolus loqui quæ ad pacem conseruandam tendunt, prout debita subiectio; loquitur de potestate sæculari clarè: quomodò enìm de Ecclesiastica nondum ad executionem adducta, & mundo incognita? & sermo est de cognitis, & frequentibus, & loquitur de exactione tributorum, quæ non applicatur Eccle-

Ecclesiasticis. Rationes autèm Pauli ad Ecclesiasticam aptantur; imò tantò magis, quantò Ecclesiastica à Christo instituta, qui constituit Petrum, & successores Ecclesiæ suæ rectores, & hæc præsit sæculari: sæcularis verò mediatè à Deo, à quo omnis potestas, per homines, seù populum instinctu legis naturæ à Deo indito sibi rectores præficientes, & hæc subest Ecclesiasticæ; Non tamèn Paulus sub generalitate comprehendit personas, & res Ecclesiasticas: hæc enim exempta à Deo, vt in Scriptura antiqua, & lege; & exemptionem seruarunt etiàm Ethnici, Pharao sub Ioseph, & Persæ tempore Esdræ. Vndè non censetur has inclusisse Apostolus in sermone generali, sed tantùm personas laicas, & res temporales. Et pro clericis intelligo Augustinum lib. 1. qq. Euang. quæst. 23. dicit enim, in quolibet regno liberos esse regni filios, sed multò magis liberi esse debent in quolibet regno terreno (quale illud sit) filij regni ipsius, idest, Ecclesiæ, & hi sunt clerici, sub quo regno Ecclesiæ sunt omnia regna terræ sæcularia iuxtà Danielem, & veritatem: Non enim loquitur Augustinus de Filio Dei, vel mysticè, cum dicat non esse vectigales, & ad spiritualitatem verba eius non possunt accommodari, præsertim cum ad sensum textus, & Christi, qui de tributo terreno loquebatur, sint eius verba referenda; sed vide in Epist. 1. ad Cor. & in Euangelijs supèr solutione tributi. ***Qui autèm resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*** temporalem, & æternam, eundo contrà vetitum; de prima nulli dubium, quia clara sunt verba; de secunda ibi, ***sed etiàm proptèr conscientiam:*** & ne hæc obedientia ad bonum videatur dura, subdit ex eadem obedientia & tributa præstari, & Principes ipsos seruire in hoc Domino, cui omnis obedientia debita: ***Nàm Principes non sunt timori boni operis*** faciendi, sed mali operis perpetrandi; vndè vult dicere, non debemus eorum ordinationi resistere. ***Vis autèm non timere potestatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa*** potestate: ***Dei enim minister est tibi in bonum***, vt illo mediante ad bonum ducaris. ***Si autèm malum feceris, time***, proùt Moyses timens Pharaonem quandò aufugit: ***non enim sinè causa gladium portat***, sed ad impiorum punitionem. ***Dei enim minister est: vindex in iram***, pœnam irrogandam ***ei, qui malum agit***, & malum agendo sic meruit. ***Ideò necessitate subditi estote non solùm proptèr iram***, ob pœnam, quam infert, ***sed etiam proptèr conscientiam***, quia à Deo est: ***Ideò enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum***, quod dixi, ***seruientes*** Deo. ***Reddite ergò omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*** Epilogat quæ dixerat sparsìm, & nihil determinat, seù applicat, sed indefinitè loquitur; sic & Christus: reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari; quæ sunt Dei Deo, & dixi in Euangelijs. ***Nemini quidquam debeatis nisi vt inuicèm diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nàm: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum*** secundæ tabulæ respiciens proximum, ***in hoc verbo instauratur***, repilogatur: ***Diliges proximum tuum sicùt te ipsum:*** sicùt enim præmissa contrà te non operarere, sic nequè contrà proximum, si illum sicùt teipsum diliges, & hoc descendit ab alio, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. ***Dilectio proximi*** sicùt sui ipsius ***malum non operatur***, quia sicùt tibi, ità nec illi malum voles. ***Plenitudo ergò legis***, omnia legis comprehendens, ***est dilectio***. Cum concludat omnia in dilectione, quæcunque præmisit, ad eam spectant: diligendo enim proximum sicùt nosipsos, omnia præmissa adimplebimus: nàm quidquid nobis voluerimus, idem proximo nostro, siuè minori, siuè pari, siuè sublimiori (de sublimioribus locutus est ad eandem pacem stabiliendam) volemus. Sed aduerte ad verba. ***Qui enim diligit proximum, legem impleuit;*** nàm intelligenda in his, quæ ad proximum spectant tantùm; ideò sicùt suprà de proximo, sic infrà adducit omnia ad proximum respicientia comprehensa in secunda tabula: non enim est verisimile sub proximi dilectione velle Deum comprehendere, nempè principale sub accessorio, Dominum sub seruo, maximum mandatum sub minori; eò magis quia infirmius est argumentum à dilectione pro-

proximi ad Deum, quàm è contrà, vt ex Ioanne dicente, qui proximum non diligit, quem videt, quomodò Deum, quem non videt, diligit? 1. Ioan.4.20. Esto, non potest diligi proximus nisi ordine ad Deum, non tamèn infertur, principale mandatum sub inuolucro minoris Apostolum voluisse comprehendere, quòd si voluisset, dixisset potiùs, *qui diligit* Deum, *legem impleuit*, in qua dilectione largiùs, & clariùs omnia comprehenduntur. 1. Ioan.4.20. Nec est verisimile, Apostolum indistinctè sub vno, & minori voluisse duo mandata comprehendere, cum distinctè de his Christus, in his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. Matth.22.37. Mar.12.28. Luc.10.27. & ità intelligerem quod dicit Apostolus. Gal. 5. 14. per charitatem spiritus seruite inuicèm: omnis enim lex in vno sermone impletur: diliges proximum tuum sicùt te ipsum, nempè omnem legem versantem circà proximos: neque enim ex præcedentibus, aut subsequentibus apparet ibi verba fieri de concernentibus Deum, seù primum mandatum, de quo aliàs agit de per se. Contrà tamèn præmissa facit, quia Christus interrogatus, quid faciendo vitam æternam possidebo? respondit de mandatis spectantibus ad proximum tantùm. Matth.19. 16. Marc.10. 16. Luc. 18. 18. Sed ibi interrogatur Dominus de operibus faciendis ad vitam æternam assequendam, & præsupponit primum Deum immediatè respiciens, quia & in vno deficiens, factus est omnium reus, adeò connexa omnia mandata; quandò verò de mandatis interrogatur, distinguit, vt suprà intèr primum mandatum, & maximum, & alia. *Et hoc scientes tempus: quia hora est iàm nos de somno surgere*; sic Christus vigilandum monet. *Nunc enim propior*, facilior, tutior *est nostra salus*, cum Christus venerit, & pro nobis vitam posuerit, *quàm* tùnc *cum credidimus* salutem hanc venturam. à vicinitate præmij allicit, non hìc sermo de iudicio, non hìc à tempore fidei vsquè ad diem hanc, cum sempèr idem à die passionis Christi. *Nox præcessit* legis, qua difficilè operabamur ea non adiuti: onus enim erat, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus, *dies autèm appropinquauit*, gratia, Christo nobis apparente, qua quisque operari potest de facili, idem Christus suadebat. Vel, *Nox præcessit* ignorantiæ, seù tenebrarum, *dies* lucis, tenebras deijciens *appropinquauit*. *Abijciamus ergò opera tenebrarum*, seù noctis, seù legis, quæ ad profectum non ducebant: vel peccata, *& induamur arma lucis*, quæ ad diem spectant, ad bona opera perficienda; illa iàm præterita, opera nuncupat; futura, non opera, sed à præparatis ad illa sub armis lucis explicat facienda. *Sicùt in die*, quo non licent mala, proùt nocte, quam ad malum fures obseruant, *honestè ambulemus*, sub qua honestate omnia opera bona comprehendit, & verbum, *ambulemus*, ad diem tendit; vndè dicimus de Enoch, & Noe: coràm Deo ambularunt; Et quia contrà honestatem sunt commessationes, ebrietates, & alia, quæ ad noctem pertinent, ideò subdit: *non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus; & impudicitijs* carnalibus, *non in contentione, & æmulatione*, quæ pacem tollunt; ideò docet ab illis cauendum, quod fiet, si induerimus *Dominum* nostrum *Iesum Christum* lucem veram: erat lux vera, quæ illuminat, &c. proùt Paulus, qui cum eo crucifixus, & in quo Christus viuebat; *& si curam carnis* non fecerimus *in desiderijs* scilicèt carnalibus, de quibus dixit & alibi, mortificate membra vestra: mali enim ad hæc prompti; ideò Dan.11.37. dicitur de Antichristo: erit in concupiscentijs fœminarum.



CA-



CAPVT XIV.



1 NFIRMVM autèm in fide assumite, non in disce-
2 ptationibus cogitationum. * Alius enìm credit se mandu-
care omnia: qui autèm infirmus est, olus manducet.
3 * Is, qui manducat, non manducantem non spernat: &
qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus
4 enìm illum assumpsit. * Tu quis es, que iudicas alienum
seruum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autèm: po-
5 tens est enìm Deus statuere illum. * Nàm alius iudicat diem intèr diem: alius
6 autèm iudicat omnem diem: vnusquisque in suo sensu abundet. * Qui sapit
diem, Domino sapit: Et qui manducat, Domino manducat: gratias enìm agit
Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.
7 * Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur. * Siuè enim viui-
8 mus, Domino viuimus: siuè morimur, Domino morimur. Siuè ergò viui-
9 mus, siuè morimur, Domini sumus. * In hoc enìm Christus mortuus est, &
10 resurrexit: vt & mortuorum & viuorum dominetur. * Tu autèm quid iudi-
cas fratrem tuum? aut tu quarè spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus
11 antè tribunal Christi. * Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus, quo-
12 niàm mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. * Itaquè
13 vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. * Non ergò ampliùs inuicèm
iudicemur: sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scan-
14 dalum. * Scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum,
15 nisi ei qui existimat qui commune esse, illi commune est. * Si enim proptèr ci-
bum frater tuus contristatur: iàm non secundùm charitatem ambulas. Noli ci-
16 bo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. * Non ergò blasphemetur
17 bonum nostrum. * Non est enim regnum Dei esca, & potus: sed iustitia, &
18 pax, & gaudium in Spiritu sancto: * qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo,
19 & probatus est hominibus. * Itaquè quæ pacis sunt, sectemur: & quæ ædifica-
20 tionis sunt, in inuicèm custodiamus. * Noli proptèr escam destruere opus Dei.
Omnia quidèm sunt munda: sed malum est homini, qui per offendiculum man-
21 ducat. * Bonum est non manducare carnem: & non bibere vinum, nequè in
22 quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. * Tu fidem ha-
bes? penès temetipsum habe coràm Deo: Beatus, qui non iudicat semetipsum
23 in eo, quod probat: * Qui autèm discernit, si manducauerit, damnatus est:
quia non ex fide. Omne autèm, quod non est ex fide, peccatum est.

S INFIR-

tem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: infert ex his. *Tu autèm quid iudicas fratrem tuum? aut tu quarè spernis fratrem tuum*, cum frater tuus Domini sit, non sub tua potestate? *Omnes enim stabimus antè tribunal Christi* ab eo iudicandi; vndè vanum est vestrum iudicium, ideò nolite antè tempus iudicare: qui enim iudicat, Dominus est. *Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniàm mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Isa. 45. 23. in iudicio, in quo omnia discutientur. *Itaquè vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo;* ideò non possumus nos assumere iudicium huiusmodi, quod ipse sibi reseruauit. *Non ergò ampliùs inuicèm iudicemus*, cum sciamus hoc Domini esse, non nostrum, *sed hoc iudicate*, animaduertite *magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum*, ità vt impingat, & cadat: qui enim scandalizauerit vnum ex his pusillis, &c. expedit ei vt suspendatur mola, &c. Non negat quin infirmus esset Hebræus, quem vult tolerari, sed tamèn ad concordiam parandam cætera dicta omnibus communia. *Scio, & confido in Domino Iesu*, quem debemus attendere, non legem, quæ in eo cessauit, *quia nihil commune*, idest, immundum habemus *per ipsum*, ex suo mandato, ex suo præcepto; nàm quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris; non dicas, *per ipsum*, idest, ex sui natura; nàm præmittendo, *scio, & confido in Domino Iesu*, vtiquè intendit de his, quæ à Iesu emanare poterant, non à natura, & si à natura, non tàm sicco pede pertransisset, nequè subiungeret, *nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est*, quia id non à natura, sed ex dubio, quo quid illicitum, quod non est, fit dubitanti, & contrafacienti (dubio non deposito) peccatum; ideò subdit, *nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est;* vndè simplicitèr confidit in Iesu nihil immundum, &c. at pro dubitante non confidit. Aliàs & ego dicebam, *scio* certò, *& confido* nullo modo hæsitans *in Domino Iesu, quia nihil commune*, seù immundum habemus *per ipsum*, per seipsum, ex sui natura; quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris; *nisi ei, qui existimat, &c.* Et opponebam non dicas, *per ipsum*, idest, Iesum, vel ex eius mandato, quia verba, *nisi ei, qui existimat, &c.* limitantia quod præcedit, denotant verba, *per ipsum*, intelligi, vt suprà; nàm limitationem illam non fecit Iesus, & limitatio aperit quomodò præcedentia intelligenda. Prætereà verba, *per ipsum*, denotarent in Iesu aliquod mandatum, seù legem; at nihil apparebat tùnc, nec poterat dici, nisi cessasse legalia, cui cessationi non applicatur verbum, *per ipsum*, eo modo expositum. At nunc hæc non me mouent; nàm limitatio illa procedit de iure, & Paulus non præsupponit mandatum, sed scit, & confidit nullum extare, *nisi ei, qui existimat, &c.* Hoc præmittit Paulus, vt appareat ipsum non moueri ad persuadendam ex hoc abstinentiam à communibus quasi illicitis, sed proptèr offendiculum fratris; ideò subdit. *Si enim proptèr cibum frater tuus contristatur*, scandalizatur: *iàm non secundùm charitatem ambulas*, quia fratri tuo es causa damnationis, te non abstinendo. *Noli cibo tuo illum perdere*, qui est Christi, *pro quo Christus mortuus est;* vndè tanti valet, & æstimatur; &, *noli cibo tuo, &c.* *Non ergò blasphemetur bonum nostrum*, libertas nostra, seù liberatio à discretione ciborum ab his, qui scandalum patiuntur. At meliùs, *non blasphemetur* religio Christiana ob has ciborum contentiones à Gentilibus, vel Iudæis nondum conuersis: loquitur enim de alijs personis extraneis, cum ad comprehensas dirigat sermonem; sic suprà cap. 2. 24. & infrà cap. 15. 6. *Non est enim regnum Dei esca, & potus:* non enim regnum Dei, ad quod anhelamus, esca, & potu acquiritur, seù in escarum; vel potuum differentia consistit: *sed iustitia* operum, *& pax*, concordia, *& gaudium*, non quodlibet, sed *in Spiritu sancto*, qui hæc nobis donat. Nec potest intelligi, quòd in cælo potu, & esca non vtamur, quia loquitur de hìc agendis; ideò subdit sectandam pacem; sic & 1. Cor. 42. non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute: *qui enim in hòc*, in his, quæ prædixi, iustitia, pace, gaudio, *seruit Christo*, conando ad eum adducere animas, non abducere ex scandalo, *placet Deo*, cui hæc grata, *& probatus est hominibus*, quos non scandalizat, sed exemplo fouet. *Itaquè quæ*

pacis sunt, sectemur: & quæ ædificationis sunt, in inuicèm custodiamus, tollentes scandala, vt quæ dixi vobis, contingant; Hinc manifestatur, in superioribus de pace mundi intellixisse. *Noli proptèr escam* rem adeò minimam *destruere opus Dei*, proximum scandalizando, *omnia quidèm sunt munda* non contaminantia; iterum hoc repetit, ne existimet quis ab immunditia moueri ad monitionem abstinentiæ, & subdit posteà: *Sed malum est homini, qui per offendiculum* offendens proximum *manducat*, & proptèr hunc abstinendum; ideò subdit. *Bonum est non manducare carnem: & non bibere vinum, nequè* aliud *in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut* etiàm *infirmatur*, quod est quid minus. *Tu fidem habes?* scilicèt omnia munda esse, hoc est, bonum, *penès temetipsum habe coràm Deo*, at ne illam facto proferas proptèr scandalum proximi. *Beatus, qui non iudicat*, damnat *semetipsum in eo, quod probat* bonum, & est, quia etsi ex se bonum est, ex circunstantijs malum esse potest, proùt hic esus communium cum scandalo proximi: meliùs enim hæc ad firmum in fide referuntur, ad quem & præcedentia, quàm ad infirmum, de quo subdit. Vel *Beatus, qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat*, quia suprà dixerat: *Tu fidem habes? penès temetipsum habe coràm Deo*, & volens docere quàm bonum sit id præstare, subdit: *Beatus, &c.* idest, *qui non* à se, sed à Deo recognoscit *quod probat*, quod credit, quod operatur. *Qui autèm discernit* intèr cibos, *si manducauerit* contrà conscientiam, non beatus, sed *damnatus est: quia non ex fide*, non credens bonum, sed malum, ità vt in primo non agat de firmo comedente, sed à Deo recognoscente, quòd omnia munda, proùt in secundo de comedente. Vel *tu fidem habes? penès temetipsum habe coràm Deo*, non coràm hominibus. *Beatus, qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat*, quasi se extollens supèr alios, sed remittit se, vel opus suum Deo, & non sibi placet, sed proximo proptèr Deum, vt in princip. seq. cap. quod est non iudicare seipsum, non respicere se ipsum *in eo, quod probat*, approbat. *Qui autèm discernit, &c.* ex verbo, *autèm*, cognoscitur quòd cum hic de infirmo, suprà egit de firmo, vt oppositio currat. Et his verbis ostendit persuasisse ad abstinentiam, ne frater peccet edendò communia contrà dictamen suæ conscientiæ: sic enim capiuntur verba illa, *quia non ex fide*, sed contrà id, quod credit; vndè subdit posteà generale dictum. *Omne autèm, quod non est ex fide*, idest, secundùm conscientiam facientis, sed contrà, *peccatum est*, quod & suprà dixit: *Qui autèm discernit, si manducauerit, damnatus est*: &, *nisi ei, qui existimat, &c.*



CAPVT XV.

1 *DEBEMVS autèm nos firmiores imbecillitates infir-*
2 *morum sustinere, & non nobis placere.* * *Vnusquisq; ve-*
strum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.
3 * *Etenim Christus nō sibi placuit, sed sicùt scriptū est: Im-*
properia improperantium tibi ceciderunt supèr me. * *Quæ-*
4 *cumq; enim scripta sunt, ad nostrā doctrinā scripta sunt:*
vt per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem
5 *habeamus.* * *Deus autèm patientiæ, & solatij det vobis idipsum sapere in alteru-*
6 *trum secundùm Iesum Christum:* * *vt vnanimes, vno ore honorificetis* Deum,
7 *& patrem* Domini *Nostri Iesu Christi.* * *Proptèr quod suscipite inuicèm, sicùt &*
Chri-


8 *Christus suscepit vos in honorem Dei. * Dico enim Christum Iesum ministrum*
fuisse circumcisionis proptèr veritatem Dei ad confirmandas promissiones pa-
9 *trum: * Gentes autèm supèr misericordia honorare Deum, sicùt scriptum est:*
10 *Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. * Et ite-*
11 *rum dicit: Lætamini Gentes cum plebe eius. * Et iterum: Laudate omnes Gen-*
12 *tes Dominum: & magnificate eum omnes populi. * Et rursùs Isaias ait: Erit*
13 *radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt. * Deus*
autèm spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: vt abundetis in spe,
14 *& virtute Spiritus sancti. * Certus sum autèm fratres mei & ego ipse de vo-*
bis, quoniàm & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ità vt possitis
15 *alterutrum monere. * Audaciùs autèm scripsi vobis fratres ex parte, tamquàm*
16 *in memoriam vos reducens: proptèr gratiam, quæ data est mihi à Deo, * vt*
sim minister Christi Iesu in Gentibus: sanctificans Euangelium Dei, vt fiat
17 *oblatio Gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto. * Habeo igitur glo-*
18 *riam in Christo Iesu ad Deum. * Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ*
19 *per me non efficit Christus in obedientiam Gentium, verbo & factis: * in vir-*
tute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ità vt ab Ierusa-
20 *lem per circuitum vsquè ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi. * Sic*
autèm prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne supèr
21 *alienum fundamentum ædificarem: sed sicùt scriptum est: * Quibus non est an-*
22 *nunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. * Proptèr quod*
& impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus sum vsquè adhùc.
23 ** Nunc verò vlteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autèm*
24 *habens veniendi ad vos ex multis iàm præcedentibus annis: * cum in Hispa-*
niam proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar
25 *illùc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. * Nunc igitur proficiscar in Ieru-*
26 *salem ministrare sanctis. * Probauerunt enim Macedonia, & Achaia colla-*
27 *tionem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem. * Placuit*
enim eis, & debitores sunt eorum. Nàm si spiritualium eorum participes facti
28 *sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis. * Hoc igitur cum con-*
summauero, & assignauero eis fructum hunc: per vos proficiscar in Hispa-
29 *niam. * Scio autèm quoniàm veniens ad vos, in abundantia benedictionis*
30 *Euangelij Christi veniam. * Obsecro ergò vos fratres per Dominum nostrum*
Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in oratio-
31 *nibus vestris pro me ad Deum, * vt liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudæa,*
32 *& obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis, * vt veniam ad vos*
33 *in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum. * Deus autèm pacis sit*
cum omnibus vobis. Amen.

DEBEMVS *autèm, &c.* prosequitur Paulus ad concordiam reducere, & in ea confirmare Romanos, ità vt etiàm non sibi-ipsi quisque placeat, sed proximo exemplo Christi. *Debemus autèm nos firmiores*, qui sumus firmiores in fide, *imbecillitates infirmorum*, pusillorum, qui scandalizantur, *sustinere*, pati, *& non nobis placere*, complacere, facere quod placet in eorum excidium. *Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum*, in adiutorium illius, *ad ædificationem*, vt tuo exemplo fructificet. *Etenim Christus*, cuius exemplum sequi debemus, *non sibi placuit*, proùt solent homines facientes quæ ad gustum illorum sapiunt, *sed sicùt scriptum est. Improperia improperantium tibi* Domino peccata aliorum, totius mundi *ceciderunt supèr me*, eaquè portaui: *Quæcumque enim scripta sunt* in sacra Scriptura, maximè de Christo, *ad nostram doctrinam*, instructionem *scripta sunt: vt per patientiam*, tolerantiam, *& consolationem Scripturarum*, quam ex illis capimus, *spem habeamus* æternorum. *Deus autèm* effector *patientiæ, & solatij* prædictorum *det vobis idipsum sapere in alterutrum*, adinuicèm *secundùm Iesum Christum*, exemplo Iesu Christi: *vt vnanimes*, concordes, *vno ore honorificetis Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi*, à quo hæc procedunt, & à quo hæc expectanda. *Proptèr quod suscipite* vos *inuicèm, sicut & Christus suscepit vos* ò Hebræi *in honorem Dei*, ad Dei gloriam; quomodò autèm Christus susceperit, subdit. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis*, missum ad prædicandum, & docendum visibilitèr in carne ad Hebræos; non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, proùt Paulus dicit se ministrum Christi Iesu in Gentibus infrà 16. *proptèr veritatem* infallibilem *Dei ad confirmandas promissiones patrum*, idest, patribus antiquis à Deo factas, qui est verax, & obseruans. *Gentes autèm supèr misericordia* eis collata, qua vocauit eas (non enim illis vlla promissio proùt patribus Hebræorum) *honorare Deum*, & glorificare tanti boni largitorem, *sicut scriptum est: Proptereà confitebor tibi in Gentibus* vocatis *Domine, & nomini tuo* magno *cantabo. Et iterum dicit: Lætamini Gentes* Principes *cum plebe eius. Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi* ob tantum beneficium. *Et rursùs Isaias ait: Erit radix Iesse*, Messias, Iesus, ex radice Iesse patris Dauid nascens; de hoc & in Apocal. *& qui exurget*, veniet *regere Gentes, in eum Gentes* conuersæ, & credentes *sperabunt*. sic Iacob. Genes. 49. 11. ipse erit expectatio gentium. *Deus autèm spei*, in quo omnis spes ponenda, vel qui in nobis eam creat, *repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: vt abundetis in spe, & virtute*, non terrenis, sed *Spiritus sancti. Certus sum autèm fratres mei & ego ipse de vobis, quoniàm & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ità vt possitis alterutrum monere.* his respondet tacitæ obiectioni cur ipse hæc scribat. *Audaciùs autèm scripsi vobis fratres ex parte, tamquàm in memoriam vos reducens* ea, quæ scitis, *proptèr gratiam* ministerij, *quæ data est mihi à* Deo, *vt sim minister Christi Iesu in Gentibus: Sanctificans*, sanctũ demonstrans *Euangelium* Dei, *vt fiat oblatio Gentium* credentium *accepta, & sanctificata in Spiritu sancto*, per Spiritum sanctum hoc operantem: nisi enim ille operaretur, frustrà ego laborarem. *Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad* Deum; possum ergò gloriari in hoc per Iesum Christum antè Deum; & sic in veritate. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium*, vt Gentes per me credant tàm *verbo*, quàm *factis; verbo* quidèm prædicatione Euangelij; *factis, in virtute signorum, & prodigiorum*, miraculorum *in virtute*, potentia *Spiritus sancti: ità vt ab Ierusalem per circuitum vsquè ad Illyricum repleuerim* verbo, & factis *Euangelium Christi* illud seminando. *Sic autèm prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne supèr aliorum fundamentum ædificarem:* innuit ad eas regiones prædicaturus

turus

turus appulsisse, in quibus adhùc Euangelium nullo modo prædicatum fuerat, si standum in proprietate verborum; id autèm facit, vt appareat se abstinere à vocibus, quibus significaretur eis velle Euangelium prædicare, ostendens contrarium consuetudine sua prædicandi ijs, quibus nondum annuntiatum erat, in quibus Romani non comprehendebantur, ad quos scribebat iàm fideles; ideò suprà vers. 15. dixerat: in memoriam vos reducens, quæ ab alijs accepistis, & *præteriens videam vos* vers. 24. nō Euangelium annunciaturus, proùt in regionibus, ad quas me hucusquè contuli, & ad idem seruit vaticinium Isaiæ. *Quibus non est annunciatum de eo* Christo, *videbunt: & qui non audierunt, intelligent;* hæc autèm intelligenda in Apostolo vt plurimum; nàm & alibì pertransiens disseminasse Euangelium vbì erat prædicatum, clarum est, & Romæ etiàm præstitit per biennium in suo conducto. *Proptèr quod*, vt disseminarem verbum Dei, vbì non erat prædicatum, *impediebar plurimùm venire ad vos*, sicùt optabam, *& prohibitus sum vsquè adhùc. Nunc verò vlteriùs locum non habens in his regionibus* seminandi Euāgelium, cum iàm illas repleuerim, & persecutiones vbiquè patiar, vt subdit vers. 31. *cupiditatem autèm habens veniendi ad vos ex multis iàm præcedentibus annis*, de qua & cap. 1. *Cum in Hispaniam proficisci cæpero*. Sed an posteà Paulus petierit Hispanias quod esse non potuit, nisi liberatus à Nerone? incertum, quia sicùt Paulus supèr alieno fundamento dicit non ædificasse in Oriente. vers. 20. sic nec præsumitur fecisse in Occidente, & quia dum carcere longo detineretur, alius censetur petijsse prouinciam illam, maximè Petrus, de quo Innocentius ad Decentium, nec Hyspanas regiones latissimas ad liberationem Pauli dilatas, eò magis quia dum Paulus Vrbem petijt, Petrus non erat in Vrbe: si enim ibì tùnc fuisset, aliqua mentio illius in actis Apostol. facta esset, proùt quandò fuit Antiochiæ, & in alijs locis, & tùnc fortè Petrus Hispanias petierat. Item, quia nulla demonstrantur vestigia in locis, per quæ transisset, si iuisset; non est etiàm verisimile iuisse in Hispanias nullum fructum ibì facturus, cum verè nullum fecisse dici possit, & ex actibus Apostol. apparet illum à Spiritu sancto ductum, modò ne iret, modò iret ad aliqua loca, vt fructificaret; nàm de prohibito euangelizare. Acto. 16. 7. admonito ad euangelizandum. Acto. 16. 10. & 18. 10. cap. 23. & 1. Thes. 2. 1. scitis introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit. Quòd iuerit liberatus à carceribus, malè probatur, quia ex scriptis tùnc Epistolis apparet mutasse sententiam ad Phil. 1. 26. 2. 24. Philem. 22. ad Heb. vlt. 20. & 24. 1. Thes. 2. 18. & iuxtà verba huius Epistolæ non digressus esset aliò in Hispanias pòst carcerem, cum iter suum Hispanicum per Romam composuisset, & si illùc iuisset, aliquem comitem adhibuisset ex suis, qui & secum ad Vrbem, vel soli eius causa transmiserunt, imò liberatus à Leone scribit ad Timotheum 2. 4. 17. & nihil de profectione hac in Hispanias, sed Romę eum præstolari. At in contrarium videntur vrgere tot auctoritates antiquorum relata à Car. Baronio anno Domini 61. & vestigia in aliquibus locis relicta, si vera, quæ idem refert. At quid profuit, vel prodest Hispanijs ibì fuisse Paulum, moram paruam traxisse, nullum fructum disseminasse? *Spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illùc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero*, innuit paruam moram cū eis facturum, quasi parùm eo indigentibus, quod & demonstrat scribens ad eos Epistolam adeò grauem, & difficilem, & nominans eos plenos dilectione, & scientia. vers. 14. *Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis*, fidelibus indigentibus, ad quos missus cum collectis, de quibus in act. Apost. *Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam*, eleemosynam, *facere in pauperes sanctorum* ex sanctis fidelibus, *qui sunt in Ierusalem*, vbì prima fides. *Placuit enim eis* sic, hoc ex eorum fuit arbitrio: *& debitores sunt eorum*, & etiàm tenentur. *Nàm si spiritualium eorum* bonorum *participes facti sunt Gentiles* conuersi ad eorum prædicationem, & exemplum, *debent & ipsi* Gentiles *in carnalibus*, temporalibus *ministrare illis* ex Hebræis fidelibus. *Hoc igitur* ministerium *cum consummauero, & assignauero eis fructum hunc* collectum: *per vos profici-*

ficiſtar in Hiſpaniam. *Scio autem quoniàm veniens ad vos, in abundantia benedictionis Euangelij Chriſti veniam* ſpirituali, non temporali, eò minùs ab illis, cum ab his abſtinuerit, ne fieret fraus Euangelio. Vel clariùs, fructum faciam magnum apud vos in Euangelio, dicendo, *in abundantia benedictionis*: eſt enim idem, abundantia, & benedictio. 2. Cor. 9. à verſ. neceſſarium, vſquè ad verſ. quoniàm; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, & Malach. 3. 15. Vndè denotat ex hac repetitione quid magnum euenturum ad profectum Euangelij ex ſuo Romam aduentu, proùt fuit, & ne tantùm bonum impediatur, obſecrat vt orent. *Obſecro ergò vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus*, qua vnum ſumus, *vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum*, vt voti compos fiam, *vt liberer ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa*: quærebatur enim Paulus ad necem, & inſidiæ non erant ratione oblationis, quam deferebat, ſed legis, & odij, quo illum Hebræi proſequebantur. Acto. 20. 3. 28. 2. 21. 31. & ibi dixi, *& obſequij mei oblatio*, quam defero, *accepta fiat in Ieruſalem ſanctis*; ſcripſit ergò Epiſtolam hanc antequàm deferret in Ieruſalem oblata, vt hìc & ſuprà. verſ. 25. & ſeq. & pòſt diſceſſum Priſcæ, & Aquilæ, vt infrà cap. 16. cum ſalutari eos iubeat. verſ. 3. vndè aiunt hanc è Corintho miſſam per Phœben. *Vt veniam ad vos in gaudio per voluntatẽ Dei, & refrigerer vobiſcum* ſpiritualitèr. *Deus autem pacis*, pacis effector *ſit cum omnibus vobis. Amen.*



CAPVT XVI.

1 *COMMENDO autèm vobis Phœben ſororem no-*
ſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cen-
2 *chris: * vt eam ſuſcipiatis in Domino dignè ſanctis: &*
aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit: ete-
3 *nim ipſa quoquè aſtitit multis, & mihi ipſi. * Saluta-*
te Priſcam, & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu;
4 *(* qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt: quibus*
5 *non ſolùs ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium) * & domeſticam*
Eccleſiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitiuus Aſiæ
6 *in Chriſto. * Salutate Mariam, quæ multùm laborauit in vobis. * Salutate*
7 *Andronicum, & Iuniam cognatos, & concaptiuos meos: qui ſunt nobiles in*
8 *Apoſtolis, qui & antè me fuerunt in Chriſto. * Salutate Ampliatum dilectiſ-*
9 *ſimum mihi in Domino. * Salutate Vrbanum adiutorem noſtrum in Chriſto*
10 *Ieſu, & Stachyn dilectum meum. * Salutate Apellen probum in Chriſto.*
11 ** Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtoboli domo. Salutate Herodionem cognatum*
12 *meum. Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino. * Sa-*
lutate Tryphænam, & Tryphoſam: quæ laborant in Domino. Salutate Perſi-
13 *dem chariſſimam, quæ multùm laborauit in Domino. * Salutate Rufum ele-*
14 *ctum in Domino, & matrem eius, & meam. * Salutate Aſyncritum, Phle-*
15 *gontem, Hermam, Patrobam, Hermen: & qui cum eis ſunt, fratres. * Sa-*
lutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & ſororem eius, & Olympiadem,
& om-


16 *& omnes, qui cum eis sunt, sanctos. * Salutate inuicèm in osculo sancto. Sa-*
17 *lutant vos omnes Ecclesiæ Christi. * Rogo autèm vos fratres, vt obseruetis eos,*
qui dissensiones, & offendicula pratèr doctrinam, quam vos didicistis, faciunt,
18 *& declinate ab illis. * Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non seruiunt,*
sed suo ventri: & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda inno-
19 *centium. * Vestra enim obedientia in omnem locum diuulgata est. Gaudeo igi-*
20 *tur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. * Deus*
autèm pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velocitèr. Gratia Domini
21 *nostri Iesu Christi vobiscum. * Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lu-*
22 *cius, & Iason, & Sosipater cognati mei. * Saluto vos ego Tertius, qui scripsi*
23 *epistolam, in Domino. Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesia.*
24 *Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis, & Quartus, frater. * Gratia Domi-*
25 *ni nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. * Ei autèm, qui potens est*
vos confirmare iuxtà Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi, se-
26 *cundùm reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, (* quod nunc patefa-*
ctum est per Scripturas Prophetarum secundùm præceptum æterni Dei, ad obe-
27 *ditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, * soli sapienti Deo, per Iesum Chri-*
stum, cui honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.




OMMENDO autèm vobis Phœben sororem nostram in Christo, non vxorem, aliòqui cur non expressisset clarè, vt pinguiùs ei prouideretur? cur solam ad peregrinationem longam dimisisset? cur ob sæcularia negocia, à quibus sicùt Paulus liber, sic illa fuisset? cur ministra in Cēchris? viduæ enim ad ministeria illa intrà Ecclesias assumebantur. Acto.6. cur ibì vxor, vbì non morabatur Paulus? cur dicere de vxore, *astitit multis, & mihiipsi?* Mentio hic Cenchris reddit probabilem opinionem ibì tonsum Paulum, vt in actis. *Salutate Priscam, & Aquilam*, de quibus. Acto.18.2. *adiutores meos in Christo Iesu.* d. cap. 18.26. dum Apollinem catechizarunt, *qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt:* fortè in calumnia Iudæorum apud Gallionem. Acto. 18.14. vel Ephesi, licèt nullibì in textu Act. *Salutate inuicèm in osculo sancto*, ad denotandam magnam charitatem, & amorem, quibus eos prosequebatur, quæ maximè ostendebantur ex osculo, ad osculum Iudæ cum Iesu, & Ioab cum Amasa; *Sancto*, vero, non illicito, non inuerecundo, sed puro, & casto. *Rogo autèm vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula,* in quæ impingatis, *pratèr doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis;* semini Euangelij iacto inimicus superseminauit zizania; hinc in omnibus ferè Epistolis Paulus eadem monet, & plura annotaui in Epistola ad Galat. 1. *Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri:* (erant hi pseudoapostoli) *& per dulces sermones, & benedictiones* fictas *seducunt corda innocentium*, eosquè in baratrum detrudunt. *Vestra enim obedientia*, qua mandatis Dei obsequentes estis, *in omnem locum diuulgata est*, ità vt ab illis vos sitis valdè dissimiles. *Gaudeo igitur in vobis* supèr hoc, *sed volo vos sapientes esse in bono*, id-est, ad bonum sapere, *& simplices*, puri *in malo*, abstinere vos à malo. *Deus autèm pacis conterat Satanam sub pedibus vestris*, diabolum scilicèt, ne insidietur vobis, & in discordias vos trahat; diabolo conuenit contritio hæc iuxtà illud: ipsa conteret caput

tuum

tuum: &, supèr aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem; ecce dedi vobis potestatem calcandi suprà Scorpiones, & Serpentes, & supèr omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Luc. 10. 19. quod alij aduersario homini conuenire non potest. *Salutat vos Caius hospes meus*; hinc è Corintho videtur data Epistola; nàm Crispum, & Caium ibi baptizauit. 1. Cor. 1. 15. *Ei autèm, qui potens est vos confirmare*, stabilire in æternum; similis phrasis. Ephes. 3. 20. & Iudæ. 14. suprà cap. 1. ad confirmandos vos, *iuxtà Euangelium meum*, quod annuncio, *& prædicationem Iesu Christi* regnum cæleste offerentis, conformia: vel *prædicationem Iesu Christi*, idest, de Iesu Christo iuxtà principium Epistolæ, segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo secundùm reuelationem mysterij, Sacramenti temporibus æternis antecedentibus quasi ab æternitate taciti, suppressi, non manifestati, de quo in omnibus ferè Epistolis (*quod* mysterium *nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum* suprà cap. 1. 2. quam intelligentiam Iesus Christus inspirauit. Luc. 24. 45. *secundùm præceptum*, ordinem *æterni Dei*, aperiendas *ad obeditionem fidei*, ad fidei propagationem, quæ fit obedientia, & captiuando intellectum) *in cunctis Gentibus cogniti* per Dei misericordiam ad lumen vocantem, ab Hebræis cæcis, & Iesum ignorantibus, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur. Act. 13. 27. reiecti; ei, dico, *soli sapienti*, benè omnia ordinanti, contrà quem, & prætèr quem nulla sapientia, *Deo, per Iesum Christum* ministrum, *cui* debetur *honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*





IN PRIMAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS

CAPVT PRIMVM.

1 PAVLVS vocatus Apostolus Iesu Christi per volun-
2 tatem Dei, & Sosthenes frater, * Ecclesiæ Dei, quæ est
Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis,
cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu
3 Christi, in omni loco ipsorum, & nostro. * Gratia vo-
bis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Chri-
4 sto. * Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia
5 Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu: * quòd in omnibus diuites facti estis in
6 illo, in omni verbo, & in omni scientia: * sicùt testimonium Christi confirma-
7 tum est in vobis: * ità vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reue-
8 lationem Domini nostri Iesu Christi, * qui & confirmabit vos vsquè in finem
9 sinè crimine, in die aduentus Domini nostri Iesu Christi. * Fidelis Deus: per
10 quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri.* Obsecro au-
tèm vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi: vt idipsum dicatis omnes,
& non sint in vobis schismata: sitis autèm perfecti in eodem sensu, & in eadem
11 sententia. * Significatum est enìm mihi de vobis fratres mei ab ijs, qui sunt
12 Chloes, quia contentiones sunt inter vos. * Hoc autèm dico, quòd vnusquisque
vestrum dicit: Ego quidèm sum Pauli: ego autèm Apollo: ego vero Cephæ:
13 ego autèm Christi. * Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro
14 vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? * Gratias ago Deo, quòd neminem
15 vestrum baptizaui, nisi Crispum, & Caium: * nequis dicat quòd in nomine
16 meo baptizati estis. * Baptizaui autèm & Stephanæ domum: cæterum nescio si
17 quem alium baptizauerim. * Non enìm misit me Christus baptizare, sed euan-
18 gelizare: non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi. * Verbum
enìm crucis pereuntibus quidèm stultitia est: ijs autèm, qui salui fiunt, idest no-
19 bis, Dei virtus est. * Scriptum est enìm: Perdam sapientiam sapientium, &
20 prudentiam prudentium reprobabo. * Vbì sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor

huius

21 huius sæculi? Nonnè stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? * Nàm quia
in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stul-
22 titiam prædicationis saluos facere credentes. * Quoniàm & Iudæi signa petunt,
23 & Græci sapientiam quærunt: * nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iu-
24 dæis quidèm scandalum, Gentibus autèm stultitiam, * ipsis autèm vocatis Iu-
25 dæis, atquè Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: * quia quod
stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est
26 hominibus. * Videte enìm vocationem vestram fratres, quia non multi sa-
27 pientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: * sed quæ stul-
ta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit
28 Deus, vt confundat fortia: * & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus,
29 & ea, quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: * vt non glorietur omnis caro
30 in conspectu eius. * Ex ipso autèm vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis
31 sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio: * vt quemadmo-
dum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur.



AVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Sosthenes frater. An is, qui Actor. 18. 17. vide scripta ibi. Cur autèm Apostolus illum sibi consociet, incertum; nàm nullibi apparet vel quòd is retulerit Apostolo vitia Corinthiorum, imò Apostolus dicit, *significatum* sibi *ab ijs, qui sunt Chloes* vers. 11. & quomodò delatorem, qui fit suspectus, & odiosus, secum in epistola coniunxisset? vel quòd epistolam dictauerit, vel scripserit. *Ecclesia Dei, quæ est Corinthi sanctificatis*, segregatis *in Christo Iesu, vocatis sanctis*, fidelibus, *cùm omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi*; iuxtà illud Psalmi. Et Samuel intèr eos, qui inuocant nomen eius. *in omni loco ipsorum*, ideſt, omnium, *qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi*; sic & 1. Thes. 18. *& nostro*, quia omnia communia intèr inuocantes nomen illud: si enìm non intelligeret de omnibus Christianis, non præmisisset, *cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi*, quia quòad Corinthiorum Ecclesiam sufficiebat dixisse, *Ecclesia Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis*, & quia verbum, *ipsorum*, si referretur ad Corinthum, non congrueret præcedentibus directis Ecclesiæ, & sequentibus, *gratia vobis: gratias ago pro vobis*; & videntur verba hæc, *ipsorum: & nostro*, congruentiùs referri ad locum, quàm ad Iesum, quia magìs hærent loco, & in dubio ad proximiora fit relatio; & quia sicùt quòad Corinthios locum expresserat, *quæ est Corinthi*, ità quòad cæteros in vniuersum voluit generalitèr loci mentionem habere; ideò dicit, *in omni loco ipsorum* etiàm incognito nobis, *& nostro*, nobis cognito, ac si diceret, vbiquè Gentium. Et in secunda epistola striictiùs loquitur, cum omnibus Sanctis, qui sunt in vniuersa Achaia. cap. 1. 1. *Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo* proueniat. *Gratias ago Deo meo: meo*, dicit ob amorem, quo in Deum ferebatur, & ob beneficia recepta, *sempèr pro vobis in gratia*, proptèr gratiam, *quæ data est vobis*, vt credatis, *in Christo Iesu*, per Iesum Christum: *quòd, & quòd in omnibus diuites facti estis*, abundatis *in illo*, per illum in omnibus virtutibus, *in omni verbo, & in omni scientia: sicùt*, & *sicùt testimonium Christi* supèr vita, morte, resurrectione Christi à me, seù alijs vobis datum, *confirmatum est in vobis*, quia credidistis, & creditis: *ità vt nihil vobis desit in vlla*

gratia,

gratia, charismate, *expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi* in morte vestra, vel iudicio vniuersali, *qui & confirmabit vos vsquè in finem sinè crimine* puros, & perseuerantes *in die aduentus Domini nostri Iesu Christi* ad mortem singulorum, vel ad iudicium vniuersale. Censeo hìc Apostolũ loqui, proùt infrà 2. Cor. 9.8. potens est autèm Deus omnem gratiã abundare facere in vobis, vt in omnibus sempèr omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum, &c. non quòd omninò tutos faciat; nàm qui stat, videat ne cadat, *fidelis Deus*, verax, obseruans, *per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri*; vbì sum ego, illìc & minister meus erit. Io. 12.& 17.24. ideò non deerit vobis dummodò vos perseueretis vsquè in finem.

Obsecro, &c. hìc incipit scribere ad sedandas eorum contentiones. *Obsecro autèm vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes*, vt vnum sit dictum vestrum, in quo conueniatis, *& non sint in vobis schismata*, contentiones: *sitis autèm perfecti*, & sinceri *in eodem sensu*, idem sentientes perfectè, *& in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei* fideles *ab ijs, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos* inutiles. *Hoc autèm dico, quod vnusquisque vestrum dicit*, idest, circà hæc versantur contentiones vestræ. *Ego quidèm sum Pauli: ego autèm Apollo: Ego verò Cephæ: Ego autèm Christi*; In his verbis euentualibus ab alijs dictis, & relatis à Paulo, proùt dicebantur, & effundebãtur ab illis, vt præmittit, *hoc autèm dico, quod vestrum vnusquisque dicit*, nullum faciendum fundamentum, nullum ex eis capiendum argumentum, quia non sunt Pauli, sed aliorum; ideò non mirandum, si dicit, *Cephæ*, quia aliqui illum nominantes potuerunt, si non Corinthi, alibì ab eo esse baptizati; si *Christi*, quia non profert hoc quasi in eo malè dicerent sic dicentes, sed vt recitet dicta ab illis, & hoc ad dissensiones demonstrandas, de quibus agit; nàm illicò docet de Christo benè dici, & ab omnibus sic dicendum, & quòad Cepham, si essent Pauli verba, potuisset argumentum sumi, & si non de illo, eo minùs de alijs; nec capiendum argumentum ex cap. 3. 4. vbì non repetit Cepham, vel Christum, quia sufficiebant exempla Pauli, & Apollo, proùt & cap. 4.6. vndè nil aliud inferendum, & quia sicùt non potest desumi argumentum ab illo loco ad hunc, cum Paulus hìc proferat quæ ab alijs dicebantur, non ex suo capite, ità & ibì, vbi reassumit partem dictorum, non totum. Sed quid nodum in scirpo quærimus? nàm eodem cap. 3. 22. meminit nedum Pauli, & Apollo, sed & Cephæ, quem vers. 4. omiserat, sed quod plus est. cap. 4.6. dicit hæc per figuram dixisse, transfiguraui in me, & Apollo, &c. vndè eo minùs in his fundandum. *Diuisus est Christus?* à quo omnis gratia? *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis?* vt ei detur gloria? *aut in nomine Pauli baptizati estis?* vt salutem ab eo recognoscatis? non enìm est aliud nomen sub cælo datum, in quo nos oporteat saluos fieri prætèr Iesum; orationes Sanctorum iuuant, vt Stephani pro Paulo, Iob pro amicis, Abraham pro Sodomitis, Lot pro Segor, Eliæ pro Eliseo; at non ab his salus. *Gratias ago Deo, quòd neminem vestrum baptizaui, nisi Crispum, & Caium, ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati estis: Baptizaui autèm & Stephanæ domum: Caterùm nescio, si quem alium baptizauerim*, nollem memoria labi, quasi innuat, quomodò cum veritate hi, qui pronunciant se Pauli (prætèr hos à me nominatos) possunt dicere me illos baptizasse? & sic non est recurrendum, quòd tales non valentes dicere se à Paulo baptizatos, nominarent tamèn se Pauli, quasi ab eo fidem edocti, quia Paulus agit de dicentibus, & gloriantibus se in baptismo, non in verbo, seù prædicatione; & si hoc non esset, ad quid subiungeret Apostolus: *Non enìm misit me Christus baptizare, sed euangelizare?* & propterea reijcienda omnia, quæ de prædicatione dicuntur: *Non enìm misit me Christus baptizare*, ideò paucos baptizaui, *sed euangelizare*, prædicare: *non in sapientia verbi, vt non euacuetur*, vilescat *Crux Christi*, ne attribuatur sapientiæ quod attribuendum Cruci. *Verbum enìm crucis*, prædicatio Christi

crucifixi *pereuntibus quidèm* infidelibus, nõ attendentibus *stultitia est:* putant enìm Christum stultè egisse: *ÿs autèm, qui salui fiunt* per fidem, *idest, nobis* credentibus, & operantibus *Dei virtus est*, potentia nos ducens ad salutem, vt & infrà cap. 2. 5. 6. & Rom. 1. stulta enim mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & sic prosequitur ostendens scopum Dei in his; *Scriptum est enìm: Perdam sapientiam sapientiũ* vsquè ad vers. *Videte enim vocationem, &c.* capit tàm Iudæos, quàm Gentiles. Primò, quòd de toto mundo loquitur Apostolus. Secundò, quòd subdit de Scriba, qui ad Iudæos. Tertiò, quòd comprehendit omnes credentes, vel non credentes. Quartò, quòd de Iudæorum scandalo, & Gentium stultitia meminit. Quintò, quòd de vocatis dicit; *Vocatis autèm Iudæis, atquè Græcis Christum Dei virtutem, &c.* Et vltimò, quia agit de Euangelij prædicatione, quæ vtrosque capit. Nec obstat, *Iudæi signa petunt*, scandalum patiuntur, ergò ipsi in his non comprehensi; siquidèm errabant, qui non credentes in Dei sapientiam, Deum non cognoscentes, falsò persuadentes sibi ipsis ad veritatem peruenire ex signis, quæ petebant, sicùt Græci quærentes sapientiam nouam, noua argumenta, quibus persuaderentur iuxtà eorum sensum ad fidem; vndè omnes comprehendit Apostolus tàm Iudæos, quàm Græcos, seù Gentiles, dum in sapientia Dei illos Deum non cognouisse dicit; imò dicam magis Hebræos, quàm Græcos; nàm cùm de sapientia Dei loquatur, quis habuit de illa, vel habere potuit tutiorem scientiam, quàm Hebræi? Siquidèm habuerunt sacras Scripturas, ex quibus sapientia Dei magis manifestabatur, quàm per scripturas profanas, seù philosophicas; hinc Hebræorum exultatio: non est alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, &c. Hinc Baruch. 3. 37. hic, Deus, adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo; & Psal. 147. non fecit talitèr omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis; & Paulus Rom. 3. quid ergò ampliùs Iudæo est, aut quæ vtilitas circumcisionis? multùm quidèm per omnem modum; primùm quidèm, quia credita sunt illis eloquia Dei: quid enìm si quidam illorum non crediderunt? &c. Vt miratus sim excogitatum fuisse, sapientiam Græcorum præualuisse Hebraicæ, cum veritas sit in contrarium; Verbum enìm Dei penetrabilius omni gladio ancipiti, &c. & his aculeis caruit omnis sapientia humana, vel Græca, & colligitur ex discursu Pauli Rom. 1. Corroboratur is intellectus ex sequentibus. *Videte enim vocationem, &c.* in quibus probat modum docendi in sapientia verbi non conuenire ipsis vocatis, intèr quos & Iudæi, ergò de illis in præcedentibus. *Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium,* præsumptam, non veram *reprobabo* nouo modo. *Vbi sapiens? vbi Scriba? vbi conquisitor huius sæculi?* qui ad hæc magna sua sapientia perueniat? Vel vbi sunt hi confusi sapientia diuina excedente eorum regulas, intrà quas illa non continetur? quasi dicat, nullus. *Nonnè stultam fecit* apparere *Deus sapientiam huius mundi?* nouis factis, noua doctrina per eum promulgata, & ex cruce? is modus subdit cur fecerit. *Nàm quia in Dei sapientia,* & gloria quam cæli, & creata omnia enarrabant, Rom. 1. *non cognouit mundus per sapientiam* veram *Deum*, qui illi demonstrabatur: *placuit Deo per stultitiam prædicationis* Crucis (non quòd sit stultitia, sed loquitur iuxtà reputationem mundi) *saluos facere credentes* sibi. probat mundum per sapientiam Deum non agnouisse: *Quoniàm & Iudæi signa petunt* ad fidem, & hæc petierunt à Christo: *& Græci sapientiam quærunt*, quomodò per philosophiam ad fidem accedant: *nos autèm* non in signis, non in sapientia procedimus, sed *prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidèm scadalum*, in quod impegerunt, & obcæcati sunt, *Gentibus autèm stultitiam*, quam sic reputant, & ipsi stulti fiunt; & damnantur, & hoc euenit non credentibus, *ipsis autèm vocatis*, electis *Iudæis, atquè Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam* potentem in opere, seù miraculis, & sapientia, verbo, doctrina: *quia quod stultum est Dei* iuxtà reputationem falsam hominum, *sapientius est hominibus*, qualibet humana sapientia: *& quod infir-*

infirmum eſt Dei iuxtà eandem reputationem, *fortius eſt hominibus*, quolibet hominum facto; ideò myſterium Crucis, paſſio, nec ſcandalum, nec ſtultitia. *Videte enim vocationem veſtram, fratres*, conſiderate vocationem veſtram, & cognoſcetis Deum infirma eligere proùt dico, & hæc fortiora, *quia non multi ſapientes ſecundùm carnem* intèr vos vocati, ò Corinthi, *non multi potentes, non multi nobiles*; ſic & Io. 7. 48. nunquid ex principibus aliquis credidit in ipſum? ſed turba, &c. & cum promiſcuè ad conuerſos ex circuncisione, & præputio ſcribat; ideò intellectus ſuperior magìs recipiendus: *ſed quæ ſtulta ſunt mundi*, ignobilia *elegit Deus, vt confundat ſapientes*, reputātes ſe tales: *& infirma mundi elegit Deus, vt* illis *confundat fortia* in virtute propria confidentia: *& ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt*, non apparent, *vt ea quæ ſunt*, apparent magna in conſpectu hominum *deſtrueret*, annihilaret: *vt non glorietur omnis caro*, homo *in conſpectu eius*, antè illum ex oppoſito Dei in virtute propria, ſed recognoſcat omnia à Deo. *Ex ipſo autem* Deo *vos eſtis in Chriſto Ieſu*, per Chriſtum Ieſum, *qui factus eſt nobis ſapientia à Deo*; in eo enim cognoſcimus Dei myſteria, *& iuſtitia*, quia pro nobis ſatisfecit, *& ſanctificatio*, quia nos ſanctificat, Sanctos facit, *& redemptio*, quia nos captiuos redemit, ità *vt quemadmodum ſcriptum eſt: qui gloriatur*, non in ſeipſo id faciat, ſed *in Domino*, à quo omne bonum, *glorietur*, & ab eo recognoſcat vocationem ſuam, non ab illo, vel altero homine, puta Paulo, vel Apolline.



CAPVT II.

1 *ET ego, cum veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſubli-*
mitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuncians vobis teſti-
2 *monium Chriſti. * Non enim iudicaui me ſcire aliquid*
intèr vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.
3 ** Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui*
4 *apud vos: * & ſermo meus, & prædicatio mea non in*
perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſio-
5 *ne ſpiritus, & virtutis: * vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in*
6 *virtute Dei. * Sapientiam autèm loquimur intèr perfectos: ſapientiam verò*
7 *non huius ſæculi, nequè principum huius ſæculi, qui deſtruuntur: * ſed loquimur*
Dei *ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit* Deus *antè*
8 *ſæcula in gloriam noſtram, * quam nemo principum huius ſæculi cognouit: ſi enìm*
9 *cognouiſſent, numquàm* Dominum *gloriæ crucifixiſſent. * Sed ſicùt ſcriptum eſt:*
Quod oculus non vidit, nec aurìs audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præ-
10 *parauit* Deus *ijs, qui diligunt illum: * nobis autèm reuelauit Deus per Spiritum*
11 *ſuum: Spiritus enìm omnia ſcrutatur, etiàm profunda Dei. * Quis enim homi-*
num ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ità & quæ Dei
12 *ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei. * Nos autèm non ſpiritum huius mun-*
di accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt
13 *nobis: quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina*

14 *Spiritus spiritualibus spiritualia comparantes. * Animalis autèm homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelli-*
15 *gere: quia spiritualitèr examinatur. * Spiritualis autèm iudicat omnia: & ip-*
16 *se à nemine iudicatur. * Quis enim cognouit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autèm sensum Christi habemus.*



T ego, cùm venissem ad vos fratres, prædicaturus vobis (docet prædicasse illis in simplicitate, & veritate, conformans se Deo infirma eligenti) *veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ*, proùt solent alij docentes, sed solùm *annuncians vobis* simplicibus verbis *testimoniū* Iesu *Christi*, quod do de Iesu Christo incarnato, passo, rediuiuo, quem vidi. *Non enìm iudicaui*, censui *me scire aliquid intèr vos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*; hunc enim solum prædicaui: *Et ego in infirmitate*, in humilitate, vt & Phil. 4. 12. scio & humiliari. & 1. Thess. 2. 7. paruuli facti sumus. Heb. 5. 2. circundatus infirmitate. 2. Cor. 11. 7. me ipsum humilians, vt vos exaltemini; 2. Cor. 12. 10. Cum enìm infirmor, tùnc potens sum. *Et timore, & tremore*, idest, magna solicitudine, ne offenderem, ne transgrederer terminos mihi assignatos; Non hìc referenda verba, *in infirmitate*, ad tribulationes, & persecutiones Corinthii passas, cum agat de modo euangelizandi cum illis tento, & ad idem tendunt verba, *in timore, & tremore*, annexa, quæ proùt non ad tribulationes referri possunt; sic neque illa: & sub infirmitatibus non includi tribulationes. 2. Cor. 12. 10. vbi de vtrisque distinctè, proptèr quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo; simili phrasi vtitur. 1. Thess. 2. fui apud vos dum euangelizarem, & sermo meus, & prędicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis fuit, quia nec profuissent; in his enim Deus est qui incrementum dat; sed in ostensione spiritus ex corde loquentis, & virtutis signorum; sic & 1. Thess. 1. 5. Vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei, qui incrementum dat, sinè quo nihil operantur verba prædicantium; sic 1. Thess. 2. 17. Ephes. 1. 19. Sapientiam autèm loquimur intèr perfectos, idest, credentes, qui & Sancti nuncupantur suprà cap. 1. 2. Rom. 1. & vbiquè, colla suaui iugo Euangelij supponentes: hi enim perfecti, quos infrà spirituales vocat, spiritu ducti, spiritu capientes verba spiritualia, *spiritualibus spiritualia comparantes*, cum non loquatur de alijs, & extraneos alios assumere non debeamus, sicùt neque distinguere hos perfectos, & spirituales à credentibus simplicitèr, cum Paulus nullū verbum distinguens proferat, proùt Heb. 5. si enim voluisset, proùt ibi distinxit, hìc quoque distinxisset; Et dum dicit, *Animalis autèm homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*, intelligit, non de credente idiota, sed de non credente omninò: si enìm non percipit quæ spiritus sunt, quomodò credit, cùm fides versetur circà spiritualia? & hunc non opponit alijs, nisi perfectis, de quibus suprà, & spiritualibus absquè distinctione. Imò ex verbo, *spiritualibus*, apto comprehendere quoslibet simplicitèr credentes, conijcere possumus, verba, *intèr perfectos*, importare eosdem, nō alios, seù diuersos; & si Paulus fortè alibi spiritualem capit pro credente, sed ad altiora non pertingente, hìc certè non videtur eius mens talis; ideò dicit: *stultitia est illi*, quod de crucifixo dicimus, de quo suprà cap. 1. 23. quod ad infidelitatem spectat; nec potest diuersificari prędicatio Pauli quòd perfectis vno modo, alio animalibus annunciaret; nàm loquitur Paulus de vniformi prædicatione à spiritualibus apprehensa, non ab animalibus. Nec vnquàm agit Apostolus se potuisse altiora dicere, quàm Apollo siuè verbis, siuè modo, seù ordine, imò ęqualitèr de se, & Apollo loquitur cap. 3. & meliùs cap. 4. 6. aliòquin contradiceret sibijpsi asse-

asserenti in simplicitate sermonis prædicasse, & prædicare, & hinc eò magis verbum (perfecti) simplicitèr fideles. *Sapientiam verò non huius sæculi, nequè principum huius sæculi* philosophicam, caducam, deficientem, mundanam, de qua suprà vers. 4. & in primo cap. & infrà vers. 13. *non in doctis humanæ sapientiæ verbis*, & Coloss. 2. 8. non diabolicam, de qua nullibi, & quæ non potest numerari intèr sapientias, sed deceptiones, & quam non poterat dubitari à Paulo assumi, & verba intelligenda in dubijs, non in claris; & cum non aptetur ad ornatum verborum, de quo hìc; ideò principes hìc, non dæmones, sed homines, *qui destruuntur*, deficiunt à sapientia nostra, quæ prævalet, vel in eorum sapientia manca, vt infrà cap. 13. 8. siuè scientia destruetur; quod nec ad dæmones potest accommodari: elegit enim Deus quæ non sunt, vt ea, quæ sunt destrueret suprà cap. 1. 28. Verbum autèm, & sapientia Domini manet in æternum stabilis; destrues illos, & non ædificabis eos, quos Deus irridet, & subsannat, & pereunt de via iusta cum exarserit in breui ira eius Psal. 2. quæ ad dæmones non aptantur, sed loquimur Dei sapientiam æternam stabilem in mysterio, in sacramento positam, de qua re abundè ad Ephesios, & Colossenses, & Rom. 16. 26. quæ abscondita est in Scripturis, vel alio modo. *loquimur*, (dico) eam *in mysterio*, sacramento, proùt fit in rebus mysterio plenis, *in doctrina spiritus*, proùt sunt nobis reuelata infrà vers. 13. non proijcientes margaritas antè porcos, seù animales homines, de quibus infrà 14. qui non valent percipere, & quos videmus ad credendum non posse induci, & quibus sapientia nostra videtur stultitia: *quam* sapientiam *prædestinauit*, præparauit *Deus antè sæcula* ab Adam citrà in Scripturis sanctis reuelandam, & publicandam. 1. Pet. 1. per totam, *in gloriam nostram* tàm euangelizantium, vt infrà 9. 15. quàm credentium. Sed quodnàm mysterium hoc? abscondita hæc sapientia Sanctis reuelata? est Incarnatio Verbi, vocatio gentium, gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius Dei in Christo Iesu per Euangelium. Coloss. 4. 3. Ephes. 1. 9. 3. 5. 1. Thess. 2.

Sed ad mentem Apostoli hìc propiùs regni æterni credentibus dandi, adoptionis nostræ in filios. 1. Thess. 2. qui vocauit vos in suum regnum, & gloriam. Appropinquauit regnum cælorum, dicunt Ioannes, Christus, Apostoli: non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Rom. 8. 18. Quæ gloria? quam dixi esse gentes cohæredes, &c. ad regnum cælestem omnes admitti. 1. Thess. 2. 12. Pro qua gloria nostra, & salute tanta mirabilia à Deo facta sunt, sicùt olìm pro populo Hebræo ad Rom. 9. 4. vbì gloria; sicutì enim ibì pro Hebræis Paulus multa numerat beneficia, ità pro nobis suprà cap. 1. 30. Iesus factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio, vt qui gloriatur in Domino glorietur, &c. Verba, *in mysterio*, retuli etiàm ad verbum, *loquimur*, quia & ad illud referri possunt; nàm verba, *quæ abscondita est*, quæ idem important, clarè referuntur ad sapientiam, etsi melior prima relatio. Nec possunt intelligi verba, *in mysterio*, quasi occultè ageret Paulus, cum ea essent tempora destinata reuelationi, ad quam ipse, & Apostoli electi. 1. Pet. 1. per totam. 2. Timot. 1. 10. 11. Eph. 3. 8. 9. 10. & cap. 6. 20. ibì notum facere mysterium Euangelij. 1. Cor. 15. 51. eccè mysterium vobis dico. Coloss. 1. 26. vbì de mysterio. 1. Io. 1. 5. sic Raphael apud Tobiam. Tob. 12. 11. & Apoc. 10. 7. & infrà vers. 10. Et iuxtà hæc dicas, *in mysterio*, idest absconditam, & verba subsequentia, *quæ abscondita*, sint repetitiua eiusdem, vel declaratoria verbi, *in mysterio: quam nemo Principum huius sæculi cognouit*, non Gentium, quia Scripturas non habebāt; non Iudæorum, quia illas non intelligebant, & horrebant Gentes, nec putabant eas vocandas; vndè: nunquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus gentes? & ideò Principes non sequebantur Christum, sed sola turba, & putabant (quod magìs accedit ad mentem Apostoli) Messiam temporalitèr regnaturum. Act. 1. & alibì sæpè. Hinc Christus: confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, &c. & nunc habes verum sensum verborum sequentium: *si enim*

cognouissent sapientiam hanc absconditam, hæc mysteria, hanc gloriam, in Christo solo esse salutem, *nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent;* vndè hæc verba non trahenda ad dæmones. Quòd enim non de dæmonibus, sed de hominibus loquatur, patet. Primò, nàm quãdo de intellectualibus substantijs agit, se explicat. Ephes. 3. 10. vt innotescat, &c. & non est nobis colluctatio, &c. Ephes. 2. 2. & 6. 11. Secundò, quia dicit, *quam nemo Principum huius sæculi cognouit,* non ergò hęc dæmonum, cùm autèm de humana, non diabolica suprà intellexerit, neque hic de dæmonibus. Tertiò, quia Apostolus vult intelligere Deum hæc communicasse paruulis, prout dixit Christus, non sapientibus; ideò quid hæc ad dæmones? Quartò, quia verbis, *nemo principum,* non solet vti Scriptura ad dæmones, sed pro hominibus, puta nullus hominum, aliquis ex principibus. Io. 7. 48. at nunquàm nullus dæmonum: sed de dæmonibus vel generalitèr, & indefinitè, vel singularitèr dæmon, diabolus, &c. Quintò, quia verba, *huius sæculi,* referuntur vel ad generationem præsentem, dum loquebatur, vt & Rom. 12. 2. vel ad generationes alias vtiquè hominum, quæ non conueniunt dæmoni, qui neque nuncupatur princeps sæculi, sed mundi, tenebrarum, solus Deus sæculi, vel sæculorum, vt per Paulum: Regi sæculorum immortali, &c. & Tob. 13. 12. 1. Thes. 1. 17. Deum sæculorum. Sextò, quid ad Paulum, vel ad nos, dæmones sapientiam hanc diuinam ignorasse? vt quid Paulum de sapientia, vel ignorantia dæmonum agere? agit de illa contrà dæmones ad exprobrationem: Ephes. 3. 10. vt innotescat. &c. Septimò, suprà cap. 1. 20. dixit, vbi sapiens? vbi Scriba? vbi conquisitor huius sæculi? nonnè stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? & alia, ex quibus declaratur hæc, sicùt illa de hominibus agere; sic & infrà cap. 3. 18. 19. de sapientia hominum agit. Octauò, verba, *nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent,* innuunt reuerentiam voluntariam, quam ei habuissent, hac autèm caret diabolus: violentèr enim ad id agitur: credunt enim, & contremiscunt. Nonò, sicutì verba, *in gloriam nostram,* non referuntur, vel possunt referri ad dæmones, sed ad homines tantùm, pro quibus passus Christus, sic neque sequentia, *quam nemo principium huius sæculi cognouit:* est enim sermo continuatus. Decimò, ob verba, *si enim cognouissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent,* ne scilicèt gloria illa priuarentur, quam sperassent; at hæc consequentia non capit dæmones ab illa exclusos. Vndecimò, quia verba, *sicùt scriptum est: Quod oculus non vidit, &c. nec in cor hominis, &c. quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum,* non capiunt dæmones odientes, sed homines amãtes expressè, & clarè. Duodecimò, quia propriè non crucifixerunt, vt hic dicitur, dæmones, proùt homines, sed instigarunt. Decimotertiò, quia verba, *si cognouissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent,* tendunt ad idem quod illa Christi: non enim sciunt quid faciunt, quæ non ad dæmones, cum peteret, ignosce illis. Decimoquartò, quia verba, *nobis autèm reuelauit Deus, &c.* dæmonibus non aptantur, quibus non fit reuelatio horum à Spiritu sancto: sermo enim est de similibus, & ijs, quibus reuelari solent. Decimoquintò, exemplum: *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis &c.* non aptatur dæmonibus. Decimosextò, dæmonibus non aptantur verba, *Nos autèm non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est,* sed hominibus tantùm, & sic omnia, quæ subijciuntur, dæmonibus non conueniunt; ideò neque de dæmonibus intellexit, dum de Principibus huius mundi egit. Decimoseptimò, quia agit de his, quæ debuerant cognoscere de spiritu Dei accipiendo, & infundente, & hæc hominibus, non dæmonibus conueniunt. Decimooctauò, non attribuuntur dæmoni etiàm gesta per eum Deo iubente, vel permittente, proùt illa Iob, qui à Deo recognoscebat mala illa, Dominus dedit, Dominus abstulit, & Deus potiùs fuit traditor Christi, qui pro nobis omnibus tradidit illum morti; & peccata nostra non attribuuntur dæmoni instiganti, sed nobis malè agentibus, non repugnantibus, quia habemus liberum arbitrium, & possumus dissentire, & ipse non potest cogere; ideò non ipsi, sed hominibus attribuenda crucifixio Chri-

Christi, crucifixit Pilatus, magìs Hebręi clamoribus (inquit Augustinus) etsi de illo loquimur vt de ministro ad malum. 1. Thess. 2. 19. Apoc. 2. Ecce missurus, &c. Decimononò, distinguit animalem, & spiritualem, quæ dæmoni inepta, cum sit spiritualis, nec carne possit deprimi. Vigesimò, declarantur hæc ex verbis eiusdem Pauli. Act. 13. 27. qui enim habitabant Ierusalem, & principes eius hunc ignorantes, &c. ibi enim de hominibus. Et Petri. Act. 3. 17. Et nùnc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicùt & principes vestri; sic Dauid Psal. 2. astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius, de quo & Act. 4. 26. & sicùt hæc dæmonibus non aptantur, neque sequentia: dirumpamus, &c. Et nùnc reges intelligite, &c. Similitèr Paulus. 1. Thess. 2. 15. de Iudæis, qui & Dominum crucifixerunt Iesum, &c. Vigesimoprimò, dum dicit, ***principum huius sæculi***, non intelligit quòad dominationem, seù tyrannidem, sed quòad sapientiam: de hac enim agit; at tyrannis in diabolo, sola sapientia in principibus Iudæorum, ergò in his verificatur dictum, non in diabolo. Et si dicas sapiens diabolus, respondeo illum nō dici principem mundi ob sapientiam, sed ob tyrannidem, ergò non includitur. Vigesimosecundò, diabolus cognouit Messiam incarnandum. inimicitias ponam, &c. Gen. 3. ideò tentauit Iesum in deserto; vndè in illum non cadunt hæc verba. Vigesimotertiò, ad quid dicere, ***Dominum gloriæ,*** si de diabolo intelligebat? nàm si diabolus potuisset, & in illum attentasset, non dimisisset liberum, loquor respectu ipsius Christi, non effectus suæ passionis, quem si scisset, nempè & liberandos homines per crucem, nunquàm instigasset. Vltimò, diabolus dubius redditus an esset Filius Dei, procurauit liberationem sibijpsi timens, & per Iudam reportantem pecuniam, & testantem de innocentia, & per vxorē Pilati idem attestantem: non enim bonus Angelus id ei suggessit, vt latiùs dixi in Euangelijs, ità vt quod primò suggesserat, reuocauerit ne fieret, ergò de illo non agit, remansit tamèn vigor primæ suggestionis Deo permittente, qua mors successit Christi; hinc nutat sententia illa, quòd si diabolus cognouisset Chistum, nihilominùs ex odio, ignorans quà tenderet eius passio, necem eius procurasset; nàm ex his apparet mutasse sententiam, dum in dubitationem incidit, & sic magna culpa Iudæorum persistentium cum Pilato, respondentium Iudæ: quid ad nos? tu videris. Ad illa verba (venit Princeps mundi huius, &c. &, hæc est hora vestra, &c. &, vos ex patre diabolo estis, & si quæ alia huiusmodi) respondeo probare dæmonem instigasse, quod in Iuda explicat Ioannes, cum diabolus iàm misisset in cor, vt traderet eum Iudas, & pòst buccellam introiuit in eum Satanas, non autèm diabolum crucifixisse. Et si quandò de diabolo hoc dici posset, non hoc dicit hìc Apostolus: stamus enìm supèr intelligentia verborum Apostoli.

Quam gloriam credentium in Christum ***nemo principum huius sæculi cognouit***, imò adhùc prædicatio Christi crucifixi Iudæis scandalum, Gentibus stultitia: ***Si enim cognouissent, numquàm Dominum gloriæ crucifixissent***, ne à tanta gloria arcerentur. ***Sed*** contigit ***sicùt scriptum est***, quod habetur Isa. 64. ***Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum***. Videtur autèm relatio verbi, ***quam***, fieri ad gloriam aptiùs, tùm quia proximius, & ad proximiora in dubio fienda, tùm quòd subdit, ***Dominum gloriæ***, quasi declarans quid intellexerit, tùm quia subdit de premio gloriæ, de quo per Isaiam, abscondito, non reuelato, & fortè sub arcanis verbis posito, quæ non licet homini loqui, tùm quia si vltimum, ***quam***, sapientiam relaturum erat, non erat necesse illud repetere, sed sufficiebat primum, ***quam***; tùm ob verba, ***vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis***.

Sed contrà, quia videtur reassumi principale, quod erat sapientia, non gloria, quod erat incidens. Secundò, quia non videtur conuenire, ***nemo principum cognouit*** gloriā nostram, cùm ***Deus*** prædestinauerit sapientiam absconditam ***in gloriam nostram***. Tertiò, quia si de gloria cælesti intelligas, de qua Apostolus subdit, non cadit sub scientia, vt ipse dicit: ***Quod oculus, &c.*** at hìc agitur

agitur de cognoſcibilibus, quæ erant abſcōdita, modo reuelata. Quartò, quia intentio Apoſtoli eſt oſtendere myſteria omnibus non patère, non gloriam. Quintò, verba, *in gloriam noſtram*, tendunt ad effectum emanantem ex cognitis, non ergò intendit de illa, ſed de his, quæ præcedere debent. Sextò, quia neutra gloria demonſtrari poterat, ſiuè quam receperamus, ſiuè quam expectamus. Septimò. quia non proponebatur agnoſcenda gloria, ſed ſapientia, quæ prædicabatur. Octauò, verſ. 12. dicit reuelationem fieri, *vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis*; verbum autèm, *ſciamus*, ad ſapientiam refertur, præſertim quia Chriſtus datus eſt nobis, de hoc ergò, non de gloria. Nonò, quia dicit, *quæ & loquimur* verſ. 13. hæc autèm de ſpectantibus ad ſapientiam. Decimò, ex verbis, *ſtultitia eſt illi*, ergò de ſapientia, & prædicatione: Gentili enim ſtultitia Crux ſuprà cap. 1. 23. Vndecimò, præcedebat ordine priùs ſcire ſapientiam, deindè gloriam aſſequi, at principes facit ignorantes ſapientiæ, quam abſconditam præſupponit, ergò de ſapientia, quæ præcedit, non de gloria, quæ ſubſequitur, eſt ſermo. Duodecimò, prædicit Apoſtolus non loqui ſapientiam principum huius ſæculi, ſed abſconditam Dei, congruè ergò ſubſequitur hanc eis incognitam, non gloriam, de qua non præmiſerat. Decimotertiò, verſ. 13. verba, *quæ & loquimur* congruunt præmiſſis verſ. 6. *ſapientiam autèm loquimur*, ibi de illa, in fine de illa, ergò & in medio de eadem. Decimoquartò, ſicùt verbum, *quam*, primum refert ſapientiam, ſic ſecundum. Non videtur autèm ſic connecti poſſe: *Si enim cognouiſſent* gloriam noſtram, *nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent*, quia diuerſa gloria Domini à noſtra, & ex præmiſſis; nàm ſapientia priùs apprehendenda. At videntur mihi omnia in idem recidere, vel noſſe ſapientiam abſconditam, quæ prædicabatur, vel gloriam, ad quam aſſumimur; & ex præmiſsis eò magìs apparet dæmones non poſſe includi in hac phraſi. *Dominum gloriæ*, intellige fontem gloriæ, datorem gloriæ; ideò prædicabat, appropinquauit regnum cælorum, non potuit maieſtatem Dei amplioribus verbis, quàm hoc vno demonſtrare, & conſequentèr graue peccatum commiſſum à crucifixoribus. *Sed ſicut ſcriptum eſt: quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ÿs, qui diligunt illum* id eſt, regnum Dei quod prędicauit Ioannes Baptiſta, Chriſtus, Apoſtoli, & ſic ſe explicat, quæ ſapientia, quæ prædicatio, quæ manifeſtatio; ſic Pſal. 30. quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Vel breuius dici poſſet. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos*, fideles: *ſapientiam verò non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi*, philoſophorum, vel aliorum, *qui deſtruuntur*, deficiunt: deſtruetur enim eorum ſcientia pòſt hanc vitam, quia ad nihil conducet: *ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio*, in ſacramento, *quæ abſcondita eſt*, abſconditā, *quam prædeſtinauit Deus antè ſæcula in gloriam noſtram*; quæ hęc? regnum Dei, viſio beatifica; vndè dicitur: venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. hoc regnum prædicauit Ioannes, hoc Chriſtus, hoc Apoſtoli; *quam* gloriam ſic paratam *nemo principum huius ſæculi*, ſiuè Iudæus, ſiuè Gentilis, *cognouit. Si enim cognouiſſent, nunquàm Dominum* illius *gloriæ* Ieſum Chriſtum *crucifixiſſent*. Sed euenit *ſicùt ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit* ab æterno *Deus ÿs, qui diligunt illum*, credentibus, & operantibus, nimirum, ſi illi increduli, & vitioſi non cognouerunt: *nobis autem* fidelibus *reuelauit Deus per Spiritum ſuum* ſanctum, &c. Et hic eſſet ſenſus horum verborum facilis: non enim hic agitur niſi de gloria *in gloriam noſtram*. *Dominum gloriæ: Quod oculus non vidit, &c.* Non hìc de Verbo Incarnato, quia iàm præceſſerat, & quia dicit de Domino gloriæ, vel de eo vti datore gloriæ, non de Gentium vocatione, quia iàm innotuerat; non ergò hic de dæmonibus, quia quid ipſis ad gloriam, ad quam aſpirare non poterant? vel de Verbo Incarnato, quia pòſt mortem illud ſenſerūt, non antè; ideò Satanas miſit in cor Iudæ, vt eum traderet. Io. 13. 1. quod non feciſſet, ſi illum cognouiſſet, & quandò cognouiſſe

cenſuit

censuit, tentauit per Iudam, & vxorem Pilati Christum saluare, sed frustrà. Sed de principibus Iudæorum, qui machinati sunt in mortem Christi. Act. 2. 24. per manus iniquorum affligentes interemistis, & Act. 3. 17. & nùnc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicùt & principes vestri, & Act. 13. 27. qui enim habitabant Ierusalem, & principes eius hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt, & nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato vt interficerent eum; sic apud Matthæum cap. 26. 1. Marcum 14. 1. Luc. 22. 1. dicuntur principes Sacerdotum, & seniores populi, & Io. 15. 21. dicitur à Christo de illorum ignorantia, sed hæc facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui misit me, & Io. 16. 4. Sed hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me, & in Cruce: dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Hæc autèm hic insinuat Paulus Corinthijs Gentilibus, ne ipsi dicerent, si talis Messias, cur sui, ad quos missus, adeò immanitèr illum trucidarunt? Ex hoc intellectu possemus etiàm interpretari epist. ad Ephes. cap. 3. 8. Mihi omnium Sanctorum fidelium minimo data est gratia hæc in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, gloriam, & regnum eius, & illuminare omnes etiàm Gentiles, quæ sit dispensatio Sacramenti abscõditi à sæculo in Deo, qui omnia creauit, communi, qui est omnium creator, & pater tàm Hebræorum, quàm Gentilium; sed quodnàm sacramentum absconditum? quod dicit suprà, gentes comparticipes promissionis, gloriæ, regni, hæreditatis. Vt innotescat principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro, vt scilicèt innotescat etiàm principatibus, & potestatibus huius sæculi, qui hæc ignorauerunt, vt hic, in cælestibus, circà hæc cælestia, diuina: vel in cælis, quia de cælo hæc elapsa, vel quia ibi gloria, quam ignorant, vt hic per Paulum; Vel in cælestibus, non in terrenis, sed in cælestibus, spiritualibus, ad gloriam spectantibus; per Ecclesiam, Congregationem fidelium, per prædicationem, quæ in Ecclesia habetur, & per me, vt suprà, multiformis sapientia Dei secundùm præfinitionem sęculorum, tempore sibi beneplacito, pòst sęcula multa, quam fecit, operatus est in Christo Iesu Domino nostro, per Iesum Christum Dominum nostrum: per illum enim Gentilium conuersio, & ad gloriam euectio. & est phrasis similis. Act. 9. 15. vt portet nomen meũ coràm gẽtibus, & Regibus, & filijs Israel, & dum steteritis antè Reges, & Præsides; & proùt dictum ab Angelo de Ioanne Baptista: vt conuertat corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iustorum. Luc. 1. & Malach. 4. 6. & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Dixi, in cælestibus, circà hęc cælestia, & diuina: talia enim sunt, cum gloria, regnum, hæreditas sint in cęlis habenda, & possidenda, non in terra, vt hic vers. 9. ex Isa. 64. 4. Dixi, principatibus, & potestatibus huius sęculi: ipsi enim non audierant, sed ignorauerant sapientiam hanc Dei, gloriam hanc pręparatam, proùt dicunt Paulus, & Isaias, sed innotuit per prędicationem Ioannis, Christi, Apostolorum, Pauli, cui iniunctum portare nomen Christi coràm gentibus, & Regibus, & filijs Israel. Act. 9. Dices fortè, verbum (principatus, & potestates) hominibus non conuenire; at eisdem conuenit appellatio Deorum; Ego dixi, Dij estis; & Paulus Rom. 13. 1. dicit: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & Tit. 3. 1. admone illos principibus, & potestatibus subditos esse. Isa. 9. 6. Factus est principatus super humerum eius, & alibi sæpè in Scriptura. Luc. 20. 20. vt traderent illum potestati, & principatui, Pręsidi, & 1. Cor. 15. 24. cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem; & in Psal. nimis confortatus est principatus eorum. Necessariò autèm sic hæc intelligenda; nàm si dicis, vt innotescat Angelis, visne quod ipsi Prophetis manifestauerint, & per prophetas est deductũ, ipsos ignorasse? quòd autèm per Prophetas dictum sit, non potest negari à legentibus illos. Vis superiores intelligentias ab hominibus inferioribus informari? Sanctus enim Thomas 1. p. q. 117. art. 2. id negat,

gat,

gat, & ibi agit supèr hoc loco Pauli. Vis Angelos gloria fruētes gloriam hanc ignorare? Vis Angelos custodes Gentilium quorumcunque hæc ipsis profutura ignorasse, si in mundo negociorum gestores sciunt quæ ad Dominos? at nonnè Angelus eduxit Apostolos de carcere,& iussit illos prædicare? Act. 5. nonnè Angelus Philippo significat vt accedat ad Eunuchū? Act. 8. 26. Petro ad Centurionem? Act. 10. Paulo ad Macedones? Act. 16. 9. nonnè assistit Paulo doctori Gentium? Act. 27. 23. Non dicas, innotescit, idest, apparet pòst factum; nàm non infertur scientia anterior: sciebant enim hæc antequàm fierent; & hoc pacto etiàm Deo aliquid innotesceret ex facto nostro,quod dici non potest,vndè saluatio Diui Thomæ ex Aug. 1. p. q. 117. art. 2. ad 1. non satisfacit. Si dicis, vt innotescat dæmonibus, visne infundi sapientiam dæmonibus per Ecclesiam? quid ad Ecclesiam? quid ad homines horum absconditorum scientia in dæmonibus? quid ad ipsos dæmones? at credendumne dæmones latuisse Gentes ad fidem, & gloriam euehendas aliquandò, postquàm hæc erant adeò trita apud Prophetas? & videbant Deum etiàm Gentilibus lucem quandam immittere, prout Niniuitis, & alijs; at dæmones sciuisse ipsos ex hoc mundo eijciendos videntur ipsi innuere, dum dicunt Christo: venisti antè tempus perdere nos, quasi, sciebamus nos perdendos, & in ignem mittendos, sed non tàm citò, seù de hoc tempore: vis dæmones gloriæ existentiam ignorasse? Dices quòd saltèm hic de dæmonibus, arguitur ex alio textu. Ephes. 6. 12. quoniàm non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, idest, homines, sed aduersùs principes, & potestates, aduersùs mundi rectores, tyrannos tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ, nequissima in cælestibus, idest, aereis. At respondeo, declarat se in eo loco Paulus clarè intelligere de dęmonibus exprimens,aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ, quæ verba dæmonibus tantùm conueniunt. At non placet (& hoc faciet pro intellectu nostro) in cælestibus,idest,aereis: etsi enim cælum & aer dicendum prout suprà expressi, in cælestibus, idest, colluctatio nostra magna, grauis pro cælestibus, circà cælestia versatur, hoc enim agit Paulus, vt ostendat colluctationem, bellum esse cum hostibus quasi inuincibilibus, & agi de re in supremū graui, vt magis Ephesios ad bellum vrgeret, & accingeret; ideò etiàm verbum hoc (in cælestibus) coma distinctum est, & separatum, & de per se positum,non vniendum cum spiritualibus nequitiæ;& si voluisset vnire,dixisset(cælestes) referendo ad principes,& potestates,vel cælestia,referēdo ad spiritualia nequitiæ; ideò ad hæc superanda pro tanto bono subdit; accipite armaturam fidei, &c. Quomodò enim in cælestibus,idest, aereis, si iàm dixit, aduersùs mundi rectores tenebrarum harū, contrà spiritualia nequitiæ, nequissima, quā nequitiam hìc in mundo tenebrarum harum contrà nos exercent? essent enim hæc contraria de stantibus in mundo clarè loqui, & intelligere de eisdem morantibus in aere; & nonnè Christus dicit diabolum principem huius mundi? quomodò ergò in cælis? quomodò in celestibus, idest aereis? esto enim quòd cælum aereum, sed illud à conuexo ad concauum; at non ibì dæmones, sed à concauo citrà; vndè verbum (in cælestibus) quasi ibi morantibus dæmonibus non conuenit, & est magna differentia dicere in aere ipsos versari,quod verum,vel in cælo aereo esse,quod falsū est: impropriè enim dicuntur aues cæli,quæ nō in cælo,sed cælum versùs euolant. Prætereà,non diceret,in cælestibus,sed in cælis; hoc enim verbū existentia in cælo dicit,nō cælum,& aliàs cęlum Empyreum significatur. Ephes. 1. 3. benedixit in cęlestibus,& 20. & constituens ad dexteram suam in cęlestibus, & cap. 2. 6. consedere fecit in cęlestibus.quod Heb. 1. 3. sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, & Philipp. 2. 20. vt in nomine Iesu omne genu flectatur,cęlestium, terrestrium, & infernorum, vbi verbum (cęlestium) apponitur ad differentiam (terrestrium, & infernorum) sic & in verbis: & erunt sicùt Angeli in cęlo. Matth. 22. 30. obseruat ibi Caietanus verba (in cælo) apponi ad differentiam dæmonum; idem habetur. Marc. 13. 32. & nullibi verbum (cæleste) vel pro cælo aereo,

vel

vel pro dæmonum sede; Vltrà quòd contrariaretur Petro dicenti: rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos. 2. Petr. 2. 4. & Apocal. 12. 8. nequè locus inuentus est eorum ampliùs in cælo, & proiectus est in terram vers. 4. & 9. Et hic locus sic expositus seruit in corroborationem intellectus dati suprà: vt innotescat principatibus, & potestatibus in cælestibus, idest, circà cælestia. At si quæstio esset, an de Angelis, vel dæmonibus essent interpretanda hæc verba, potiùs de Angelis, quàm de dæmonibus interpretarer; at quia Angelis videntur parùm conuenire, potiùs hæreo, vt de Principibus sæculi agat; locus verò. 1. Timot. 3. in fin. cũ ibi agatur de Verbo Incarnato ex omnibus verbis, & præsertim (assũptum est in gloria) verba (apparuit Angelis) possunt sic intelligi, Angelis demonstratum esse, quando iussi sunt adorare illum. Heb. 1. 6. & iterum, cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.

Sed non erit ab re cognoscere quando Angelis, & Adæ reuelatum fuerit mysterium Incarnationis Christi.

Et quòad Angelos. Aut quærimus an in statu gratiæ mysterium hoc eis innotuerit; & non videtur.

Primò, quia cum nihil habeamus ex Scriptura, in dubio præsumitur ignorantia præsertim mysteriorum diuinorum, & reconditorũ, quæ absquè reuelatione Dei non possumus attingere: vndè Paulus infrà vers. 10. *quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ità & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei*. sic arguit S. Thom. 1. p. q. 57. art. 5. in corp.

Secundò, quia creati fuerunt in gratia gratum faciente absquè eorum merito. S. Thom. 1. p. q. 62. art. 3. & non præsumitur multiplicatio gratiarum supernaturalium absquè aliquo actu: ad 2. Timot. 4. 7.

Tertiò, quia sicùt quandò primogenitus introductus in orbem terræ dictum: & adorent eum omnes Angeli Dei: Heb. 1. 6. sic & de illo tempore diceretur.

Quartò, quia finis Angelorum in gratia constitutorum erat gloria, ad quam anhelabant: ad eam verò consequendam non erat eis necessaria scientia Incarnationis Verbi, quam Deus pro hominibus peccatoribus, non pro ipsis innocentibus prædestinauerat; & sufficiebat eis cognoscere mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Deum remuneratorem & glorificatorem, à quo gratiam receperant, & gloriam erant adeptùri; & in his insudandum erat: ideò antè beatitudinem non sunt perfusi hac reuelatione.

Quintò, quia cognitio Verbi incarnandi erat de futuris, & ea cognita, & causam illius, nempè ad hominem, qui creandus, & lapsurus erat, redimendum, cognouissent, & futuram hominis creationem, & futurum peccatum. At Angeli regularitèr ignorant futura, ex S. Thom. & Deus non solet reuelare peccata futura; non participarunt Angeli de creatione hominis, sed totum operata est sanctissima Trinitas, colloquens: Faciamus hominem, &c. Gen. 2. & si hæc infirma non communicata, quomodò Incarnatio Verbi augustissima?

Sextò, nouerat Deus, partem Angelorum apostaturam, eamquè indignam hac reuelatione; amicis enim secreta reuelantur; vndè Dauid Psal. 50. incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi; & Christus: non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis, idcircò aptiùs videntur hæc mysteria Angelis beatis manifestata.

Septimò, sicùt dæmon ignorauit Christum esse Deum, & Messiam pòst Incarnationem, ità credendum futuram Verbi Incarnationem tùnc ignorasse, quia si tùnc sciisset, faciliùs in cognitionem Christi venisset, quod Deus noluit.

Octauò, tutiùs accessisset tentaturus Adam, quem cognouisset peccaturum, nec declinasset ad Euam, vt per eam caperet Adam.

Nonò, dicunt omnes, dæmonem existimasse lapso Adam genus humanum destructum iri; quòd si sciisset Incarnationem Verbi futuram pro illius reparatione, non erat cogitaturus.

Deci-

Decimò, si sciſſent Angeli, Deus ad eam explicandam non egiſſet tot verbis cum dæmone. Gen.3. Inimicitias ponam,&c. vndè veriſimiliùs tùnc tantùm ei innotuiſſe.

Non obſtat, ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi proptèr eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis: Heb.1.14. ergò ſciuerunt officium illorum circà homines, & conſequentèr Incarnationem Verbi. Quia hoc ad aliud tempus reſeruabatur, ſpatium erat officium hoc diſcendi, cum homo poſt illos quinque, vel ſex diebus creatus fuerit, priùs ipſi ad beatitudinem aſſumendi, primò ſibijpſis ex ordine charitatis prouidendum,& hoc arduum erat ad gloriam ex actu peruenire. & ità ex S.Th.2.2.q.57.art.5.ad primum. Vltrà quòd argumentum videtur ex diuerſis.

Non obſtat, Incarnatio Verbi eis propoſita fuit ad exercitium pro gloria adipiſcenda, proùt homini præceptum. At de præcepto hominis conſtat, de hoc nullibi. Imò puto, hærens S. Thomæ, exercitium Angelorum fuiſſe, vt quamuis eſſent in gratia,& magna celſitudine, & formoſitate creati, intelligerent ea de cauſa eis non deberi gloriam, ſed humilitate, & pro ea rogandum Dominum, & in his actibus humilibus ſe exercere. Quod quia ſuperbus ille noluit, ſed potiùs elegit gloriari ex dotibus,quibus Deus eum ornauerat: S.Thom.1. p. q. 63. art. 3. & appetiuit fieri ſimilem Altiſſimo, & ſedere in throno Altiſſimi: Iſa. 14. Ezechiel.28.ideò non potuit ad gloriam peruenire:ſed cum ſocijs rebellibus deiectus fuit. & ſic ſuperbia fuit eius peccatum: Iob. 41. 25. ipſe eſt ſupèr omnes filios ſuperbiæ. initium omnis peccati eſt ſuperbia: Eccl. 10. 15.quam retinuit, & retinet pòſt caſum: hinc tentauit, & tentat orbem in ſui adorationem trahere: Apoc.6. & de eadem tentauit Euam: eritis ſicùt dij, ſcientes bonum & malum: Gen. 3.

Nequè crederem,Luciferum cecidiſſe, quia appetiuerit incarnari proùt Verbum, cognoſcens carnem exaltandam, quia erat exinanitio, Philip.2. & ad peccatum hominum tollendum,& patiendum, quæ ignorauit, & non aptantur ſuperbo.

Vel voluiſſe verbum ſumere ſeipſum in hypoſtaſim, quia optaſſet deſtructionem ſuijpſius: S. Thom. 1. par. q. 63. art. 3. & quia Scriptura dicit optaſſe fieri ſimilem Altiſſimo: at ſic fuiſſet in Altiſsimo.

Aut voluiſſe Verbum aſſumere naturam Angelicam, quia non erat conueniens aſſumi naturam non redimendorum: ideò nec præſumitur id appetijſſe; & præſupponendum eſſet ipſum habuiſſe ſcientiam etiam hominis,& illius peccati, quod non procedit. Prætereà,ſuperbia, qua peccauit, concernebat ſuijpſius exaltationem, non naturæ Angelicæ: vndè ſtandum in cauſa dicta à Scriptura.

Hanc opinionem, Angelos ignoraſſe Incarnationem Verbi, multos Patres tenere refert Baradd.in ſua concord.Euang.2.tom. lib. 5. cap. 10. quam tamèn ipſe non ſequitur.

S.Th.1.p. q.64. art.1. ad 4. videtur reſidere, Angelos nō cognouiſſe myſterium Incarnationis antè beatitudinem: nam quòd in ſtatu gratiæ, dubius eſt ex verbo (maximè) & quia abſolutè negat in dæmonibus; & quia fundat ſe in dicto S.Aug. de Gen.ad litt. lib.5.c.19. qui loquitur de beatificatis, non antè; & idem lib.9.c.18. & dictum Doctoris intelligitur iuxtà allegata. & ità loquitur S. Paulus, in cuius dictis fundat ſe S. Aug. & idem S.Thom.1.p.q.57.art.5.ad 1. clariùs dicit: Omnibus reuelatum eſt à principio ſuæ beatitudinis: vndè verba (à principio) d.q.64.art.1.ad 4. 1.p. ſic etiam intelligenda, ne contradicat.

Aut quærimus, an Angelis ad gloriam tranſlatis innotuerit Verbi Incarnatio. & S.Thom. 1.p.q.57. art.5. in corp. & ad 1. Dicit eis innotuiſſe ſecundùm quòd Deus eis reuelat; quæ reſtrictio eò magis firmat, cum non exiſtimaſſe quicquam eis reuelatum in ſtatu gratiæ. Benè autem dicit (ſecundùm quòd Deus eis reuelat) quia & ipſi multa ignorant, proùt apparet Iudæ verſ. 9. Zach. 3.Daniel.10.13. 2.Reg. 24.16.1.Paralip.21.15.Matth.24.36. & pluribus locis. in Apoc.& Maria Virgo ſuprà Angelos ignorabat ſe matrem Dei electam.

Aut quærimus poſt lapſum quòad dæmones.

mones. & videtur, eos cognouisse quandò dictum lucifero: Inimicitias ponam, &c. Gen. 3. etsi neque perfectè mysterium Incarnationis cognouerunt, ex S. Thom. 1. par. q. 64. art. 1. ad 4. Tamen tùnc facilè potuerunt intelligere, & saltèm successu temporis, videntes nec mori hominem, nec humanam naturam destrui, sed conseruari: & diligentiam adhibitam in diluuio pro conseruanda specie humana; & quia sciebant peccatum commissum in Deum personam infinitam, non posse nisi per personam in diuinis expurgari, & deleri. Hinc sumus certi, dæmones sciuisse Verbum incarnandum postquàm iàm incarnatum erat, quia aliàs non tentasset dæmon an Iesus esset Filius Dei; & non dixisset anxius: cur venisti antè tempus perdere nos? & similia proùt in Euangelijs; at quid antè, & quo tempore assecutus sit, dignoscere certò non possumus. Hæc quòad Angelos.

Quò verò ad Adam, multi volunt eum cognouisse incarnationem Verbi in statu innocentiæ, fundati in verbis eius: Hoc nunc, os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna: Genes. 2. 23. 24. iunctis verbis Apostoli Ephes. 5. 32. pòst verba Adam: Sacramentum hoc magnum est, ego autèm dico in Christo & in Ecclesia. iuxtà vnum intellectum, quem sequitur S. Th. 3. par. quæst. 1. art. 3. & 2. 2. q. 2. art. 7. in corp. dicens Christũ innotuisse ei tamquam consummatorem gloriæ; sic Io. 11. 52. verbis Caiphæ: expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat, additum (& non tantùm pro gente, sed vt Filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.)

At secundùm alium intellectum illorum verborum, nempè quòd sint Pauli, & sensus suus, non Adæ, quem tenet Gen. 3. Ruper. Abb. & assumpserit ea Paulus ad accomodationem sui dicti, opinio non procedit. & hunc intellectum videtur amplecti August. de Gen. ad litt. lib. 9. quæst. 19. nam non se explicat clarè, an Adam intellexerit de incarnatione Verbi, sed dicit Apostolum commendare esse magnum sacramentum, & S. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 7. in corpore, dicens: quod quidem sacramentum non est credibile primum hominem ignorasse: innuit enim sensum esse Apostoli, non intentum ab Adam: sed credibile (etsi dubitatiuè) illum sciuisse. & Conc. Trident. sess. 24. cap. 1. vers. Gratiam. dum illa verba tribuit Apostolo. & huic intellectui adstipulantur multi Doctores, & Interpretes, dicto cap. 3. Gen. dicentes ex sopore illo instructum Adam, Euam ad eum adductam, vt vocaret eam: fuisse eductam de sua costa, quod sopore pressus ignorasset: ideoquè protulisse verba: Hoc nunc, os ex ossibus meis, &c. & alia versantia circà matrimonium; non autèm de dictis à Paulo, vel de Verbi incarnatione.

Et in idem recidit alius intellectus, quòd Paulus loquatur per allegoriam, volens demonstrare matrimonium illud fuisse typum, seù figuram coniunctionis Christi & Ecclesiæ. qui est Hieron. Chrysost. Theodoret. Theophyl. Anselm. Tho. Ephes. 5. August. Psal. 138.

Probatur is intellectus ex verbis (ego autèm dico) quasi, non dixit hoc Adam (ita Ruper.) sed ego dico; & est phrasis Paulo familiaris, dum ipse ex Spiritú Dei aliquid noui dicit (puto enim quòd & ego Spiritum Dei habeam, dicere solebat) sic 1. Corinth. 7. 10. præcipio non ego, sed Dominus. & vers. 12. ego dico, non Dominus. sic S. Leo serm. 3. in anniuers. assump. suæ supèr illis verbis (& ego tibi, quia tu es Petrus, &c.) & ego, inquit, dico tibi, hoc est, sicùt Pater meus tibi manifestauit diuinitatẽ meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, &c. Videndus Abulen. 1. Reg. 8. quæst. 129. & 132. & 138. hæc declarans, & adducens August. epist. cont. Pollentium. Et quando Paulus loquitur ex Scriptura, vel Prophetis:

vel describit verba, vt hic, vel nominat prophetas: Rom. 9. 15. 17. 24. 33. & cap. 10. 5. 8. 11. 16. 19. 20. & alibi sæpè.

Accedit, quia refert prius verba Adæ, deindè ex illis infert ad Ecclesiam & Christum; & eadem verba absquè hoc sensu Pauli retulerat Christus: Matth. 19. Et similes accommodationes sunt in Scriptura noua à veteri desumptæ frequentissimæ, & etiàm apud Paulum vsitatæ; hæc autèm aptissima: nam sicùt matrimonium indissolubile intèr homines, ita & desponsatio Christi cum Ecclesia, imò excedens, quia mors omnia absumens, tandèm soluit illud intèr virum & vxorem: in cælo enim nequè nubent, nequè nubentur: Matth. 22. at nexus Christi cum Ecclesia æternus, in cælo perseueraturus: ipse enim sacerdos in æternum: Psal. 109. Et sicùt magna dilectio intèr coniuges iussa, ita excedens charitas Christi cum Ecclesia, pro qua mori dignatus est: maiorem enim charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. & hoc sentit Conc. Trid. loco præallegato. & in nobis etiàm excedere debet, quia qui non odit patrem, &c. adhùc autèm & animam suam, &c. Luc. 14.

Vltimò, continent hæc verba Apostoli mortem, & passionem Christi ex prædictis, omnes autèm tenentes innotuisse Adam in statu innocentiæ incarnationem Verbi; & præsertim S. Tho. (qui vidit non posse alio modo hoc dici) tenent Christum tamquàm consummatorem gloriæ, non vti redemptorem innotuisse, quia Adam erat peccati futuri nescius. Ergò ex dictis verbis non potest argui ad scientiam Adæ, quia Apostolus in illis verbis agit de Christo redemptore per sanguinem, & crucem.

Quòd autèm Apostolus agat de Christo redemptore, & qui iam omnia consummauerat, clarum fiet legenti cap. 5. ad Ephes. à vers. 22. vsquè ad fin. & considerranti ipsum scripsisse postquàm sedet à dextris Dei in gloria. & quia alio modo non apparet de hoc sacramento. Et habetur Act. 20. 28. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, *quam acquisiuit sanguine suo*. non potest dici clariùs; & in consecratione sanguinis, quod pro vobis effundetur. & Rom. 3. 25. quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius, &c. Heb. 10. 19. habentes itaque fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, &c. & Heb. vlt. 12. & Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, &c.

Confirmatur hæc opinio, quia Adam fuerat creatus in gratia, in paradiso voluptatis positus, datumque ei præceptum vt operaretur, & custodiret paradisum, ad quem translatus, & non comederet de ligno vetito; & cum adhùc nihil meruisset, non præsumitur perfusus alia reuelatione, quod & dixi in Angelis, quod magis procedit in Adam diù victuro, qui sensim informari poterat; & pro tùnc satìs erat nosse mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Deum remuneratorem & glorificatorem.

Accedit, quia non intererat Adam scire incarnationem Verbi antè lapsum, quia non fuit necessaria fides in Christum nisi pòst peccatum, Aug. epist. 157. ad Optatum, dicens: Cum omnes iusti siuè antè Incarnationem, siuè pòst Incarnationem Christi nec vixerint, nec viuant, nisi ex fide Incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo, profectò quod scriptum est Act. 4. non esse aliud nomen sub cælo, in quo oporteat saluos fieri nos, ex illo tempore valet ad saluandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est, &c.

Confirmantur hæc, quia si non peccabat, Christus non esset incarnatus, S. Thom. 3. par. quæst. 1. art. 3. aliòqui ostensa fuisset medicina antè morbum, con. glo. 1. Timot. 1. imò si nescius non fuit peccati, iuxtà August. de Genes. ad litt. lib. 9. cap. 19. nequè remedij. Et si in illo statu necessaria fuisset fides, non deerat tempus illum informandi, vt dixi.

Præte-

Præstereà, si Angelis non fuit reuelata Verbi incarnatio in statu gratiæ, tantò minùs Adæ: non enìm præsumitur plùs Adæ, quàm illis reuelatum.

Ex prædictis autèm apparet nequè reuelatum fuisse vti consummatorem gloriæ. Equidem tùnc non erat tempus cogitandi de gloria, sed operandi, & cauendi à peccato, in quod posteà incurrit edendo de ligno vetito. & si fuisset, dicunt omnes quòd si Adam non peccasset, pòst tempora Deus transtulisset illum, & posteros ad gloriam, proùt Angelos: incarnatio enim verbi erat ad reparandum, & redimendum: vndè dum Adam stabat, non indigebat remedio, & tantò minus reuelatione sibi non necessaria si non peccasset. quandò indiguit, tùnc facta reuelatio, vt in eum respiceret & redemptorem, & glorificatorem. Imò si fuisset necessaria fides, non sufficisset sola in consummatorem, sed & in redemptorem habenda; & si reuelatus ei esset vti consummator gloriæ tantùm, fuisset reuelatus Christus diuisus: at præsumendum (data necessitate) reuelatum fuisse & redemptorem, & glorificatorem: præsertim cum si Adam non peccasset, non esset incarnandus: si enim glorificaturus tantùm, cur incarnandus? gloriam enim dedisset sanctissima Trinitas homini proùt Angelis; & quando Paulus: Hebr. 12. 2. appellat eum consummatorem, intelligit per crucem.

Præstereà, quomodò Adæ innocenti persuasum esset Verbum incarnandum simplicitèr absquè expressione causæ? nos pòst peccatum recurrimus ad misericordiam Dei, quæ in statu innocentiæ non occurrebat, certè inuerisimile est adeò infima de Verbo reuelata, & causam tantæ humilitatis non expressam, & in qua gloriamur, prædicantes Christum crucifixum, & Agnum occisum ab origine mundi. Et nonnè iustam habuisset causam interrogandi Adam tanta scientia præditus, cur hoc fieret? nec fuisset reiectus, sed instructus, proùt Gedeon: Iudic. 7. Samuel: 1. Reg. 16. Abraham: Gen. 15. 8. Ananias: Actor. 9. 13. Petrus: Act. 10. 14. Paulus: Act. 22. 19. Operarij primi in vinea: Matth. 20. 12. 13. Sanctissima Virgo: Luc. 1. Angeli, quis est iste rex gloriæ? quis est iste, qui venit de Edom? &c. Aliòqui Adam scisset consequens: at primum, quod erat redemptio per crucem, à qua gloria, ignorasset.

Præstereà, si Christus per crucem exaltatus. Philipp. 2. nonnè oportuit hæc Christum pati, & ità intrare in gloriam suam? Luc. 24. quomodò nos hæc diuidimus?

Insupèr, si pòst peccatum fides necessaria fuit vti in redemptorem, & glorificatorem: quomodò in statu innocentiæ vti glorificator tantùm reuelatus?

Ad hæc, si reuelata fuisset Adæ incarnatio Verbi vti consummatoris gloriæ; vel dæmon id sciens non dixisset Euæ: eritis sicùt dij, scientes bonum & malum. quæ verba ostendunt illos ignorasse gloriam eis præparatam. Vel Eua dæmoni sic suadenti: eritis sicùt dij, scientes bonum & malum, idest, participabitis diuinitatem aliquo modo; respondisset: reuelauit nobis Deus Verbum incarnandum esse, nosquè meritis ipsius à Deo præuisis ad gloriam transferendos, & tùnc participabimus gloriam Dei, erimus consortes illius: vndè ad hunc finem non expedit edere de ligno vetito, à cuius esu mors nobis imminet. At nedum id non excepit, sed tantùm de præcepto dato, & timore mortis, si transgrederentur; ergò nequè eis tùnc reuelata Verbi incarnatio vel simplicitèr, vel vti gloriæ consummatoris.

Itèm inuerisimile factam talem reuelationem, quia prouiderat Deus de ligno vitæ ad propagandam vitam Adæ,

quod ipse sciebat: ideò eiectus fuit de paradiso, ne de illo comederet, & sic viueret in æternum: Gen. 3. 22. hinc enim cognoscebatur futuram longam vitam Adæ, & in longo tractu de gloria agi poterat.

Itèm inuerisimile, quia vel Deus non dixisset: Eccè Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: Gen. 3. 22. sed exprobrasset reuelationem ei factam; vel vtrumque dixisset.

Vltimò, duplicaremus reuelationem, vnam tempore innocentiæ vti de consummatore; alteram pòst lapsum vti de redemptore, quod videtur absurdum.

S. Thom. qui cognouit has difficultates, declarauit se loqui de possibili. 2. 2. q. 2. art. 7. in corp. & priùs fortè loquutus erat ex opinione aliorum.

Aut quærimus, an Adam sciuerit pòst lapsum in peccatum. & tùnc sciuit ex verbis (inimicitias ponam intèr te & mulierem, semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius: Gen. 3.) vel aliàs ei reuelata fuit, vt sciret remedium peccati, & qua expiatione indigeret, & pœniteret, proùt fecit: Sapient. 10. At à verbis (hoc nunc, os, &c.) vsquè ad hæc (inimicitias, &c.) parum spatij, seù horarum fuit, quod in Adam longo tempore victuro non videtur considerabile, proùt in Angelis instantia, & morulæ considerantur ex vno actu iudicandis. (Etsi etiàm in Angelis putant aliqui, spatium aliquod tēporis intercessisse à creatione ad lapsum) quod seruit ad præcedentia, & concordiam opinionum, quæ in solo spatio instantium, vel horarum tantùm sunt diuersæ.

Ex præmissis sic stabilitis euertitur aliquorum opinio, volentium Angelis gratiam & gloriam, Adæ primam gratiam datam ex præuisis meritis Christi: quàm defendunt Recentiores. Soarez 3. par. quæst. 19. sect. 1. disp. 42. art. 4. ibidem Greg. de Valent. Perre. in Gen. Vieg. in cap. 1. Apocal. sect. 9. Cornel. à Lapid. Ephes. 5. Cabrer. 3. par. quæst. 8. art. 4. disput. vnica, tom. 1. fol. 749. est enim absurdum eos tanta beneficia recepisse, & ignorasse à quo, & eidem gratias non egisse, & gratitudinem non ostendisse, proùt illi: redemisti nos Domine Deus, &c. in Apocal. quod ex ignorantia contigisset. Vndè negatiuam, quam dicunt esse grauium Doctorum, quos congerunt, intèr quos S. Thom. Bonauent. Palud. Alexand. 3. par. dist. 13. sequor. Et quòad Angelos defenditur.

Primò, passio, & mors Christi non iuuit Angelis, qui cum non peccauerint, redemptione non indigebant: sed hominibus, pro quibus venit, & mortuus est; sic verba, inimicitias, &c. Genes. 3. pro hominibus. quibus conformat se Paulus: Hebr. 2. 10. cum multis sequentibus, vbi expressè de Angelis non apprehensis: & 1. Timot. 1. Christus venit in hunc mundum, vt peccatores saluos faceret. Vndè S. Thom. 3. par. quæst. 1. art. 3. in corp. ait: conuenientiùs dicitur incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contrà peccatum. Et in consecratione sanguinis Christus dixit: quod pro vobis, scilicèt hominibus, effundetur in remissionem peccatorum. & Paulus: Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. & omnes Scripturæ ita clamant, nec possunt aliò distorqueri.

Confirmatur, quia si Angelis, vt hominibus iuuisset, mali etiàm Angeli redimendi erant.

Prætereà, Christus non venisset, nisi peccasset homo: Angelus verò gratiam, & gloriam receperat antequàm homo crearetur, nedum peccaret: Vndè non fuit eis aperienda porta Paradisi per crucem

cem Christi, prout hominibus peccatoribus.

Præterea, Deus spiritus, spiritus Angeli: species spiritualis à spirituali conuenientiùs gratificata, & salua, quàm ab humanitate assumpta. Vndè August. supèr illud Ioan. 1. Verbum caro factum est. Caro te obcœcauerat, caro te sanat: quoniàm sic venit Christus, vt de carne carnis vitia extingueret.

Præterea, qui saluabantur in præuisis meritis Christi, aliquo modo protestabantur fidem in eum, aliòqui non erant salui. At Angeli, qui incarnationem ignorarunt in statu gratiæ, id non præstiterunt: Si ergò non fuerunt redempti, & tamèn beati, sequitur, nequè gratiam, nequè gloriam recepisse ex præuisis meritis Christi.

Secundò principalitèr, tenent omnes, quòd si Adam non peccasset, translatus esset ad gloriam absquè meritis Christi præuisis, qui illo non peccante incarnatus non esset. Si hoc in Adam, cur non idem in Angelis? & hoc modo nequè gratia, nequè gloria ex dictis meritis.

Tertiò, quando ad aliquem actum constituendum concurrere potest causa, seù remedium ordinarium, & extraordinarium: præsumitur intercessisse ordinarium, non extraordinarium. Sed ad primam gratiam, & gloriam Angelorum potuit concurrere remedium ordinarium à sanctissima Trinitate infundente illam simplicitèr; extraordinarium ob merita Christi præuisa. ergò.

Non obstat, dignitas hæc decuit Christum, & potuit Angelis, & hominibus simùl mereri. quia videndum an voluerit, & sic fecerit: nàm in quolibet actu non sola potentia, sed & voluntas desideratur.

Non obstat textus Ephes. 1. in fine, nàm dum dicitur ibi datum Christum caput supèr omnem Ecclesiam, quæ impletur, loquitur de militante; sicùt & 1. Corinth. 15. Dicitur Christus caput Angelorum, quia exaltatus supèr eos. Philip. 2. Coloss. 1. & 2. proptèr exinanitionem suam vsquè ad mortem crucis; vndè Psalm. 109. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. & ratione vnionis Verbi, & sic est supèr omnem Ecclesiam, siuè militantem, siuè triumphantem; non autèm quòd gratiam, vel gloriam Angelis meruerit, quod ex alijs locis Pauli exclusimus.

Dices, Incarnatio, & passio Christi iuuit Angelis ne peccarent. At non placet, quia sicùt non fuit incarnatus pro homine, vt præseruaretur homo, ita nequè pro Angelo: aliòqui incarnando prætulisset Angelum homini, illum præseruando à peccato, hunc non; & tamèn contrarium est verum, quia hominem redemit, non Angelum: pro homine incarnatus, non pro Angelo; hinc parabola ouium nonagintanouem dimissarum pro vna recuperanda. & naturam humanam, non Angelicam assumpsit, & nunquàm inuenies in Scriptura quicquam de præseruatione.

Dices, etsi Angeli in gratia creati, etsi ad beatitudinem translati, & nunquàm peccauerint, tamèn retrotrahenda passio Christi præuisa, & prærordinata, proùt fit retrotractio in hominibus antè passionem defunctis.

Respondeo, retrotractio rectè facta in hominibus peccato obnoxijs, qui saluabantur in fide Christi implicita, vel explicita, de qua protestabantur sacrificijs, seù alijs modis: hominibus enim non est datum aliud nomen sub cælo, in quo eos oporteat saluos fieri; hinc: Agnus occisus est ab origine mundi; imò quamuis essent salui, adhùc indigebant transferri ad gloriam, & transferendi erant ex meritis Christi, quia antè Agnum nullus hominum introire poterat in cælum. secùs in Angelis innocentibus, & iàm beatis,

beatis, qui non indigebant vel glorificari, iàm ad gloriam Dei misericordia translati, vel mundari à peccato, quod non patrarant: retrotractio enim quòad eos frustatoria erat, quia iàm consequuti erant quod hominibus per eam dabatur; non indigent sani medico, dicit Christus: vndè non sunt termini pares; sic in actibus humanis retrotrahimus aliqua ad reualidandum actum præcedens inualidum, non validum, qui reualidatione non indiget: quomodò enim remedium publicatum pòst eorum gloriam pro hominibus, seruiuit pro ipsis? si iàm perfectio quòad Angelos, cur volumus Deum pro illis noua remedia adhibuisse? Deus non facit per plura; quod fieri potest per pauciora, vel rem vnam dupliciter; cessante ergò retrotractione, sequitur eos gratiam, vel gloriam proptèr merita Christi non recepisse.

Dices, erant viatores Angeli: esto. ergò indiguerunt gratia Christi, negatur; quia tùnc ignorabatur an Christus incarnandus, cum homo non esset creatus, nedum peccasset, pro cuius peccato missus est; & Angeli boni non peccauerant, sed erant in gratia à Deo accepta.

Dices, Deus prædestinauit hoc remedium ab æterno: At pro homine peccaturo, non pro Angelo innocente; Vndè non currit. Præordinauit pro homine indigente; ergò & pro Angelo non indigente. Imò posito quòd Angelus indiguisset, & homo non peccasset, nullum remedium erat pro Angelo, nequè gratia, nequè gloria; quia tùnc Christus incarnatus non esset: vndè sine capite stetissent, & ab homine dependissent, nec eis accommodabatur vllus status.

Dices, si non applicatur retrotractio in Angelis, applicatur præuisio Dei. Respondeo, præuisio est respectu meritorum Christi in carne ob crucem, & passionem suam, quæ seruiuit pro hominibus peccatoribus, non pro Angelis, qui nunquàm peccauerunt.

Dices, prædestinati Angeli ad vitam æternam proùt homines, S. Thom. 1. p. quæst. 23. art. 1. ad tertium. At non à miseria, in qua ipsi nunquàm fuerunt proùt homo, S. Thom. ibi. redemptio autèm hominis per merita Christi est à miseria; non ergò proptèr merita Christi beatificati Angeli nunquàm miseri. Et licèt Christus dicatur caput prædestinatorum etiàm quòad Angelos, tamèn est caput, nempè superior, illos excedens ratione vnionis Verbi: vndè illi adorarunt eum in mundo natum: Hebr. 1. & ministrarunt, S. Thom 2. 2. quæst. 8. art. 4. in corpore, & ministrant in cælo, vt in Apocal. præsertim sub figura Agni; non autèm vti redemptor, proùt quòad homines.

Quod habetur Roman. 8. procedit in hominibus, non in Angelis, de quibus nihil habetur: ideò dicitur: conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.

Dices, si non fuerunt in miseria, in ea esse poterant cadendo; ne caderent, merita illa Christi seruierunt. At respondeo, à gratia efficaci adiutos, non à meritis Christi, quia hæc ad peccatores tantùm protenduntur, non ad innocentes, vt suprà respondi.

Contrarium tenentes, cum videant non posse euadere axioma, quòd Christus venit saluaturus homines peccatores; quod apertè habetur ex eodem Christo, Paulo, & tota Scriptura: dicunt non meruisse Angelis ex passione, & morte, sed ex actibus charitatis. At respondeo id esse contrà prima verba Dei, prolata contrà dæmonem: Gen. 3. Inimicitias ponam intèr te & mulierem, semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. nihil enim horum aptatur Angelis; hinc benè Paulus: nusquàm Angelos apprehendit,

hendit, sed semen Abrahæ apprehendit. ergò nequè ex actibus charitatis Christi præuisis ipsi salui.

Secundò, meruit sibi Christus exaltationem per crucē. Nonnè oportuit Christum pati, & ità intrare in gloriam suam? Luc. 24. & Philip. 2. quomodò ergò verisimile pro se quidèm tanta passum, pro Angelis verò saluādis nihil? Angelos per tot sæcula stetisse in gloria, Christum pòst totidem tantas pœnas tulisse?

Tertiò, venit pro hominibus saluandis, & redimendis: quomodò ergò aptatur, pro his quidèm, pro quibus principalitèr venit, mortuum esse: Angelis, pro quibus secundariò, absquè passione iuuisse?

Quartò, tota vita Christi fuit passio: sempèr enim intùs rodebatur à passione imminente: vndè dicebat: baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor quousquè perficiatur? & sæpiùs de illa agebat: quomodò ergò, quæso, hæc diuisio actuum, cum quiuis actus habuerit sempèr admixtam memoriam illam amaram? vndè confunduntur cum passione, quæ erat finis: hinc Ioan. 17. in oratione ad Patrem: opus consummaui, quod dedisti mihi. & in cruce: consummatum est. & sinè sanguinis effusione non fit remissio, dicit Paulus.

Quintò, venit facturus voluntatem Dei; in capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam Deus: ideò corpus ei aptatum ad patiendum, id autèm pro hominibus: quomodò ergò actus alij eliciuntur à passione diuersi pro Angelis?

Sextò, Ioan. 17. 2. dicitur: Sicùt dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. hanc autèm iàm receperant Angeli non carnei, sed spirituales.

Septimò, ibidem. Hæc est autèm vita æterna: Vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. hac cognitione iàm perfusi Angeli, ergò non comprehensi.

Octauò, totum fundamentum fuit in passione: hinc licèt & pro nobis fecerit actus charitatis, tamèn non iussit eorum memoriam fieri, sed passionis suæ: quomodò ergò illi actus pro Angelis?

Nonò, venit pro hominibus. At Angelos, pro quibus non venit, hominibus prætulisset, quia eis tot sæculis anterioribus data gloria, hominibus totidem dilata, volens sempèr expectari, quod homines cruciabat, & frangebat, sempèr clamantes vt veniret, id autèm absurdum.

Decimò, quis reuelauit hanc distinctionem? vndè habetur ex Scriptura? caret ergò fundamento. cur hoc pro Angelis, non illud? nam pro nobis fatemur totum, totus Christus, tota humanitas, omnes actus, tota via, tota vita pro nobis; S. Thom. in hymno. vnus actus erat sufficiens pro nobis saluandis, & pro mille mundis, voluit excedere ex charitatis feruore, hoc pro nobis, non pro Angelis, proptèr nimiam charitatem, quam commendauit in nobis Deus, non in Angelis; omnes actus illius à Deo à charitate prouenerunt, omnia in illa, & misericordia stabilita: si pro hominibus noluit sistere in actibus illis solis, quomodò hi actus separantur, & ad Angelos referuntur? quis reuelauit Christo pro hominibus venturo iniunctum vt & pro Angelis faceret? quis docuit, venit pro hominibus saluandis, ergò & pro Angelis præseruandis?

Vndecimò, si Adam non peccasset, Christus non esset Incarnatus: qui ergò actus charitatis pro Angelis separandi?

Duodecimò, cur dixit Angelus: ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum: & nihil de Angelis saluis, quorum ille vnus? cur in tota Scriptura nihil de Angelis? cur Christus ipse, qui semper dixit venisse saluaturus peccatores, nusquàm de Angelis?

Decimotertiò, si vel gratia, vel gloria Angelis danda ex præuisis meritis Christi, necessaria erat in eis fides in Christum, vt applicarentur merita quæ aliàs non prosunt, nec datur gratia gra-

tum

tum faciens nisi ex concursu nostro ex illis præuisis. Qui non baiulat crucem suam, & venit post me; non potest meus esse discipulus. Luc. 14. 27. Matth. 10. 38. & 16. 24. Mar. 8. 14. At in primo instanti eorum creationis, quo receperũt gratiam gratum facientem, proùt & Adam, non potuerunt, vel fidem habere, vel quicquam operari. ergò. Item ostensum est hanc necessariam non fuisse in homine nisi pòst peccatum: quomodò ergò aptabitur Angelis, qui nunquàm peccauerunt, etiamsi ex actibus charitatis velles illa processisse?

Decimoquartò, Coloss. 1. 20. Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siuè quæ in terris, siuè quæ in cælis sunt. & Ephes. 1, 10. instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso. Si per sanguinem crucis eius, vtique Angelos excludit, quia sanguine eius non sunt redempti. & hinc colligitur argumentum: Sanguine instaurata omnia, & paci reddita, non ergò actibus charitatis separatis, & elicitis Angelos præseruatos, præsertìm quia in Angelis, qui non peccauerunt, nihil erat pacificandum. Vndè loci illi intelliguntur, sanguine suo pacem reddidisse, & instaurasse intèr Deum iratum, & homines peccatores, & etiàm loca cælestia Angelis vacua repleuisse ex hominibus redemptis suo sanguine: Ipse enìm est pax nostra: Ephes. 2. 14. & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem (non ergò pro Angelis) semetipsum pro omnibus. 1. Timot. 2. 6. eccè quomodò pacificans omnia. & faciunt loci Pauli adducti suprà in Adam vers. vltimò. & Angeli antè Paulum cecinerunt: gloria in qua & pax (aliàs nõ esset gloria vera) in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; eccè quomodò reconciliauit ima summis: voluit enìm in Filio glorificari Deus; vndè Christus dixit: honorifico Patrem meum. Ego autèm non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet. Et si Angeli nihil sibi assumunt, quomodò nos eis hæc attribuimus? credendumne ipsos Deum collaudantes, & aliorum beneficia concinentes, propria omissuros?

Aduertendum prætereà, quia multi Patres, qui adducuntur in contrarium, id non dicunt. & pro nùnc S. Greg. 1. Reg. 2. in vers. (Nequè enim est alius extrà te:) sic enim habet (sed quis hoc asserere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquàm constat?) & quamuis paulò pòst subdat (si ergò etiàm Angeli sanctificati creduntur in Filio, multò magis de hominibus creditur, quia extrà eum sanctificationis gratiã inuenire non possunt.) intelligendus proùt suprà, vt nequaquàm constet quòad Angelos: ideò vtitur verbo (creduntur) aliòqui esset sibi contrarius. Idem S. Greg. hom. 14. in Ezechiel. nihil de hoc. S. Thomas (quicquid dixerit Ioan. 1.) attendendus quid in Summa. & 3. par. quæst. 8. art. 1. dum dicit Christum influere in membra, intelligit de hominibus, & declarandus prætèr primam gratiam. & art. 4. in corp. dum dicit: de eius influentia non solùm homines recipiunt, sed etiàm Angeli, intelligendus proùt se magis declarat ad 3. influere in iàm beatos, quia superior; sicuti dicimus, Angelos superioris hierarchiæ influere in inferiores; non autèm quòd gratiam, vel gloriam ex Christi meritis Angeli receperint: nam in cælo gratia non confertur, sed gloria. Et si S. Thom. fuisset huius opinionis, in Summa de illa luculentèr tractasset, præsertìm in hoc loco.

Quò verò ad Adam idem respondendum ex his, quæ dixi in Angelis, quia factum Angelorum, & Adæ antè peccatum procedunt à pari: nàm antè peccatum non erant ob misericordiam respicienda merita futura Christi, quæ Deus respexit pòst casum ad hominis redemptionem, volens in eis satisfieri iustitiæ suæ: Deus enìm non facit per plura, quod potest fieri per pauciora, nequè sanis opus est medico: hinc Deus declarauit homini remedium pòst peccatum

catum tantùm, vt tenui, Inimicitias, &c. & quia si Adam non peccasset, Christus non esset incarnatus, & Adam translatus esset ad gloriam; & quia fuisset remedium extraordinarium, quod non præsumitur. & ignorans non egisset gratias, non fecisset actus aliquos, vt sibi merita applicarentur: si enim pòst notitiam, & casum non profuit, nisi fide in eum habita, & ostensa internè, vel externè: quomodò volumus ex præuisis eius meritis gratiam primam datam Adæ ab instanti eius creationis, quo nihil antè potuit operari? aliòquin nedum præuisa essent merita Christi, sed & merita futura iàm gratificatorum, quod nemo dixit. Huc congere quæ pro ignorantia eiusdem dixi in primo articulo. Et hanc opinionem tenet Soto de nat. & grat. lib. 1. cap. 6.

Dicit quidam, Adæ pœnitenti merita in statu gratiæ facta, & per peccatum mortificata, reuixerunt, pro quibus gradus aliquis gloriæ essentialis datus. Sed omnis gradus gloriæ Adę collatus est ex meritis Christi; aliàs vnus gradus in gloria Adæ esset ex meritis Christi, alius non, quod est absurdum; ergò.

Respondeo primò, non constare de meritis Adæ in statu innocentiæ: ideò vana oppositio. Sed ea concessa absquè veri præiudicio, dico, in gloria danda non attendi vndè merita originem habuerint, sed an adsint. Si ergò Adam habebat merita ex prima gratia, nihil detrahitur Christo, à quo gradum gloriæ accepit: nam iuxtà merita Adæ, quę attenduntur, iunctis meritis Christi, gloria data: dicit enim Apostolus: cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.

Vel gratia prima, in qua meruit, per peccatum subsequens euanuit, postmodum reuelata ei incarnatio Verbi, à quo salutem expectaret, & credendo iustificatus est: Rom. 5. & noua gratia ei concessa ex præuisis meritis Christi, quæ non fuit eadem numero cum prima; reuiuificatio ergò meritorum in prima gratia factorum imputatur huic secundæ, & per consequens omnis gradus gloriæ erit ex meritis Christi: imò hæc demonstratio facit apparere magis veritatem, Adam non recepisse primam gratiam ex præuisis meritis Christi, quia non fuerunt necessaria nisi pòst lapsum: Vndè nullum absurdum, quia prima gratia stabit absquè præuisis meritis Christi, & omnis gradus gloriæ erit à Christo, & gratia iustificante, & viuificante ex præuisis meritis data.

Potest dici ex præmissis, quòd vt applicarentur merita Christi Ioanni Baptistæ, & in ventre sanctificaretur, datus fuit ei in ventre vsus rationis, vt cognosceret Iesum Messiam, & in eum crederet, & etiam adoraret, prout fecit exultando. Et verisimilem esse opinionem multorum, Ieremiam, in quo hæc non concurrerunt, non fuisse in ventre sanctificatum.

Dixi. Si Adam non peccasset, Chistus non esset incarnatus: iuxtà S. Thom. 3. par. quæst. 1. art. 9. quia Incarnatio facta ad redimendum hominem. Galat. 4. 4. 1. Timot. 1. 15. qui si non peccasset, non erat quod redimeretur, & cessante causa redemptionis, cessasset Incarnatio. Dices, incarnatus fuisset vti glorificator. At primò, cum id nullibì ex Scriptura; ideò diuinare non possumus ex nostro capite. Secundò, assumptio carnis ad Verbum fuisset exinanitio, Philip. 2. ex Psalm. minuisti eum paulominùs ab Angelis; ideò non præsumitur factam fuisse. Tertiò, sicùt in statu præsenti pòst peccatum Adæ mediante Passione gloriam corporis recepit, & nobis meruit: nonnè oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam? ità si incarnatus esset (Adamo non peccante) ad gloriam promerendam videretur quà homo aliqua passione, vel actu indiguisse iuxtà præmissa, & Dei consuetudinem illam non dantis sinè ea Angelo, aut homini; id autèm (seclusa redemptione) non conuenisset Verbo Incarnato; ideò non fuisset tùnc incarnatus.

Dices, Christum ab instanti conceptionis beatum, sed retentam gloriam, ne redundaret in corpus, vt posset pati. Esto, & id placet: fuit enim viator, & comprehensor; at sci-

at scimus id factum: quomodò autèm alitèr factum foret, ignoramus, nec Scriptura dicit; tu verò quomodò fecit, affirmas absquè textu? Quartò, opera Dei adeò sunt perfecta, vt eis nihil addi, aut minui possit, sed Incarnatio facta fuit ad effectum redemptionis; ergò ad alium effectum non ità perfectè fieri poterat; vndè nec facta esset. Didici (inquit Ecclesiastes cap. 3. 14.) quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum; non possumus eis quidquam addere, nec auferre quæ fecit Deus, vt timeatur. Quintò, cessante redemptione hominum, quis reuelauit, cur non potiùs Angelicam naturam humanæ præstantiorem assumpsisset, cur hominum infirmam, & seruilem? Sextò, si iustitia diuina non erat læsa, cui satisfieret, quo casu rectè in Filio Incarnatio, & ad gloriam fuisset facienda, cur magis Filius, quàm Pater, quàm Spiritus sanctus? Septimò, si teneremus hanc opinionem, diminueretur aliquid de fide charitatis illius vehementis, qua dilexit nos Deus in huiusmodi redemptione secuta: Commendat autèm charitatem suam Deus, &c. Rom. 5. 8. & Ephes. 2. 4. Deus autèm qui diues est in misericordia, proptèr nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, &c. quia possemus dicere, omninò incarnandus erat, nec videremur adeò obnoxij; vndè non videtur tenenda. Octauò, à sanctissima Trinitate absquè Incarnatione Verbi homo ad gloriam esset euectus; Dices, incarnatus esset, vt gloria accidentali ex sua humanitate frueremur; at non expediebat Deum hac de causa incarnari ex suprà dictis, & omnia proptèr ipsum operatus est Dominus, & vti Deus gloriæ, quæ nunquàm exhauritur, alio modo gloriam nobis augere poterat; Vltrà quòd hominem condiderat iustitia originali, & gratia vestitum, & gloriæ propinquum: ideò non credendum hac de causa voluisse incarnari. Dices, incarnatus esset, vt esset caput in Ecclesia: at non vrget, quia in Ecclesia antè eius incarnationem Deus erat caput, & Dominus Angelorum, & hominum, prout nùnc supereminentèr, & sic continuasset: ipse enim conditor, & conseruator noster est, & Moyses petebat, vt ipse anteiret populum: Vltrà quòd acquisiuit hoc per crucem: Postula à me, & dabo tibi gentes, &c. Psal. 2. Ephes. circà fin. Philip. 2. & iuxtà id quòd videmus factum (nam aliundè scire non possumus) aliqua actio, seù operatio præcedere debuerat, vt dixi. *Nobis autèm reuelauit Deus per Spiritum suum*, vt ad illam accendantur fideles. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiàm profunda Dei*, cum sit Deo coæqualis, & consubstantialis, vel scrutari nos facit; sic Rom. 8. 26. 27. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* hinc 2. Corint. 13. 5. vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate, *ità & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei*, qui & solus reuelat. *Nos autèm non spiritum huius mundi*, qui fallere potest, vel falli, *accepimus*, *sed Spiritum, qui ex Deo est*, sanctum, infallibilem, reuelantem, *vt sciamus* certò *quæ à Deo donata sunt nobis* vocatis, credentibus, scientia horum Apostolis promulgantibus, donum omnibus: *quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus* sancti nos edocentis pura, simplicia, non fucata, *spiritualibus spiritualia comparantes*; placebat spirituales res cum alijs spiritualibus conferentes, quasi adhùc persisteret in explicando modum docendi, non quos doceret, & quia repeteret idem de spirituali infrà vers. 15. ex quo appareret quos doceret, nempè spirituales. At nùnc magis placet, *spiritualibus* hominibus *spiritualia comparantes*, apportantes, quia de modo dixit, *in doctrina spiritus*; & quia sicùt de spiritualibus capacibus præmiserat, ità nùnc proferat cur non animali hæc, & dat rationem: *animalis*, carnalis *autèm homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia ipse* carnalis *spiritualitèr examinatur*; vndè non potest apprehendere sibi contraria; cur autèm spirituali, subdit: *Spiritualis autèm iudicat omnia*, & fortè vult etiàm inferre quòd spiritualium non erat dicere: Ego sum Pauli, &c. prout deindè in cap. seq. prosequitur. *Spiritualis autèm iudicat*

dicat omnia rectè: *& ipse à nemine iudicatur* tamquàm malè agens, quarè? quia spiritu Dei ducitur; & cum spiritu Dei ducatur, non potest errare eo ductore. *Quis enim cognouit sensum Domini* à seipso, *qui instruat eum*; ità vt non erret, nisi ductus à spiritu? sic Rom. 11. 34. quasi dicat, cum hi non errent, non ab alio, quàm à spiritu ducuntur. *Nos autèm (spiritualia spiritualibus comparantes) sensum Christi habemus*, quia spiritu Dei agimur, & fouemur, sicùt ipse promisit, dabo vobis os, & sapientiam, &c.

Vel, *Quis cognouit sensum Domini, qui instruat eum?* Et verba, *quis enim cognouit sensum Domini, qui instruat eum?* etsi vel ex Isaia cap. 40. 13. vel Sap. 9. 13. videantur posse colligi, non tamen Apostolus in hoc loco vtitur eis quasi proprijs ad sensum prædictum; ideò etiàm non vtitur verbis, quibus solet, dum Scripturam antiquam adducit, puta, ex Isaia, sicùt scriptum est, & similibus, sed absquè aliorum mentione ex se illa profert.



CAPVT III.

1 *ET ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus,*
sed quasi carnalibus. Tamquàm paruulis in Christo,
2 ** lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim pote-*
ratis: sed nec nunc quidèm potestis: adhùc enim carna-
3 *les estis. * Cum enim sit intèr vos zelus, & contentio:*
nonnè carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?
4 ** Cum enim quis dicat: Ego quidèm sum Pauli. Alius*
autèm: Ego Apollo: nonnè homines estis? Quid igitur est Apollo? quid verò
5 *Paulus? * Ministri eius, cui credidistis, & vnicuique sicùt* Dominus *dedit.*
6 ** Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit. * Itaquè, nequè*
7 *qui plantat est aliquid, nequè qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus.*
8 ** Qui autèm plantat, & qui rigat, vnum sunt. Vnusquisque autèm pro-*
9 *priam mercedem accipiet secundùm suum laborem. * Dei enim sumus adiuto-*
10 *res: Dei agricultura estis,* Dei *ædificatio estis. * Secundùm gratiam* Dei, *quæ*
data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui: alius autèm super-
11 *ædificat. Vnusquisque autèm videat quomodò superædificet. * Fundamentum*
enim aliud nemo potest ponere pratèr id, quod positum est, quod est Christus Ie-
12 *sus. * Si quis autèm superædificat supèr fundamentum hoc, aurum, argentum,*
13 *lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, * vniuscuiusque opus manifestum*
erit: Dies *enim* Domini *declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuius-*
14 *que opus quale sit, ignis probabit. * Si cuius opus manserit quod superædificauit,*
15 *mercedem accipiet. * Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autèm*
16 *saluus erit: sic tamèn quasi per ignem. * Nescitis quia templum* Dei *estis, &*
17 *Spiritus Dei habitat in vobis? * Si quis autèm templum Dei violauerit, di-*
18 *sperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. * Nemo*

se seducat: si quis videtur intèr vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit
19 *sapiens. * Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum*
20 *est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. * Et iterum: Dominus*
21 *nouit cogitationes sapientium quoniàm vanæ sunt. * Nemo itaquè glorietur in*
22 *hominibus. * Omnia enim vestra sunt, siuè Paulus, siuè Apollo, siuè Cephas,*
siuè mundus, siuè vita, siuè mors, siuè præsentia, siuè futura: omnia enim ve-
23 *stra sunt: * vos autèm Christi: Christus autèm Dei.*



T ego fratres. Postquàm præmisit in genere quomodò prædicauerit, nunc docet quomodò cum Corinthijs se gesserit in prædicatione, *non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquàm paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam* solidam: *nondum enìm poteratis*, vt paruuli: *sed nec nunc quidèm potestis: adhùc enìm carnales estis*, dixerat suprà cap. 2. in mysterio, in doctrina spiritus prædicasse, & in fine animales spiritualia capere non posse, nunc explicat cum Corinthijs se accommodasse eorum capacitati, non dicit eos spirituales, ne extollat, non carnales prima vice, ne deterreat, sed addit, *quasi*, & paruulos in Christo, vt demulceat, & si quid minùs dixerit, rationabili ex causa motum esse aperit. Non vocat eos animales; quia iàm præmiserat quid asperum de animali homine non percipiente quæ sunt spiritus, sed *carnales*, & verbum, *carnales*, iàm temperauit, & restringit ad dissensiones. *Cum enim sit intèr vos zelus, & contentio: nonnè carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? cum enim quis dicat: Ego quidèm sum Pauli. Alius autèm: Ego Appollo: nonnè homines estis?* carnales scilicèt, & secundùm carnem ambulantes? ità vt verbum, animales, eis non conueniret, cum carnalitas in hac sola contentione consisteret, & suprà dixit, *quasi carnalibus*. Vndè quæ dicuntur de differentia horum verborum non procedunt, quia non potest dari certa regula, sed ad mentem proferentium recurrendum, & ad materiam, de qua agitur, & ad circunstantias. *Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus?* quasi, suntne hi Domini? sunt *ministri eius, cui credidistis*, Iesu Christi, *& vnicuique* est, non à se, sed *sicùt Dominus dedit: Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit*, docet omnia referenda Deo incrementum danti, non hominibus plantantibus, vel rigantibus. *Itaquè nequè qui plantat est aliquid, nequè qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus*, sinè quo prima opera aliorum vana. *Qui autèm plantat, & qui rigat, vnum sunt* quoad ministerium, nulla intèr eos differentia nemo glorietur in hominibus. *Vnusquisque autèm, &c.* ne putaremus vanum laborem plantantium, vel rigantium, aut supèr ædificantium, vel vnam omnium mercedem, de illorum agit mercede diuersa vsquè ad vers. 16. Hanc mercedem vocat Paulus iustitiæ coronam. 2. Timot. 4. 8. *Vnusquisque autèm propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem* siuè plantationis, siuè irrigationis. *Dei enim* nos *sumus adiutores*; sic infrà c. 4. 1. & 2. Cor. 6. 1. adiuuantes, &c. vos autèm *Dei agricultura estis*, quia incrementum dedit semini, *Dei ædificatio estis*, quia supèr eius fundamentum solidum ædificati estis; ego enìm non à me ipso, sed *secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui* Iesum: *alius autèm superædificat*, fundati estis supèr fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, de quo subdit. *Vnusquisque autem videat, quomodò superædificet*, idest, non se ipsum. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere pratèr id, quod positum est, quod est Christus Iesus*: non est enim datum aliud nomen sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri. Acto. 4. *Si quis autèm* ministrorum (de his agit) scilicèt *superædificat supèr fundamen-*

mentum hoc Iesu, *aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam.* sub his varietates operum; nàm non omnes aurum, non omnes magna. *Vniuscuiusque opus manifestum erit*, apparebit;at quomodò? *Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur*; nàm præcedet conflagratio: *& vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autèm saluus erit: sic tamèn quasi per ignem.*

Ab aliquibus capitur hìc, *Dies enim Domini*, pro iudicio vniuersali,& referuntur ad eum verba, *quia in igne reuelabitur*, vt per Sophoniam cap.2.quod videtur rectè fieri, tùm quia relatio fit ad proximiora,tùm quia dicitur, *vniuscuiusque opus manifestum erit*, tùm quòd *in igne reuelabitur*, quæ duo conueniunt Iudicio vniuersali, non particulari, quod est abscōditum,neque dies illa iudicij particularis reuelanda,vna nempè cū veniat vt fur, neque vna esset, sed omnis dies esset reuelationis, neque in igne, neque manifesta opera futura ex illo; & Luc.17.30. dicitur. Secundùm hæc erit qua die Filius hominis reuelabitur.

Sed in quali igne reuelabitur hæc dies iuxtà hunc intellectum? Non in igne inferni, de quo aliqui, quia quomodò is reuelabit diem? ad illum ignem eijciuntur rei: ite maledicti, &c. ille pòst casum angelorum; hìc de nouo igne agitur; ille non ad illuminationem, sed ad ardorem paratum diabolo, & angelis eius in partibus inferioribus terræ; vndè non potest reuelare diem in mundo appariturum. Non de igne comitante (iuxtà alios) Iudicem venturum in maiestate, tuba, & Angelis,& igne: describitur enim cum oculis tamquàm flamma ignis. Apocal.1.15.& 19.12. & Malach.3. quasi ignis conflans. Dan.7.10.thronus eius sicùt flamma ignis, rotæ eius ignis accensus, fluuius igneus egrediens de ore eius;& in igne venturus,& dijudicaturus. Isa.66.15.& 16. & igne reos in æternum puniturus.Psal.96. 3.Matth.25.2. Thes.1.7. ignis in conspectu eius exardescet. in Psal.proùt in igne,& tuba in monte Sinai. Exod.19.in rubo. Exod. 3. & in igneis linguis. Acto.22. apparuit; nàm si comitatur, non antè reuelabit; reuelatio enim præcessura est Iudicium; sed nullus ignis comitaturus, sed præcedet conflagraturus, quod confundetur cum comitante,qui non erit.Non de igne purgatorij,tùm quòd de illo subdit, *& vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit*, nisi velis ignem reuelantem, eundem purgantem, quod non probo, tùm quòd si per ignem reuelanda dies,nouus ignis appariturus, non purgatorius,qui nihil ad hunc mundum,& antiquus est pòst peccatum, & habet suum progressum, & finem; vndè tempore Iudicij euanescet, cum pòst illud non detur purgatio, & omnes antè Tribunal sint comparituri purgati. Prætereà,generalitèr loquitur, *in igne reuelabitur*; vndè non potest intelligi in igne purgante,quia non procederet vniuersalis locutio in non indigentibus purgatione, quales sunt iusti: erroneum enìm videtur,quòd & iusti transire debeāt per ignem, imò mercedem recipient,vt hìc vers. 13. resurgent incorrupti. 1.Cor.15.51. simùl rapientur in aera, & sempèr cum Domino erunt. 1.Thes.4.16.& nullibi de purgatione iustorum, & incorruptis non conuenit purgatio, & esset iniustitia expectanti coronam ex iustitia dari transitum per ignem, & Dominus in misericordia præualet, & proptèr electos breuiat dies illos. Matth. 24. 22. Marc. 13. 20. & qui ad iustitiām erudiunt multos tanquàm stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Dan.12.5.& seruo bono dicitur:intra in gaudium Domini tui: &, iustorum animæ in manu Dei sunt,& non tanget eos tormentum mortis, visi, &c. &, non erit ampliùs neque luctus, neque clamor, neque æstus, neque vllus dolor, quia prima abierunt. Ignis antè ipsum præcedet,& inflammabit in circuitu inimicos eius. Psal. 96. 3. non amicos, quos recumbere faciet ad mensam suam in regno, & animæ beatificandæ, non iterum ad luctum euocandæ, nec iudicatur bis in idipsum, & habemus exemplum in Lazaro mendico, qui illicò pòst mortem portatus fuit ad sinum Abrahæ ab Angelis,nec per ignem transiuit.Luc. 16.22. Non obstant verba, *si cuius opus manserit*, quasi ad ignem probatum; nàm Apostolus stat in metaphora iàm cœpta; at

loquitur tùnc de igne purgaturo, & non intendit determinare quòd per ignem sit trãsiturum, sed opus mansurum præmiandum, quod ab igne non indiget purgari, vel tangi:hoc enim priuilegium bonorum operum, vt sinè igne mercedem accipiant. Vel probabit ignis, quia purgando ligna, fœnum, stipulam remanebit probatum aurum ab igne intactum; est enim necesse ad hæc, vel similia confugere, cum absurdum sit velle intelligere dandam purgationem non indigenti; Vel quod dicit de igne purgante, intelligit de Iudicio, ità vt dicatur mansurum, vel arsurum, quod in iudicio approbabitur, vel reprobabitur; apparebunt enim omnia lucida, & clara in illo, proùt apparent igne adhibito;sic infrà cap.4.5.illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et tamèn non videtur aptari hoc, quia verba, *quasi per ignem saluus erit*, ad purgatorium videntur referenda, & iudicium solùm non datur ad purgationem, sed ad examinationem operum; at sufficit in hoc puncto prima verba non capere ignem purgatorium, eò quòd iusti intacti. Ex præmissis etiàm nutat intellectus ad verba Petri. 2.Epist.3.10. terra autèm, & quæ in ipsa sunt exurentur; nàm Petrus loquitur de materialibus, non animabus; corpora quidèm exurentur, & animæ purgandæ, & etiàm boni tùnc extàntes ab igne sunt occidendi, vel antè, vel alio modo morituri; morituri siquidèm quidquid sit, etsi ob ignem mors crudelior, erit ad maiorem eorum coronam; purgatio verò animarum an ab illo igne fiat, non determinatur, proùt suprà 2. Thes. 1. quia ibì fit mentio vindictæ malorum in æternum vrendorum; vndè non probatur ignem mundum conflagraturum eundem purgaturum animas, vel iustos vriturum, quod est diuersum. Intellectus etiàm ad verba (baptizabit vos Spiritu sancto, & igni, idest, inferni, vel conflagrationis) nutat ex dictis in Euangelijs; nō enim procedit vnio illa Spiritus sancti, & inferni, sed est absona; tenendum ergò quòd *reuelabitur in igne* conflagraturo mundum, quia ille demonstrabit diem Iudicij instare, & Iudicem citò adfuturum, quem præcedet. Apocal.20.9. & 11. Et si dixeris, quamuis Deus manifestè veniet, & non silebit, tamèn dies illa veniet vt fur. Matth.24.43. Marc.13.35. Luc.21.34.1. Thes.5.2. 2.Pet.3. & de illa hora nemo scit, &c. Matth.24.36. Marc.13.32. & superueniet repentina. Luc.21.34.10. non vrgebis, quia signa sunt præcessura, & hic ignis erit vnum euidens, & clarum, & propinquum, & vniuersale. At prædictis obstare videntur verba immediatè sequentia, *& vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit*, quæ intelliguntur de igne purgatorio, qui faciet hunc effectum: inconuenit enim in eadem phrasi de duobus diuersis ignibus agi, vno conflagraturo, alio purgaturo. Respondetur non esse inconueniens idem verbum in eadem phrasi capi diuersimodè iuxtà subiectam materiam, vt in verbo (Spiritus) qui pro vento, & Spiritu sancto. Io.3. Acto. 2. Vndè conflagraturus corpora exuret, & occidet. Apocal.20. 9. 2. Pet.3.11. animæ verò purgandæ ad locum purgatorij deferentur, & tempori satisfiet dolore intensiori: non enim solet Deus immutare constituta ad opus vnum, donèc illud impleuerint, alioquin danda erit actiuitas igni conflagraturo, quæ est in purgatorio, ad animas expiandas, quod non legitur. Iterum videtur obstare, quia quouis illorum ignium tùnc non purgabuntur omnia manifestanda, sed tantùm illa, quæ ignis conflagraturus repererit, præcedentia enim alijs temporibus purgata erunt, ergò illa dies non declarabit. Respondetur, quòad purganda certum est de illo die omnia non purgari, sed omnes appariturі purgati in anima, & corpore, & ideò loquitur Apostolus non de omnibus tùnc purgandis, sed repræsentandis iàm purgatis in iudicio, ad quod omnia vniuit etiàm multo tempore præcedentia, sicùt fieri solet, & obseruari licet in multis locis Apocalypsis: in illo enim die omnia reuelanda infrà cap.4.5. Vel hunc locum sic interpretare. *Vniuscuiusque opus manifestum erit*, hoc est, singulis apparebit, quisque experietur (quod solet esse in prouerbio) quid superædificauerit: *dies enim Domini declarabit*, indicabit, quia ad mortem singulorum dicitur venire iudicaturus. Ioan.21. sic eum volo manere donèc veniam. Apocal.2. 16. si quò minus veniam tibi citò, & cap.33.

ve-

veniam ad te tamquàm fur,& nescies qua hora veniam ad te;& infrà cap.5.in die Domini Nostri Iesu Christi, idest, mortis, qua iudicabitur, & Rom.14.10. omnes stabimus antè tribunal Christi; itaquè vnusquisque rationem reddet Deo. At quomodò declarabit? in igne, ***quia in igne reuelabitur***,non ***dies*** vt supra, sed ***opus***; nàm ad ignem purgatorij ex iudicio particulari amandabitur operans, & sub illo opera, & sic reuelabitur opus vniuscuiusque ex effectu, ex transmissione ad purgationem igneam; quod magis declarat subdens, ***& vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit***; & clarius: ***si cuius opus manserit, si cuius opus arserit***, & sic sempèr de igne purgatorio. Et si in sequentibus de purgatorio, ***& vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit***, & sic in alijs, quæ sequuntur sempèr de purgatorio, ergò & in antecedentibus verbis, ***quia in igne reuelabitur***, eò magis,quia annectuntur per copulam sequentia, ***& vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit***, vt fiat inuerisimile agi de ignibus diuersis in coniunctis phrasibus, & sit absurdum velle assumere ignes diuersos, & quotquot exempla edideris contraria, sempèr ex alijs circunstantijs apparebit de diuersitate vocum, quæ hìc nō apparet; Vndè si dubia forent prima verba, ***quia in igne reuelabitur***, interpretanda per omnia sequentia, quæ clarè loquuntur de igne purgatorio: vna enìm clausula dubia declaratur per aliam claram maximè annexam. Prætereà verba interpretanda sunt iuxtà tempus, quod representant, sed tota hæc verborum structura loquitur de purgandis superædificantibus ***ligna, fœnum, stipulam***, ad quorum terrorem Apostolus meminit ignis purgaturi; id autèm sequi non potest in iudicio vniuersali, in quo omnes purgati accedent, & pòst illud non datur purgatio,ergò non intellexit in illis verbis de iudicio vniuersali, sed particulari cuiusque. Et si opponis, ignis mundum conflagraturus reuelaturus diem iudicij, idem purgaturus, & sic verificabuntur verba illa iuxtà tempus appositum. Respondeo primo,nullo modo constare ignem illum hoc præstiturum,cum potiùs purgatorius illud effecturus sit,vt dixi. Sed quandò id daretur, clarum est illum ignem non posse purgare nisi tùnc defunctos, seù occisos ab illo, non autèm antè tot sæcula defunctos vsquè ad tempus illud,& proptereà non posse applicari in sermone hoc generali. Secundò dies iudicij præsupponit purgationem, quia non purgandi, sed purgati omnes comparebunt; iuxtà autèm hunc ordinem prius esset iudicium, deindè purgatio, si intelligamus verba illa de reuelatione diei, non operis, ergò potiùs intelligenda de igne purgante, & referenda ad opus. Item, scopus Apostoli non est demonstrare reuelandum diem Domini,vel supèr illo disserere, quia de illo tangit incidentèr occasione operum manifestandorum; sed opera cuiusque manifestanda, & hoc proposuerat probare; verba ergò illa potiùs applicanda ad principale intētum,quod est opus,quàm ad diem, de quo accessoriè; eò magis quia quod iterum subdit de igne est explicatio maior, & repetitio (iuxtà Vatablum) præcedentium verborum, vt intelligantur de igne purgatorio, & de iudicio particulari. Accedit, quòd verba, ***quia in igne reuelabitur*** stant sub eodem tempore futuri, & indefinitè, quo prima, ***manifestum erit***, & sic sequentia, ***probabit***, ergò aptè ad opus referuntur. Adde, quòd in fine structuræ apposuit alia verba, ***saluus erit quasi per ignem***, denotātia effectum expiationis ignis purgatorij, non purgationem; ideò non dicit, ***probabit***, vt suprà, sed ***saluus erit***; sicùt ergò omnia alia ad hunc finem intelliguntur de igne purgante, ità & prima verba, ***quia in igne reuelabitur***, in eadem structura posita. Insupèr incongruum videtur, ***dies Domini declarabit***, & pro ratione addere, ***quia in igne reuelabitur***; nàm hæc reuelatio nihil seruit ad reuelationem diei per se,dum erit, manifesti, sed benè ad declarationem operum eo modo, quo dictum est, ergò verba illa magis referenda operi, quàm diei,& magis particulari, quàm vniuersali iudicio, pro quo nihil operantur. Id etiam benè conuenit menti Apostoli, quia suprà posuerat materiam facilis vstionis ***lignum, fœnum, stipulam***, & deindè subiecerat manifestum futurum cuiusque opus,& diem Domini declaraturum; vt enìm declararet quàm facilè id euenturum in materia illa combustibili igni

igni subiacente pro opere posita, subdit, *reuelabitur in igne opus, & ignis probabit quale, &c.* vndè sic benè accommodatur, secùs si ad diem hæc referas. Ad hæc, cum in hac structura verborum agat de bona doctrina, & curiosa, seù mixta venialibus, & omnia dicat manifestanda, & seù venialia, seù mala opera remissa, & tecta non reuelentur. Beati quorum, &c. Chrisost. hom. 31. in morali in Epistol. ad Hebr. & hic S. Thom. in Com. & Iudex dicit bona iustorum, Esuriui, &c. dona verò Dei sunt mansura, seù sinè pœnitentia, & Apostolus loquatur de remissis, *saluus erit, sic tamèn quasi per ignem*, quæ purgatio per ignem fit antè iudicium vniuersale, ergò agit de iudicio particulari, in quo hæc cuilibet repræsentantur, & fiunt manifesta. Sed si esset verior opinio S. Tho. in add. quæst. 87. art. 7. quòd peccata etiàm dimissa manifestanda, quod aliqui etiàm tenent ad maiorem Dei gloriam futurum, non procederet argumentum; infrà tamèn hæreo primæ opinioni. Vndè (retento huiusmodi intellectu) clausula, *quia in igne reuelabitur*, posset etiàm referri ad *diem*, idest, iudicium particulare, quia tunc in illo iudicio particulari, tamquàm in igne lucidè, clarè, manifestè, opus cuiusque apparebit ex effectu, nempè ex transmissione ad ignem purgatorium. Ex quouis intellectu colligitur existentia purgatorij contrà Hæreticos insensatos. Bonæ itaquè superædificationes mansuræ mercedem recepturæ, aliæ peccatis venialibus mixtę exurendę igne purgante, ad quem à Iudice amandandæ, & superædificans igne illo purgatus saluandus, & sic in iudicio, in quo omnia repræsentabuntur, appariturum quale fuerit cuiusque opus.

Sed cur *saluus erit quasi per ignem?* cur non per ignem simplicitèr? nihil mihi satisfacit eorum, quæ vidi, & scripsi. Puto dicere, *quasi per ignem*, non per ignem, quia salus tota saluandi non consistit principalitèr in purgatione ignis, qui remouet tantùm obstaculum peccati venialis, seù pœnæ debitæ impedientium aditum ad cælum, ad quod nihil coinquinatum; at in charitate, in bonis operibus, quod est principale; ideò non attribuit salutem igni absolutè, sed quasi, & hoc videtur verius. Vel, *si cuius opus arserit*, quia ex eo nihil quæsierit, *detrimentum* quidèm *patietur*, quia ex illo non recipiet mercedem: *ipse autèm saluus erit* ex alijs, quæ operatus erit: *sic tamèn quasi per ignem* purgatus, at non verè ex igne, sed ex discussione, & examine iudicij in quo omnia examinabuntur.

Ad tollendas verò tot ambages crederem vltimò sic posse dici. *Si quis autèm superædificat supèr fundamentum hoc*, quod est Christus Iesus, *aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit*, hoc est, quid superædificauerit ex enumeratis diuersis: *dies enìm Domini declarabit*, quandò reddetur ratio villicationis in morte cuiusque, *quia in igne reuelabitur* opus illius, hoc est, in maxima discussione iudicij: quandò enìm quid exactè cognoscitur, solemus dicere cognosci per ignem, & aquam; *& vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit*, declarabit. *Si cuius opus manserit quod superædificauit* ad ignem illum, ad iudicium illud exactum, vt approbetur, proùt manent aurum, argentum, lapides preciosi ad fornacem igneam, *mercedem accipiet* pro opere suo. *Si cuius opus arserit*, non persistet, non portabit ignem, non approbabitur in iudicio, *detrimentum patietur*, quia non imputabitur ei merces operis huius, vel parua: de mercede enim agit expresè, de qua & suprà dixerat, *vnusquisque autèm propriā mercedem accipiet secundùm suum laborem*. Philip. 3. 8. dicit Paulus, omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora; *ipse autèm* sic operans *saluus erit*, saluabitur, *sic tamèn quasi per ignem*, per exactum iudiciū de illo factum, quia omnia opera discutienda. Vult dicere, etiàmsi in redditione rationis huius muneris, seù superædificij non profecerit, vel minus, tamèn præsupposito quòd non defecerit in suo munere, vel venialitèr tantùm (de superædificantibus enìm est sermo, nàm de euersoribus subdit, *si quis autèm templum Dei*) tamèn ex his, quæ pro se gessit bona, *saluus erit quasi per ignem*, idest, per idem iudicium, seù, *quasi per ignem*, idest, *per ignem*, quo purgabuntur venialia, quæ in officio suo commisit; Non ergò vtitur

..tur igne Paulus quasi illo probanda opera, sed per metaphoram, vel quia, vt dixi, igne solent probari per eum enumerata *aurum*, *argentum*, *&c.* & alia, vel quia Christus in igne iudicaturus, ignis enim conflagratorius præcedet. Vel igne puniturus. Nàm aliòqui quomodò probabuntur igne opera hæc? potius purgantur mala opera igne purgatorij. Hic intellectus corroboratur, & stabilitur ex dictis seq. cap. 4. 5. itaquè nolite antè tempus iudicare quòadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tùnc laus erit vnicuique à Deo: sicùt enim ibi per iudicium, ità hìc. Item, quia ex hoc cap. & seq. apparet Corinthios dissensisse, volendo vnum ministrum alteri præferre, ad quod tollendum Paulus hìc dicit manifestandum hoc in iudicio à Deo, à quo quēlibet tùnc recepturum mercedem, & sic redditur manifestum agere de iudicio. Et quia Dei iudicium infallibile, pro hac infallibilitate vtitur metaphora ignis ex sua luce manifestantis occulta, quod explicat cap. 4. 5. dum dicit Deum manifestaturum, illuminaturum. Facit quia sicùt hic *dies Domini*, idest, iudicium Domini *declarabit*, sic infrà cap. 4. 3. humanum diem pro hominum iudicio ponit ad idem. Præterea, quomodò hæc manifestabuntur alijs ex pœnis in purgatorio subeundis? non apparent hæc in conspectu aliorum, proùt hic vult Apostolus apparere, non est phrasis hæc scripturæ conformis, quæ de manifestandis agit sempèr per viam iudicij, ad quod omnes compariturì. In summa credo Paulum agentem de ministris hoc velle, veniet dies, qua quid quisque fecerit, apparebit, redderturque vnicuique merces sua, hicque versari, proùt 2. Cor. 9. 6. qui parcè seminat, parcè & metet: qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. & Galat. 6. 4. opus autèm suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero: vnusquisque enim onus suum portabit: quæ enim seminauerit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autèm seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam æternam, &c. Idem Rom. 14. 10. 12. *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* quasi, non estis aliorum, nec potestis vos nominare Pauli, vel Apollo. *Si quis autem templum Dei violauerit*, faciendo se alterius, quàm Dei, *disperdet illum Deus*, hic agitur de subuersoribus, seù destructoribus ædificij, seù fundamenti, & ex hoc statuitur intellectus circà ligna, fœnum, stipulam, vt non sint euertentia, & destruentia, sed tantùm non se erigentia, & accommodantia ædificio, & venialia: si enim de mortalibus egisset in superioribus, nunc ad ea non descenderet; & hæc verba non percutiunt fornicarium, cum adhùc persistat in dissidijs, & in cap. seq. coniunctìm de illis agat. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, in communi, in Ecclesia, non in particulari loquitur.

Occasione conflagrationis mundi aduerte; quia pòst conflagrationem antè iudicium fiet terra noua, & nouum cælum; nàm postquàm Christus dederit regnum Deo, & Patri, & omnia posuerit sub pedibus suis, quod erit pòst iudicium vniuersale, omnia silebunt; ideò ponitur primò Solis, & Lunæ obscuratio, casus stellarum, virtutum commotio, deindè aduentus Christi. Matth. 24. 29. Marc. 13. 24. Luc. 21. 26. & si cæli transituri. 2. Pet. 3. 10. Matth. 5. 18. donèc transeat cælum, & terra, ergò de vno ad alium statum; & sic alij illicò subrogandi; nàm non est verisimile machinam illam etiàm ad momentum non reparandam; & si cælum, & terram nouam expectamus. 2. Pet. 3. 13. ergò in hoc mundo: pòst resurrectionem enim non dicimur de hoc mundo; vndè Christus, cum essem vobiscum, &c. sic Angelus Raphael. Tob. 12. 18. vel aliquid expectare; & si Ioannes in terra vidit cælos nouos, & terram nouam. Apocal. 21. 1. ergò renouabuntur antè diem iudicij, quod sempèr ponitur pro vltimo opere. Prophetat Isaias: eccè ego creo nouos cælos, & nouam terram. cap. 65. 17. 66. 22. & prophetiæ non sunt de his, quæ pòst iudicium ventura, nisi gloriam, vel punitionem æternam concernant. Accedit quod dicitur Rom. 8. 18. de creatura expectante liberari à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei; vndè sequuta resurrectione, illicò & illa expectans renouan-

14 * *Non vt confundam vos, hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo.*
15 * *Nàm si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres.*
16 *Nàm in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* * *Rogo ergò vos, imitato-*
17 *res mei estote, sicùt & ego Christi.* * *Ideò misi ad vos Timotheum, qui est filius*
meus charissimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ
18 *sunt in Christo Iesu, sicùt vbiquè in omni Ecclesia doceo.* * *Tanquàm non ven-*
19 *turus sim ad vos, sic inflati sunt quidam.* * *Veniam autèm ad vos cito, si Do-*
minus voluerit, & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtu-
20 *tem.* * *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* * *Quid vultis? in*
21 *virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?*



IC nos existimet homo quilibet *vt ministros Christi: & dispensatores*, non dominos, non dominantes, *mysteriorum*, secretorum *Dei*, de mysterio suprà capit. 2. 7. quia in fine cap. præcedentis dixerat non gloriandum in hominibus, intelligens de ministris, & omnia fidelium esse, eos verò Christi, ità etiàm vult prædicantes Euangelium ministros Christi reputari, & vti tales non iudicari, vel tangi, quasi vnus alteri præualeat; ideò præmiserat de diuersis superædificijs. *Hìc iàm quæritur* hoc principale *intèr dispensatores vt fidelis quis inueniatur*, non sibi, sed Domino imputans; & cum non esset in sua potestate de alijs dicere, de se dicit. *Mihi autèm pro minimo est vt à vobis iudicer*, an fidelis sim nec ne, parùm curo vestrum iudicium, *aut ab humano die*, hoc ex opposito diei Domini, de quo suprà: *sed nequè meipsum iudico*, nequè ob id mihi quidquam arrogo, quasi non possim errare, etsi *nihil mihi conscius sum* in hoc ministerio meo, quo & suprà cap. 3. 6. & 10. & alibì sæpè rectè fungi dixit, & ad hoc credo restringere dictum suum, quia & supèr his erant iudicia, & eius verba, & discursus; & multæ saluationes huius dicti (si sic intelligatur) sunt vanæ: *sed non in hoc iustificatus sum*, vt sim tutus, qui possum & in aliquo, quod non assequor, errare; ideò Propheta: ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo: *qui autèm iudicat me, Dominus est;* cuius iudicia imperscrutabilia, & timenda, & qui omnia nouit, & cuius iudicium expectandum. Vos *itaquè nolite antè tempus iudicare*, differte, abstinete, *quòadusque veniat Dominus*, proùt suprà cap. 3. 13. cuius est iudicium, *qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, quæ tùnc quisque cognoscet absquè errore, Dei iudicio tuto præcedente, mala scilicèt (& loquitur in genere, & abstracto, ne tangat ministros) qui enim malè agit, odit lucem, & occultè agit; ideò dies Domini, *& illuminabit, manifestabit*, & quia de malis iudicandis, non bonis est sermo: ad hæc enim nunc vos, ò Corinthij, peruenire non potestis, quæ sunt solius hominis facientis, & Dei corda perscrutantis, suprà cap. 2. 11. ipse sciebat quid esset in homine. Ioan. 2. *& tùnc laus erit vnicuique à Deo* nota, & etiàm vituperium notum, sed nunc de laude, quia bona sempèr præsumenda, & quia de ministris omnibus benè sentiendum, & præsumendum, & quia tutiùs, & honestiùs de laude, quàm de vituperio asseritur; hinc etiàm agens suprà de ministris, non de mortalibus peccatis eorum, sed de venialibus egit sub metaphora ligni, fœni, stipulæ in genere, & abstracto, vt eos minùs grauaret; & cum his Corinthijs obseruantibus illos, & iudicantibus id rectè cauit Apostolus; Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Videant nunc illusores ministrorum quid agant, memores, qui eos spernit Deum spernere, cuius sunt ministri. Ex his videtur bonus intellectus, suprà cap. 3. 13. agi de iudicio. *Itaquè nolite antè tempus iudicare, quoadusquè veniat Dominus: & illuminabit*

bit absconditа tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tùnc laus erit vnicuique à Deo. Hinc videtur colligi in iudicio non esse manifestanda peccata dimissa iàm tecta, vt dixi cap. 3. tum quia hìc de absconditis, quæ in malis verificantur tantùm lucem odientibus; idem de occultis dixit. Rom. 2. 16. in die cum iudicabit Dominus occulta hominum: nunquàm enim Apostolus explicat mala præcedētia bonorum detegenda: si enim iàm dimissa, non fiet discussio supèr illis, & contrà bonos iàm beatos. Ad hæc, dicit illam diem Apostolus iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Rom. 2. 5. quod non applicatur contrà bonos, & stabunt iusti in magna constantia aduersùs eos, qui se angustiauerunt: & quòad bonos hic dicit, *laus erit vnicuique à Deo*, & Matth. 25. esuriui enim, &c. & suprà 3. vniuscuiusque opus manifestum erit, &c. & in hac opinione est Mag. 4. Sent. dist. 43. vers. Hic quęritur, in fin. contrariã tamen defendit Abulen. Matth. 25. q. 350. tom. 7. & communem dicunt recentiores Gen. 3. sect. 22. nu. 4. qui tamen congerunt Patres negatiuam tenentes. *Hæc autèm, fratres, transfiguraui in me, & Apollo* tantùm; aduerte, non vult dicere finxisse hæc, cum suprà cap. 1. 12. dicat: hoc autèm dico quod vnusquisque dicit: Ego quidèm sum Pauli, &c. sed vult dicere, restrinxi multa alia, quæ dicitis, seù tacui multos alios, quos nominatis, & quorũ vosipsos facitis, & loquor de me, & Apollo tantùm. Hinc duo elicias: primum quod multi alij nominabantur, vt Cephas, Christus, &c. vel si figuralitèr dixit verba illa (hoc autèm dico, &c.) referunt tantùm modum, quo hæc dicebant, non personas. Sed cur ibi & Cepham, & Christum? & de Cepha etiàm capit. 3. 22? facilè, vult dicere, *transfiguraui in me, & Apollo* vobis notis, reticēs vobis ignotos, vel quos semèl nominauerat. Secundũ, quòd proptèr Apollo, quē assumit cõfidentèr in parabolam nõ mouebatur Apostolus, quasi ille eloquentior, ipse minus, quod etiã suprà animaduerti. Hos autèm, quos reticet, non puto ego pseudoapostolos, sed illos, qui ligna, fœnum, stipulam superædificabant suprà cap. 3. 13. & quos infrà vocat pædagogos; nàm si fuissent pseudoapostoli, & seminassent improba, Apostolus in eos inueheretur, & eorum falsam doctrinam destrueret, nequè adeò mitis ergà ipsos esset, qui noluerit eis quidquam detrahere. *Hæc autèm transfiguraui in me, & Apollo*, ne dicatis, sum Pauli, vel Apollo, vt suprà cap. 3. 4. alios intactos dimittens *proptèr vos*, vestri causa: *vt in nobis*, idest, exemplo nostro, qui non efferimur pro nobis, qui nolumus vos vocari ex nomine nostro Paulini, vel Apollonij, *discatis, ne suprà quàm scriptum est vnus aduersùs alterum infletur*, intumescat, superbiat *pro alio*, volens pro alio hæc vana assumere: si enim nos pro nobis hæc spernimus, quantò magis vos pro alijs facere debetis? sed recognoscere illos vti Christi dispensatores generalitèr. *Quis enim te discernit?* quis te separat? vt magis pro vno sis, quàm pro alio? credo enim Apostolum idem thema prosequi, & alloqui Corinthios, non magistros: suprà enim illos, pòst hæc eosdē, ibi *saturati estis*, ergò & in hoc medio. *Quid autèm habes quod non accepisti* à Deo? cur ergò homines prædicas? *Si autèm accepisti* (proùt certè à Deo accepisti) *quid gloriaris* in hoc, vel in illo homine, pro quo inflaris, *quasi* à Deo *non acceperis?* propterea præmisit in cap. 3. 21. nemo itaquè glorietur in hominibus, & nunquàm Apostolus tetigit magistros, seù ministros, sed discipulos, seù baptizatos dicentes, sum Pauli, sum Apollo, &c. *Iàm saturati estis, iàm diuites facti estis*, exaltatione horum vestrorũ magistrorum, quos magnificatis (ironicè loquitur) quasi velit dicere, adhùc famelici, & egentes estis: *sinè nobis regnatis*, regnũ estis adepti, nihil vobis deest proùt Regi, magna quęsistis sinè nobis, quos spernitis, alijs postponēdo (adhùc stat in ironia) *& vtinam regnetis*: opto enim vt in vobis quouis modo formetur Christus, *vt ex* charitate, qua vos prosequor, *& nos vobiscum regnemus* desiderãtes vobis omne bonũ, ex bono vestro regnaturi, non inuisuri. *Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos*, abiectos, vltimos intèr homines *ostendit, tanquã morti destinatos*, quibus nihil contemptibilius, quia dixerat, *sinè nobis regnatis*, in quibus verbis taxat eorum ingratitudinem adscribētium alijs fructum, qui ministerio Pauli in eis succreuerat, & pa-

rùm

rùm eum æstimantium; ideò quasi id à Deo recognoscens, & quod esset regnum eorum describens, ne putarent quod ironicè dixerat verè dixisse, subdit non ironicè, sed ex corde sincero hæc vsquè ad vers. *non vt confundam, &c.* & magis exaggerat, & declarat, quomodò eum, vel eos qui in illis laborauerant, nihili facerent: *quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus,* quasi dicat, omnes in nos oculos conijciunt, obseruant; sic Pharisæi Christum sanaturum hydropicum illudentes. Hinc puto de malis angelis agere, quia hæc non ad bonos, & conuenit cum iàm dictis, cum parui æstimarentur à Corinthijs; & ideò etiàm strictè ad ipsum, & Apollo, & similes verba *nos apostolos,* quia etsi alij Apostoli hæc passi, tamèn non apud Corinthios, & sermo Pauli est de his, vel saltèm de personis prædictis; & quòd in malum intelligat de spectaculo, nec veniant Angeli boni, subdit. *Nos stulti proptèr Christum* enumerans in quibus illuderentur, & dicit; *non vt confundam vos hæc scribò,* & quia priùs dixit, *mundo,* & quid mundi nomine intelligeret, specificat, *& Angelis:* dæmones enim & in mundo sunt à cælo eiecti, *& hominibus;* si enim de Angelis bonis intellexisset, non posuisset eos pòst mundum, sed primò eos nominasset. *Nos stulti proptèr Christum,* quem prædicamus crucifixum: hæc enim stultitia apud Gentiles, *vos autèm prudentes in Christo* facitis, vel æstimamini, cū non patiamini proùt nos: *nos infirmi, vos autèm fortes* videmini: *vos nobiles,* magni, *nos autèm ignobiles,* abiecti. *Vsquè in hanc horam,* ad hoc tempus, *& esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus* hàc, & illàc vagantes, *& laboramus operantes manibus nostris:* eccè quomodò esuriat, & sitiat, quia non recipiebat ab eis alimenta: *maledicimur, & benedicimus,* bonum pro malo reddentes: *persecutionem patimur, & sustinemus,* at in patientia nostra possidebimus animas nostras: *blasphemamur, & obsecramus* mansuetè: *tanquàm purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsèma vsquè adhùc,* in quos omnes quisquiliæ congerantur, & reijciantur. *Non vt confundam vos,* rubore afficiam, vobis improperans quàm malè mecum agatis, & contendatis, & efferatis quos effertis *hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo,* suggerēs vobis quid cum patre deberetis officij. *Nàm si decem millia pædagogorum,* nutritorum, seù eruditorum *habeatis* inferioris generis *in Christo,* in quibus gloriemini, & vos illorum esse dicatis: *sed non multos patres: nàm in Christo Iesu per Euangelium* à me prædicatum *ego* solus pater *vos genui:* generatur enim qui ad Deum conuertitur, suprà id dixerat cap. 3. 6. Ego plantaui, &c. & vt sapiens architectus, &c. vers. 10. *Rogo ergò vos, imitatores mei estote,* qui omnia defero Deo, *sicùt & ego Christi,* qui omnem gloriam patri dabat; *Ideò* vt possitis me imitari *misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in domino, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicùt vbiquè in omni Ecclesia doceo,* ne putarent diuersimodè ab alijs cum illis agere, vt sciatis quomodò vos oporteat ambulare, & placere Deo. *Tanquàm non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam* pro alijs suprà vers. 6. quasi non timentes aduentū meum, vel me absentem: intelligit de Corinthijs, ad quos miserat Timotheum, non magistris suum aduentum non præstolantibus, aut timentibus; ideò etiàm venturum se citò dicit ad eos, & agit de virga, quæ non ad ministros aptatur, sed ad discipulos, seù Corinthios conuersos. *Veniam autèm ad vos citò, si Dominus voluerit:* sinè illo enim nihil possumus: *& cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt* pro alijs: hoc enim non curo, non sunt mihi cordi hæc, *sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei,* Euangelium, doctrina Christiana, de quo suprà dixerat, *sinè nobis regnatis; sed in virtute,* in signis, in veritate, in sinceritate, quæ omnia in me cognouistis. *Quid vultis?* quid eligitis? *in virga veniam ad vos* puniturus, *an in charitate,* dilectione, & spiritu mansuetudinis? quasi, hoc eligo potiùs. Vel vos eligere deberetis.



CAPVT V.

1 *OMNINO auditur intèr vos fornicatio, & talis for-*
nicatio, qualis nec intèr Gentes, ità vt vxorem patris
2 *sui aliquis habeat? * Et vos inflati estis: & non magis*
luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui hoc
3 *opus fecit. * Ego quidèm absens corpore, præsens autèm*
spiritu, iàm iudicaui vt præsens, eum, qui sic operatus
4 *est, * in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis*
5 *vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, * tradere huiusmodi Sa-*
tanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Chri-
6 *sti. * Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam*
7 *massam corrumpit? * Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, si-*
8 *cùt estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. * Itaquè epu-*
lemur non in fermento veteri, nequè in fermento malitiæ, & nequitiæ: sed in
9 *azymis sinceritatis, & veritatis. * Scripsi vobis in epistola: Ne commiscea-*
10 *mini fornicarijs. * non vtiquè fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapaci-*
11 *bus, aut idòlis seruientibus: aliòquin debueratis de hoc mundo exijsse. * Nùnc*
autèm scripsi vobis non commisceri: si is, qui frater nominatur, est fornicator,
aut auarus, aut idòlis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum
12 *eiusmodi nec cibum sumere. * Quid enìm mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?*
13 *Nonnè de ijs, qui intùs sunt, vos iudicatis? * nàm eos, qui foris sunt, Deus iu-*
dicabit. Auferte malum ex vobisipsis.



MNINO auditur intèr vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec intèr** Gentes*, in quibus hæ frequentes, & turpes; qualis fornicarius, non dicit, non certè ex pædagogis, quia dixisset aliquid, quod demonstraret apertiùs: ***ità vt vxorem patris sui aliquis habeat, vt Ruben. Gen. 35. Adonias expetens. 3. Reg. 1. dixisset matrem fornicarij, si mater fuisset, quod magis grauabat; nouerca igitur erat, & patris viuentis, quia aliòqui non fuisset vxor, proùt illam nominat. ***Et vos inflati estis*** quasi in vanitatibus detenti, vel gloriantes vos à tali crimine innoxios: ***& non magis luctum habuistis***, iram vsquè ad luctum, ***vt tollatur de medio vestrum*** is fornicarius, ***qui hoc opus fecit. Ego quidèm absens corpore, præsens autèm spiritu, iàm iudicaui vt præsens, eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis*** flagellandum, ***vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi***, excommunicando: iàm enim dixerat. ***vt tollatur de medio vestrum***, & infrà in fine cap. subdit, ***auferte malum de medio vestri***; vndè non aliud intendebat quàm ouem morbidam separari,

quod

quod fit per excõmunicationem, per quam & traditur Satanæ in consequentiam, non quòd arreptitius fieret, quia nimis acerbum fuisset, sed vt separatus ab alijs torqueretur ad resipiscentiam in interitum carnis, idest, vsquè ad extinctionem carnalitatis, seu peccati carnalis, & spiritualis efficeretur, non vt moreretur, vel torqueretur actualitèr in corpore: excommunicatio enìm agit in animam, non in corpus, ità *vt spiritus saluus sit*, anima *in die Domini nostri Iesu Christi*, mortis suæ, proùt suprà cap.3.13. dies Domini, quandò iudicabitur, non iudicij vniuersalis, quia antè illud vbì mansisset saluandus? Non pronunciauit Apostolus, sed dixit excommunicandum ab illis congregatis, ad quos spectabat, & ad quos dirigitur epistola, seruatis quæ tùnc seruabantur, & omnia fieri *in nomine*, idest, in virtute, & potestate, vt subdit, *Domini nostri Iesu Christi*, & in eius spiritu, quæ verba innuunt iussionem factam illis de excommunicando, & ordinatè faciendo, quod imperabat: si enim ipse pronunciasset, non dixisset; *congregatis vobis, & meo spiritu*, & alia, & non præmisisset cap.4. in fin. in virga veniam, &c. & subdit: *Expurgate vetus fermentum*, auferte malum de medio vestri, & suprà dixerat, *vt tollatur de medio vestrum, &c.* Et verba, *iam iudicaui tradere*, non dicunt sententiam, sed propositum faciendi, *iàm iudicaui* sic faciendum *tradere*, non trado. *Non est bona gloriatio vestra* vos alienos esse ab hoc crimine, erat vobis incumbendum in extirpatione morbi huius contagiosi: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* ità potest vobis euenire; *expurgate* ergò *vetus fermentum* fornicarij, *vt sitis noua conspersio* in puritate, non fermentata vetustate, seù peccato aliquo, *sicùt estis azimi* sinè fermento, peccato, ex professione in baptismo. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus*, qui sanguine suo postes liniuit, vt simus puri, & tuti nùnc ab exterminatore. *Itaquè* liberati ab eo *epulemur*, lætemur, proùt pastor inuenta oue, & pater filio prodigo reuerso, & mulier drachma inuenta: *nõ in fermẽto veteri*, peccatis antiquis, quod declarat, *nequè in fermento malitiæ, & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis, & veritatis*, in puritate vitæ ambulantes. *Scripsi vobis in Epistola* alia ab hac: in hac enìm nihil de his expresè: *Ne commisceamini fornicarijs; non vtiquè fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idòlis seruientibus:* his enìm plenus mundus: *alioquin debueratis de hoc mundo exisse;* nàm hos vitare non potestis. *Nùnc autèm scripsi vobis non commisceri: si is, qui frater nominatur*, fidelis, *est fornicator, aut auarus, aut idòlis seruiens, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax: cum huiusmodi nec cibum sumere*, omnem conuersationem amputare. Cur magìs vitandi fideles peruersi, quàm infideles? quia inimicus domesticus omni peste peior, meliùs vitatur is, quem scimus inimicum apertum, ne contaminemur; & ex subtractione nostræ conuersationis nõ conuertimus infideles, imò ex conuersatione conuertimus; ideò cum illis conuersandum, vt conuertantur; at ex subtractione fideles commouentur, dum à commercio aliorum eijciuntur, ad pœnitentiam, & discunt conuersi non reuerti ad vomitum, sed magìs ad propositum, quia Paulus, vt subdit, nolebat de ijs, qui foris sunt iudicare. *Quid enìm mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* vt quid enìm contrà illos censuris ago, quibus irretiri non possunt horum incapaces? & quia id nùnc non habet remedium ex nimia multitudine, aliòqui ex mundo exeundum, vt dicit. *Nonnè de ijs, qui intùs sunt, vos iudicatis?* quasi, hoc sufficit; *nàm eos, qui forìs sunt, Deus iudicabit:* sed nonnè iàm iudicati sunt tanquàm infideles? vtiquè quia non iudicio discussionis, cum sint in primis peccatis. Concludit. *Auferte malum ex vobis ipsis* fidelibus, quos potestis iudicare.

Sed an Ecclesia habeat potestatem supèr infideles? apud Iuristas, & Scolasticos videndum, præsertim S. Tho.2.2.q.10. Credo nùnc de hac potestate non agere Paulum, quia nec adaptabatur temporibus illis, quibus non poterant illi coerceri. Credo etiàm, quòd cum scriptum sit, illas oportet me adducere, oues, qui Gentiles erant, comprehendi, & hoc absquè dubio mandatum Petro illis verbis: pasce oues meas, agnos meos, & quauis re minister opus haberet

beret ad hoc ministerium perficiendum, posse ea vti apud quemuis in mundo existente, quia omnia creata ad hunc finem ducendi homines ad gloriam, hocquè omni alio iuri præualere: si enim licet ad conseruationem vitæ temporalis etiàm furto subtrahere, & tùnc non reputatur furtum, multò magìs ad propagationem fidei, & vitæ spiritualis, & æternæ omnia concessa. Præthereà, data fuit Christo omnis potestas in cælo, & in terra, proùt & Psal. 2. postula, &c. quæ potestas omnia capit; omnem autèm potestatem tradidit Ecclesiæ sponsæ suæ, vt inquit Epiphanius hæresi 29. manet enìm thronus ipsius, & regni eius non erit finis, & sedet supèr thronum Dauid, ità vt regnum Dauid vnà cum Pontificatu transtulerit, & largitus sit seruis suis, hoc est Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ, & singularitèr capiti visibili Vicario suo Pontifici Romano; & si Domini est terra, & plenitudo eius. Sicùt misit me Pater, & ego mitto vos, ergò omnibus in his, quæ ad gloriam Dei vertunt, Ecclesia vti poterit, & Summus Pontifex. Hæc ex tempore maturiùs alibì examinanda, non enìm hic locus suus, cum; vt dixi, Paulus id non intendat.




CAPVT VI.

1 *AVDET aliquis vestrum habens negotium aduersùs al-*
2 *terum, iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos?* An*
nescitis quoniàm Sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si
in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de mini-
3 *mis iudicetis?* Nescitis quoniàm angelos iudicabimus?*
4 *quantò magìs sæcularia?* Sæcularia igitur iudicia si ha-*
bueritis: contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos consti-
5 *tuite ad iudicandum.* Ad verecundiam vestram dico. Sic non est intèr vos*
6 *sapiens quisquam, qui possit iudicare intèr fratrem suum?* sed frater cum fra-*
7 *tre iudicio contendit: & hoc apud infideles?* Iàm quidèm omninò delictum est*
in vobis, quòd iudicia habetis intèr vos. Quarè non magìs iniuriam accipitis?
8 *quarè non magìs fraudem patimini?* Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis:*
9 *& hoc fratribus.* An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? No-*
10 *lite errare: Nequè fornicarij, nequè idòlis seruientes, nequè adulteri,* nequè*
molles, nequè masculorum concubitores, nequè fures, nequè auari, nequè ebriosi,
11 *nequè malidici, nequè rapaces regnum Dei possidebunt.* Et hæc quidam fui-*
stis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domi-
12 *ni nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Omnia mihi licent, sed non*
omnia expediunt: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.
13 ** Esca ventri, & venter escis: Deus autèm & hunc, & has destruet: corpus*
14 *autèm non fornicationi, sed Domino: &* Dominus *corpori.* Deus vero & Do-*
15 *minum suscitauit: & nos suscitabit per virtutem suam.* Nescitis quoniàm*
corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergò membra Christi, faciam mem-
16 *bra meretricis? Absit.* An nescitis quoniàm qui adhæret meretrici, vnum*

corpus

17 *corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una.* * *Qui autèm adhæ-*
18 *ret Domino, vnus spiritus est.* * *Fugite fornicationem. Omne peccatum, quod-*
cumque fecerit homo, extrà corpus est: qui autèm fornicatur, in corpus suum pec-
19 *cat.* * *An nescitis quoniàm membra vestra, templum sunt Spiritus sancti, qui*
20 *in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* * *Empti enim estis pre-*
tio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.




VDET aliquis vestrum fidelis *habens negocium aduersùs alterum* fidelem, *iudicari apud iniquos*; infideles, *& non apud sanctos?* fideles? non prohibet Apostolus quin citati accedant ad iudicium Ethnicorum, sed vult apud fideles quasi arbitros, & amicabiles compositores causas definiri, quia alio modo non poterat tùnc exerceri iurisdictio intèr laicos fideles in causis sæcularibus, de quibus tantùm loquitur non de Ecclesiasticis, & sic tangit actores tantùm citantes, seù iudicia incipiẽtes. Et ne opponeretur ei quòd fideles nescirent has controuersias dirimere, subdit: *An nescitis quoniàm sancti de hoc mundo iudicabunt?* Sanctos fideles de hoc mundo iudicaturos, idest, de hominibus? *Et si in vobis sanctis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis?* imò nedum mundum sancti iudicabunt, sed angelos, dæmones: *Nescitis, quoniàm angelos iudicabimus? quantò magìs sæcularia?* Vndè stat in sapientia Iudicum, non in potentia, seù iurisdictione coactiua (quidquid sit de iudicio vniuersali: est enim longa distantia loqui de mundanis, & de iudicio vniuersali.) *Sæcularia igitur iudicia si habueritis:* (quod nollem, vt infrà) *contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum*, non quòd hos vellet; nàm subdit: *Ad verecundiam vestram dico, Sic non est intèr vos sapiens quisquam, qui possit iudicare intèr fratrem suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles?* sed potiùs hos, quàm iudices iniquos, nequè quòd intèr laicos constituerentur coacturi, sed quòd eligerentur à partibus singulis, vt arbitri; ideò subdit: *sic non est intèr vos sapiens quisquàm, qui possit iudicare intèr fratrem suum?* requirit enim tantùm sapientiam in iudicio christiano, at non dat potestatem, vel ostendit inesse, sed ex partium consensu vult sapientem Christianum adiri, & eum iudicare contentiones, & aduertit Theophilactus, dum dicit, quòd apud Græcos contendebant tanquàm legisperitos; Et si Christiani laici potuissent constituere Iudices laicos (non enim hìc de Ecclesiasticis eligendis, nisi diuinemus, præsertim quia nec dum potestas Ecclesiastica, etsi introducta, vigorem suum habebat) & dare eis auctoritatem coactiuam, adhùc obseruaretur, quod nullibì obseruari videmus, Et si aliquandò Episcopi fuerunt iudices etiam in sæcularibus, id fuit pòst multa sæcula, & non exercuerunt intèr laicos in rebus merè, & propriè sæcularibus iurisdictionem coactiuam, nisi postquàm accessit lex Imperialis, qua indiguerunt saltèm de facto, de iure non disputo. Pro hoc intellectu facit, quia necdum iurisdictio Ecclesiastica erat in suo vigore, saltèm quòad temporalia, quomodò ergò fundanda laicalis? Paulus ipse (quem nùnc fundatorem iurisdictionis faceremus) grauatus ad Cæsarem appellat, quomodò ergò is dabat iudices laicos in causis sæcularibus? Prætereà, duplex error erat, quòd iudicio contenderent; ideò subdit: *delictum est in vobis, quòd iudicia habetis*, & suadet ad dimissionem iurium, & quòd apud infideles, quibus contentiones, & fraudes Christianorum (de quibus infrà vers. 8.) innotescebant, & scandalum pati poterant; si ergò vult eos ad fratrum iudicium retrahere formale, non rectè prouidebit primo errori, quia in iudicio erit cõtentio; ideò non est verisimile de Iudicibus cogentibus agere. Sed quomodò opportunum fuisset his diebus in principio fidei Euangelicæ constituere Iudices laicales co-

gentes ex opposito Iudicum Ethnicorum? quæ prouidentia? quomodò id acceptum ab Ethnicis? quomodò persuasum fidelibus? vix recipiebatur fides Christiana, oppugnabatur potiùs, quomodò hæc tùnc à Paulo introducenda? Imò totum cōtrarium fecerunt Apostoli, qui iubebant obedientiã Ducibus, Regibus, Dominis etiàm discolis, & vitabant omnia, quæ possent trahi, vt vellent quidquam ab alijs possessum assumere; imò si hoc solum de recipiendis arbitris ità vniuersale innotuisset Ethnicis, nescio an essent laturi, quia indirectè tendebat ad diminutionem suorum tribunalium. At si hoc Paulus Corinthi, eligere scilicet tribunalia laicalia intèr laicos, cur non vbiquè gentiū, vbi erant fideles? qui profectò coràm Ethnicis agebant lites: aliòquin Paulus ad gentes missus, non rectè functus esset officio suo; at quàm imprudētèr tùnc tribunalia huiusmodi erecta forent? Et si erecta, quis defendisset? armis opus erat, non verbis, neque simplicitate Apostolica. Non expediebat tùnc (etsi licuisset) hæc promouere. Christus etsi se abstinuerit (vndè recusauit iudicium intèr fratres. Luc. 12. 13.) nihilominùs non euasit, quin vti faciens se Regem crucifixus sit, quid Apostolis euenisset hæc tentantibus, audentibus, operantibus? Ad hæc; si debuissent Iudices tales constitui, estne verisimile Paulum solum id iussurum cōtrà iurisdictionem, & iurisdictionem exercentes in toto orbe, qui dum intèr fideles ex gentibus, & fideles circuncisionis ageretur de legalibus, iuit Ierusalem interrogatum Apostolos, & ibì congregatum concilium, & ex concilio res definita? Act. 15. quid supèr his agendum? Et si hoc in mundo introducendum, res debuisset habere principium ab Ierusalem, vbì primi fideles. Sed si Corinthi id iussum fieri, vbi apparet hoc habuisse effectum, vel in alio loco mundi, nempè quòd Iudices cogentes intèr laicos in sæcularibus à fidelibus fuerint constituti? aliqua enim vestigia remansissent. Etenim contrà verba Pauli iubentis constitui est, quòd essent iàm constituti. Considero etiàm, quòd Christus non iubet Apostolis, vt hanc iurisdictionem coactiuam introducant, sed: ite in mundum vniuersum, prædicate, &c. qui crediderit, &c. docentes eos seruare quæcumque mandaui vobis. Et si dixeris, alia oretenus locutus est Christus de Regno, seu Ecclesia sua, hinc multæ traditiones ab Apostolis descendentes, concedo: at traditiones videmus executioni demandatas, hanc nunquàm; ideò non credendum Apostolum de hac contentiosa, seu coactiua iurisdictione agere. Imò Christus dixit: Regnum meum non est de hoc mundo, non quòd ipse non esset Dominus omnium, cum dicat (omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra) sed quia noluit se in his iurisdictionalibus ingerere; ideò dixit: reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, &c. in vniuersum, nihil determinans, soluit tributum infans, & cum Petro, & Apostolis, ne scandalizaret. Matth. 27. vocatus in diuisorem abnuit dicens: ò homo quis constituit me Iudicem? &c. Luc. 12. & Christum sequutum esse Apostolū verisimile. Vndè Paulus Rom. 13. 1. omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. &c. Petrus epist. 1. cap. 2. 13. subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ, &c. Perpende etiàm quòd Apostolus infrà cap. 7. 12. non vult fidelem discedere ab infideli, ne excitarentur turbæ in primo illo statu Ecclesiæ, quomodò ergò fundare voluit tribunalia laicalia, quod plùs erat? Considerandum etiàm quòd licèt iurisdictio Ecclesiastica esset introducta, tamèn pœnæ non excedebant excommunicationem, vt in Corinthio hic, & alijs. 1. Tim. 1. in fin. & reprehensionem publicam. 1. Tim. 5. 19. 20. quomodò ergò hæc sæcularis? Insupèr idē Apostolus eod. cap. 7. 21. vult seruos conuersos seruire, nec curare libertatem, ne offenderentur Domini videntes se spoliari seruis eorum, idem repetit. 1. Timot. 6. 1. ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur, quomodò ergò intendit Iudices constituere? Et verbum (iudico) diuersimodè capitur, quia & infrà cap. 10. vers. 15. capitur pro iudicio discretionis, ità Abulen. Matth. 20. q. 96. Concludo, Paulum intellexisse de electione arbitrorum, seu amicabilium compositorum, nō Iudicum coacturorum. Sed an apud Ecclesiasticos resideat auctoritas directa in sæcularia, est alterius inspectionis; nùnc interpretis officio fungor; in epistolas Pauli scripserunt doctissimi, quibus nil addas. Appellat Paulus hos infideles iniustos Iudices, & de fa-

de factis eorum iniustitijs fouebant lites intèr fideles vltrà alia; ideò sic Paulus exardescit. *An nescitis quoniàm sancti de hoc mundo iudicabunt?* qui hi,? Apostoli; vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis supèr sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Sed an alij? hic videtur quòd alij; nàm quos sanctos dixit, intelligit fideles, *Et si in vobis iudicatur mundus:* &, *Angelos iudicabimus*, & Apoc. 2. 27. dabo illi potestatem supèr gentes, &c. Et iudicabunt sancti nationes. Sap. 3. 8. at quomodò? incertum, quia non datur sessio nisi Apostolis, & apostolicis viris, qui erunt primarij. Fortè stabunt iusti in magna constantia, &c. & sessio viginti quattuor in Apocalypsi cap. 3. 21. & 4. 4. non est ad iudicium, sed gloriam, vt ibi dixi. Dan. 7. 9. potest restringi ad apostolicos; sic Isa. 3. 13. vndè credo assistentiā Sanctorum pro Iudicio poni, & sic etiàm assistent Angeli. Dan. 7. 10. Vide scripta in Euangelijs. Sed an Angeli boni iudicandi? aliqui consentiunt, quia dictum, iudicantes duodecim tribus Israel, quòd fortè incidentèr ex illarum iudicio nascetur iudicium bonorum, & malorum Angelorum quòad pœnas, & merita accidentalia, sed hoc non satisfacit, & credo nō iudicandos bonos quia beati non merentur ex Diuo Thoma 1. par. q. 63. art. 9. & si quā mererentur gloriam accidentalem, illicò eam reciperent, nec ea differretur à Domino liberali, & soluendo soluente mercedes de sero altero die non expectato, quod & credo fieri in Sanctis, in animabus, & quia non est æquum inferiores iudicare superiores, & custodes nostros subijci nobis: Angelus enim minor in regno cælorum est maior Ioanne Baptista viuo, & Angeli venient associaturi Christum, & coràm Angelis dicit se erubescendum contrà peccatores, qui illum erubuerint coràm hominibus, non ergò accedent iudicandi, & videtur inconueniens assistentes Principi, & militantes pro illo subijci inferiori, & si sempèr vident faciem Patris, vt ob hoc paruulos non scandalizandos dixerit Christus, quomodò ad iudicium hominum euocandi? Vndè credo rem restringendam ad angelos malos tantùm ob præuaricationem nobis à Christo subiectos, & nobis factos inferiores ob contumaciam, & pertinaciam in peccato; vndè etiàm nùnc condemnantur ad pœnas ab exorcistis. Accedit quod dicit Petrus epist. 2. cap. 2. 4. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari. Et Iudas in Epist. vers. 6. angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit: quod enim dicit de his malis, excludit de bonis, & eò magis excludit, quò vers. 15. dicit: eccè venit Dominus in sanctis millibus suis, Angelis, scilicèt, facere iudicium, & arguere omnes impios; & Apoc. 14. 10. dicitur, & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu angelorum sanctorum, & antè conspectum Agni, & in tota Apocalypsi describuntur Angeli executores Iudicij, non autèm iudicandi, & Christus dicit se venturum ad iudicium cum Angelis, sicùt etiàm redemptio non iuuit Angelis, nisi quatenùs sedes eorum implentur, & ad maius gaudium proptèr homines: si enim non peccauerùnt, nec redemptione indiguerunt; sed rem videtur indubitabilem facere quod dicit S. Thom. q. 63. art. 9. p. 1. quòd gaudium Angelorum est virtute beatitudinis, quàm vt illud mereantur. Videndus idem S. Tho. q. 89. art. 8. in add. ad 3. par. *Iàm quidèm omninò delictum est in vobis, quòd iudicia habetis intèr vos. Quarè non magìs iniuriam accipitis? quarè non magìs fraudem patimini?* potiùs hæc volo, quàm lites coràm infidelibus: eccè cur moueatur: si ergò prohibet iudicia, cur constituit Iudices cogentes? est inuerisimile, eò magis quia suadet, vt potiùs iniuriam patiantur. *Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus*, ità vt etiàm calumniosè litigetis; eccè aliud, quod Apostolum mouebat, fraudes has fieri, & Ethnicis patefieri, à quibus vt illos reuocet, docet pœnam acerbissimā, priuationem Regni Dei, & hac occasione alia vitia subdit: quibus Corinthij olim subiacebant, ad ea magis è cordibus euellenda ob pœnam. Vel potiùs (quod credo verius) à vers. *An nescitis, quia iniqui*, incipit aliàm materiam vitiorum, & maximè forni-

fornicationis, de qua suprà egerat, quam hic reassumit, iungens tamèn verba, *fures*, & *rapaces*, ad propositum fraudum in litibus, *An nescitis quia iniqui* fraudulentèr agentes, *regnum Dei*, in quod nihil coinquinatum intrat, *non possidebunt? Nolite errare*, si hoc nescitis: *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*, vitia carnis numerat: hæc enim intèr eos, & in mũdo frequentia, & quæ ad proximi bona, & famam eadem ratione. *Et hæc quidam fuistis* ex vobis: acerbitatem temperat de incertis, & nõ generalitèr loquens: *sed abluti estis* ab his immunditijs per baptismum, *sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri* sancto; & si sic, cur nùnc ad vomitum? quia fraudatis, & hoc fratribus. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt:* poterant dicere, nonnè licet nobis nostra repetere? licere innuit, sed non expedire; propterea dixit delictum esse, & iniuriam patiendam, & repetit: *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate*, vt quæ mihi licent, faciam: quasi, potiùs abstinebo, quàm seruiam his, quæ abstrahunt à contemplatione, & quæstu æternorum, cum sapiant auaritiam, & terrena; vndè non vult dicere se nolle redigi sub potestate hominum, iudicum Ethnicorum, cum sub ea foret, quòd si is sensus verus, excluditur quòd iusserit eligi iudices intèr Christianos cum facultate coactiua; nàm non induxisset, quod ipse damnat. *Esca ventri, & venter escis*. poterant dicere, vndè viuemus, si nostra non repetimus? subdit, non nego escam ventri deberi, & ventrem pro escis recipiendis formatum; at hæc finem habebunt: *Deus autèm hunc, & has destruet*, quia in cælo hæc cessabunt; ideò non tanta solicitudo pro his cessaturis. Hinc non prohibet repetitionem penitùs, sed vellet hoc apud Sanctos fieri, vt suprà. Vel, *esca ventri, & venter escis;* poterant dicere, pòstquàm egerat intèr vitia enumerata de ebriosis, non possum ego comedere quantum volo? *esca* enim *ventri* debetur pro illo facta, *& venter escis* pro illis recipiendis; sed aduerte, dicit Paulus, ne plusquàm debes sumas, ne in earum potestatem redigaris vt ebriosus, quia *Deus & hunc, & has destruet*: vult enim nos sobrios, sed prima melior. Vel, dixerat: *omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate*, nolo me vendere proptèr licita hæc transitoria, non mansura, quæ mihi non expediunt ad æternam vitam consequendam, imò quæ impediunt; hoc autèm exemplificat, etiàm *esca ventri, & venter escis* debentur, quamdiù sumus in hoc tabernaculo; at proptèr hæc non seruiam, *in nullius redigar potestate*, quia *Deus hunc, & has destruet*, non sunt æterna, non ducunt ad gloriam. Hæc vel aliqua iuxtà alios, at vltrà alios hoc dicebam. Satisfecerat Apostolus delicto, seù transgressioni litium vsquè ad vers. 9. ibi: *An nescitis quia iniqui*, incipit tractare aliam materiam, vel de per se, quod puto, vel à prima descendentem, quasi putarent delictum non esse fraudare in lite; ideò subdit; *nolite errare*, nedum in hoc, vel simplicitèr, & subdit multos casus, in quibus fortè errabant, quibus à regno arcerentur. *Et hæc quidam fuistis, sed abluti estis*; vndè hi ad regnum aspirare possunt, si vsquè ad finem permanserint. *omnia mihi licent*, hoc erat dictum errantium, *omnia mihi licent*, de facto, *omnia* dicunt absquè distinctione siuè licita, siuè illicita, aliàs non dicerent *omnia;* hoc ergò non debet impedire à consecutione regni, vel retrahere à prædictis; respondet Paulus, *sed non omnia expediunt*, imò nocent, & quia hæc responsio non videbatur totum capere, iterum refert eorum dictum erroneum; *omnia mihi licent*, & respondet pleniùs, *sed ego sub nullius redigar potestate*, & non expedit, vel conuenit subijcere se potestati horum, tradere se his vitijs in seruum, quæ dixi persequenda. Sed quia infrà cap. 10. 23. iterùm sumit (omnia mihi licent) in propria persona loquendo, non alijs adscribendo, censeo dubium intellectum, præsertim cum nec clausulæ sint distinctæ, vt tales interrogationes, & responsiones fieri posse rectè videantur. *Esca* etiàm *ventri, & venter escis*, scilicèt debentur, subiacent, seù ob vsum videntur alter in

ter in alterius poteſtate; reuocat,& reducit ipſe exemplo ſuo dictum illud; *omnia mihi licent* ad licitum, quod ipſi ad illicita malè vſurpabant ſub generalitate illa, *omnia*; *Deus autèm hunc, & has deſtruet*, ideò his ſobriè vtendum, ne noceant aſſecutioni regni; Vel, *eſca ventri, &c.* hìc incipit tractare materiam fornicationis, quam proſequitur vſquè ad c.8. Concedit primò eſcam ventri, & ventrem eſcis ſubijci, ſed dicit, & ventrem, quia in cælo non edemus, & eſcas deſtruendas à Deo, ceſſatura omnia hæc; at negat poſſe argui ab eſcis ad fornicationem, ideò ſubdit: *corpus autèm non fornicationi* debetur, *ſed Domino*, aut non eſt ſub fornicationis imperio ſupponendum:(& ſic docet qua ratione abſtinendũ à fornicatione) ſed Domini, *& Dominus corpori* ſeruiet: *Deus verò & Dominum ſuſcitauit*; ideò ſicùt Deus ſuſcitauit Chriſtum, ità *& nos ſuſcitabit per virtutem*, potentiam *ſuam*, hoc dicit ne putarent corpus ceſſaturum proùt eſca, & comeſtio. Quòd autèm fornicationi non debeant ſupponi corpora, probat, quia *ſunt membra Chriſti*, qui eſt noſtrum caput. *Neſcitis quoniàm corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* at inconuenit membra Chriſti tollere, & facere membra meretricis. *Tollens ergò membra Chriſti, faciam membra meretrici? Abſit.* *An neſcitis quoniàm qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur* carnali commiſtione? *Erunt enim (inquit) duo in carne vna.* Geneſ. 2. *Qui autèm adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt* cum illo; turpe autèm eſt carnalibus ſpiritualia admiſcere, Chriſto carnalia iungere, vel à Chriſto capite ſeparari ob carnalia, illiquè carnalia præponere: *Fugite ergò fornicationem* vti rem abominabilem ſeparantẽ vos à Chriſto: Fuga enim cauetur meliùs, quàm alio modo. *Omne peccatum quodcũque fecerit homo, extrà corpus eſt: qui autèm fornicatur, in corpus ſuum peccat.* His oſtendit quàm turpe, & adhærens ſit peccatum fornicationis, vt eos inducat ad illud fugiendum. *An neſcitis quoniàm membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?* ſic Rom. 14.7. Dixerat fornicantem peccare in corpus ſuum, oſtendit nùnc non debere fieri, quia corpus illud non eſt proprium, ſed Spiritus ſancti; ſic & ſup. verſ. 13. *Empti enim eſtis pretio magno.* dixerat eos non eſſe ſui iuris; probat, quia empti ſunt pretio magno, pretioſo ſcilicèt ſanguine Agni immaculati Chriſti, vt per Petrum. *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*, protare igitur debetis Deum in veſtro corpore, cuius ſerui eſtis, non illud tradere immunditiæ, cum non ſitis illius domini.



CAPVT VII.




1 DE quibus autèm ſcripſiſtis mihi: Bonum eſt homini mu-
2 lierem non tangere: proptèr fornicationem autèm vnuſ-
quiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum vi-
3 rum habeat. * Vxori vir debitum reddat: ſimilitèr
4 autèm & vxor viro. * Mulier ſui corporis poteſtatem
non habet, ſed vir. Similitèr autèm & vir ſui corpo-
5 ris poteſtatem non habet, ſed mulier. * Nolite frauda-
re inuicèm, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis
orationi: & iterùm reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas proptèr in-
6 continentiam veſtram. * Hoc autèm dico ſecundùm indulgentiam, non ſecun-
7 dùm imperium. * Volo enim omnes vos eſſe ſicùt meipſum, ſed vnuſquiſque

proprium

fornicationis, de qua suprà egerat, quam hic reassumit, iungens tamèn verba, *fures*, & *rapaces*, ad propositum fraudum in litibus. *An nescitis quia iniqui* fraudulentèr agentes, *regnum Dei*, in quod nihil coinquinatum intrat, *non possidebunt? Nolite errare*, si hoc nescitis; *Nequè fornicarij, nequè idolis seruientes, nequè adulteri, nequè molles, nequè masculorum concubitores, nequè fures, nequè auari, nequè ebriosi, nequè maledici, nequè rapaces regnum Dei possidebunt*, vitia carnis numerat: hæc enim intèr eos, & in mũdo frequentia, & quæ ad proximi bona, & famam eadem ratione. *Et hæc quidam fuistis* ex vobis: acerbitatem temperat de incertis, & nõ generalitèr loquens: *sed abluti estis* ab his immunditijs per baptismum, *sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri* sancto; & si sic, cur nùnc ad vomitum? quia fraudatis, & hoc fratribus. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt:* poterant dicere, nonnè licet nobis nostra repetere? licere innuit, sed non expedire; propterea dixit delictum esse, & iniuriam patiendam, & repetit: *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate*, vt quæ mihi licent, faciam: quasi, potiùs abstinebo, quàm seruiam his, quæ abstrahunt à contemplatione, & quæstu æternorum, cum sapiant auaritiam, & terrena; vndè non vult dicere se nolle redigi sub potestate hominum, iudicum Ethnicorum, cum sub ea foret, quòd si is sensus verus, excluditur quòd iusserit eligi iudices intèr Christianos cum facultate coactiua; nàm non induxisset, quod ipse damnat. *Esca ventri, & venter escis*. poterant dicere, vndè viuemus, si nostra non repetimus? subdit, non nego escam ventri deberi, & ventrem pro escis recipiendis formatum; at hæc finem habebunt: *Deus autèm hunc, & has destruet*, quia in cælo hæc cessabunt; ideò non tanta solicitudo pro his cessaturis. Hinc non prohibet repetitionem penitùs, sed vellet hoc apud Sanctos fieri, vt suprà. Vel, *esca ventri, & venter escis;* poterant dicere, pòstquàm egerat intèr vitia enumerata de ebriosis, non possum ego comedere quantum volo? *esca* enim *ventri* debetur pro illo facta, *& venter escis* pro illis recipiendis, sed aduerte, dicit Paulus, ne plusquàm debes sumas, ne in earum potestatem redigaris vt ebriosus, quia *Deus & hunc, & has destruet*: vult enim nos sobrios, sed prima melior. Vel, dixerat: *omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate*, nolo me vendere proptèr licita hæc transitoria, non mansura, quæ mihi non expediunt ad æternam vitam consequendam, imò quæ impediunt; hoc autèm exemplificat, etiàm *esca ventri, & venter escis* debentur, quamdiù sumus in hoc tabernaculo; at proptèr hæc non seruiam, *in nullius redigar potestate*, quia *Deus hunc, & has destruet*, non sunt æterna, non ducunt ad gloriam. Hæc vel aliqua iuxtà alios, at vltrà alios hoc dicebam. Satisfecerat Apostolus delicto, seù transgressioni litium vsquè ad vers. 9. ibi: *An nescitis quia iniqui*, incipit tractare aliam materiam, vel de per se, quod puto, vel à prima descendentem, quasi putarent delictum non esse fraudare in lite; ideò subdit: *nolite errare*, nedum in hoc, vel simplicitèr, & subdit multos casus, in quibus fortè errabant, quibus à regno arcerentur. *Et hæc quidam fuistis, sed abluti estis*; vndè hi ad regnum aspirare possunt, si vsquè ad finem permanserint. *omnia mihi licent*, hoc erat dictum errantium, *omnia mihi licent*, de facto, *omnia* dicunt absquè distinctione siuè licita, siuè illicita, aliàs non dicerent *omnia;* hoc ergò non debet impedire à consecutione regni, vel retrahere à prædictis; respondet Paulus, *sed non omnia expediunt*, imò nocent, & quia hæc responsio non videbatur totum capere, iterum refert eorum dictum erroneum; *omnia mihi licent*, & respondet pleniùs, *sed ego sub nullius redigar potestate*, & non expedit, vel conuenit subijcere se potestati horum, tradere se his vitijs in seruum, quæ dixi persequenda. Sed quia infrà cap. 10. 23. iterùm sumit (omnia mihi licent) in propria persona loquendo, non alijs adscribendo, censeo dubium intellectum, præsertim cum nec clausulæ sint distinctæ, vt tales interrogationes, & responsiones fieri posse rectè videantur. *Esca* etiàm *ventri, & venter escis*, scilicèt debentur, subiacent, seù ob vsum videntur alter in

ter in alterius poteſtate; reuocat,& reducit ipſe exemplo ſuo dictum illud; *omnia mihi licent* ad licitum, quod ipſi ad illicita malè vſurpabant ſub generalitate illa, *omnia*; *Deus autèm hunc, & has deſtruet*, ideò his ſobriè vtendum, ne noceant aſſecutioni regni; Vel, *eſca ventri, &c.* hic incipit tractare materiam fornicationis, quam proſequitur vſquè ad c.8.Concedit primò eſcam ventri, & ventrem eſcis ſubijci, ſed dicit, & ventrem, quia in cælo non edemus, & eſcas deſtruendas à Deo,ceſſatura omnia hæc; at negat poſſe argui ab eſcis ad fornicationem, ideò ſubdit: *corpus autèm non fornicationi* debetur, *ſed Domino*, aut non eſt ſub fornicationis imperio ſupponendum:(& ſic docet qua ratione abſtinendũ à fornicatione) ſed Domini, *& Dominus corpori* ſeruiet: *Deus verò & Dominum ſuſcitauit*; ideò ſicùt Deus ſuſcitauit Chriſtum, ità *& nos ſuſcitabit per virtutem*, potentiam *ſuam*, hoc dicit ne putarent corpus ceſſaturum proùt eſca, & comeſtio. Quòd autèm fornicationi non debeant ſupponi corpora, probat, quia *ſunt membra Chriſti*, qui eſt noſtrum caput. *Neſcitis quoniàm corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* at inconuenit membra Chriſti tollere, & facere membra meretricis. *Tollens ergò membra Chriſti, faciam membra meretrici? Abſit. An neſcitis quoniàm qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur* carnali commiſtione? *Erunt enim (inquit) duo in carne vna*. Geneſ. 2. *Qui autèm adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt* cum illo; turpe autèm eſt carnalibus ſpiritualia admiſcere, Chriſto carnalia iungere, vel à Chriſto capite ſeparari ob carnalia, illiquè carnalia præponere: *Fugite ergò fornicationem* vti rem abominabilem ſeparantẽ vos à Chriſto: Fuga enìm cauetur meliùs, quàm alio modo. *Omne peccatum quodcũque fecerit homo, extrà corpus eſt: qui autèm fornicatur, in corpus ſuum peccat*. His oſtendit quàm turpe, & adhærens ſit peccatum fornicationis, vt eos inducat ad illud fugiendum. *An neſcitis quoniàm membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?* ſic Rom. 14.7. Dixerat fornicantem peccare in corpus ſuum, oſtendit nùnc non debere fieri, quia corpus illud non eſt proprium, ſed Spiritus ſancti; ſic & ſup. verſ. 13. *Empti enìm eſtis pretio magno*. dixerat eos non eſſe ſui iuris; probat, quia empti ſunt pretio magno, pretioſo ſcilicèt ſanguine Agni immaculati Chriſti, vt per Petrum. *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*, protare igitur debetis Deum in veſtro corpore, cuius ſerui eſtis, non illud tradere immunditiæ, cum non ſitis illius domini.



CAPVT VII.




1 E quibus autèm ſcripſiſtis mihi: Bonum eſt homini mu-
2 lierem non tangere: proptèr fornicationem autèm vnuſ-
quiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum vi-
3 rum habeat. * Vxori vir debitum reddat: ſimilitèr
4 autèm & vxor viro. * Mulier ſui corporis poteſtatem
non habet, ſed vir. Similitèr autèm & vir ſui corpo-
5 ris poteſtatem non habet, ſed mulier. * Nolite frauda-
re inuicèm, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis
orationi: & iterùm reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas proptèr in-
6 continentiam veſtram. * Hoc autèm dico ſecundùm indulgentiam, non ſecun-
7 dùm imperium. * Volo enim omnes vos eſſe ſicùt meipſum, ſed vnuſquiſque

proprium

8 *proprium donum habet ex* Deo *: alius quidèm sic, alius verò sic.* * Dico *autem*
9 *non nuptis, & viduis : bonum est illis si sic permaneant, sicùt & ego.* * *Quod si*
10 *non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm vri.* * *Iis autem, qui*
matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, *vxorem à viro non di-*
11 *scedere :* * *quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir*
12 *vxorem non dimittat.* * *Nam cæteris ego dico, non* Dominus. *Si quis frater*
vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.
13 *Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum*
14 *illa, non dimittat virum :* * *sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem*
fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem : aliòquin filij ve-
15 *stri immundi essent, nùnc autèm sancti sunt.* * *Quòd si infidelis discedit, disce-*
dat : non enìm seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi : in pace au-
16 *tèm vocauit nos Deus.* * *Vndè enìm scis mulier, si virum saluum facies? aut*
17 *vndè scis vir, si mulierem saluam facies?* * *nisi vnicuique sicùt diuisit Domi-*
nus, vnumquemque sicùt vocauit Deus, ità ambulet, & sicùt in omnibus Ec-
18 *clesiis doceo.* * *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In*
19 *præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.* * *Circumcisio nihil est, & præ-*
20 *putium nihil est : sed obseruatio mandatorum Dei.* * *Vnusquisque in qua vo-*
21 *catione vocatus est, in ea permaneat.* * *Seruus vocatus es? non sit tibi curæ :*
22 *sed & si potes fieri liber, magìs vtere.* * *Qui enim in Domino vocatus est ser-*
23 *uus libertus est Domini : similitèr qui liber vocatus est, seruus est Christi.* * *Pre-*
24 *tio empti estis, nolite fieri serui hominum.* * *Vnusquisque in quo vocatus est,*
25 *fratres, in hoc permaneat apud* Deum. * *De virginibus autèm præceptum Do-*
mini non habeo : consilium autèm do, tamquàm misericordiam consecutus à Do-
26 *mino, vt sim fidelis.* * *Existimo ergò hoc bonum esse proptèr instantem necessi-*
27 *tatem, quoniàm bonum est homini sic esse.* * *Alligatus es vxori? noli quærere*
28 *solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.* * *Si autèm acceperis*
vxorem : non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit. tribulationem tamèn
29 *carnis habebunt huiusmodi. Ego autèm vobis parco.* * *Hoc itaquè dico, fra-*
tres : Tempus breue est : reliquum est, & qui habent vxores, tamquàm non ha-
30 *bentes sint :* * *& qui flent, tamquàm non flentes : & qui gaudent, tamquàm non*
31 *gaudentes : & qui emunt, tamquàm non possidentes :* * *& qui vtuntur hoc mun-*
32 *do, tamquàm non vtantur : præterit enìm figura huius mundi.* * *Volo autèm*
vos sinè solicitudine esse. Qui sinè vxore est, solicitus est quæ Domini sunt,
33 *quomodò placeat Deo.* * *Qui autèm cum vxore est, solicitus est quæ sunt mun-*
34 *di, quomodò placeat vxori, & diuisus est.* * *Et mulier innupta, & virgo co-*
gitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autèm nupta
35 *est, cogitat quæ sunt mundi, quomodò placeat viro.* * *Porrò hoc ad vtilitatem*
vestram dico : non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id, quod honestum est,
36 *& quod facultatem præbeat sinè impedimento Dominum obsecrandi.* * *Si quis*
autèm turpem se videri existimat supèr virgine sua, quòd sit superadulta, &
ità

37 *ità oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat.* * *Nàm qui statuit*
in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autèm habens suæ vo-
38 *luntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, benè facit.* * *Igi-*
tur & qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit,
39 *meliùs facit.* * *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. quòd si*
40 *dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat: tantùm in Domino.* * *Bea-*
tior autèm erit si sic permanserit secundùm meum consilium: puto autèm quòd
& ego Spiritum Dei habeam.



E quibus autèm scripsistis mibi, sic respondeo. *Bonum est homini mulierem non tangere*, si possit abstinere à carnalibus, & peccato: *proptèr fornicationem autèm*, idest, fornicationis periculum *vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque* mulier *suum virum habeat*. Et proptèr idem periculũ fornicationis *vxori vir debitum reddat: similitèr autèm & vxor viro:* vnusquisque enim eorum ad id tenetur, & peccat non reddendo. *Mulier sui corporis potestatem non habet*, vt possit debitum negare, *sed vir* petens.. *Similitèr autèm & vir sui corporis potestatem non habet*, vt recuset debitum, vel alteri misceatur, *sed mulier*. *Nolite fraudare inuicèm* vos in debito reddendo, *nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi* maiori puritate: *& iterùm reuertimini in idipsum* debitum reddendum, *ne fortè tentet vos Satanas* ad peiora sub specie maioris boni *proptèr incontinentiam vestram*. nouerat Apostolus pronitatem illorum ad carnalia. *Hoc autèm dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*, licet vobis reuerti in idipsum; at ego non impero, vt faciatis, si continere potestis. *Volo enim omnes vos esse*, continentes scilicèt, *sicùt meipsum*, permitto ergò proptèr incontinentiæ dubium, non proptèr prolem, quia si proptèr eam conuenirent, non esset peccatum veniale, seù permissio, sed maius bonum continentia, & ne arctet, dicit: *Sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidèm sic, alius verò sic*, siuè continendi, siuè non, à quo omne donum. Probatur autèm Pauli virginitas, dum dicit, *volo vos omnes esse sicùt me ipsum*, & clariùs infrà de virginibus agens vbi consulit omnibus virginitatem: hinc apparet quàm malè Phœbes diceretur sua vxor, vt in cap. 16. ad Rom. diximus; vel in verbis: Germane compar. Philip. 4. 3. vt ibi dictum. *Dico autèm non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant* castæ, *sicùt & ego*. *Quòd si non se continent, nubant*. *Meliùs est enim nubere, quàm vri*, significat eos nullo obstaculo impediri nubere; at de liberis loquitur; nàm verba intelliguntur de possibili, & quia subdit de iunctis. *Vri*, fornicarij: suprà enim dixerat; *quòd si non se continent*, idest, continere non possunt (quod credo verius) *nubant*. *Meliùs est enim nubere, quàm vri* tentationibus grauibus. *Iis autèm, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non Ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*; Dominus hoc tradidit Ecclesiæ suæ. dixi Matth. 19. cap. de libello repudij, & ibi, quomodò repudium sublatum olim permissum Hebræis. Deut. 24. *Vxorem à viro non discedere*; hic remouetur exceptio ex causa fornicationis posita à Matth. cap. 5. & 19. vt ibi dixi; omissa à Marco, & Luca. Propterea Apostolus absolutè loquitur non posse vxorem repudiari ex quauis causa, quia quos Deus coniunxit, homo non separet. *Et vir vxorem non dimittat*, subintellige, quòd si dimiserit, maneat innuptus, aut vxori suæ reconcilietur: eadem enim ratio viri, quæ mulieris in spectantibus ad copulam, cum sint caro vna; propterea debitum vtrique commune, vt in princ. cap. & aduerte verba, *dico: non dimittat*: &, *non discedere*, sunt præceptiua, seù coactiua continentia

tinentia necessitatem sic faciendi, & sic hìc sublatum repudium: etiàm ex causa fornicationis, soluens vinculum in lege Mosaica. Deut. 24. & subrogatur diuortium vinculum non soluens, propterea dixit *manere innuptam*, quæ iuxtà legem Mosaicam poterat repudiata alij viro iungi, non ergò quia exceptio fornicationis nota ab Apostolo omissa, sed quia & exceptio sublata. *Nàm cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo* absquè iniuria Creatoris. 1. Pet. 3. 1. *non dimittat illam*; & quod de viro, idem subdit de muliere. *Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum*, sed cohabitet, & sic præcipit Apostolus, quod colligitur etiàm ab exceptione. *Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi:* tùnc enim liberatur, ergò priùs iubebat. *Nam cæteris ego dico*, idest, alijs ex infidelitate conuersis vxoratis: clarè enim de his subijcit, *si quis frater vxorem habet, &c.* & de virginibus adhùc nihil, & meliùs est ad proxima sequentia referre, maximè quia distinctio erat in fidelibus primis, nùnc in infidelibus, seù altero fideli, infideli alio, & infrà expressè agit de virginibus. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*, vult dicere, nulla macula, nulla infectio ex commistione cum infideli oritur, tutò conuenire potestis, ac si & illi conuersi essent, quia cum sitis vna caro, sanctificatio procedens ab vno sanctificato communicatur alteri nondum sanctificato, ratione vnitatis huiusmodi: præualet enim quod maius est in mistis, & sic quod maius est fideli ei quod minus est in infideli. Non restringas hæc ad præparatos ad conuersionem, quia neque aptatur, & contrarium est ijs, quæ subdit. *Vndè enim scis mulier, si virum saluum facies? aut vndè scis vir, si mulierem saluam facies?* intellige ergò simplicitèr. *Alioquin filij vestri immundi essent, nùnc autèm sancti sunt.* Si non communicaretur sanctificatio, filij essent immundi qua parte non esset conuersio; at nùnc sancti sunt per sanctificationem communicatam, quæ & in eos diffunditur. Et ex hoc collige natos ex muliere fideli, etsi vir infidelis, baptizandos, quia ratione mulieris solius sancti filij cap. Iudæi 28. q. 1. *Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*, cum de volentibus cohabitare sit sermo: *in pace autèm vocauit nos Deus*, vult nos Deus pacificos, voluntarios, non coactos, non cogit tùnc ad permanendum, & ne turbetur relicta, vel relictus, & ne quis dicat, si permanserit, fiet conuersio, subdit. *Vndè enim scit mulier fidelis, si virum* infidelem *saluum facies?* reduces ad fidem? *aut vndè scis vir* fidelis, *si mulierem* infidelem *saluam facies?* & tùnc soluitur vinculum matrimonij, quia fidelis potest alteri nubere sicùt apud Hebræos repudiantes soluebatur, dum dabatur eis licentia ducendi alium, & tenui in Euangelijs, modò ex causa. Deuter. 24. permissa repudium succederet, nempè fornicationis, non alia, & facilè hoc, nam & si matrimonium verum intèr infideles existat, non tamen est ratum, sicùt licèt olim apud Hebræos esset Sacramentum, non tamèn erat eiusdem perfectionis cum matrimonio sacramento nouæ legis, & hoc confirmat satìs opinionem meam tentã in Euangelijs. Ex quo collige remansionem cum infideli videri ad illum lucrandum, & sub hac spe, & ideò fidelem ad hoc eniti debere omnibus viribus. Aduerte etiàm remansionem iuberi cum infideli, sed non nouam coniunctionem: sicùt enim in primo casu mulier, vel vir, qui conuersus est, verisimilitèr in fide permanebit, nec retrahetur ab infideli, cum semèl superauerit, & potius magna spes versatur conuersionis alterius, qui in infidelitate remansit, sic magnum dubium peruersionis illius, qui, vel quæ fidelis cum infideli de nouo sociatur, & proptèr hoc membrum sanum non est permittendum iungi de nouo infecto, quia exponeretur periculo subuersionis: noua enim connubia solent charitatem, & amorem vehementem concipere, quo trahi posset fidelis ad infidelitatem, at in primo casu iàm probatus ille, qui permanens cum infideli fidelis euasit.


Hinc interdictæ nuptiæ cum hæretico, vel

vel hæretica, nisi priùs promittat conuersionem in sponsalibus cap. Caue. & cap. Non oportet. 28. q. 1. ob dubium ne membrum sincerum putrescat; melior est enìm tuta huius conseruatio, quàm dubia alterius cōuersio infrà vers. 15. 16. & quia sectarij solent esse nimium pertinaces in suis opinionibus falsis, & fortè non tenet matrimonium, quia est contrà Canones, si verus est Canon relatus à Simanca 76. 6. Syn. de quo per Couar. in epit. 2. p. cap. 6. §. 11. col. fin. nu. 4. Et si diceret quispiam teneri posse satis fore Canones illos. cap. Caue. & cap. Non oportet. 28. q. 1. quia verba sapiunt imperium, Caue; Non oportet. quod importat necessitatem. l. 2. C. de fal. cap. Non oportet. 3. q. 9. cap. 1. de libell. obla. vbi Abb. 3. not. dicit hoc regulare. Vel non decet. l. cum oportet. C. de bon. quælib. & hoc modo etiàm importat necessitatem: dicit enìm Apostolus, oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse, &c. 1. Timot. 3. 2. 7. ad Tit. 1. 7. quis enìm non dicit hoc obligare Episcopum eligentem? & verba (nō decet) nonnè sunt legislatoris explicantia eius voluntatem, & prohibitiua? Vel (non debet) quod ad necessitatem tendit inf. vers. 36. Secundò, quia inest conditio (si tamèn se profiteantur, &c.) quasi aliàs nullo modo. Conditio enìm dat formam, & tùnc lex dicitur iubere, & contrà formam datam facta nulla. Tertiò, quia sicùt in dictis cap. prohibetur coniugium fideli cum pagana (loquor non de Sacramentali, sed puro coniugio: nemo enìm dixerit illud sacramentale prohiberi, quod esse intèr eos non poterat) ità videtur prohibitū sacramentale intèr capaces, quia vtrobiquè prohibitio, quæ debet pariformitèr determinare omnes, ne fidelis trahatur ad infidelitatem, imò magìs capit hæreticum inimicum domesticum infideli deteriorem: nullus est enìm omnis actus contrà legem, vel in eius fraudem factus. l. non dubium, C. de legi. sicùt contigit in casu Esdræ. Quartò, liber Decretorum continet Canones pro lege obseruandos; at Gratianus residet in illis capp. postquàm contraria adduxit, ergò pro lege obseruandi, non pro consilio; etsi enìm Patres non promulgassent leges, pro legibus tamèn eorum dicta recepta à Gratiano, & in decreto posita; vndè quæcumque verba important iussionem, & præceptum, seù legem, vel saltèm illa. & Glossa ibì in cap. non oportet. parùm curanda, quæ nulla ratione, aut lege nititur, & quæ solum refert, nec firmat, & quæ contraria est alteri glossæ in d. cap. Caue. & in cap. fin. de cond. appo. quæ nititur in d. cap. Non oportet; nec considerat baptismum, sed nullitatem ex d. cap. procedentem. Accedit, si contrahens peccat mortalitèr, vt omnes tenent, est etiàm credendum canones illos irritasse matrimonia ad auertendos homines ne mortalitèr peccarent. Ad hæc si nùnc Ecclesia non tolerat, vt fideles conuersi cum infidelibus permaneant, sed dat eis facultatem alterius coniugij, ne infidelis pertrahat fidelem ad infidelitatem pristinam, quantò magìs prohibet nouum coniugium cum hæretica, si quod stat, & Apostolus sub præcepto posuerat, vt hic, non vult integrum conseruare, & parmanere? Non obstat. cap. decreuit. de hæret. in 6. quia dico non approbari, nec dici valida ibi matrimonia scientèr cum hæreticis contracta, sed æstimari vti de facto, & nullitèr facta; nàm si tenerent matrimonia, etiamsi scissent, nulla pœna debebatur, quia factum lege permittente, vel non prohibente ad l. Gracchus. cum autèm adsit pœna, sequitur adesse legem prohibentem, & eos contrà legem fecisse. Si lex sunt Canones illi, quia aliud non allegatur. Verbum igitur, contraxissent, de facto intelligendum; sed cur scientèr? quia si ignorantèr, excusarentur, cum ignorantia excuset à peccato. Nec est verisimile ibi apponi hanc pœnam, etiamsi validum matrimonium, quia hoc esset barbarum, & deceptio sub clypeo legis; necessariò ergò dicendum matrimonium non tenere, postquàm & pœna addita scientèr contrahentibus. At in contrarium est communis opinio, nempè matrimonium tenere, & Canones illos non irritare, à qua non discedas prædictis non obstantibus, sed quamuis teneat, contrahentes grauitèr peccant, vt per D. Tho. in Summ. scilicèt mortalitèr, supponendo se euidenti periculo à lege præuiso mutandi fidem, quod sufficere debet cuilibet Christiano, quia non sunt facienda

cienda mala, vt veniant bona etiàm certa. Rom. 3. eò minus incerta, vt hic verſ. 16. & hæc tantò magis ſi ſcandalum oriri poſſet in Eccleſia, & mundo in quorũ conſpectu peccatum mortale publicum, & patens committeretur: at nullus homo adeò impudens, vt coràm alio, nedum toto mundo publicè peccare non horreat, ſi Deum, & angelos inuiſibiles non curat magis timendos. *Niſi vnicuique ſicùt diuiſit Dominus, vnumquemque ſicùt vocauit Deus, ità ambulet, & ſicùt in omnibus Eccleſiis doceo*, quaſi, hoc eſt generale, & omnium documentum, non veſtrum ſolum. ad verba, *Vndè ſcis, &c.* ſubdit hæc, ſed *vnicuique* circà conuerſionem infidelis remanentis eueniet, *ſicùt diuiſit Dominus*, ſicùt diſpoſuit Dominus, à quo omnis conuerſio; at quia ſuprà præceperat fidelem cohabitare cum infideli non diſcedente, & alia ad idem tendentia, confirmat, quia proptèr conuerſionem non eſt mutãdus ſtatus, quantum ex parte conuerſorum; ideò dicit, *vnumquemque ſicùt vocauit Deus, ità ambulet, &c.* & permaneat; quod pluribus exemplificat vſquè ad verſ. 25. 27. *Circumciſus aliquis* Hebræus *vocatus eſt* à Deo ad fidẽ? *non adducat præputium*, permaneat in primo ſtatu. *In præputio aliquis* Gentilis *vocatus eſt? non circumcidatur. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt* illis conuerſis: *ſed obſeruatio mandatorum Dei*; nàm in his vita; ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mãdata. *Vnuſquiſque in qua vocatione*, ſtatu *vocatus eſt* ad conuerſionem, *in ea permaneat*, Deus non vult mutationes has. *Seruus* exiſtens ad fidem *vocatus es? non ſit tibi cura*, multum habes, quia conuerſus es: *ſed & ſi potes fieri liber, magìs* hoc *vtere*. hoc ſubdit, ne videatur libertati derogari ex conuerſione. *Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus*, dum ſeruus eſt, *libertus eſt Domini*, Dominus illi libertatem donauit: *ſimilitèr qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti*, quia ab illo redemptus eſt. *Pretio* ſanguinis ſui, *empti eſtis* à ſeruitute, *nolite fieri ſerui hominum*, Deum illis præferte; ſic ſup. cap. 6. in fin. *Vnuſquiſque in quo vocatus eſt* ſtatu, *permaneat*, non apud homines, ſed *apud Deum*, illi ſeruiens, eius mãdata obſeruans: in quouis enim ſtatu Domino obſequium præſtari poteſt.

De Virginibus autèm præceptum Domini non habeo: Chriſtus enim dixit loquens de his, qui ſe caſtrant, non omnes intelligunt verbum, qui poteſt capere, capiat; vndè non coegit ad virginitatem: *Conſilium autèm do tanquàm miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis* in miniſterio meo. *Exiſtimo ergò hoc bonum eſſe proptèr inſtantem*, præſentem, imminentem *neceſſitatem*, quæ eſt, vt infrà dicit: *tribulationem tamèn carnis habebunt huiuſmodi*, & quia ligamine vinciuntur, & quia cogitandum de æternis, quæ hæc mundana ſuperant; ideò ſubdit, *quoniàm bonum eſt homini ſic eſſe* ad æterna quærenda, quod vſquè ad verſ. 29. proſequitur. *Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem*, quia nodus inſolubilis. *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem*, quia melior ſtatus cœlibatus. *Si autèm acceperis vxorem: non peccaſti:* eſt enim ſacramentum magnum. *Et ſi nupſerit virgo, non peccauit*, tantùm à meliori ſtatu defecit. *tribulationẽ tamèn carnis habebunt huiuſmodi* ſic contrahentes, in ærumnis verſabuntur. Gen. 3. *Ego autèm vobis parco*, ſi meum conſilium non eligitis, quia nolo cogere, vt ſciatis vos liberos. *Hoc itaquè dico, fratres: Tempus breue eſt* vitæ huius: *reliquum eſt, &c.* permittit connubia, at cum vxoratis vult etiàm lucrari, docetquè quomodò eis, & mundanis vtendum vſquè ad verſ. 32. *reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tanquàm non habentes ſint: & qui flent, tanquàm non flentes: & qui gaudent tanquàm nõ gaudentes; & qui emũt, tanquàm non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquàm non vtantur*, vult nos à mũdo ſeparatos, ſolis cæleſtibus hærentes: *præterit enim figura huius mundi*; non ad diem iudicij, & conflagrationis mundi refert, ſed ad præſentem ſtatũ, quia omnia prætereunt, & immutantur. Irus & hic ſubitò, qui modò Creſus erat. & ſic de alijs, & quotidiè morimur, & ſicùt aqua dilabimur: dixit Techuitis: hæc relinquenda, non ſunt bona manſura. *Volo autèm vos* liberos potiùs, & *ſinè ſolicitudine eſſe*, qua vxorati tenentur, & vſquè ad verſ. 36. docet meliùs Deum coli à ſolo, quàm à ſociato. *Qui ſinè vxore eſt, ſolicitus eſt* operans *quæ Domini ſunt, quomodò placeat Deo* in actibus ſuis, & ſic totus eſt

est Dei. *Qui autèm cum uxore est, solicitus est* de his, *quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, & diuisus est*, ità vt non sit totus Dei. *Et mulier innupta* quouis modo corrupta, sed libera à carnalibus, *& uirgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu*, nullo modo maculetur etiàm in cogitationibus. *Quæ autèm nupta est, cogitat quæ sunt mundi*, mundo hæret, *quomodò placeat uiro* suo, & diuiditur mens. *Porrò hoc* consilium abstinendi ab vxore *ad utilitatem uestram dico*, propono: *non ut laqueum uobis iniÿciam*, non vt cogam, vel in peius traham, *sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat* tutiorem *finè impedimento Dominum obsecrandi*, qui debet esse scopus noster. *Si quis autèm turpem se uideri existimat*, malè olere apud homines *supèr uirgine sua, quòd sit superadulta*, nec eam matrimonio iungat, &c. hæc vsquè ad vers. 39. *mulier, &c.* diriguntur ad patres, vel educatores virginum, non ad ipsas virgines. verba sunt clara: Congruit. Eccles. 42. 9. 10. filia patris abscondita, vigilia, & solicitudo eius aufert somnum, ne fortè in adolescentia sua adulta efficiatur, & cum viro, &c. considerent habentes filias nubiles domi eas vsquè ad senium barbarè retinētes. *Et ità oportet fieri* cogēte voluntate virginis anhelātis ad matrimonium, sicùt verba sequentia, *non habens necessitatē*, intelliguntur virgine non appetente, nec de nuptijs cogitante: hæc enim duo sunt contraposita, & declaratur clariùs hoc vltimum ex verbis, *potestatem autèm habens suæ uoluntatis*, idest, virginis nolentis: *quod uult, faciat: non peccat, si nubat*, liberum est illi. *Nàm qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem*, quia fortè virgo non cupit virum, *potestatem autèm habens suæ uoluntatis, & hoc iudicauit in corde suo*, sic disponens, *seruare uirginem suā* à coniugio, *benè facit, bonū est* enim *homini sic esse. Igitur & qui matrimonio iungit uirginem suā, benè facit: & qui nō iungit, meliùs facit*, quia status virginalis melior. *Mulier alligata est legi* matrimonij *quāto tempore uir eius uiuit, quòd si dormierit*, moriatur *uir eius, liberata est* à lege; sic Rom. 7. *cui uult nubat* modis præmissis: *tantùm in Domino*, hoc est, referēs hoc in Dominum, & gloriam eius, proùt cap. 9. 2. vos estis in Domino, & iuxtà præmissa, *qui habent uxores, tamquàm non habentes* suprà vers. 29. & seruiens Domino in quantum sibi licuerit, & iuxtà præscriptum Domini: Vel, *in Domino*, idest, in nomine Domini, in quo omnia peragenda, & est tutius. Quòd autèm, *in Domino*, idest, Christiano videtur mihi diuinatio, & præsertìm in quantum ex hoc colligatur infideli prohibitum iungi, quia clariùs id explicasset Apostolus, & quia totus erat in dirigendo continentes, vel nubentes ad considerationem æternorum, seù Domini, vt ex textu. *Beatior autèm erit*, felicior erit, *si sic permanserit* virgo absquè connubio *secundùm meum consilium* datum; *puto autèm quòd & ego Spiritum Dei habeam*, cum quo hæc proferam, & ideò consilium meum recipiendum esse tanquàm à Spiritu Dei procedens.




CAPVT VIII.




1 *E ÿs autèm, quæ idòlis sacrificantur, scimus quia om-*
nes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas verò
2 *ædificat. * Si quis autèm se existimat scire aliquid, non-*
3 *dum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. * Si*
4 *quis autèm diligit Deum, hic cognitus est ab eo. * De*
escis autèm, quæ idòlis immolantur, scimus quia ni-
hil est idòlum in mundo, & quòd nullus est Deus, ni-

5 *si vnus. * Nàm etsi sunt qui dicantur dij siuè in cælo, siuè in terra (siqui-*
6 *dèm sunt dij multi, & domini multi:) * nobis tamèn vnus est Deus, Pa-*
ter, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per
7 *quem omnia, & nos per ipsum. * Sed non in omnibus est scientia. Quidam*
autèm cum conscientia vsquè nùnc idòli, quasi idòlothytum manducant: & con-
8 *scientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. * Esca autèm nos non commendat*
Deo. Nequè enim si manducauerimus, abundabimus: nequè si non manduca-
9 *uerimus, deficiemus. * Videte autèm ne fortè hæc licentia vestra offendiculum*
10 *fiat infirmis. * Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idòlio re-*
cumbentem: nonnè conscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur ad mandu-
11 *candum idolothyta? * Et peribit infirmus in tua scientia frater, proptèr quem*
12 *Christus mortuus est? * Sic autèm peccantes in fratres, & percutientes conscien-*
13 *tiam eorum infirmam, in Christum peccatis. * Quapropter si esca scandalizat*
fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scan-
dalizem.



E *ijs autèm, quæ idòlis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus* eorum, quæ circà eorum ésum occurrant, vel agē-da sint. *Scientia* sola *inflat*, & ob id deuiamus à vero aliquandò, *charitas uerò ædificat*, qui verò ex charitate mouetur, vel vnit cum charitate, nititur in omni actione proximum iuuare; *Si quis autèm se existimat scire aliquid* is inflatus, *nondum cognouit, quemadmodum oporteat eum scire*, nondum peruenit ad perfectum. *Si quis autèm diligit Deum, hic cognitus est ab eo*, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, & approbat eius opus. *De escis autèm, quæ idòlis immolantur, scimus quia nihil est idòlum in mundo* quà Deus; sic Baruch. 6. ad filios Israel captiuādos; ideò subdit, *& quòd nullus est Deus, nisi vnus*, & nobis tamèn vnus Deus Pater, &c. *Nàm etsi sunt qui dicantur*, non sunt verè *dij siuè in cælo, siuè in terra (siquidèm sunt dij multi, & domini multi* abusiuè ab Ethnicis in honorem habiti, qui non sunt:) Non hìc agit de dijs participatione, sed iuxtà primum sermonem de idòlis. *nobis tamèn unus* solus *Deus, pater, ex quo omnia* procedunt, *& nos in illum*, quia ab illo dependimus: *& unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia;* omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil. Io. 1. *& nos per ipsum* redempti. vult dicere, pluralitatem deorum non debemus attendere: *nobis* enim *unus Deus, pater, unus Dominus Iesus Christus: Sed non in omnibus est scientia*, non omnes capiunt quod dico, nempè quia idòlum nihil; ideò esum idòlothytorum non contaminare. probat quod dixit, *non in omnibus scientia. Quidam autèm cum conscientia* eis repugnante *usquè nùnc*, vsquè ad hæc tempora, quibus scire deberent, *idòli* circà idòlum, *quasi idòlothytum*, quasi idòlo consecratum *manducant* sic credentes: *& conscientia ipsorum cum sit infirma*, dubia, *polluitur*, contaminatur: deberent enim deponere illam, ne errarent. *Esca autèm*, vel venter *nos non commendat Deo;* & suprà cap. 6. 13. esca ventri, & venter escis. *Nequè enim si manducauerimus, abundabimus* gratijs: *nequè si non manducauerimus, deficiemus* à gratijs. *Videte autèm ne fortè hæc licentia uestra* edendi de idòlothytis, *offendiculum*, in quod impingant, seù scandalum *fiat infirmis*, debilibus putantibus esum illorum non licere. *Si enim quis uiderit eum, qui habet scientiā*, scientem, doctorem *in idòlio*, in loco idòlis depu-


deputato *recumbentem*, stantem, edentem: *nonnè conscientia eius, cum sit infirma*, debilis, putans non licere *ædificabitur ad manducandum idòlothyta?* hoc exemplo, si non deponit errorem? *Et peribit infirmus in tua scientia frater* tanti faciendus, *proptèr quem Christus mortuus est? sic autèm peccantes in fratres*, quos ad peccatum adducitis vestro malo exemplo, *& percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis*, qui vobis de proximo vestro mandauit. *Quaproptèr si esca scandalizat fratrem meum*, fratrem meum præcipitat in gehennam: *non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*; sic Christus iussit solui tributum, ne scandalizemus, ait: &, qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum, &c. At cur Paulus permittit esum idòlothytorum pòst concilium. Acto. 15. 29. quod fuit generale ad omnes gentes, etsi tùnc causa Antiochenorum congregatum vt Acto. 15. 19. & 21. 25. quo Paulus vbiquè vtebatur. Acto. 15. 41. & 16. 4? Credo in eo concilio de idòlothytis additum, vt conuersi etiàm apparentèr ostenderent idòla dimisisse, & abhorrere, etiàm quæ ab illis quoquo modo dependerent, vel ne (proùt hìc) ex conscientia aliqui turbarentur timentes edendo malè agere. Vel ne conseruaretur in eis aliqua reuerentia ergà idòla, ideoquè generalitèr prohibita. Sed Paulus illud non intimat Corinthijs. Vel quia concilium respiciebat tempus magnæ conuersionis, non paruæ, & Corinthi adhùc Gentilium erat magna copia. Vel quia cognouit Corinthios scientes nihil esse idòlum, & non contaminari edulia; & prouisionem illis non esse necessariam, vel non futuros capaces prohibitionis, vel concilium sic interpretatus est, vel cum Antiochiæ supèr idòlothytis nulla esset disputatio, aut discordia, fortè in ipsis Apostolis erat repositum, vt prohiberent, vel non iuxtà eorum sensum; & Paulus Corinthijs nouitèr conuersis censuit non prohibendum ex concilio, quod eis non intimauit, vt cæteris; ideò ex scandalo solo censuit hæc prohibenda tacito concilio, & Paulus benè nouerat Corinthios, apud quos annum cum dimidio sisterat. Acto. 18. 11. At si nihil de concilio, quia fortè ratione, non auctoritate Corinthij capiendi erant; hinc infrà cap. 10. latiùs differit, & ostendit quandò ab idòlothytis abstinendum.



CAPVT IX.

1 NON *sum liber? Non sum Apostolus? Nonnè Christum*
Iesum Dominum nostrum vidi? Nonnè opus meum vos
2 *estis in Domino?* * *Et si alijs non sum Apostolus, sed ta-*
mèn vobis sum: nàm signaculum Apostolatus mei vos
3 *estis in Domino.* * *Mea defensio apud eos, qui me inter-*
4 *rogant, hæc est.* * *Numquid non habemus potestatem*
5 *manducandi, & bibendi?* * *Numquid non habemus po-*
testatem mulierem sororem circumducendi sicùt & cæteri Apostoli, & fratres Do-
6 *mini, & Cephas?* * *Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc*
7 *operandi?* * *Quis militat suis stipendijs vmquàm? Quis plantat vineam, &*
de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?
8 * *Numquid secundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit?* * *Scriptum*

9 *est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Numquid de bobus*
10 *cura est Deo?* * *An proptèr nos vtique hoc dicit? Nàm proptèr nos scripta sunt.*
Quoniàm debet in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipien-
11 *di.* * *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra*
12 *metamus?* * *Si alij potestatis vestræ participes sunt, quarè non potius nos? Sed*
non vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus
13 *Euangelio Christi.* * *Nescitis quoniàm qui in sacrario operantur, quæ de sacra-*
14 *rio sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari patricipant?* * *Ità &*
Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.
15 * *Ego autèm nullò horum vsus sum. Non autèm scripsi hæc vt ità fiant in me:*
bonum est enim mihi magìs mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.
16 * *Nàm si euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit:*
17 *væ enim mihi est, si non euangelizauero.* * *Si enim volens hoc ago, mercedem*
18 *habeo: si autèm inuitus, dispensatio mihi credita est.* * *Quæ est ergò merces*
mea? Vt Euangelium prædicans, sinè sumptu ponam Euangelium, vt non
19 *abutar potestate mea in Euangelio.* * *Nàm cum liber essem ex omnibus, om-*
20 *nium me seruum feci, vt plures lucrifacerem.* * *Et factus sum Iudæis tamquàm*
21 *Iudæus, vt Iudæos lucrarer.* * *Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum*
ipse non essem sub lege) vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem. ijs, qui sinè le-
ge erant, tamquàm sinè lege essem (cum sinè lege Dei non essem: sed in lege
22 *essem Christi) vt lucrifacerem eos, qui sinè lege erant.* * *Factus sum infirmis*
infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes fa-
23 *cerem saluos.* * *Omnia autèm facio proptèr Euangelium: vt particeps eius effi-*
24 *ciar.* * *Nescitis quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidèm currunt, sed vnus*
25 *accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis.* * *Omnis autèm, qui in agone*
contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidèm vt corruptibilem coronam ac-
26 *cipiant: nos autèm incorruptam.* * *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic*
27 *pugno, non quasi aerem verberans:* * *sed castigo corpus meum, & in seruitutem*
redigo: ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.




ON *sum liber? Non sum Apostolus?* Aliqui pseudoapostoli opponebant contrà Paulum nòn esse Apostolum, & dementabant supèr hoc Corinthios; ideò ipse ostendit se Apostolum, dicitquè: *Non sum liber?* proùt alij Apostoli, vt possim alimenta recipere ab his, quibus Euangelizo? fortè hæc erat vna demonstratio ipsum non esse Apostolum, quia non recipiebat alimenta, sed proprio labore viuebat cum suis; at in hoc alijs præstabat. *Non sum Apostolus?* Euangelizans regnum Dei? *Nonnè Christum Iesum Dominum nostrum vidi?* quòd enim viderit certò in apparitione, scripsi Acto. 9. & infrà cap. 15. 9. sed ad quid de visione Christi? opponebatur ei non permansisse cum Christo in terris; ideò voluit dicere se ab eo visibilitèr apparente designatum Apostolum, & de illa visione, non alia intelligendum; vel posse de resurrectione testificari, proùt alij, quod erat principale in Apostolatu. Acto. 1. *Nonnè opus meum vos estis*

in

in Domino, à quo omne opus? hoc dicit, ne videatur quidquam sibi arrogare, sed omnia in Dominum referre: vult dicere, ministerium Apostolicum vobiscum exercui, *& si alijs non sum Apostolus*: hoc fortè ab aliquibus pseudoapostolis dicebatur, *sed tamen vobis sum*, quia Euangelium vobis prædicaui, Ego plantaui, fundamentum ieci suprà cap. 3. latiùs: *nàm signaculum* impressum, signum *Apostolatus mei vos estis in Domino*, cuius agricultura, cuius ædificatio estis. suprà cap. 3. quia creditis in eum, & conuersi estis à gentilitate ad eum ex prædicatione mea. *mea defensio apud eos, qui me interrogant* supèr Apostolatu, *hæc est*, quam dixi. *Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi* proùt alij Apostoli? dicit enim Dominus: manducate quæ apponuntur vobis: & mercenarius dignus est mercede sua: eccè qualis oppositio. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circunducendi, sicùt & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* non de vxore, quia erat virgo, & iàm probatum, non de sorore, quia non præmisisset mulierem, & quia loquitur in plurali, & comprehendit etiàm Barnabam; sorores erant hæ etsi extraneæ, quæ circunducebàtur, proùt alij fratres spirituales; sic & Christum comitabantur mulieres: id etiàm opponebatur. *Cephas* in fine positus dat maiorem energiam, implet magis argumentum, scilicèt nedum *fratres Domini*, sed & *Cephas. Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?* quasi, cur nobis solis id vetitum, alijs concessum? probat licere sibi alimenta sumere. *Quis militat suis stipendijs vnquàm?* quasi, nullus. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* dic, plantat vineam spiritualem, pascit gregem spiritualitèr, & sequentia currunt. *Numquid secundùm hominem hæc dico?* est ne hoc inuentum humanum vt corruat? *An & lex hæc non dicit?* imò habetur in lege, casus est clarus legis. *Scriptum est enim in lege Moysi: non alligabis os boui trituranti*, idest, ministro operanti ne manducet. *Numquid de bobus cura est Deo?* vt hæc iusserit pro illis in lege? quasi, prouidet ex se Deus illis, non præscribit hæc hominibus; vndè ad ministros suos hoc dictum trahendum. *An propter nos vtiquè hoc dicit?* quasi, pro nobis hoc. *Nàm propter nos scripta sunt* hæc in lege: *quoniàm debet in spe qui arat, arare* tàm temporalia, quàm spiritualia: *& qui triturat, in spe fructus percipiendi*, aliòquin frustratus hac spe non incumberet, otiaretur; & cum subdat infrà. *Nescitis quoniàm qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant?* Dubium, quod excitatur, cur non egerit de Sacerdotibus, sed adduxerit illud de bobus, non procedit, quia sub alijs verbis omnes comprehendit inseruientes. *Si nos vobis spiritualia seminauimus* euangelizando, *magnum est*, imò paruum respectiuè, *si nos carnalia vestra metamus?* & pro esu tantùm? *Si alij potestatis vestræ*, bonorum vestrorum, quæ in potestate vestra sunt, *participes sunt, quarè non potiùs nos?* qui adeò laborauimus pro animabus vestris, vt conuerteremini? *Sed non vsi sumus hac potestate* edendi: *sed omnia sustinemus*, patimur, *ne quod offendiculum*, scandalum *demus Euangelio Christi*, pro quo laboramus. hìc aperit quò vergat discursus præcedens, nempè vrgente timore scandali etiàm à licitis abstinendum, & ipsum cum alijs abstinuisse ea de causa. Probat alio argumento deberi ministris alimenta. *Nescitis quoniàm qui in sacrario, operantur*, ministrant, *quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant?* hoc enim iustum, & æquum est, ne defraudentur eorum mercede. *Ità & Dominus* Iesus *ordinauit ijs, qui Euãgelium annunciant* in mundo, *de Euangelio* annunciato *viuere. Ego autèm nullum horum* argumentorum *vsus sum*, vt mihi victum subministretur ab his, quibus euangelizaui. *Non autèm scripsi hæc vt ità fiant in me*, scilicèt vt victus subministretur, cum ad vos venero: *bonum est enim mihi magis mori*, hoc mallem, *quàm vt gloriam meam*, coronam quam mereor, *quis euacuet*, irritam, vanam reddat. *Nàm si euangelizauero*, & sumam cibum, *non est mihi gloria*, meritum: *necessitas enim mihi incumbit* ob iniunctum mihi ministerium, quod effugere non valeo,

&c in


& in necessitatibus nemo liberalis: *va enim mibi est, si non euangelizauero. Si enim volens*, non arctatus, idest, absquè cibo *hoc ago, mercedem* gloriosam *habeo: si autem inuitus* mercede accepta, seù expensis, aut victu quasi compulsus ex necessitate absquè qualitate illa nihil sumendi, *dispensatio, mihi credita est*, ministerium mihi creditum est, ex præcepto iniuncto operor. Eph.3.2. non facio lucrum tàm magnum. *Qua est ergò merces mea?* gloria mea, quam opto, ambio: *vt* Euangelium prædicans, *sinè sumptu* eorum, quibus prædico, *ponam Euangelium, vt non abutar potestate mea in Euangelio*, quam habeo recipiendi victum, qua abuterer illum recipiendo cum aliorum scandalo, vel potiùs dando offendiculum Euangelio Christi. At vndè apud Corinthios tanta hæc Pauli abstinentia à victu recipiendo? nàm ratio sua omnes capit. Credo vel Corinthios tenaciores alijs, vel ob diuturnam apud eos mansionem, quæ fuit vltrà annum, & dimidium quo longo tempore fuisset onerosus, vel, quod credo verius, quia habuit æmulatores multos, quos accipientes victum suprà vers. 12. oportuit hac abstinentia superare. *Nàm cum liber essem ex omnibus*, ità vt possem sumptum recipere, *omnium me seruum feci* laborando manibus meis, *vt plures lucrifacerem*, quàm fecissem si sumptus recepissem: videntes enim me in euangelizando, & iterum pro victu meis manibus laborantem, potuerunt credere mé ex desiderio salutis eorum moueri ad euangelizandum, non mei causa in labore permanentis, & nihil sumentis. *Et factus sum Iudæis tanquàm Iudæus*, sic me composui, *vt Iudæos lucrarer. ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) vt eos, qui sub lege erant* adhùc, cum nondum essent conuersi, *lucrifacerem. ijs qui sinè lege erant, tanquàm sinè lege essem (cum sinè lege Dei non essem: sed in lege essem Christi*, & sic de vna in aliam descenderam) *vt lucrifacerem eos, qui sinè lege erant*, gentiles. *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum*, ad eorum, & singulorum mores me componens, *vt omnes facerem saluos*, ad fidem reducerem. *Omnia autèm facio proptèr Euangelium: vt particeps eius efficiar*, vt merear ex hoc labore meo: posset enim mihi euenire alitèr agenti, vt mercedę mea proptèr Euangelium frustrarer, si secùs agerem. Ideò *nescitis quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidèm currunt* ob brauium, *sed vnus* tantùm *accipit brauium?* vos autèm *sic currite vt comprehendatis* brauium æternum. *Omnis autèm, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet* etiàm permissis, & licitis; sic & ego sumptibus vestris, *& illi quidèm, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autèm incorruptam*, æternam; ideò quātò nos plus illis debemus ab omnibus abstinere? *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum*, pro re incerta: vt illi *sic pugno* (militia enim est vita hominis) *non quasi aerem uerberans*, ex ioco, vanè: *sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo* abstinentijs, ieiunijs, laboribus multis, ad hoc vt mihi subsit, nec exurgat: *ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar* à Deo, tùm quia hominum non est reprobos efficere, sed nostrum, & Dei, possunt homines conijcere, iudicare, non efficere, tùm quia præmisit de corona obtinenda, cui respondet reprobatio ab illa, quæ non ab hominibus, sed à Deo datur, vel negatur. Sed nonnè Paulus confirmatus in gratia, & prædestinatus? at hoc infallibilitèr ignorabat futurum, iuxtà illud Iob: si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea; & Apostolus: nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autèm iudicat me, Dominus est; & nemo scit an odio, vel amore dignus sit, & infrà cap. 10. vers. 12. Apostolus non dicit, qui stat, sed qui se existimat stare, quòd si scisset; non hoc diceret: prædestinati enim non peribunt iuxtà illud, vt in errorem inducantur, si fieri potest, quasi, non potest, etiàm electi. & Ioa. 10. 28. & non peribunt in æternum, & non rapiet eos quisquam de manu mea, & non priuabit bonis Dominus eos, qui ambulant in innocentia.



CAPVT X.

1 NOLO enim vos ignorare fratres quoniam patres nostri
omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt,
2 * & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in ma-
3 ri: * & omnes eandem escam spiritalem manducaue-
runt, * & omnes eundem potum spiritalem biberunt:
4 (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: pe-
5 tra autem erat Christus) * sed non in pluribus eorum be-
6 neplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. * Hæc autem in figura facta
sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt:
7 * Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum
8 est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. * Neque for-
nicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti
9 tria millia. * Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentauerunt, &
10 à serpentibus perierunt. * Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum mur-
11 murauerunt, & perierunt ab exterminatore. * Hæc autem omnia in figura con-
tingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæcu-
12 lorum deuenerunt. * Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. * Tenta-
13 tio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur
vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum
14 vt possitis sustinere. * Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura:
15 * Vt prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico. * Calix benedictionis, cui
16 benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem fran-
17 gimus, nonne participatio corporis Domini est? * Quoniam vnus panis, vnum
18 corpus multi sumus, omnes, qui de vno patre participamus. * Videte Israel se-
19 cundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo?
20 dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum, sit aliquid? * Sed
quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos so-
cios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmonio-
21 rum: * non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.
22 * An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi li-
23 cent, sed non omnia expediunt. * Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.
24 * Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. * Omne, quod in macello ve-
25 nit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. * Domini est terra,
26 & plenitudo eius. * Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod
27 vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. * Si quis
28 autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite manducare propter illum, qui
indi-

29 *indicauit, & proptèr conſcientiam: * conſcientiam autèm dico non tuam, ſed*
30 *alterius. Ut quid enìm libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia? * Si ego*
31 *cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quòd gratias ago? Siuè ergò man-*
ducatis, ſiuè bibitis, ſiuè aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.
32 ** Sinè offenſione eſtote Iudæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei. * Sicùt & ego*
33 *per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis:*
vt ſalui fiant.



NOLO *enim uos ignorare fratres quoniàm patres noſtri* antiqui *omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe*, vnà cum Moyſe, vel per Moyſen ducem loti, mundati, & purgati ſunt, ſtabiliti in fide, *baptizati ſunt in nube*, qua tecti, *& in mari*, quem tranſierunt; baptiſmus eorum ab effectu, non quòd loti aqua, quia nec nubes eos lauit, vel ſtillauit, cum tantùm tegeret, nec mare, quem ſicco pede tranſierunt muris aqueis hinc indè ſtructis: *& omnes eandem eſcam ſpiritalem*, manna *manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem* communes intèr eos, miraculoſos ex petra, diuinos *biberunt*, quia ſubdit, *ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo; nàm proſtrati ſunt in deſerto;* eſt hic ſcopus narrationis, ex quo infert poſteà verſ. 12. *Itaquè qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat, &c.* (*bibebant autèm de ſpiritali, conſequente eos petra* eis promiſſa, ex illis naſcitura: *petra autèm erat Chriſtus,*) cuius reſpectu hæc beneficia recipiebant, & quod verè dixit fundamentum, prætèr quod nullum aliud poni poteſt ſuprà cap. 3. 11.

De qua aqua intelligit. Exod. 13. vel Num. 20? credo de vtraque iuxtà Caietanum, quia cum adhùc eſſent in deſerto, nondum perfecta erat pœna comminata. Num. 14. vt omnes patres vltrà annos viginti nati, eſſent defuncti: poterant enìm aliqui adhùc ſupereſſe cum Moyſe, & Aaron: ideò verba, *ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nàm proſtrati ſunt in deſerto*, habent in quibus verificentur etiàm. Num. 20. nàm omnium mors enuntiatur tãtùm. Num. 26. non antè: *bibebant autèm de ſpiritali, conſequente eos petra*, petra eis morem gerente, obſequente, aquas largitèr ad vſum eorum effundente, non quòd aqua eos conſequeretur ad alia loca, quia viæ erant priùs æquandæ, & in procliue dirigendæ, vt aquæ effluerent, quà populus pergebat, & non erat deſiderãda aqua à Raphidim vſquè ad Sin, quia primæ ſuffeciſſent, ſed quòd hoc ſit commentum, apparet, quia Num. 20. 19. & 21. 22. aqua deſideratur. Nec diceret, *conſequente eos petra*, ſed aqua, ſi de ſequela aquæ ageret; hinc dixit Dominus. Num. 20. loquimini ad petram coràm eis, & illa dabit aquas, & ex hac obedientia, de qua fit hìc mẽtio, firmatur intellectus, quòd & de aqua. Num. 20. intellexerit Apoſtolus, poſtquàm in verbo, *conſequente*, hanc obedientiam explicat, quæ non ſic explicatur. Exod. 17. licèt de facto & ibi obedientia. Imò ſpiritalem potum, quem prædixerat, explicare volens Apoſtolus quomodò eſſet ſpiritalis, ſic ſubdit: *bibebant autèm de ſpiritali*, ideſt, miraculoſo potu, diuino: quomodò? *conſequente eos petra*, obediente ad eorum deſiderium, petra aquas dante; in petra verò erat figuratus Chriſtus, ideò ſubdit: *petra autèm erat Chriſtus*, ex cuius paſſione omnes bibituri erant, ſalutem ſpiritalem recepturi, quia non eſt aliud nomen ſub cælo datum, in quo nos oporteat ſaluos fieri, & non poteſt poni aliud fundamentum ſuprà cap. 3. 12. &c. Et loci Pſal. 77. & 104. intelliguntur in eodem loco deducta flumina, torrentes inundaſſe; aquas fluxiſſe, abijſſe flumina, ad denotandam aquarum magnam copiam, ità vt nulli defuerit, biberintquè homines, & iumenta ad ſatietatem, non autèm quòd aquæ populum ſequerentur.

tur. *Sed non in pluribus*, idest, in paucis *eorum beneplacitum est Deo*, in duobus scilicèt tantùm, Caleb, & Iosue: cæteri enim prostrati sunt in deserto. Num.26.in fin.intèr quos Moyses, & Aaron ob transgressionem ad aquas contradictionis. Num.20.12. 29. & Deut.34.5. Vndè magis timendum postquàm tot perierunt, etsi tantis beneficijs affecti. *Hæc autèm in figura facta sunt nostri*, ad instructionem nostram, *vt non simus concupiscentes malorum* in malum, *sicùt & illi concupierunt* carnes sibi dari, *nequè idòlolatræ efficiamini*, quod est maximum peccatorum, *sicùt quidam ex ipsis* idòlolatræ ad vitulum: *quemadmodum scriptum est: Sedit populus* otiosus *manducare, & bibere*, & indè ortum, *& surrexerunt ludere* coràm vitulo, in Deum illum recognoscentes. *Nequè fornicemur* cum dijs alienis, eos adorando, *sicùt quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die vigintitria millia*. Exod. 32.28. verba autèm hæc sic interpretanda, quia numerus concordat, qui non concordat. Num.25.qui est vigintiquatuor millium. Nec est verisimile Paulum agentem de idòlolatris (vndè subdit, *fugite ab idòlorum cultura*) hunc casum omisisse, vel hìc de carnali agere, quæ esset contrà propositum, cum de idòlothytis, & idòlis agat,& fornicatio in Scriptura sæpè pro idòlolatria sumitur,& hic apud Paulum idem est, *idòlolatræ efficiamini*, quòd, fornicemini, quia subdit pœnam, quæ vtrunque verbum determinat,& vtitur his synonimis, quia interponenda fuerunt alia verba, *sicùt, &c.* &, *quemadmodum, &c.* Vel pro fornicatione intelligitur lusus ille, *surrexerunt ludere*, fortè choreas ducere, cantabant certè vers. 18. & nudi erant vers. 25. & choros ducebant: ibì enim ludere non intelligendum de sacrificio, quia iàm dixerat de illo, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas vers. 6. & clariùs ex ore Dei vers.8. Vel pro concordia posset dici pòst duos casus Paulum subiecisse de vigintitribus millibus ad vtrumque probandum, & non diuersificasse numerum; cum vnus sufficeret, qui probatur in d.cap.32. Exod. & continetur in cap. 25. Num. sub maiori numero, qui est vigintiquattuor millium, & ità ad vtrumque repetendum numerum. Si dicis, vna die vigintitria millia, alia mille in principibus. Num. 25.ideò de illo loco hìc Pauli intelligendus. Respondetur, diuinas quòd Principes mille: id enim non dicitur; diuinas etiàm quòd vno die vigintitria millia, alio mille occisi, quod ibì non habetur, sed sumatur occisio ad vigintiquattuor millia. Prætereà, ad quid omisisset Paulus mille? nonnè quò plures erant, eò magis ad propositum suum faciebant? sed imò quia dicit Paulus, *vna die*, intellectus hic non remanet tutus, quia eadem verba habentur. Exo.32.28.cecideruntquè in die illa quasi vigintitria millia. *Nequè tentemus nos Christum: sicùt quidam eorum tentauerunt* Deum. Num.21. *& à serpentibus perierunt*. vers.6. & ob hanc additionem de illo facto intelligendus hic locus. *Nequè murmuraueritis, sicùt quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore*, qui fuit Angelus ductor mediante incendio. Num. 16. in fin. nàm ibi dicitur apparuisse gloriam Domini, & is erat Angelus. Exterminatorē autèm nuncupat Angelum punientem tanquàm paratum omnes penitùs vastare, & exterminare, ni accurrisset Aaron cum thuribulo à Moyse monitus; ideò dixit, etiàm nunc delebo eos. vers.45. *Hæc autèm omnia in figura contingebant illis* aliud futurum præsignificantia: *scripta sunt autèm ad correptionem nostram*. Rom. 15. 4. *in quos fines sæculorum deuenerunt*, quia nunc non aliud Euangelium, non alia nouitas, sed mundi finis expectandus. *Itaquè qui se existimat stare, videat ne cadat*, sicùt illi, & ne sitis fidentes in vobis, vel gratijs à Deo receptis: estis enim lubrici; ideò ad hunc effectum subdit. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana:* hoc est quæ homines solet apprehendere, nec potest euitari, cum militia sit vita hominis, non vltronea, non quæsita, proùt hæc manducandi idòlothyta, in qua vos ad certum periculum exponitis. Et verbum, *apprehendat*, meliùs congruit præcedentibus, *qui se existimat stare, videat ne cadat*, quàm (apprehendit) vel aliud, & ità facientes nihil timēdum, quia *fidelis autèm Deus* est, verax, non fallit, *qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis, sed faciet etiàm cum tenta-*

tione

tione prouentum, vt possitis sustinere, & ex ea lucrari. *Proptèr quod charissimi mihi, fugite ab idòlorum cultura:* sic suprà cap. 6. 18. fugite fornicationem: optat enim eos penitùs abstrahi à vitijs huiusmodi: *Vt prudentibus*, scientibus *loquor, vos ipsi iudicate quod dico*, subiungo, an verum sit. *Calix benedictionis*, idest, calix benedictus, proùt filius perditionis, filius perditus: ideò ad declarationem etiàm subdit, *cui* nos *benedicimus, nonnè communicatio sanguinis Christi est?* cum ex vltimis his verbis Apostolus declaret communicationem esse sanguinis Christi, quandò dixit, *benedictionis:* &, *benedicimus*, intelligit per illa verba de consecrato, quia aliòquin non esset communicatio talis, & hanc interpretationem suadent verba, & scopus Apostoli; quidquid sit quandò Christus pòst gratiarum actionem, & benedictionem præmissas consecrauit, de quibus omnibus nunc hic non agit Apostolus: sufficit enìm ei ad suum propositum quoquo modo ostendere sanguinem Christi cõsecratum participari, neque etiàm corpus Christi nuncupat, sed dicit, *& panis, quem frangimus, nonnè participatio corporis Domini est?* quia & in hoc sufficit ei ostendere de quo loquatur, consecrato scilicèt, & seruit illatio, quam subdit. *Quoniàm vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes, qui de vno pane participamus.* Vult ex his retrahere eos etiàm ab esu idòlothytorum scientèr vsquè ad fin. cap. infertur enìm, sicùt nos participantes de sanguine, & corpore Christi, *vnus panis, & vnum corpus sumus:* ità comedentes, & participantes scientèr de idòlothytis vnum fiunt in idòlolatria. *Videte*, considerate *Israel secundùm carnem*, carnalia sua sacrificia: *nonnè qui edunt hostias* immolatas, *participes sunt altaris?* quasi, idem in edentibus idòlothyta. *Quid ergò?* ad quid hæc dico *quòd idòlis immolatum sit aliquid*, vt hæc operari possit? *aut quòd idòlum*, cui offertur, *sit aliquid?* contrà id, quod semèl dixi, nihil esse? *sed* (docet quomodò peccetur) *quæ immolant Gentes* idòlolatræ, *dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autèm vos socios fieri dæmoniorum*, edendo de idòlothytis: *non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*, non potestis Deo seruire, & mammonæ: *non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum:* hæc enìm sibi aduersantia. *An æmulamur Dominum?* volumusne Deum prouocare ad iram? *Nunquid fortiores illo sumus?* vt vincamus, vel resistamus illi? *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant:* vult dicere, etsi hoc liceret simplicitèr edere de idòlothytis, non tamèn faciendum, quia non ædificas, imò proximum infirmum lædis, vt suprà dixit in præcedenti cap. *Nemo quod suum est quærat*, quod ei licet, *sed quod alterius*, ne scilicèt alius cadat, quod est maius. *Omne, quod in macello vænit*, venditur, *manducate, nihil interrogantes* an sit idòlis consecratum necne *proptèr conscientiam*, ne illaqueetis alios. *Domini est terra, & plenitudo eius*, & quæ in ea sunt, non dæmoniorum. *Si quis vocat vos infidelium* ad comedendum cum illis, *& vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes proptèr conscientiam* aliorum infirmorum. *Si quis autèm dixerit: Hoc immolatum est idòlis, nolite manducare proptèr illum, qui indicauit*, ne credat vos idòlolatrare, *& proptèr conscientiam* scandalum: *conscientiam autèm dico non tuam, sed alterius:* comprehendit hic tàm Gentiles, quàm Fideles, quia scandalum vniuersale quòad omnes prohibetur, & quia subdit. *Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei;* & quia omnium quærenda salus, vt subdit, & intèr hos & Gentiles, & quia præmisit proximè de infideli vocante, & subdit indefinitè, *proptèr illum, qui indicauit*, quæ verba vtrique aptantur, & proptèr verba, *conscientiam alterius*, & quia nullum ponendum offendiculum Euangelio, quod infideles tangit suprà cap. 9. 13. etsi in præcedentibus videatur de solis fratribus infirmis egisse. *Vt quid enìm libertas mea iudicatur*, damnatur *ab aliena conscientia?* quasi, ad quid hoc pati malum damni ob scandalum aliorum? *Si ego cum gratia participo* creaturis Dei, eique gratias ago, *quid*, cur *blasphemor*, blasphemus reputor *pro eo, quod gratias ago?* cur ergò alijs offendiculum pono? quasi, id non faciendum. *Siue ergò manducatis, siue bibitis, siue*

aliud

aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite, neminem offendentes, sed soli Deo placentes. *Sinè offensione* (declarat quomodò ad gloriam Dei) *estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei*, Congregationi fidelium omnium: *sicùt & ego* (exemplo Dei) *per omnia omnibus placeo*, placere enitor, *non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis*, omnibus, *vt salui fiant:* eorum enìm salus mihi cordi est.



CAPVT XI.

1 IMITATORES mei estote, sicùt & ego Christi.
2 * Laudo autèm vos fratres quòd per omnia mei memores
estis: & sicùt tradidi vobis, præcepta mea tenetis.
3 * Volo autèm vos scire quòd omnis viri caput, Christus
est caput autèm mulieris, vir: caput verò Christi, Deus.
4 * Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, detur-
5 pat caput suum. * Omnis autèm mulier orans, aut pro-
phetans non velato capite, deturpat caput suum: vnum enìm est, ac si decal-
6 uetur. * Nàm si non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe est mulieri ton-
7 deri, aut decaluari, velet caput suum. * Vir quidèm non debet velare caput
8 suum: quoniàm imago & gloria Dei est, mulier autèm gloria viri est. * Non
9 enìm vir ex muliere est, sed mulier ex viro. * Etenìm non est creatus vir proptèr
10 mulierem, sed mulier proptèr virum. * Ideò debet mulier potestatem habere su-
11 prà caput proptèr Angelos. * Verumtamèn nequè vir sinè muliere: nequè mu-
12 lier sinè viro in Domino. * Nàm sicùt mulier de viro, ità & vir per mu-
13 lierem: omnia autèm ex Deo. * Vos ipsi iudicate: decet mulierem non vela-
14 tam orare Deum? * Nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidèm si comam
15 nutriat, ignominia est illi: * mulier verò si comam nutriat, gloria est illi: quo-
16 niàm capilli pro velamine ei dati sunt. * Si quis autèm videtur contentiosus
17 esse: nos talem consuetudinem non habemus, nequè Ecclesia Dei. * Hoc autèm
18 præcipio: non laudans quòd non in melius, sed in deterius conuenitis. * Primùm
quidèm conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse intèr vos, & ex
19 parte credo. * Nàm oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti
20 fiant in vobis. * Conuenientibus ergò vobis in vnum, iàm non est Dominicam
21 cœnam manducare: * Vnusquisque enìm suam cœnam præsumit ad manducan-
22 dum. Et alius quidèm esurit: alius autèm ebrius est. * Numquid domos non
habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei cotemnitis, &
confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non
23 laudo. * Ego enìm accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniàm Dominus
24 Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, * & gratias agens fregit, & di-
xit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur:

25 *hoc facite in meam commemorationem. * Similitèr & calicem, postquàm cœ-*
nauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. hoc facite
26 *quotiescumquè bibetis, in meam commemorationem. * Quotiescumque enìm*
manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis
27 *donèc veniat. * Itaquè quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit ca-*
28 *licem Domini indignè: reus erit corporis, & sanguinis Domini. * Probet autèm*
29 *seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. * Qui enìm mandu-*
cat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit: non dijudicans cor-
30 *pus Domini. * Ideò intèr vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.*
31 ** Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non vtiquè iudicaremur. * Dum iudica-*
32 *mur autèm, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. * Ita-*
33 *què fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicèm expectate. * Si*
34 *quis esurit, domi manducet: vt non in iudicium conueniatis. Cætera autèm,*
cum venero, disponam.



MITATORES mei, cuius mores nostis, *estote, sicùt & ego Christi* sum, quia sic & vos Christi imitatores eritis, qui datus est nobis in exēplar, & cuius sequamur vestigia; vndè 1. Thes. 1. 6. & vos imitatores nostri facti estis, & Domini, & ferè per omnes Epistolas. addit *Christi*, ne sibi quidquam arroget. *Laudo*, commendo *autèm vos fratres, quòd per omnia mei memores estis: & sicùt tradidi vobis, præcepta mea tenetis* memoriæ, & seruatis. *Volo autèm vos scire quòd omnis viri caput Christus* homo *est*, etenim vti de homine loquitur: nàm vti Deus Dominus absolutè, & quia subiungit: *caput verò Christi, Deus. Caput autèm mulieris, vir*, quia à Deo illi subiecta. Genes. 3. 16. *caput verò Christi* quà hominis, *Deus:* non enim hic de diuinitate, quia verbum, *caput*, dicit præeminentiam, quæ in diuinis personis non potest considerari, & quia sicùt suprà de humanitate, sic in hac vltima clausula. *Omnis vir orans, aut prophetans*, canens *velato capite, deturpat caput suum*, suam præeminentiam, quomodò id? *quoniàm cum imago, & gloria Dei* sit, idest, participet de Dei imagine, & gloria, quia habet potestatem, & dominium à Deo etiàm supèr mulierem. Genes. 3. 16. proùt Deus supèr omnes, velando caput, hanc imaginem, & gloriam Dei, & capitis sui Christi occultat, & se deturpat, quia facit se subditum: velamen enim est signum subiectionis, ni mirum, si præmisit, *omnis viri caput Christus*, è conuersò *omnis autèm mulier* siuè virgo, siuè nupta (quia & virgo ratione sexus viro inferior) *orans, aut prophetans*, legens in silentio, quia in Ecclesia tacere debent infrà cap. 14. 34. proùt quandò non adest interpres, qui lingua loquitur infrà cap. 14. 28. *non velato capite, deturpat caput suum: vnum*, idem *enìm est ac si decaluetur*, quod est turpe. *Nàm si*, ideò si *non velatur mulier*, sicùt decet, *tondeatur*, postquàm idem est. *Si verò*, quia verò *turpe est mulieri tonderi, aut decaluari, velet caput suum*, ne hac turpitudine notetur, & quia *gloria viri mulier est* ob subiectionem, quam illi debet, & hanc ostendet nolle *capite non velato*, quod denotat libertatem. Vel meliùs, & quia mulier recipit gloriam suam à viro, seù participat de gloria viri, quod meliùs conuenit subsequentibus, & prçcedenti dicto, quòd vir recipit gloriam à Deo; ideò debet ei ostendere signum subiectionis; vndè subdit, *vir quidèm non debet velare caput suum, quoniàm imago, & gloria Dei est, mulier autèm* debet velare, quoniā *gloria viri est. Non enìm vir ex muliere*


liere est, sed mulier ex viro; ratio est præmissorum cur gloriam participet mulier ex viro, quia ex ipso est, non è contrà. *Etenim non est creatus uir proptèr mulierem, sed mulier proptèr uirum*: dictum enim de Adamo, faciamus ei adiutorium simile sibi. *Ideò debet mulier potestatem uiri habere suprà caput suum proptèr Angelos*; Non dicas malos, ne decipiatur, prout Eua, quia hoc vbiquè, vel bonos, à quibus procedat supplicium, vt de Angelo præcedēte populum castigaturo dicit Dominus, quia non diceret proptèr Angelos. Vel quia cauendum à scandalis pusillorum sub protectione eorum viuentium, faciemquè Dei videntium, dicit Dominus, ad quæ mulieres capite non velato eos inducere possent: potiùs enim diceret de pusillis, quàm de Angelis. Vel ob reuerentiam Angelorum assistentium in Ecclesia, ne migrent indè proptèr hanc abominationem, quia non illæ solæ ibi, sed & viri; sic Deus. Num. 5.3. præcipit eijci de castris leprosos, &c. ne contaminēt ea, cum habitauerim vobiscum, & is etiàm Angelus erat repræsentans Deum; ad idem Deut. 23.13. Philip. 4.5. postquàm dixit, modestia vestra nota fit omnibus hominibus, vt id præstent, subdit: Dominus enim propè est, adstat. Vel Sacerdotes puritate Angelos, ne contaminentur eas videntes, quia impropria locutio, quæ interpretatur Sacerdotes pro Angelis. Vndè dicerem, *proptèr Angelos* assistentes orationibus nostris, & eas ad Deum reportantes, vt in Tobia, & Sara. Tob. 3. & 12. 12. in Centurione. Acto. 10. & generalitèr. Apoc. 5. 9. congruit enim orationi, de qua agit, quasi dicat, si cum irreuerentia orent mulieres se non velando, orationes earum non portabūtur per Angelos antè conspectum Dei, & sic vanæ erunt. *Veruntamèn neque uir sinè muliere, neque mulier sinè uiro in Domino*: quasi, vnus alio indiget, & vnus sinè alio stare non potest in Domino, seù per Dominum, qui ità disposuit, à quo omnia; nàm sicùt mulier de viro primò, ità vir per mulierem nunc, omnia autèm ex Deo omnium conditore, & gubernatore. *Vos ipsi iudicate*, quasi, clarum est quod dico: clara enim aliorum iudicio remittimus, tuti pro nobis fore iudicanda: *decet mulierem non uelatam orare Deum?* quasi, non, *nec ipsa natura docet nos, quòd uir quidem si comam nutriat, ignominia est illi*, sint procul à nobis iuuenes vt fœminæ compti: *mulier uerò si comam nutriat, gloria*, venustas *est illi: quoniàm capilli pro uelamine ei dati sunt. Si quis autem uidetur contentiosus esse* non acquiescens dictis nostris, clarè pronuncio: *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*; congregatio fidelium vniuersa viros velato, mulieres non velato capite orare, & prophetizare. *Hoc autem præcipio: non laudans quod non in melius*, vt deberetis, *sed in deteriùs conuenitis* in Ecclesia, quasi, potiùs peccantes, quàm benè operantes. *Primùm quidem conuenientibus uobis in Ecclesiam, audio scissuras*; discordias *esse inter uos, & ex parte credo. Nàm oportet & hæreses esse*, scissuras, discordias, quas præmiserat; ideò subdit, *ut & qui probati sunt, manifesti fiant in uobis*: hoc enim verbum, *uobis*, determinat quid sentiat, quod magìs explicat. *Conuenientibus ergò uobis in unum, iàm non est dominicam cœnam manducare*, & cap. 1. 10. vt ipsum dicatis omnes; & non sint in vobis schismata, sitis autèm perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Vult dicere Paulus difficilè posse caueri, & vitari discordias, & has nihilominùs prodesse, quia manifestantur qui probati sunt boni, perfecti, patientes. *Conuenientibus ergò uobis in unum, iàm non est dominicam cœnam manducare* eo modo, quo facitis. *Vnusquisque enim suam*, non dominicam, *cœnam* priuatam *præsumit ad manducandum*, præparat, præaccipit, prægustat, alios non expectans, qui est primus error; quòd autèm hoc intendat, facit, quia infrà vers. 33. dicit, *cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate*: & quòd de communi intelligat, vltrà verba clara, *suam cœnam præsumit*, facit quia subdit illud indignum. *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est*, quod ad dominicam, & eucharisticam non accommodatur, & quia dicit. *Numquid domos, &c. aut Ecclesiam, &c. & confunditis eos, qui non habent*, Eucharistica siquidèm nemini deerat, & quia non potest dici de Eucharistia, *præsumit ad manducandum*, & sic vt è domo ad Ecclesiam portaretur, cum in Ecclesia conficiatur, &

est secundus error. *Ebrius* pro satur more Scripturæ, quia & hoc reprehēdisset acriùs, si errassent in ebrietate. *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum* antequàm in Ecclesiam conueniatis? *aut Ecclesiam Dei contemnitis* sic facientes, *& confunditis*, erubescere facitis *eos, qui non habent?* quasi dicat, meliùs est hæc domi præsumere famelicos, vt infrà 34. quàm in hæc incurrere. Ex his fit verisimile, quòd cœnæ Eucharisticæ prēmittebant cœnam communem, seù priuatam; nàm ad quid ad Ecclesiam ferre edulia? potuissent enim pòst sumptionem sacræ Eucharistiæ redire domum, & manducare, & quia dicit *præsumit*, quasi, antè sumit, & vers. 34. dicit. *Si quis esurit, domi manducet: vt non in iudicium*, idest, condemnationem *conueniatis*, scilicèt ad cœnam dominicam, & quia apposuit verba, *similitèr & calicem, postquàm cœnauit:* videtur enim Apostolus stare in eisdem terminis, in quibus Christus hæc perfecit; Et hoc potest stare cum traditione, quæ descendat ab Apostolis, quòd à ieiunis sumeretur; nàm transactis primis illis temporibus potuerunt hoc ordinare, videntes fortè aliqua, quæ non conueniebant, proùt experientia solet hæc proferre: si enim tùnc fuisset traditio contraria, Apostolus seueriùs in Corinthios egisset, & explicasset errorem; vndè quæ successiuis temporibus apparent in alijs auctoribus supèr his seruata, non sunt hùc in argumentum deducenda, quia non cōueniunt ad hæc tempora cum Corinthijs. Etsi quòd à ieiunis sumeretur, videtur probari. Acto. 20.7. vbi conuentus ad frangendum panem Eucharisticum, deindè sumptio panis communis. vers. 11. ità vt traditio potuerit citò perfici, vel vtroque modo seruabatur. At ille textus nihil probat de pane Eucharistico, sed communi, vt ibi dixi. *Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo;* & suprà dixit, *non laudans*. Sed cur? subdit: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similitèr & calicem postquàm cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescunquè bibetis in meam commemorationem.* Dicitur, *postquam cœnauit*, vt distinguat sumptiones calicis in cœna mystica, vel communi, quæ præcesserant ab hac, in qua instituit sanctissimum Sacramentum, quæ distinctio non fuit necessaria in pane. Hinc collige quomodò intelligas dicta Lucæ de duobus calicibus, vt ibì dixi. Vel, *postquàm cœnauit*, referendum & ad panem, ità vt & determinet in eo tempus, proùt in calice. *Quotiescunquè enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis*, fit commemoratio tantæ passionis, & mortis, tanti beneficij, *donèc veniat*, vsquè ad iudicium; nàm vsquè ad illud durabit sacrificium missæ, vt latiùs in Apocal.

Quò tendit Apostolus ex hac commemoratione facti Christi? vult dicere, hæc sunt excelsa, quæ tractatis, hoc est corpus, & sanguis Christi ex sua institutione, in memoriā suæ passionis, qua redempti sumus exercenda sanctè, & purè tractanda, non proùt vos facitis cum scissuris, discordijs, hæresibus, imminuta charitate. *Itaquè quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis* quòad panem, *& sanguinis* quòad calicem *Domini;* sufficit transgressio in altero eorum. *Probet autèm*, examinet, purget *seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat:* exaggerat ex pœna. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium*, condemnationem *sibi manducat, & bibit, non dijudicans* quale, quantumque sit *corpus Domini*, & hanc pœnam apparere. *Ideò intèr vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt*, moriuntur *multi. Quòd si nosmetipsos dijudicaremus*, & abstineremus ab his, quæ dixi, *non vtiquè iudicaremur*, cōdemnaremur à Domino. *Dum iudicamur autèm, à Domino corripimur* tanquàm sui filij; visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, *vt non cum hoc mundo*, mundanis, infidelibus *damnemur* in æternū, sed resipiscamus; & tollens causas discordiarum dicit. *Itaq; fratres mei, cum conuenitis ad māducandum inuicèm expectate, si quis esurit, domi manducet*, deindè conueniat ad cœnam dominicam; ad quid

enim

enim dixisset, *domi manducet*, si conuenire non debuerat? imò clarè subdit: *vt non in iudicium* condemnationem *conueniatis*; vndè quid clariùs? & seriò loquitur Apostolus, quia suprà dixerat; *Nunquid domos non habetis ad manducandum*, *&c. Cætera autèm* spectantia ad sacramentum hoc, *cum venero, disponam*. hinc traditiones.



CAPVT XII.



1 *E spiritualibus autèm, nolo vos ignorare fratres.* * *Sci-*
2 *tis quoniàm cum Gentes essetis, ad simulachra muta*
3 *prout ducebamini euntes.* * *Ideò notum vobis facio,*
quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu.
Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu
4 *sancto.* * *Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autèm*
5 *Spiritus:* * *Et diuisiones ministrationum sunt, idem au-*
6 *tèm Dominus:* * *Et diuisiones operationum sunt, idem*
7 *verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* * *Vnicuique autèm datur mani-*
8 *festatio Spiritus ad vtilitatem.* * *Alij quidèm per Spiritum datur sermo sapien-*
9 *tiæ: alij autèm sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum:* * *alteri fides in ea-*
10 *dem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno Spiritu:* * *alij operatio virtutum,*
alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio
11 *sermonum.* * *Hæc autèm omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens*
12 *singulis prout vult.* * *Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa,*
omnia autèm membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ità
13 *& Christus.* * *Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati su-*
mus, siuè Iudæi, siuè Gentiles, siuè serui, siuè liberi: & omnes in vno Spiritu
14 *potati sumus.* * *Nàm & corpus non est vnum membrum, sed multa.* * *Si di-*
15 *xerit pes: Quoniàm non sum manus: non sum de corpore: num ideò non est de*
16 *corpore?* * *Et si dixerit auris: Quoniàm non sum oculus, non sum de corpore:*
17 *num ideò non est de corpore?* * *Si totum corpus oculus: vbi auditus? Si totum*
18 *auditus: vbi odoratus?* * *Nunc autèm posuit Deus membra, vnumquodque*
19 *eorum in corpore sicut voluit.* * *Quòd si essent omnia vnum membrum, vbi cor-*
20 *pus?* * *Nunc autèm multa quidèm membra, vnum autèm corpus.* * *Non po-*
21 *test autèm oculus dicere manui: Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedi-*
22 *bus: Non estis mihi necessarij.* * *Sed multò magis quæ videntur membra cor-*
23 *poris infirmiora esse, necessariora sunt:* * *& quæ putamus ignobiliora membra*
esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt
24 *nostra, abundantiorem honestatem habent.* * *Honesta autèm nostra nullius*
egent: sed Deus temperauit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo ho-
25 *norem,* * *vt non sit schisma in corpore, sed idipsum pro inuicem solicita sint mem-*

26 *bra.* * *Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siuè*
27 *gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* * *Vos autèm estis cor-*
28 *pus Christi, & membra de membro.* * *Et quosdam quidèm posuit Deus in Ec-*
clesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deindè virtutes,
exindè gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, in-
29 *terpretationes sermonum.* * *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Pro-*
30 *pheta? numquid omnes Doctores?* * *Numquid omnes virtutes? numquid om-*
nes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid
31 *omnes interpretantur?* * *Aemulamini autèm charismata meliora. Et adhùc*
excellentiorem viam vobis demonstro.



DE *spiritualibus autèm* effectibus Spiritus sancti, *nolo vos ignorare fratres. Scitis quoniam cùm gentes essetis, ad simulachra muta proùt ducebamini euntes*; prætermittit hoc ad eorum errorem pristinum insinuandum, vt magis capiant beneficia Dei. Dicit ergò, dum adhùc in gentilismo versaremini, scitis quomòdò ad idòla veneranda adducebamini. *Ideò notum vobis facio* quòd tùnc non ducebamini Spiritu sancto, sed nialojetehim *nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu*, proùt tùnc vos dicebatis, & nùnc dicunt perseuerantes in idòlolatria, nùnc verò nomini huic ex corde sincero benedicentes, illùdquè inuocantes ex Spiritu sancto facitis, quia & *nemo potest dicere, Dominus Iesus*, nemo potest sincero corde confiteri Iesum Dominum, *nisi in Spiritu sancto. Diuisiones verò gratiarum sunt* in conuersis, *idem autèm Spiritus* illas operans: *Et diuisiones ministrationum sunt, idem autèm Dominus* iubens; & subministrans: *Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*, ità vt ab illo omnia recognoscenda. Hic nedum de gratijs gratis datis, sed etiàm alijs, fide, spe, charitate agit, dicendo, *nemo potest dicere, Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto.* At bona distinctio *diuisiones gratiarum, &c.* quia infra de illis, *alij quidem, &c.* vers. 8. *diuisiones ministrationum*, de quibus infra vers. 28. *& diuisiones operationum*, ibì *alij gratia sanitatum, operatio virtutum.* 10. *Vnicuiquè autèm datur manifestatio Spiritus*, gratia, vel donum *ad vtilitatem* propriam Ecclesiæ, & proximorum, non in vanum. Enumerat verò dona Spiritus, quæ vide. *Hæc autèm omnia operatur vnus, atquè idem Spiritus, diuidens singulis, proùt vult.* Cum hic se restringat ad spiritum, videtur & suprà vers. 4. & 5. de eodem intelligere, quem Spiritum Dominum, & Deum appellat. *Proùt vult spiritus diuidens*, non homo, quia sermo est de spiritu agente, & diuidente, non homine recipiente. *Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autèm membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt; ità & Christus.* vide & Rom. 12. eandem phrasim, & thema. Et Ephes. 4. *Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siuè Iudæi, siuè Gentiles, siuè serui, siuè liberi: & omnes in vno Spiritu*, sancto scilicèt, & de quo præmiserat proùt vult singulis diuidente, *potati sumus*, inebriati sumus; nec credo hic agi de Eucharistia, cum totus contextus sit de Spiritu sancto infundente dona sua, & fortè alludit ad illud: si quis sitit, veniat ad me, & bibat, &c. &, si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, &c. à vers. 14. *Nam & corpus.* vsquè ad vers. 27. agit de membris naturalibus corporis inferens ad mysticum corpus, & membra ad pacem, & concordiam, & auxilium proximorum etiàm infirmorum; qui & ipsi ad corpus spectant; textus est clarus. *Vos autèm estis corpus Christi* mysticum, *& membra*

compa-


compaginata simùl ex pluribus charismatibus, prout corpus organicum *de membro* inuicèm vnito, alio ad alterum; ideò sicùt dixi de corpore organico, ità vos intèr vos esse debetis vnanimes, cooperatores, alius alium portantes, vel sic vobis contingere conuenit. *Membra* Christi capitis *de membro* eiusdem, qui vobis euangelizauit; sic dicitur: superædificati suprà fundamentum Apostolorum, &c. Eph. 2. in fin. deindè prosequitur *membra de membro* spiritualia corporis mystici diuersimodè singulis, non omnia vni, diuinitùs distributa vsquè ad finem cap. quæ perspicua. *Aemulamini autèm charismata meliora* sempèr proficientes, vltrà prædicta. *Et adhùc excellentiorem viam* connexionis, & vnitatis *vobis demonstro*, idest, charitatem, sinè qua omnia fringent, vt prosequitur capite sequenti, & cum ibi de linguis, prophetia, & virtutibus, profectò hic non intelligit de æmulatione donorum illorum, sed de charitate, de qua subijcit illam his præferens vti reginam.

CAPVT XIII.

1 *SI linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autèm non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. * Et si habuero prophetiam, & nouerim*
2 *mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem*
3 *non habuero, nihil sum. * Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum*
4 *ità vt ardeam, charitatem autèm non habuero, nihil mihi prodest. * Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non infla-*
5 *tur, * non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat*
6 *malum, * non gaudet supèr iniquitate, congaudet autem veritati: * omnia suf-*
7 *fert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. * Charitas numquàm exci-*
8 *dit: siuè prophetiæ euacuabuntur, siuè linguæ cessabunt, siuè scientia destrue-*
9 *tur. * Ex parte enim cognoscimus & ex parte prophetamus. * Cum autèm*
10 *venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. * Cum essem paruu-*
11 *lus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quan-*
12 *dò autèm factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. * Videmus nùnc per speculum in ænigmate: tùnc autèm facie ad faciem. Nùnc cognosco ex parte: tùnc*
13 *autèm cognoscam sicùt & cognitus sum. * Nùnc autem manent, fides, spes, charitas: tria hæc. maior autem horum est charitas.*

SI *linguis* nedum *hominum loquar*, sed & *Angelorum*, vult dicere, in summa excellentia, prout vulgaritèr dicimus quid more Angelorum fieri, hoc est, per excellentiam, cum enim agat de loquela hominum lingua deprompta, sono constante, non potest dici loqui de linguis Angelorum propriè alio modo se intelligentium, qui hic non applicatur, *charitatem autèm non habeam, factus sum velut æs sonans,*

sensus Apostoli. Non enim crederem cessaturam varietatem linguarum, quasi vna tantùm lingua, eaquè (vt verius autumant) Hebræa omnes in cælo sint vsuri, vt dicunt: verisimilior enim mihi videtur opinio aliorum, qui dicunt beatos omnibus linguis vsuros, sed non indigere dono linguarum; quia omnes intelligent absquè illo: cum enim hoc non repugnet beatitudini, videtur amplectendum, imò verisimilitèr erit maiori gustui beatis vti lingua materna, quàm alia, sicùt hìc contingit, & nulla ratio cessaturorum per Paulum adducta linguas tangit, sed tantùm prophetiam, & scientiam. Si dicis, varietatem linguarum in cælo futuram incognitam, cùm diuisio linguarum facta fuerit ob peccatum. Respondeo non esse attendendum illud tempus, sed hominum in varietate linguarum educatorum. Secundò, etsi ex peccato inducta varietas linguarum, tamèn in ea inducenda à Deo, qui ex malo nouit elicere bonum, & in eo glorificari, factum est magnum miraculum, vt tot linguæ diuersæ ad regulas, & sonos conuenientes deductæ fuerint, idquè maximum donum fuit, & beneficium, & dona Dei sunt sinè pœnitentia. Tertiò, varietas linguarum facta est altera natura in hominibus, ità vt sicùt tùnc fuit confusio diuisorum, sic nùnc maior esset, si ad vnam linguam fieret regressus, cum quisque in propria libès quiescat. Quartò, sicùt tùnc miraculum diuisio in multis, sic nùnc miraculum vnio illarum in vno; hinc igneæ linguæ datæ Apostolis, & variæ alijs. Quintò, Deus non destruit naturalia, sed in statu perfectiori reformat; si ergò tollatur hæc varietas, fieret destructio, non reformatio. Sextò, in varias linguas Scriptura sacra conuersa, & translata, gratum verò erit sensus veros in illis linguis, in quibus versati sumus, edoceri, nec verisimile Deum Beatos hoc gustu priuare. Septimò, in iudicio non erit vna lingua, sed varia; nàm reis non dabitur hoc donum, & in inferno nullus ordo; at sancti iudices professò sunt intellecturi reos, & potientur hac varietate, seù dono, si tùnc, eo ampliùs non priuabuntur, ergò in cælo erit varietas. Octauò, Christus omnes intelliget, sed reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, ergò etiàm Beati intelligent, & sic erit varietas. Nonò, non cessabunt in Deo omniscìente, in eo autèm hæc cognoscemus. Decimò, nequè cessabit prophetia quatenùs dicit scientiam, & explicationem, quam gustabimus, nequè scientia, vt iàm dixi. Si dicis, erunt linguæ, siuè illarum varietas, sed non vsus. Respondeo frustratorium donum, & prouisio prætèr Dei solitum, si non etiàm vsus, ergò & vsus, ne demus hoc absurdum, & non video cur scienti is non sit permittendus. At cur omnia in charitate? quia ex ea oritur vnio cum Deo, & ex ea omnia haurimus; ideò in charitate fundata à charitate nomen recipiunt, & robur.



CAPVT XIV.



1 *ECTAMINI charitatem, æmulamini spiritalia:*
2 *magis autèm vt prophetetis.* * *Qui enim loquitur lingua,*
non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit. Spi-
3 *ritu autèm loquitur mysteria.* * *Nàm qui prophetat, ho-*
minibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, &
4 *consolationem.* * *Qui loquitur lingua, semetipsum ædifi-*
5 *cat: qui autèm prophetat, Ecclesiam Dei ædificat.* * *Vo-*
lo autem omnes vos loqui linguis: magis autèm prophetare. Nàm maior est qui
prophe-

prophetat, quàm qui loquitur linguis: nisi fortè interpretetur vt Ecclesiã ædifi-
6 cationem accipiat. * Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens:
quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in
7 prophetia, aut in doctrina? * Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, siue ti-
bia, siue cithara: nisi distinctionem sonituum dederint, quomodò scietur id, quod
8 canitur, aut quod citharizatur? * Etenim si incertam vocem det tuba, quis pa-
9 rabit se ad bellum? * Ità & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederi-
10 tis: quomodò scietur id, quod dicitur? eritis enim in aera loquentes. * Tàm mul-
ta, vtputa genera linguarum sunt in hoc mundo: & nihil sine voce est. * Si er-
11 gò nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi
12 barbarus: * Sic & vos, quoniàm æmulatores estis spirituum, ad ædificationem
13 Ecclesiæ quærite vt abundetis. * Et ideò qui loquitur lingua: oret vt interpre-
14 tetur. * Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.
15 * Quid ergò est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam &
16 mente. * Cæterum si benedixeris spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodò dicet,
17 Amen, super tuam benedictionem? quoniàm quid dicas, nescit, * nàm tu qui-
18 dèm benè gratias agis: sed alter non ædificatur. * Gratias ago Deo meo, quòd om-
19 nium vestrum lingua loquor. * Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo
20 loqui, vt & alios instruam: quàm decem millia verborum in lingua. * Fratres,
nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus autèm perfecti esto-
21 te: * In lege scriptum est: Quoniam in alijs linguis & labijs alijs loquar populo
22 huic: & nec sic exaudient me, dicit Dominus. * Itaque linguæ in signum sunt
23 non fidelibus, sed infidelibus: prophetiæ autèm non infidelibus, sed fidelibus. * Si
ergò conueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent
24 autèm idiotæ, aut infideles: nonnè dicent quòd insanitis? * Si autèm omnes
prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diju-
25 dicatur ab omnibus: * occulta cordis eius manifesta fiunt: & ità cadens in fa-
26 ciem adorabit Deum, pronuncians quòd verè Deus in vobis sit. * Quid ergò
est, fratres? cum conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet, doctri-
nam habet, Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: om-
27 nia ad ædificationem fiant. * Siue lingua quis loquitur, secundùm duos, aut vt
28 multum tres, & per partes, & vnus interpretetur. * Si autèm non fuerit in-
29 terpres, taceat in Ecclesia, sibi autèm loquatur, & Deo. * Prophetæ autèm duo,
30 aut tres dicant, & cæteri dijudicent. * Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior
31 taceat. * Potestis enim omnes per singulos prophetare: vt omnes discant, &
32 omnes exhortentur: * & spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt. * Non enim
33 est dissensionis Deus, sed pacis: sicùt & in omnibus Ecclesijs sanctorum doceo.
34 * Mulieres in Ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas
35 esse, sicùt & lex dicit. * Si quid autèm volunt discere, domi viros suos in-
36 terrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. * An à vobis verbum
Dei processit? aut in vos solos peruenit? * Si quis videtur propheta esse, aut spiri-
tualis,

38 *tualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* * *Si quis au-*
39 *tèm ignorat, ignorabitur.* * *Itaquè fratres æmulamini prophetare: & loqui lin-*
40 *guis nolite prohibere.* * *Omnia autèm honestè, & secundùm ordinem fiant.*




ECTAMINI, &c. Quærit Apostolus in hoc cap. trahere illos ad amorē proximi, dum eos ad prophetiam hortatur: Solemus enim diligere ea, in quibus insudamus, & consequentèr intendit Euangeliū dilatari; ideoquè id magìs expetendū, quàm loqui linguis docet, & monet, & similitèr quærit operarios, seruans dictum Domini: messis quidèm multa, operarij autē pauci, rogate Dominū messis, vt mittat operarios in vineam suam. *Sectamini charitatem* à me adeò commendatam, *æmulamini spiritalia*, Spiritus sancti charismata: *magìs autèm vt prophetetis*, interpretemini; non hìc de scientia futurorum: ad quid enim hoc? non de Psalmo: psallentes enim dicuntur prophetare. 1. Reg. 19. 20. vsquè in finem; nàm excluditur ex sequentibus. *Qui enim loquitur lingua* (id fortè Corinthij magìs expetebant, quàm prophetare) *non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim* hominum *audit*, intelligit. *spiritu autèm* affectu cordis, vel ex Spiritu sancto *loquitur mysteria*, occulta, quæ similitèr nemo intelligit. *nàm qui prophetat*, at qui quod dicit, explicat, *hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem:* consolamur enim ex Scripturis, vt in Machabæis, & per consolationem Scripturarum spem habemus, exhortamur, & ædificamur. 2. Petr. 1. 19. & habemus propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ in caliginoso loco donèc dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris, hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, &c. maior ergò fructus erat in hac interpretatione. *Qui loquitur lingua, semetipsum* solum *ædificat*, ad commodum proprium tendit: *qui autèm prophetat*, interpretatur, *Ecclesiam Dei ædificat*, congregationem fidelium instruit. *Volo autèm omnes vos* orantes *loqui linguis*, hoc non improbo: *magìs autem prophetare*, declarare. *Nàm maior est qui prophetat*, (eccè cur desideret hoc magìs) interpretatur, *quam qui loquitur linguis*, habet varietatem linguarum; *nisi fortè* & simùl is *interpretetur, vt Ecclesia*, congregatio *ædificationem accipiat. Nùnc autèm, fratres, si venero ad vos* (exemplo suo vult eos moueri) *linguis* varijs *loquens: quid vobis prodero, nisi vobis loquar? aut in reuelatione* arcanorum, *aut in scientia* Scripturas sacras explicando, *aut in prophetia* futurorum, *aut in doctrina* docēdo mores, & quæ ad salutem? *Tamèn quæ sinè anima*, spiritu *sunt vocem dantia, siuè tibia, siuè cythara: nisi distinctionem sonituum dederint, quomodò scietur id, quod canitur, aut citharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba*, dum Dux vult bellum inire, *quis parabit se ad bellum? Ità & vos per linguam nisi manifestum*, intelligibilem auditoribus *sermonē dederitis: quomodò scietur* ab illis *id, quod dicitur? eritis enim in aera* ventosè *loquentes*. quærit his exemplis eos auertere à locutione linguarum inutili respectu fratrum. *Tàm multa, vt puta genera linguarum*, vocum *sunt in hoc mundo: & nihil sinè voce est. Si ergò nesciero virtutem vocis*, nam scientiam vocis solus habet hoc, quod continet omnia, *ero ei, cui loquar, barbarus*, extraneus, longè habitans; sic Deus de populo adducendo contrà Israel præuaricantem, cuius linguam non intelligeret, & is Romanus: & ad Aegyptiaco. Psal. 113. *Et qui loquitur* similitèr linguis, *mihi* non intelligenti *barbarus*, non ergò hæc expetenda, vel facienda: *Sic & vos, quoniàm æmulatores estis spirituum*, charismatū, *ad ædificationem Ecclesiæ quærite vt abundetis* illis, quæ prosunt proximo, præsertìm prophetia magìs, quàm lingua. *Et ideò qui loquitur lingua: oret*, precetur Deum *vt & interpretetur*, vt hoc sibi addatur, quod est maius. *Nàm si orem lin-*

gua,

gua, *ſpiritus meus*, quo ducor, *orat*, *mens autèm mea*, intellectus meus *ſinè fructu eſt*, non percipiens quod loquor; de ſe, ſeù eadem perſona, quam induit, non de alijs loquitur; ideò dicit, *mens mea*, non alij, & quomodò dicere poſſemus, *mens mea ſinè fructu eſt*, referendo hæc ad alios? & ad quid mentis mentio ſi ad alios? non enìm eſſet propria locutio, ſufficiebat dicere, *ſinè fructu*, non ad mentem referre; vndè ad mentem referendo de ſe, ſeù eadem perſona loquitur, & vult probare nec ſibimet prodeſſe lingua loquens; & hic intellectus corroboratur ex ſequentibus, quæ ad perſonam eandem ſpectant, non ad alios. Nàm poterat dicere quiſquam, *Quid ergò eſt?* quid tandèm hoc, vt orandum mihi ſit, vt poſſim etiàm interpretari? Vtrumque faciam, *orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente*, & in vtroque reficiar, & cum fructu ero. Hinc Paulus, vt oſtendat id non ſufficere, ſubdit: *Cæterum ſi benedixeris*, gratias egeris Deo *ſpiritu* (eſto, quòd tu mente tua, ſeù intellectu capias) nec interpreteris, ſi ab alijs non intelligeris: *qui ſupplet locum idiotæ, quomodò dicit, Amen ſupèr tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit. Nàm tu quidèm benè gratias agis*, benè facis: *ſed alter non ædificatur*; ideò & interpretari debes, & ſic conſtat Paulum in illis verbis loqui de eademmet perſona, non de alijs, proùt & ſuprà verſ. 2. & 3. Nec dicas, ſequentia verba, *orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente*, quòad mentem referri ad populum, ſeù alios edocendos, ſeù ad interpretationem; nàm primò obſtat id, quod diximus. Secundò, non cohæret cum ſequentibus, in quibus Apoſtolus docet, nec ſic ſatisfieri: ſi enìm ſufficeret orare ſpiritu, & mente, non ſubijceret, *Cæterum ſi benedixeris, &c.* Eſt autèm clarum, eos, qui linguis tantùm vtebantur, non intellexiſſe quid dicerent, quia ſi intellexiſſent, ſufficiebat Apoſtolo dicere, vt interpretarentur; cum autèm dicat, *vt orent*, vt poſſint interpretari, profectò declarat eos inhabiles, & incapaces eorum, quæ linguis loquebantur, & hæc eſt differentia prophetæ, & linguæ loquentis, vt primus intelligat, (hìnc Dan. 10. intelligentia enìm eſt opus in viſione) ſecundus nò, quod & ex ſequentibus manifeſtum redditur, & ex ſuperioribus verſ. 11. *Si ergò neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus. Sic & vos, quoniàm æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite vt abundetis*, & verſ. 28. *Si autèm non fuerit interpres, taceat in Eccleſia:* ſi enìm ipſe intelligeret, id non diceretur: *Qui ſupplet locum idiotæ* populi, plebis, ſub vno omnes, & is erat miniſter, aliòquin quomodò ſuppleret locum idiotæ? non ergò vnus ex idiotis, quia verba excludunt idiotas, in quorum locum alius ſubrogatus, & ſic dicendum ex verbo, *ſupplet*; ſi autèm dicendum, *ſupplet*, pro, implet, ſecùs. *Gratias ago Deo meo, quòd omnium veſtrum lingua loquor*, ideſt, ſcio varietatem linguarum, proùt vos, non dicit ſuprà vos, ne ægrè ferant; vndè poſſem & ego varijs linguis eloqui tempus terens; vel *quòd omnium veſtrum lingua loquor*, proùt vos loquimini, iuxtà loquelam Corinthiorum, vt poſſim vobis euangelizare quod mihi quòad vos inſtruendos ſufficit. *Sed* ideò *in Eccleſia* publicè *volo quinque verba*, pauca *ſenſu meo*, ad guſtum meum, iuxtà meam mentem interpretando *loqui* potiùs, *vt & alios inſtruam*, & ſic ad profectum aliorum, & non otiosè: *quàm decem millia verborum in lingua*, in linguarum varietate in vanum proferre. *Fratres, nolite pueri effici ſenſibus*, in his quæ non referunt, non ædificant, in guſtu veſtro tantùm, volentes linguis varijs loqui, & non intelligere quantum præſtet prophetia linguæ, *ſed malitia paruuli eſtote*, vt non peccetis ſcientèr: *ſenſibus autèm perfecti eſtote*, in his verò, in quibus conuenit, nitimini progredi ad perfectionem, ad prophetiam, nolite hæc puerilia, ſeù parua ſectari. *In lege ſcriptum eſt: Quoniàm in alijs linguis & labijs alijs loquar populo huic: & nec ſic exaudient me, dicit Dominus:* quaſi dicat, linguas ſolas non operari conuerſionem, & fructum in fidelibus, proùt tùnc erant Hebræi. Hinc ſubdit: *Itaquè linguæ in ſignum ſunt*, in demonſtrationem veritatis *non fidelibus*, cum non profuerint Hebræis, *ſed infidelibus:* ſed gentibus:

tibus: *prophetia autèm non infidelibus*, qui non capiebant illas, *sed fidelibus*, quibus instruebantur; Hinc infert, intèr vos fideles parùm proficient linguæ vestræ solæ, at prophetiæ multum. *Si ergò conueniat vniuersa Ecclesia* fidelium *in vnum* locum, *& omnes linguis* varijs *loquantur*, *intrent autèm idiotæ* nescientes loqui varijs linguis, *aut infideles* non intelligentes, *nonnè dicent quòd insanitis?* sic dictum Act. 2. ebrios illos. *Si autèm omnes prophetent*, interpretentur, *intret autèm quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus* hanc veram fidem, hanc solam amplectendam: *occulta cordis eius manifesta fiunt* ex sermone, quem audit, quia est penetrabilior omni gladio ancipiti, &c. vndè in prædicatione Ioannis, Petri, & Christi auditores, quid illis faciendum esset, interrogabant: *& ità cadens in faciem* præ compunctione, & veritatis agnitione *adorabit Deum* credens, *pronuncians quòd verè Deus in vobis sit*. *Quid ergò est, fratres?* quid vobis agendum? subdit: *cùm conuenitis* simùl, *vnusquisque vestrum psalmum habet*, psallit, *doctrinam habet*, docet, *Apocalypsim habet*, reuelationem habet, *linguam habet*, linguis varijs loquitur, *interpretationem habet* prophetiarum, scripturæ: *omnia ad ædificationem* communem Ecclesiæ *fiant*. *Siuè lingua quis loquitur* varia; at non multi hi, sed *secundùm duos, aut vt multum*, ad plus *tres* sint, *& per partes*, non simùl, sed separatìm, *& vnus interpretetur*, ne sit opus vanum. *Si autèm non fuerit interpres*, ne in vanum laboret, *taceat in Ecclesia, sibi autèm loquatur, & Deo* in silentio illo. *Prophetæ autèm duo, aut tres dicant*, non plures, ne fiat confusio, *cæteri* autèm prophetæ *dijudicent* quæ ab illis duobus, vel tribus explicantur, si illi aliquid ignorent, vel minùs dicant. *Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti*, auscultanti, *prior* dicens *taceat*; & sic non erunt nisi duo, aut tres prophetantes eodem tempore; ideò subdit: *Potestis enim omnes per singulos* singillatim *prophetare* ad vices: *vt omnes discant, & omnes exhortentur: & spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt*, possunt quo tempore velint prophetare, & abstinere, & ità concordes esse; ideò subdit: *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: sicùt & in omnibus Ecclesijs sanctorum*, fidelium *doceo*, vndè hoc non facio, vel dico vobis vanum, & peregrinum. *Mulieres in Ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicùt & lex dicit*, intellige siuè nuptæ, siuè virgines, quia ratio subiectionis, quam in vniuersum considerat Apostolus ex lege omnes capit, proùt alia. *Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia*, & quia subdit: *Si quid autèm volunt discere, domi viros suos interrogent*: verbum enim, *viros*, generale est ad quoslibet, imò maior verecundia in virginibus, quàm in nuptis requiritur. *An à vobis verbum Dei processit?* vt velitis iuxtà sensum vestrum illud mutare? *aut in vos solos peruenit?* vt non ab alijs formam possitis recipere? Dico vobis, *si quis videtur propheta esse*, posse prophetias, scripturam interpretari, *aut spiritualis*, aliqua gratia Spiritus sancti ornatus *cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata*, præcepta vera, quæ debet seruare, & non ex suo capite pratèr, vel contrà agere. Paulus se explicat quandò habet mandatum; sicùt quandò non habet mandatum, dicit: de virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autèm do. At quomodò cognoscentur talia? quia honesta, & decentia continent. *Si quis autèm ignorat*, nec vult recipere quæ iubeo, *ignorabitur*, quia qui vos spernit, me spernit. *Itaquè fratres æmulamini*, enitimini *prophetare*, explicare scripturas: *& loqui linguis nolite prohibere*; nàm non dico hoc malum. *Omnia autèm honestè, & secundùm ordinem fiant*, non cum schismate, aut dissidijs.






CAPVT XV.



1 OTVM autèm vobis facio, fratres, Euangelium,
quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & sta-
2 tis, * per quod & saluamini: qua ratione prædicauerim
3 vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. * Tradidi enìm
vobis in primis quod & accepi: quoniàm Christus mor-
4 tuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas: * &
quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundùm
5 Scripturas: * & quia visus est Cephæ, & pòst hoc vndecim: * Deindè visus
6 est plus quàm quingentis fratribus simùl: ex quibus multi manent vsquè adhùc,
7 quidam autèm dormierunt: * Deindè visus est Iacobo, deindè Apostolis omni-
8 bus: * Nouissimè autèm omnium tamquàm abortiuo, visus est & mihi. * Ego
9 enìm sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quo-
10 niàm persecutus sum Ecclesiam Dei. * Gratia autèm Dei sum id, quod sum,
& gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui:
11 non egò autèm, sed gratia Dei mecum: * Siuè enìm ego, siuè illi, sic prædi-
12 camus, & sic credidistis. * Si autèm Christus prædicatur quòd resurrexit à
mortuis, quomodò quidam dicunt in vobis, quoniàm resurrectio mortuorum non
13 est? * Si autèm resurrectio mortuorum non est: nequè Christus resurrexit.
14 * Si autèm Christus non resurrexit, inanis est ergò prædicatio nostra, inanis est
15 & fides vestra: * inuenimur autèm & falsi testes Dei: quoniàm testimonium
diximus aduersùs Deum quòd suscitauerit Christum, quem non suscitauit, si
16 mortui non resurgunt. * Nam si mortui non resurgunt, nequè Christus resurre-
17 xit. * Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhùc enìm
18 estis in peccatis vestris. * Ergò & qui dormierunt in Christo, perierunt. * Si
19 in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus
20 hominibus. * Nunc autèm Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium,
21 quoniàm quidèm per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.
22 * Et sicùt in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes viuificabun-
23 tur. * Vnusquisque autèm in suò ordine, primitiæ Christus: deindè ij, qui sunt
24 Christi, qui in aduentu eius crediderunt. * Deindè finis: cum tradiderit re-
gnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, &
25 virtutem. * Oportet autèm illum regnare donèc ponat omnes inimicos sub pedi-
26 bus eius. * Nouissima autèm inimica destruetur mors: Omnia enìm subiecit
27 sub pedibus eius. Cum autèm dicat: * Omnia subiecta sunt ei, sinè dubio præ-
28 tèr eum, qui subiecit ei omnia. * Cum autèm subiecta fuerint illi omnia: tùnc

& ipse

& ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia. ut sit Deus omnia in
29 *omnibus. * Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mor-*
30 *tui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis? * ut quid & nos pericli-*
31 *tamur omni hora? * Quotidiè morior per vestram gloriam, fratres, quam ha-*
32 *beo in Christo Iesu Domino nostro. * Si (secundùm hominem) ad bestias pu-*
gnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bi-
33 *bamus, cràs enìm moriemur. * Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos collo-*
34 *quia mala. * Euigilate iusti, & nolite peccare: ignorantiam enìm Dei qui-*
35 *dam habent, ad reuerentiam vobis loquor. * Sed dicet aliquis: Quomodò re-*
36 *surgunt mortui? qualive corpore venient? * Insipiens, tu quod seminas non vi-*
37 *uificatur, nisi priùs moriatur. * Et quod seminas, non corpus, quod futurum*
38 *est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicuius cæterorum.*
39 ** Deus autèm dat illi corpus sicùt vult: & vnicuique seminum proprium cor-*
*pus. * Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidèm hominum, alia verò pe-*
40 *corum, alia volucrum, alia autèm piscium. * Et corpora cælestia, & corpora*
41 *terrestria: sed alia quidem cælestium gloria, alia autèm terrestrium: * Alia cla-*
ritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enìm à stella
42 *differt in claritate: * sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione,*
43 *surget in incorruptione. * Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Semina-*
44 *tur in infirmitate, surget in virtute: * Seminatur corpus animale, surget cor-*
45 *pus spiritale. Si est corpus animale, est & spiritale, sicùt scriptum est: * Fa-*
ctus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiri-
46 *tum viuificantem. * Sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale: dein-*
47 *dè quod spiritale. * Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo,*
48 *cælestis. * Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes.*
49 ** Igitur, sicùt portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.*
50 ** Hoc autèm dico, fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non pos-*
51 *sunt: nequè corruptio incorruptelam possidebit. * Eccè mysterium vobis dico:*
52 *omnes quidèm resurgemus, sed non omnes immutabimur. * In momento, in*
ictu oculi, in nouissima tuba: canet enìm tuba, & mortui resurgent incorrupti:
53 *& nos immutabimur. * Oportet enìm corruptibile hoc induere incorruptionem:*
54 *& mortale hoc induere immortalitatem. * Cum autèm mortale hoc induerit im-*
55 *mortalitatem, tùnc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria.*
56 ** Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? * Stimulus autèm*
57 *mortis peccatum est: virtus verò peccati lex. * Deo autèm gratias, qui dedit*
58 *nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. * Itaquè fratres mei*
dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in opere Domini sempèr, scien-
tes quòd labor vester non est inanis in Domino.

OTVM *autem vobis facio, fratres, Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis* credentes, *in quo & statis* firmi, *per quod & saluamini*, imò ex nullo alio salus, cum in eo prædicetur Christus; *qua ratione*, modo *prædicauerim vobis, si tenetis* illud ad salutem, *nisi frustrà credidistis*, deindè epilogat Euangelium, quod eis prædicauit. *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi* mihi reuelatum à Christo: *quoniàm Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas, & quia sepultus est* ad mortis certitudinem; *& quia resurrexit tertia die secundùm Scripturas:* impossibile enim erat eum teneri doloribus inferni. Act. 2. 24. *secundùm Scripturas*. addit hoc morti, & resurrectioni, vt magis confirmet dogmata, proùt Christus faciebat in his duobus. Luc. 24. 25. 26. 46. & nil vltrà quærendum; vel vt emolliret dogmata, non quia respiceret aliquem ex Sadducæis negantibus resurrectionem, quia si id respexisset, ad solam resurrectionem illam apposuisset, non ad mortem primùm: *Et quia sepultus est;* hoc ponit ad obstruendum os aliquorum dicentium vbi fuit tempore intermedio? & vt vera mors ostenderetur iuxtà Euangelia, quibus nil noui additur: *Et quia visus est Cephæ* pòst resurrectionem; hoc principale apparuisse Simoni. Luc. 24. 34. etsi non narretur quomodò, vel vbi, & certè non videtur fuisse quādò iuit vnà cum Ioanne ad monumentum. Io. 20. quia ibi tùnc Ioannes adstruit fidem resurrectionis ex visione linteaminum, & & sudarij, non Christi; sed tenendum primò apparuisse Cephæ, quia nimis vrget distinctio Pauli, *& quia visus est Cephæ: Et pòst hoc vndecim*, & dictum Luc. 24. 34. At commentum redditur quòd in Euangelio Nazareorum recitatur, quia iuxtà hæc dicta Pauli nō apparuit prima die Iacobo, sed pòst aliquot dies, cum præponat apparitionem vndecim, & plusquàm quingentis fratribus, *& pòst hoc vndecim* congregatis: *Deindè visus est plusquàm quingentis fratribus simùl* in monte Galilææ, vti ille præscripserat: hæc enim fuit necessariò, quia adeò illustris, & generalis apparitio si diuersa fuisset ab illa, non fuisset omissa: *ex quibus multi manent vsquè adhùc*, viuunt, *quidam autem dormierunt*, mortui sunt. Et dic, *visus est plusquàm quingentis fratribus simùl*, nō in aere, sed in terra, in qua aliæ, ne detur in his difformitas, & differentia: in aere enim quandò ascendit tantùm; nàm dum hic per quadraginta dies mansit, dicit Lucas: apparēs, loquens, conuescens, non in aere se exhibens, sed tùnc tantùm videntibus illis assumptus est; & quamuis essent hi quingenti ex mora sufficienti omnes potuerunt illum in terra videre, & alloqui: ideò enim apparebat, vt videretur, & contrectaretur. 1. Io. 1. Nec tùnc dum adhuc hìc moraturus, erat tempus faciendi fidem assumptionis futuræ, quia illa clara fuit, & testificatione Angelorum comprobata; nequè potuit esse hæc apparitio eodem die, quo surrexit, quia priùs congregandi Apostoli in Galilæa, & monte, fama diuulganda, & prima die Ierosolymis erant, vbi factæ apparitiones, & eadem die non potuerunt esse in Galilæa. *Deindè visus est Iacobo*, de hoc nullibì in Euangelijs. Sed an ratione personæ, quæ tùnc magni æstimabatur. Act. 15. 13. & Gal. 1. 19. & 2. 9. hæc mentio specialis facta, etsi comprehendatur cum vndecim? nàm non credendum hanc, si esset de per se, omissam ab Euangelistis, qui omnes descripserunt ab Apostolo enumeratas, & quia si iuxtà ordinem Apostoli primò apparuit vndecim, & plusquàm quingentis, quibuscum & Iacobus, potest credi potiùs hanc cum illis confundi, quàm de per se stare: Petro enim antè vndecim apparuit, ideò sua non confunditur; at quia Apostolus specificè agit de Iacobo, & illi credendum, dicendum est apparitionem particularem Iacobo factam, præsertim quia subdit, *deinde Apostolis omnibus*, & Euangelistæ non scripserunt omnia. Matthiæ verò non est necesse adstruere Dominum pòst Ascensionem apparuisse, proùt Paulo, quia de tanta re fieret mentio, & Matthiam interfuisse omnibus,

bus, de quibus testari debuerat, expresse habetur. Act. 1. ità vt non sit locus dubitationi, cum vn talis eligatur. *deinde Apostolis omnibus* iterum; nàm per quadraginta dies pluriès se exhibuit. Act. 1. vel & alijs vltrà vndecim. *Nouissimè autèm omnium tanquàm abortiuo, visus est & mihi* imperfectiori ex his, quæ prosequitur, apparitio autèm hęc Paulo facta ea fuit, vt Paulus illū verè viderit, proùt habetur Act. 9. vbi dixi: sicutì enìm alij hìc enumerati illum verè viderunt, sic ipse, qui intèr illos se connumerat; & si Christus voluit Paulum esse testem suum, quomodò esset, si non vidisset eum à mortuis excitatum, quod erat principale in prædicatione? & clarè etiàm dixit suprà cap. 9. nonnè Christum Iesum Dominum vidi? *Ego enìm sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus* ex me, *quoniā persecutus sum Ecclesiam Dei*. Act. 9. *Gratia autem Dei sum id, quod sum,* adhùc stat in humilitate, *& gratia eius in me vacua*, vana *non fuit*, vt nihil efficerem, *sed abundantiùs*, plùs *illis* omnibus *laboraui*; non dicit, gentes multas conuerti: *non ego autèm* solus, *sed gratia Dei mecum*, sinè qua nihil poteram; at prædicatio illorum Apostolorum, & mea est vniformis: *Siuè enim ego, siuè illi: sic prædicamus*, Christum crucifixum resurrexisse, apparuisse: *& sic credidistis. Si autèm Christus*, qui est caput, *prædicatur*, & probatur, vt suprà, *quòd resurrexit à mortuis, quomodò quidam dicunt in vobis, quoniàm resurrectio mortuorum non est?* generalis aliorum hominum, qui sunt eius membra? hic est scopus Apostoli, quem prosequitur. *Si autèm resurrectio mortuorum non est* generalis membrorum, omnium hominum: *neque Christus* caput *resurrexit*: ad quid enìm ipse solus? cur ipse hoc magis indiguit, quàm alij? *Si autèm Christus non resurrexit, inanis est ergò prædicatio nostra* omnes resurrecturos, & tamèn gratiam dixi non fuisse vanam, *inanis est & fides vestra* resurrectionis vniuersalis imò omnia falsa: *inuenimur autèm & falsi testes Dei*, qui nos Apostolos in tales elegit: *quoniàm testimonium diximus aduersùs Deum quòd* potentia sua *suscitauerit Christum*, *quem non suscitauit, si mortui cæteri non resurgunt*; si resurrectio generalis mortuorum non datur. *Nàm si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit*, quia & ille mortuus verè. *Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra*, qua illum resurrexisse creditis, *adhùc enìm estis in peccatis vestris*, quia si seipsum non liberauit à morte, quomodò potuit alios à peccatis liberare? *Ergò & qui dormierūt*, mortui sunt *in Christo* credentes, *perierunt* æternalitèr, quod dici non potest. *Si in hac vita tantùm in Christo sperātes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, quia hic patiemur, quod infideles non faciunt, si non datur resurrectio, & si perimus, proùt iàm mortui. *Nùnc autèm* (reassumit dogma verum, & probat) *Christus resurrexit à mortuis* ad vitam immortalem, non ampliùs moriturus *primitiæ dormientium*, quia primogenitus mortuorum, primus ad vitam æternam: ipse enìm ordine præcedere debuit, vt infrà prosequitur: Si Christus primitiæ, ergò alij subsequi debent, aliòqui quomodò primitiæ Christus, si alij non subsequuntur? Verbum autèm, *primitiæ*, non potest verificari nisi in Christo, tùm ex verbis, *primitiæ dormientium*, referentibus Christum solum, non alium, quod & infrà vers. 23. *primitiæ Christus*, ordinem resurrectionis referens, tùm quia non possunt applicari ad alium, quia si alius primitiæ, seù primus, non erit primus Christus; nàm dicitur primus, quem nemo antecedit. Nec dicas referenda ad iustos, tùm quia obstant prædicta, tùm quia subsequitur de iustis, *deindè ij, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt*, qui illum receperunt, quibus data potestas filios Dei fieri. Nec dicas, loquitur de futuro, & iàm Christus resurrexerat, ergò non intelligit de Christo; nàm se declarauit Apostolus loqui de Christo iàm excitato, dicens: *Nùnc autèm Christus resurrexit*, & refert ordinem resurrectionis mortuorum comprehendens omne tempus tàm præteritum in Christo, quàm futurum in alijs; *quoniàm quidèm per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*, vt mors inducta per primū tollatur per secundum subrogantem resurrectionem, aliòqui non esset sublatum primum malum penitùs ab homine, quod clariùs

riùs explicat. *Et ficùt in Adam omnes moriuntur* ob peccatum, *ità & in Christo* restauratore, & redemptore *omnes* fiuè boni, fiuè mali *viuificabuntur*, excitabuntur, aliòquin quæ fuiffet reftauratio, feù redemptio? & à Chrifto nonnè meliora expectanda, quàm mala ab Adam? vide cap. 5. ad Rom. *Vnusquisque autèm in suo ordine, primitiæ Christus*; Ne opponeretur ei, fi viuificabuntur omnes, id erit fuo tempore vniuerfalis refurrectionis, non ergò adhùc Chriftus refurrexit; ideò dicit: *Vnusquisque in suo ordine* refurget: Chriftus quidèm, quia primitiæ dormientium iàm furrexit, & præceffit, vt expectaremus reformari in corpore noftro ad fimilitudinē corporis claritatis fuæ: impoffibile enim erat eum teneri doloribus inferni, inferens ad hanc præuentionem Petrus: & non dabis Sanctum tuum videre corruptionem; ideò benè præmifit, *secundùm Scripturas; deindè ij, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt*, crediderunt eum veniffe: qui enim negant eum veniffe funt Antichrifti. 1. Io. 2. 22. & 4. 3. Non ergò dicas, *in suo ordine*, ideft, iuxtà cuiufque merita, Martyris, Apoftoli, &c. agit enìm hic tantùm de tempore.

At cur in hac phrafi non meminit malorum refurgendorum? quia de ijs præmiferat in vniuerfum vnà cum bonis, *quoniàm quidèm per hominem mors, &c. Et ficut in Adam omnes moriuntur, ità & omnes viuificabuntur*; hìc verò de folis bonis, vel quia quòad hos erat maius dubium, vt non deberent fic remanere, fed vnà cum corpore ad beatitudinem illicò deferri fimùl cum Chrifto fruituri, ni mirum, fi de his folis, non de reis, in quibus minus dubium verfabatur; propterea ad bonos etiàm à principio excludendos fupponit ordinem, quem non licet peruertere, iuxtà quem & ipfi vnà cum malis ad refurrectionē vniuerfalem, de qua dixerat, & de qua fubdit: *Omnes quidèm resurgemus* referuati in finem, & propterea dicitur vniuerfalis refurrectio, non particularis; Vel quia Scriptura parùm curat malos damnandos, quorum nec nomina fcribit, at bonos æftimat; hìnc non procedit opinio tenentium, quòd verbum, *primitiæ*, referatur ad folos iuftos, non ad reos, vel quòd iufti præuenturi reos in refurrectione, tùm quia verbum, *primitiæ*, ad folum Chriftum refertur, vt dixi, tùm quia debemus attendere refurrectionem omnium puram, & fimplicem, & vniuerfalem, quæ in momento fiet, non ad alia diuertere, vel diftinguere; nàm *primitiæ Christus* quòad omnes hac carne induendos, & excitandos, fiuè bonorū in refurrectionem vitæ, fiuè malorum in refurrectionem Iudicij. Nàm *omnes quidèm resurgemus, sed non omnes immutabimur*: agit enim hìc de vniuerfali refurrectione, non de fola ad vitam beatam, ficùt de morte corporali ex Adam; & concordat. 1. Thef. 4. fi rectè intelligatur, vt ibi dicam. *Deindè finis*: nihil enim fupererit faciendum refurrectione vniuerfali facta, & iudicio perfecto, & tùnc erit, *cum tradiderit regnum* non diminutum, non per partes, fed integrum, quod fieri non poteft nifi refurrectione vniuerfali tàm bonorū, quàm malorum fecuta; hìnc collige non poffe dari præuentionem in refurrectione bonorum refpectu malorum, quia erit vnica in ictu oculi, in nouiffima tuba: ad quid enìm hæc præuentio, fi illicò omnes antè Iudicem fiftendi recepturi proùt quifque geffit in corpore fiuè bonum, fiuè malum? & ibì fienda feparatio, oues à dextris, hœdi à finiftris? Si *finis*, ergò renouatio etiàm creaturarum omnium fiet antè iudicium, *cùm tradiderit regnum Deo, & Patri*, vti homo: de homine enim intelligit, & de eodem infrà, *& ipse filius* vti homo *subiectus erit ei*, Deo, quia sempèr creatura quòad naturam humanam: & traditio non conuenit vti Deo, fed vti homini: quà enim homo lucratus eft regnū; humiliauit, &c. proptèr quod Deus exaltauit, &c. Data eft mihi omnis poteftas, &c. poftula à me, & dabo, &c. non quà Deus. Non placet autèm diftinctio, *Deo* vti homo: *Patri* vti Deus, quia in omnibus vti homo; fubdit, quandò hoc erit? *Cùm euacuauerit*, deftruxerit, vana reddiderit, peffumdederit *omnem principatum, & potestatem, & virtutem*, malignos fpiritus, dæmones: ad hos enim debellandos tyrannos generis humani venit; nùnc iudicium eft mundi, nùnc princeps huius mundi eijcietur foràs ligatus in inferno vfquè ad dies

Anti-

Antichristi, tùnc in nouam aciem prodituris, includendus posteà in baratrum infernale sempiternum cum Antichristo, & propheta. Apoc. 20. 7. & hæ sunt inimicitiæ illæ seminum antiquæ. Inimicitiás ponam, &c. Gen. 3. & nihil hic de Angelis bonis, quibus nil aptatur, cùm agatur de aduersarijs, quibuscum bellum; non est nobis colluctatio, &c. *Oportet autèm illum regnare* (retrocedit) regnare debellando has contrarias potestates, antequàm regnum Patri tradat integrum, eò vsquè *donec ponat omnes* hos *inimicos* suos *sub pedibus eius* victos, & debellatos, vt Apoc. 12. 10. & cap. 18. & 19. regnat autèm sempèr, quia sempèr vincit; vicit in tentatione, vicit eijciendo, vicit in Cruce; confidite, ego vici mundum, qui sub tyrannide detinebatur. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra consignanda Patri in fine, vt suprà: tunc enim cessabit administratio illius quà homo, sed Deus erit omnia in omnibus, vt & Eph. 1. in fin. Non dicas, *donec ponat inimicos omnes sub pedibus eius*, non ipse, sed Deus Pater, quia contradiceret sibi Apostolus volens regnum tradi à Christo Patri: non enim diceretur illud tradere, si Deus, non ille quà homo illud euicisset, & si subiecit ei omnia Pater, id vti homini, & iuxtà suam præordinationem. Eph. 1. 22. vndè etiàm dixit: & adorent eum omnes Angeli Dei; at ipse quà homo ad perfectionem hæc deduxit, vt hic per Apostolum. Similitèr non potest dici, *Oportet illum regnare* vtì Deus, quia vtì Deus sempèr regnauit, & in hoc nihil noui; at loquitur de homine, & sic non est recurrendum ad saluationem verbi, *donec*: sermo enim est temporalis, & verbum, *donec*, potest accipi propriè, & ideò regno Patri tradito non administrabit quà homo, quia non erit quod administret quà talis, proùt nùnc in regno Ecclesiæ militantis, quæ tunc erit triumphans, sed erit Deus omnia in omnibus. Vel, *Oportet illum regnare*, in regno cælesti esse, non ampliùs hominibus appariturus, *donec ponat inimicos suos*, tunc cùm ad iudicium veniet; sic Act. 3. quem oportet quidèm cælum suscipere vsquè in tempora restitutionis omnium, &c. *Nouissima autèm inimica*, quæ genus humanum, & illum aggressa est, *destruetur mors*, quia mors vltrà non erit nequè luctus, nequè clamor, nequè dolor erit vltrà, quia prima abierunt, & noua omnia. Apoc. 21. 4. hæc vltima, quia vltima generalis resurrectio, ex qua destructio mortis, quæ ampliùs regnare non poterit, vt intra vers. 54. Non dicas; *mors*, idest, diabolus; nàm hæc distincta à diabolo. Apoc. 6. 8. Prætereà iàm præmisit de diabolo, & mors vltima, non diabolus, qui in resurrectione iàm erit victus, & clarum est ex vers. 54. *Absorpta est mors in victoria, &c.* At quomodò hoc? *omnia enim subiecit* Deus *sub pedibus eius* vtì hominis. Ephes. 1. 22. ideò non est supèr his ambigendum: omnia enim quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra; proptèr quod & Deus exaltauit illum, &c. *Cum autèm dicat: omnia subiecta sunt ei, sinè dubio pratèr eum, qui subiecit ei omnia:* persona enim concedentis intelligitur excepta, & quia scriptum est, gloriam meam alteri non dabo. At ex hoc vult inferre etiam ipsum subiectum esse Deo quà homo; ideò hæc priùs adstruit; vndè dicit. *Cum autèm subiecta fuerint illi*, Christo *omnia*, & tradiderit regnum Deo, & Patri: *tunc & ipse Filius* quà homo caput regni, primogenitus mortuorum, *subiectus erit ei*, Deo, *qui subiecit sibi omnia* nàm concedens maiorem auctoritatem, diuinam scilicèt, sibi reseruauit; vndè etsi sempèr quà homo fuit ei subiectus, Apostolus loquitur de hoc tempore, quo videbatur sibi supèr hæc posse dubitari, & vt posset concludere, quòd erit *Deus omnia in omnibus* etiàm quòad Christum vtì hominem; hìnc Act. 3. 20. dicitur mittendus à Domino ad iudicium, de quo latè dixi in Apocal. cap. 1. vndè non placet, quòd id dixerit ad latiorem subiectionem, excipiendo Patrem, quia latissimam illam exprimebant verba vniuersalia, & generalissima. *vt sit Deus omnia in omnibus:* & suprà, & tùnc laus, & gloria erit vnicuique à Deo pòst iudicium; sic Apocal. 21. 3. eccè tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus, & sic reddentur omnia, quæ sunt Dei, Deo. *Aliòquin quid facient qui baptizantur*

tur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis? Aliqui dicunt tùnc in vsu fuisse, vt baptizarentur viui pro mortuis, vt mortuis prodesset baptismus pro eis sumptus; at cum hoc sit somnium, & falsum, eo non vteretur Paulus, & non dimitteret incorrectum. Alij *pro mortuis*, idest, peccatis mortalibus, quæ animam occidunt; at nullibì hæc phrasis, *pro mortuis*, idest, pro peccatis, benè pro peccatis mortuorum. 2. Machab. 12. 43. & verba, *pro mortuis*, diuersam personam representant à baptizato, & de personis loquitur, dicendo: *si mortui non resurgunt, pro mortuis, vt quid pro illis & baptizantur?* Præter eà, si de baptismo intelligis, quomodò aptabis sumi, *pro mortuis*, idest, peccatis? sumitur enìm, vt consepeliamur cū Christo. Alij, *baptizantur pro mortuis*, idest, pro immundo mortuo apud Hebræos, ne immunditia ei noceret. Sed est commentum Paulum nùnc de traditionibus vanis Pharisæorum agere: Alij, *baptizantur pro mortuis*, idest, morti proximis, moribundis; at is intellectus præsupponit vnam tantùm personam, hìc duæ, nempè baptizatus, & pro alio: dicit enim, *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis?* vndè non potest stare. Vltrà quòd nequè tùnc erat in vsu tempore Pauli, nequè Paulus ab hoc abusu arguisset. Vndè verbum, *baptizantur*, hìc sumitur pro, affliguntur ieiunijs, disciplinis, peregrinationibus, & similibus, proùt baptismo habeo baptizari, & Marc. 10. baptismo, quo ego baptizor, baptizari? pro mortuis suffragio subleuandis: erat enim sermo de viuificandis, & suscitandis iàm mortuis; & sic habes existentiam purgatorij contrà impios hæreticos. Non obstat, baptismus ibì à Christo dictus significat vehementem passionem, de qua hìc non agitur; at sicùt concedo primum, ità tu diuinas secundū, imò Paulus vsus est hac phrasi ad comprehendēdas quascumque maiores afflictiones, & pœnitentias, quibus homines subdantur mortuis profuturas: quò enim maior passio pro illis, eò fortiùs argumentum Pauli ad resurrectionem stabiliendam, & dum de se loquitur, explicat easdem amaritudines maiores persistens in eodem themate; *vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidiè morior (pugnaui ad bestias)* vt dicam. Dicit autèm, *baptizantur*, non baptizant se ipsos, stans in proprietate verbi, & facti, seù similitudinis baptismi, seù à baptismo sumptæ, in quo alius ab alio baptizatur, nemo autèm se ipsum baptizat, cum distinctio debeat esse intèr baptizantem, & baptizatum, sicùt hìc non pro se ipsis, sed pro alijs baptizantur, idest, affliguntur; ideò subdit, *si mortui non resurgunt, vt quid pro illis & baptizantur?* Vrget autèm hìc intellectus pro resurrectione, quia si non est resurrectio, cur cura mortuorum? cur afflictio pro illis? & præsupponit hæc pro illis facientes resurrectionem attendere, quasi cum illis in regeneratione victuri, & fruituri; hincquè probantur suffragia pro defunctis clarissimè contrà hæreticos insensatos. *Vt quid & nos periclitamur omni hora?* si non datur resurrectio? alioquin *miserabiliores, &c.* suprà vers. 19. *periclitamur*, periclitor: de se enim loquitur; vndè subdit, *quotidiè morior*, & est vsitatum in Scriptura vti plurali pro singulari, vt dixi in Euangelijs. *Quotidiè morior per vestram gloriam, fratres*, proptèr vestram gloriam, quam vobis opto, & pro qua laboro vsquè ad mortem, seù vestram salutem in gloriam Christi redundantem; *quam habeo in Christo Iesu Domino nostro*, proptèr Iesum Christum Dominum nostrum, quem respicio, seù *per vestram gloriam*, quam capto ex prædicatione mea, de qua suprà cap. 9. 19. cum seqq. dicit, *habeo*, in parte comprehendens bonos, ne videretur nullam adhùc habere, & eos pudefaceret; hinc 2. Cor. 10. 15. spem autèm habentes crescētis fidei vestræ in vobis magni fieri, &c. & meliùs. 1. Cor. 1. 14. Vel *quam habeo* in spe per Iesum Christum Dominum nostrum. Vel, *morior*, patior vsquè ad mortem, vt possim gloriari vos lucratos esse, non per me, sed per Iesum Christum. Nec videtur aptari hìc iuramentum: dicere enim, *morior per vestram gloriam*, quid inferret? quam gloriam? fastum? videretur quid secundùm hominem, & præsēs seculum, quo dicimus per vitā tuam, &c. quod non quadrat, infrà more humano. *Si*

(secun-

(*secundùm hominem*, more hominum referentium acta eorum egregia) *ad bestias pugnaui Ephesi*, magnas tribulationes, difficultates, anxietates, passus sum Ephesi in seminando Euangelium Christi, quod patet. Act. 19. *quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* vanè, stultè hæc passus sum. vtitur hac phrasi Apostolus ad indicandas vno verbo amaritudines suas: quæ enim maior amaritudo, seù timor vitæ, quàm cum bestijs cominùs dimicare? innuitquè idem sibi contigisse Ephesi infrà cap. 16.9. dicens, aduersarij multi; vndè Apostolus capit totum tempus, quo permansit Ephesi vsquè dum scribit hanc epistolam ad Corinthios, non autèm se restringit ad vnicum actum, proùt nequè suprà, dum dixit, *periclitamur omni hora: quotidiè morior*; solet Apostolus vti his phrasibus, proùt liberatus sum ab ore leonis; sic, pugno non quasi aerem verberans; & 2. Cor. 5. foris pugnæ, intùs timores, & cap. 10. in carne ambulantes non secundùm carnem militamus; nàm arma militiæ nostræ, &c. & cap. 11.23. enumerat labores suos, & actus, intèr quos nulla pugna vera ad bestias, proùt nec loquens cum Ephesijs, & commemorans quæ passus erat. Act. 20. 19. & in simili sapiens loquens de afflicto dicit, si euadenti Leonem occurrat vrsus, & sic cessant diuersitates intellectuum vel quòd Lucas non scripserit, vel quòd Apostolus ad bestias pugnauerit, quod est inuerisimile: si enim sic pugnasset, fuissetne posteà dimissus in eodem loco? etenim pòst hanc epistolam ibi fuit, & infrà cap. 16. 8. dicitur: permanebo autèm Ephesi vsquè ad Pentecosten; sed vbì tùnc vsus bestiarum in Christianos? non ab Hebræis, qui nec poterant, nec his vtebantur; non à Gentilibus, à quibus nondum cœpta persecutio; at hæ diuersitates occurrerunt, quia ad vnicum actum hæc restricta. *Manducemus, & bibamus, cràs enim moriemur*, more hominum insanientium loquitur; sic diues ille. Luc. 12. 19. Sed ne ex hoc quis ad malum duceretur, illicò subdit. *Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Euigilate iusti, & nolite peccare*, vt penitùs id ab eorum animis euellat tanquàm improbum: *ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reuerentiam vobis loquor*, vos non tango, de vobis non intelligo, vos non comprehendo: reuereor enim vos; propterea etiàm ad eos non respeciens subdit. *Sed dicet aliquis*, ne videatur eos tangere. *Sed dicet aliquis: Quomodò resurgunt mortui? qualiue corpore venient?* respondet, & probat corpora resurgere eadem substantia, & numero; sic elementa transient remanente substantia, seù materia iuxtà aliquos. & Iob: quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. *Insipiens, tu quod seminas, non* priùs *viuificatur, nisi priùs moriatur*; sic & Christus vsus hac similitudine, Nisi granum frumenti cadens in terrā mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autèm mortuum fuerit, multum fructum affert. *& quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, vt puta tritici; aut alicuius ceterorum. Deus autèm dat illi* grano *corpus sicùt vult: & vnicuique seminum proprium corpus*: quasi, si hoc facit Deus in seminibus ad conseruandas species, quantò magìs in hominibus id faciendum? Non dat diuersitatem corporum seminibus, sed eandem speciem; sic. *Non omnis caro eadem caro*, ità vt quælibet caro accommodetur homini, sed dabitur propria; ideò dicit: *sed alia quidèm* caro *hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autèm piscium*, corpora verò bonorum erunt gloriosa; at non erit omnium eadem gloria, & claritas, sed diuersa; sic. *Et corpora cælestia, & corpora terrestria* sunt: *sed alia quidèm cælestium gloria, alia autèm terrestrium*; sic: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum*, imò *stella à stella differt in claritate*, in splendore, gloria: *sic* erit *& resurrectio mortuorum*, quia in his different corpora. At corpus *seminatur in corruptione*, corruptibile, *surget in incorruptione*, incorruptibile. *Seminatur in ignobilitate*, in humilitate, *surget in gloria*, gloriosum: *seminatur in infirmitate*, debile, *surget in virtute*, potentia, potens: *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*, à corpore ad spiritum transfiet, & ne putet quis ipsum iocari, quasi corpus non detur spiritale, ideò dicit: *Si est*

corpus


corpus animale, est & spiritale, sicùt scriptum est. Factus est primus homo Adam in animam viuentem: inspirauit enim Deus in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Gen. 2. 7. non ergò immortalis creatus, sed *nouissimus Adam in spiritum viuificantem*, At Christus factus est (verba enim illa & ad eum repetenda) nedum *in animam viuentem*, *sed in spiritum viuificantem*, qui morte sua nos viuificaret, & conresuscitaret, vel qui posset se viuificare. Alludit fortè ad spiritum, qui ferebatur supèr aquas. Gen. 1. 2. Christus enim potens viuificare seipsum, & alios. Pater suscitat, Filius viuificat; Ego sum resurrectio, & vita; sum via, veritas, & vita; in ipso vita erat. &c. Si is talis viuificans (vult inferre Paulus) ergò viuificabit mortalia corpora nostra. *Sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale: deindè quod spiritale*. poterat quis dicere: cur non à principio spiritale in primo Adamo, & alijs hominibus? respondet, priùs incipiendum fuit ab imperfecto, à terreno, ab animali, posteà procedendum ad spirituale, proùt factum fuit, & sic suprà dixerat: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale:* ideò iuxtà hunc ordinem, *primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis*. Sed nihilominùs nos possumus ad vtrunque horum accedere; At si ad primum terrenum, *Qualis terrenus, tales & terreni;* Si ad secundum cælestem: *qualis cælestis, tales & cælestes* erimus; *Igitur sicùt portauimus imaginem terreni*, quæ secundùm ordinem præcedere debuit, sic *portemus & imaginem cælestis* illum imitando, & sequendo, vt possimus cælestes effici, aliòquin frustrabimur, si permanserimus terreni. *Hoc autèm dico, fratres, quia caro, & sanguis,* terreni homines *regnum Dei possidere non possunt*, proùt *neque corruptio incorruptelam possidebit* quæ incorruptio facit nos proximos esse Deo Sap. 6. 20. *Eccè mysterium*, secretum, occultum *vobis dico: omnes quidem* homines *resurgemus, sed non omnes immutabimur* de terrenis in spirituales, quia iniqui cum eorum onere perseuerabunt; At quomodò? *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba,* in sono vltimo tubæ finientis, deficientis: *canet enim tuba;* vndè certum præsupponit cantum tubæ; ideò non potest ad alia trahi, & videtur meliùs intelligi de vltimo sono, cùm subdat: *canet enim tuba*, quasi non alteri, sed sibi loquatur; vel ad firmitatem maiorem dicti, & quia sociat præcedentibus, *in momento, in ictu oculi;* quàm de nouissima, idest, vltima antè iudicium, etsi talis vtroque modo futura, quia de vna tuba agit, non pluribus, & quia nihil referebat ad rem an sit vltima, ità vt alia non sequatur, cùm tamèn intenderet demonstrare velocitatem iudicii, *& mortui* omnes, siuè boni, siuè mali *resurgent incorrupti*, rei quidèm non mutati: *& nos*, iusti, omnes *immutabimur. Oportet enìm corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem*. hæc ratio tangit omnes bonos, & malos, sed primi ad gloriam, secundi ad iudicium, condemnationem. *Cùm autèm mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta* non ampliùs surrectura *est mors in victoria* de illa facta per resurrectionem corporum non ampliùs moriturorum. *Vbi est mors victoria tua?* qua solebas omnes petere? *vbi est mors stimulus tuus?* quo omnes deprimebantur? *Stimulus autèm mortis peccatum est: virtus verò* fomes, occasio *peccati lex:* tunc enìm *nouissima inimica destruetur mors* supià vers. 26. cessabit & stimulus mortis mortem efficiens, qui est peccatum à lege occasionalitèr vim, & fomentum sumens, *virtus verò peccati* non ampliùs *lex*, quia nulla lex erit: liberatio autèm horum à Deo, cui agendæ gratiæ. *Deo autèm gratias, qui dedit nobis victoriam*, vt ad vitam immortalem, & æternã surgamus *per Dominum nostrum Iesum Christum*, ne quis sibi id arrogaret. *Itaquè fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles* in fide, in præceptis: *abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino*, qui recognoscit etiàm datorem calicis aquæ frigidæ, & iuxtà opera quemque remunerat. Nescio quomodò hæc vniuersalia ad solos iustos restringẽda; nàm si iusti, stabiles, sin minùs, iusti fiant. loquitur de illis tamquàm iustis, ne contristet, non quòd credat omnes tales.


CA-



CAPVT XVI.

1 DE collectis autèm, quæ fiunt in sanctos, sicùt ordinaui
2 Ecclesijs Galatiæ, ità & vos facite. * Per vnam sab-
bati vnusquisquè vestrum apud se seponat, recondens
quod ei benè placuerit: vt non, cum venero, tùnc colle-
3 ctæ fiant. * Cum autem præsens fuero: quos probaueri-
tis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram
4 in Ierusalem. * Quòd si dignum fuerit vt & ego eam,
5 mecum ibunt. * Veniam autèm ad vos, cùm Macedo-
6 niam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo. * Apud vos autèm forsitàn
7 manebo, vel etiàm hiemabo: vt vos me deducatis quòcumque iero. * Nolo
enìm vos modò in transitu videre; spero enìm me aliquantulum temporis ma-
8 nere apud vos, si Dominus permiserit. * Permanebo autèm Ephesi vsquè ad
9 Pentecosten. * Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidens: & ad-
10 uersarij multi. * Si autèm venerit Timotheus, videte vt sinè timore sit apud
11 vos: opus enìm Domini operatur, sicùt & ego. * Nequis ergò illum spernat:
deducite autèm illum in pace, vt veniat ad me: expecto enim illum cum fra-
12 tribus. * De Apollo autèm fratre vobis notum facio, quoniàm multum rogaui
13 eum vt veniret ad vos cum fratribus: & vtiquè non fuit voluntas, vt nùnc
14 veniret: veniet autèm, cum ei vacuum fuerit. * Vigilate, state in fide, viri-
15 litèr agite, & confortamini. * omnia vestra in charitate fiant. * Obsecro au-
tèm vos fratres, nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniàm
16 sunt primitiæ Achaiæ, & in ministerium sanctorum ordinauerunt seipsos: * vt
17 & vos subditi sitis eiusmodi, & omni cooperanti, & laboranti. * Gaudeo au-
tèm in præsentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniàm id, quod vo-
18 bis deerat, ipsi suppleuerunt: * refecerunt enim & meum spiritum, & vestrum.
19 cognoscite ergò qui huiusmodi sunt. * Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant
vos in Domino multum, Aquila, & Priscilla, cum domestica sua Ecclesia:
20 apud quos & hospitor. * Salutant vos omnes fratres. Salutate inuicèm in oscu-
21 lo sancto. * Salutatio, mea manu Pauli. * Si quis non amat Dominum no-
22 strum Iesum Christum, sit anathema, Maran Atha. * Gratia Domini no-
23 stri Iesu Christi vobiscum. * Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Ie-
24 su. Amen.

E *collectis autèm, quæ fiunt in sanctos*, in Christianos, *sicùt ordinaui Ecclesijs Galatiæ ità & vos facite*: meminit Galatiæ vt exẽplo moueat. *Per vnam sabbati* diem, diem dominicam *vnusquisque vestrum apud se seponat*, quod in eleemosynam daturus est, *recondens quod ei benè placuerit*, vnusquisque prout destinauerit in corde suo; clara sunt verba. docet quomodò per eos faciendæ eleemosynæ, non quòd apud se retineant: esset enim contrà verba, quæ sequuntur: *vt non, cum venero, tùnc collectæ fiant*, & absurdum, vt quisque constitueretur arcarius eleemosynarum, & præsupponit eas collectas in suo aduentu. *Cùm autèm præsens fuero: quos probaueritis per Epistolas vestras, hos* ego *mittam perferre gratiam vestram*, eleemosynam *in Ierusalem*: ibì enim erant pauperes Christiani, qui proprijs se spoliauerant. *Quòd si dignum*, necesse, opportunum *fuerit vt & ego eam, mecum ibunt*. nolebat nisi ex necessitate se ingerere in pecuniarijs, neque vllo modo tangere, sed per alios hæc fieri. *Veniam autèm ad vos, &c.* hæc recitatio intentionis, & futurorum, ex qua nihil inferendum. *Permanebo autem Ephesi vsquè ad Pentecosten*, dicas Iudaicam, nàm & in Ierusalem eam celebrauit. Act.20. 21. nec dum enim in christianismo hæc iussa, & composita, & cœpta; & tùnc Paulus captus, & illinc ductus Romam. *Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidens*; sic & 2. Cor. 2. 12. *& aduersarij multi*; hinc pugna ad bestias. *Si autèm, &c.* hìc de Timotheo clarè. *De Apollo*. agit de illo, & hinc collige, quod sæpè dixi, nullas simultates intercessisse, neque Apostolum hunc carpere in hac Epistola. *Vigilate, state in fide* stabiles, *viriliter agite* in pugna contrà aduersarios, *& confortamini*, roboramini; sic Moyses. Deut. 31.6. *Omnia vestra in charitate fiãt:* dixit enim: Si linguis hominum loquar, &c. *Maran Atha*, Dominus venit pro nobis, quanto ergò amore dignus? Antichristi dicuntur à Ioanne, qui hoc negant; Cætera perspicua.




IN EPISTOLAM SECVNDAM AD CORINTHIOS

CAPVT PRIMVM.

1 PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei,
& Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi cum
2 omnibus sanctis, qui sunt in vniuersa Achaia. * Gra-
tia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Ie-
3 su Christo. * Benedictus Deus & Pater Domini nostri
Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius
4 consolationis, * qui consolatur nos in omni tribulatione
nostra: vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhor-
5 tationem, qua exhortamur & ipsi à Deo. * Quoniàm sicùt abundant passiones
6 Christi in nobis: ità & per Christum abundat consolatio nostra. * Siuè autèm
tribulamur pro vestra exhortatione & salute, siuè consolamur pro vestra con-
solatione, siuè exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tole-
7 rantiam earundem passionum, quas & nos patimur: * vt spes nostra firma sit
pro vobis: scientes quòd sicùt socij passionum estis, sic eritis & consolationis.
8 * Non enìm volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta in
Asia, quoniàm suprà modum grauati sumus suprà virtutem, ità vt tæderet
9 nos etiàm viuere. * Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt
10 non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos: * qui de tantis pe-
riculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus, quoniàm & adhùc eripiet,
11 * adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis: vt ex multorum personis, eius
12 quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. * Nàm gloria
nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis & sin-
ceritate Dei: & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus
13 in hoc mundo: abundantius autèm ad vos. * Non enìm alia scribimus vobis,
quàm quæ legistis, & cognouistis. Spero autèm quòd vsquè in finem cognosce-


14 *tis, * sicùt & cognouistis nos ex parte, quòd gloria vestra sumus, sicùt & vos*
15 *nostra, in die Domini Nostri Iesu Christi. * Et hac confidentia volui priùs ve-*
16 *nire ad vos, vt secundam gratiam haberetis: * & per vos transire in Mace-*
doniam, & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iu-
17 *dæam. * Cum ergò hoc voluissem, numquid leuitate vsus sum? Aut quæ cogi-*
18 *to, secundùm carnem cogito, vt sit apud me EST, & NON? * Fi-*
delis autèm Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo EST,
19 *& NON. * Dei enìm Filius Iesus Christus qui in vobis per nos prædicatus*
est, per me, & Siluanum, & Timotheum, non fuit EST, & NON,
20 *sed EST in illo fuit. * Quotquot enìm promissiones Dei sunt, in illo EST:*
21 *ideò & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram. * Qui autèm confirmat nos*
22 *vobiscum in Christo, & qui vinxit nos Deus: qui & signauit nos, & dedit*
23 *pignus Spiritus in cordibus nostris. * Ego autèm testem Deum inuoco in animam*
meam, quòd parcens vobis, non veni vltrà Corinthum: non quia dominamur
fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri: nàm fide statis.




AVLVS Apostolus Iesu Christi, à Iesu Christo designatus, *per voluntatem Dei*, Dei gratia, nullo meo merito, *& Timotheus frater*, *Ecclesiæ Dei*, *quæ est Corinthi cum omnibus Sanctis*, fidelibus, *qui sunt in vniuersa Achaia. Gratia vobis*, *& pax à Deo Patre nostro*, *& Domino Iesu Christo* sit. *Benedictus*, *&c.* Quia Corinthij ægrè tulerunt Apostolum ad eos non transmisisse tempore debito, volens eos retrahere, orditur à protectione Dei sibi adiuuantis; ideò dicit: *Benedictus Deus*, *& Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, *&c.* & ostendit quomodò ne dum pro se, sed & pro alijs illum doceat, & instruat, deindè quomodò ereptus sit à tribulatione magna, & eripi speret etiàm ipsis adiuuantibus in oratione, vt aliquid eis tribuat, & spem suam fundari in conscientia sua, & conuersatione, & sinceritate, ex qua posteà infert ad defensionem sui cur non accesserit; & hic est scopus, & cur exordiatur à protectione Dei ergà ipsum. *Benedictus Deus*, *&c.* sit illi laus, & honor, *& Pater Domini nostri Iesu Christi*, qui illum nobis dedit, *Pater misericordiarum*, quas nobiscum fecit multas; multæ misericordiæ Domini; misericordia eius plena est terra; *& Deus* effector solus *totius consolationis*, sinè quo nulla consolatio, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, quam patimur, & adeò in nobis illam efficit: *vt possimus & ipsi* in tribulatione positi *consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem* ad patientiam, *qua exhortamur & ipsi à Deo*: in patientia enim nostra possidebimus animas nostras; ad hanc & Iacobus hortatur in sua Epistola. *Quoniàm sicùt abundant*, multiplicantur *passiones*, afflictiones, tribulationes *Christi*, proptèr Christum *in nobis*: ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniàm digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati: *ità & per Christum abundat consolatio nostra. Siuè autèm nos tribulamur pro vestra exhortatione, & salute*, quam procuramus euangelizando, *siuè consolamur pro vestra consolatione*, vt & vos consolemini, *siuè exhortamur pro vestra exhortatione, & salute*, *quæ* exhortatio *operatur tolerantiam earundem passionum* in vobis, *quas & nos patimur: vt spes nostra firma sit pro vobis*, ad vos extendatur, quos speramus saluari: *scientes*, certi, *quòd sicùt socij passionum estis, sic eritis & consolationis*: remunerabit enim Deus opus vestrum, si compatimur, & conglorificabimur.

mur. *Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniàm suprà modum grauati sumus supra virtutem*, suprà potentiam nostram, tolerantiam nostrā naturalem, *ità vt tæderet nos etiàm viuere:* non autèm suprà virtutem supernaturalem datam sibi ex gratia, vndè: sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur; sic Ionas: melius est mihi mori. cap. 3. 8. & Tobias c. 3. 6. expedit enim mihi mori magìs, quàm viuere. Recitat hanc suam afflictionem magnam in Asia, quam euasit, vt ad reddendas gratias eos inducat, & illum orationibus foueant, & ipsi quoquè lucrentur, *adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis*. Vel, si tribulabantur, consolarentur, tùm quia tribulationes instant & seruis Dei, tùm quia Deus in tribulatione ipsa consolatur. *Tribulatione facta in Asia.* Noluit dicere Ephesi, ne ciuitatem proderet, sed cum incolatus suus esset ibi, verisimilitèr in ea Ciuitate hāc passus est, & quia ex enumeratis, & scriptis tribulationibus in ea Ciuitate fuit illa à Demetrio argentario excitata maior, in qua tota Ciuitas confusa, & Paulus cum socijs periclitatus est, quæ coegit eum Ephesо egredi, vbi vsquè ad Pentecosten se mansurum dixerat. 1. Cor. 16. 8. quo tempore fuit Ierusalem, vbi captus, & ea dicitur facta, ab alijs scilicèt. Opinio ferè omnium est illam fuisse, de qua hic Apostolus: in ea enim suprà modum grauatus, seù passus est, proùt de hac refert. Nec possumus aliam non scriptam diuinare, & intercessit hæc pòst scriptam primam Epistolam ad Corinthios, quia non repetijsset in genere tribulationes, quas in prima Epistola iàm dixerat: ad bestias pugnaui Ephesi, &c. cap. 15. 32. ideò hic ad vnam se restringit; & si alia ab hac fuisset, facta esset mentio illius à Luca omnes Ephesi passas describente. Act. 19. sic de vna tantùm tribulatione. Apocal. 7. 14. hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna. Nec dicas verba, *ità vt tæderet nos etiàm viuere*, non aptari ad persecutionem diurnam, seù vnius diei, sed ad diuturniorem; nàm proùt Christus cœpit tædere, contristari, pauere, mœstus esse, fieri in agonia timore instantis mortis, sic Paulus captus est tædio vitæ, videns mortem instantem: se enim declarat dicens. *Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis* quatenùs homines *habuimus*: &, *supra modum, supra virtutem grauati sumus*; vndè non video quomodò hæc in illa tribulatione Demetriana occurrere non potuerint, cum in instanti hæc fieri, & succedere clarum sit, vt & dixi in cap. 1. Lucæ supèr turbatione Zachariæ. Nec dicas, quomodò sic prostratus Paulus? nàm timuit Christus, sed non prostratus, dicens: veruntamèn non mea, sed tua voluntas fiat. Respondeo, timuit Paulus, at non prostratus: horror enim tribulationis, timor, facta illum perturbarunt; sed non deiecerunt, vt in Deo non confideret, quinimò tanto timore correptus in theatrum tradere se volebat, ni ab amicis fuisset distractus, & docet hanc fiduciam in Deo, subdens: *vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos*. & si dixeris tribulationes in genere. primò, loquèris contrà textum, qui de vna agit, & in pluribus non aptantur, quæ dicit, *vt tæderet viuere*, & responsum mortis habuisse, & suprà modum, & virtutem grauatum, vel non tantum. Secundò, in illis hanc comprehendens, quæ fuit maior, imò suprà alias erit, quia potiora sempèr censentur commemorata, & sic non poteris euadere. Non dicas; perseuerantes hæ, & diuturnæ fuerunt afflictiones in conuersione Gentilium assumptæ à Paulo, quia de illis suprà. 1. Cor. 15. pugnaui ad bestias Ephesi; at hìc vna tribulatio ad mortem, & ab alijs facta. *Suprà modum grauati sumus* tribulatione illa, vt prosequitur, & grauamen explicat, *ità vt tæderet nos etiàm viuere*: &, *sed ipsi in nosmetipsis responsum mortis habuimus*, sic autèm nobiscum actum; *vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos*, ità vt hic non agatur de tentatione suprà modum, sed passionibus, quæ prouenerunt ex tribulatione illa. *Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit* ex sua misericordia, *in quem speramus, quoniàm & adhùc eripiet, adiuuantibus & vobis oratione pro nobis: vt ex multorum personis, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis*, quæ erunt Deo acceptiores, quia vbì fuerint duo, vel tres congregati in nomine

meo, ibi in medio eorum sum; & Deus gratas habet huiusmodi exercitationes nostras in gratiarum actione: vult enim nos gratos; vndè Christus de decem leprosis vno redeunte, nouem vbi sunt? non est inuentus, qui daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. *Nam gloria nostra hac est, testimonium conscientia nostra, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei*, coràm Deo nota: *& non in sapientia carnali, sed in gratia Dei* nos fouentis *conuersati sumus in hoc mundo; abundantiùs autèm*, plùs autèm *ad vos*. Quia dixerat suprà ne dum ereptum fuisse à tribulatione, sed sperare ereptum iri imposterũ, ne existiment eum sinè fundamẽto loqui, dicit spem suam hanc sitam in testimonio conscientiæ suæ; sic & Rom. 2. 15. & *in sinceritate, & simplicitate, &c.* quibus Euangelium exposuit, & præsertim cum illis. *Non enim alias scribimus vobis, quam qua legistis* in alijs nostris, *& cognouistis*, scitis. *Spero autèm quòd vsquè in finem* perfectè *cognoscetis, sicùt & cognouistis nos ex parte*, ne dum scripta à nobis, & sic incipit docere se non duplici animo gerere, nec modò diuersa adstruere à primis, *quòd gloria vestra sumus*, causa gloriæ vestræ, & benedictionis, *sicùt & vos nostra, in die Domini nostri Iesu Christi*, quandò vel ad singulorum mortem, vel iudicium vniuersale venerit; sic & 1. Cor. 15. 11. *Et hac confidentia*, quam habeo in vobis, *volui priùs venire ad vos, vt secundam gratiam haberetis* meæ præsentiæ: *& per vos* ductores *transire in Macedoniam, & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudaam*; sic 1. Cor. 16. 5. & 6. *Cum ergò hoc voluissem*, proposuissem, & tamèn non præstiti, *numquid leuitate vsus sum?* quasi dicat, non; *Aut qua cogito, secundùm carnem*, more hominum decipientium *cogito, vt sit apud me EST, & NON?* vult dicere, rationabilitèr non veni, & hoc potestis credere ex antè gestis, quia apud me non fuit *EST, & NON*. *Fidelis autèm Deus*, verax Deus, ille testis est, *quia sermo noster, qui fuit apud nos, non est in illo EST, & NON*, duplicitas, ambiguitas. *Dei enim Filius Iesus Christus, qui in vobis per nos pradicatus est*, cuius Euangelium prædicatum *per me, & Siluanum, & Timotheum, non fuit EST, & NON*, plenus varietate, mendacijs, duplicitate, *sed EST in illo fuit*, sinceritas, simplicitas, veritas. Obserua hic Siluanum, idest, Silam, quem alibì teneo comitem peregrinationis Pauli. *Quotquot enim promissiones Dei sunt* patribus antiquis factæ, *in illo EST* est, in eo Christo sunt adimpletæ: *ideò & per ipsum* Christum. *Amen*, perfectio *Deo ad gloriam nostram*, ad lucrum nostrum, *Qui autèm confirmat*, vnit *nos vobiscum in Christo*, per Christum, *& qui vnxit nos Deus* Spiritu sancto, gratia sua: *qui & signauit nos*, designauit, segregauit, *& dedit* nobis *pignus*, arrham *spiritus in cordibus nostris*, hic inquit Deus est. hæc omnia ad suam personam integrandam, ne despiceretur, & vt sibi crederetur; & quia dixerat ex causa non venisse, subdit. *Ego autèm testem Deum inuoco in animam meã*, contrà animam meam, *quòd parcens vobis*, causa vestri *non veni vltrà Corinthum; non quia dominamur fidei vestra*, vobis tãquàm fidelibus, vel quod causa fidei id actum (*nàm fide statis*) *sed adiutores sumus gaudij vestri*, conamur vos non contristari, sed gaudere potiùs, innuens quia si fortè accessisset, contristaturus eos erat.



CA-



CAPVT II.

1 S*TATVI autèm hoc ipsum apud me, ne iterum in tri-*
2 *stitia venirem ad vos. * Si enim ego contristo vos, &*
quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?
3 ** Et hoc ipsum scripsi vobis, vt non cum venero, tri-*
stitiam supèr tristitiam habeam, de quibus oportuerat me
gaudere, confidens in omnibus vobis, quia meum gau-
4 *dium, omnium vestrum est. * Nàm ex multa tribula-*
tione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas: non vt contriste-
5 *mini: sed vt sciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis. * Si*
quis autèm contristauit, non me contristauit: sed ex parte, vt non onerem om-
6 *nes vos. * Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus:*
7 ** ità vt è contrario magis donetis, & consolemini, ne fortè abundantiori tristi-*
8 *tia absorbeatur qui eiusmodi est. * Proptèr quod obsecro vos, vt confirmetis in*
9 *illum charitatem. * Ideò enim & scripsi, vt cognoscam experimentum ve-*
10 *strum, an in omnibus obedientes sitis. * Cui autèm aliquid donastis, & ego:*
11 *nàm & ego quod donaui, siquid donaui, proptèr vos in persona* Christi: ** vt*
12 *non circumueniamur à Satana: non enim ignoramus cogitationes eius.* * Cum
venissem autèm Troadem proptèr Euangelium Christi, *& ostium mihi aper-*
13 *tum esset in* Domino, ** non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inuenerim*
Titum fratrem meum, sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.
14 * Deo *autèm gratias, qui sempèr triumphat nos in* Christo Iesu, *& odorem*
15 *notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: * quia* Christi *bonus odor sumus*
16 Deo *in ijs, qui salui fiunt & in ijs, qui pereunt: * alijs quidèm odor mortis in*
17 *mortem: alijs autèm odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? * Non*
enim sumus sicùt plurimi, adulterantes verbum Dei, *sed ex sinceritate, sed sicùt*
ex Deo, coràm Deo, *in* Christo *loquimur.*




TATVI autèm ex præmeditatione, non ex leuitate *hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. Si enìm ego contristo vos: & quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?* Dixerat non venisse Corinthum parcens illis, declarat id ab eo factum, ne congereret maiorem in se, & illos tristitiam. *Si enìm ego contristo vos* iubens, seù iniungens pœnitentias, proùt Corintho fornicario, non hinc mea tristitia, imò consolatio; vndè infrà cap. 7. si ad horam vos contristaui, gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam; propterea subdit: *& quis est, qui me lætificet, nisi qui* pœnitens *contristatur ex me?* afflictiones iniungente? *Statui autèm, &c.* ne dum scilicèt non venire, sed *& hoc ipsum scripsi vobis*, seù

ſcribo, *ut non cum uenero, triſtitiam ſupèr triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere* ob pœnitentias iàm ſuſceptas,& ferè impletas, innuens ad Corinthium fornicarium; ideò ſubdit, *ſcripſi* (dico) *confidens in omnibus uobis* quòd hanc cauſam amputabitis, vt gaudeam, *quia meum gaudium omnium ueſtrum eſt,* cum gaudere ſoleatis me gaudente. *Nàm ex multa tribulatione, & anguſtia cordis ſcripſi uobis per multas lacrymas: non ut contriſtemini: ſed ut ſciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in uobis:* vult dicere, ſcribo vobis relaxationem fornicarij ex multa tribulatione, & lacrymis, *non ut contriſtemini: ſed ut ſciatis charitatem*, qua vos proſequor; vndè non eſt neceſſe recurrere ad alias Epiſtolas; de præſenti loquitur; ſic verbum, *ſcripſi*, bis ſuprà verſ. 3. & infrà verſ. 4. 9. capitur pro præſenti. *Si quis autèm contriſtauit, non me contriſtauit: ſed ex parte, ut non onerem omnes uos.* reſtringit cauſam triſtitiæ ex verbis, *ſi quis:* & *ex parte* ſcilicèt ſua, ideſt, illius ſolius, qui me contriſtauit, & ſubdit, *ut non onerem omnes uos*, ne putarent omnes dediſſe cauſam triſtitiæ, & de omnibus conqueri. *Sufficit illi, qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus: ità ut è contrario magìs donetis, & conſolemini:* quaſi, grauius hæc obiurgatio fuit, *ità ut è contrario* vice grauitatis huiuſmodi *magìs donetis*, ſeù donare debeatis, *& conſolemini, ne fortè abundantiori iuſtitia abſorbeatur qui eiuſmodi eſt;* hinc magna prudentia, & diſcretio Pauli. *Proptèr quod obſecro uos, ut confirmetis*, nedum reaſſumatis, ſed etiàm ſtabiliatis *in illum charitatem* remittendo pœnitentias. *Ideò enim & ſcripſi*, & ſcribo, vt ſic faceretis, *ut cognoſcam experimentum ueſtrum*, experientiam, *an in omnibus obedientes ſitis*, nempè proùt fuiſtis in eo puniendo, ità in remittendo. *Cui autèm aliquid donaſtis;* nunc de alijs loquitur, non de fornicario, cui iàm ex præmiſſis ſatisfecerat, *& ego* dono, approbo quod feciſtis, ne ſint in nobis ſchiſmata; hinc etiàm de ſe non loquitur certò, proùt debuerat, ſi de fornicario, de quo præmiſerat, intellexiſſet, ſed dubiè: *nàm & ego quod donaui, ſi quid donaui, proptèr uos* feci, captans beneuolentiam, & pacem intendens, dum pro illis motus eſt, *in perſona Chriſti*, in nomine Chriſti, in virtute Chriſti, pro quo legatione fungor. Fortè hoc ſermone vult docere non eſſe mirum, ſi fornicarium vult ad charitatem admitti; nàm & in alijs pro illis, & pro ſe per illos factum, addens verò, *in perſona Chriſti* hæc peragenda, fortè admonet illos in nomine Chriſti hæc peragenda, *ut non circumueniamur à Satana* nos circumeunte, & inſidiante: *non enim ignoramus cogitationes eius* ad diſcordiam tendentes, & hæc ratio capit cauſam fornicarij, & alias, & vult dicere, ne circumueniamur à Satana, ſi diſſenſerimus me non approbante quod condonaſtis, vel vobis quod iubeo non perficientibus. alij intellectus non aptantur his omnibus. *Cumueniſſem autèm Troadem proptèr Euangelium Chriſti*, vt Acto. 20. 6. hoc enìm iter fecit poſtquàm Epheſo cedere coactus eſt pòſt tribulationem illam magnam Demetrij, de qua ſuprà cap. 1. Dixerat de tribulatione illa ſaluus voluiſſe tranſire per eos in Macedoniam, à Macedonia ad illos, & ab illis in Iudæam deduci; nunc ſcribit iter ſuum, ex quo intendit docere cauſam cur per eos in Macedoniam non tranſierit, quæ eſt, ne impediretur maior fructus in alijs, proùt Troade; nàm *cum ueniſſem Troadem* ad prædicandum Chriſti Euangelium, *& oſtium mihi apertum eſſet in Domino* aperiente illud, & ſic non dicit ſe non fructificaſſe, imò præſumendum omnia ibì ex ſententia feciſſe, *non habui requiem ſpiritui meo*, anxius fui, proùt Acto. 17. 16. incitabatur ſpiritus eius in ipſo, & 21. 13. quid facitis flentes, & affligentes cor meum? *eò quòd non inuenerim Titum fratrem meum*, quia ſinè eo non potui me citò expedire, proùt feciſſem eo cooperante, vt citiùs ad vos venirem, indicans voluntatem veniendi ad eos, vel ſimplicitèr mihi cooperatorem in oſtio tali. Non dicas, vt poſſem certiorari de veſtro ſtatu; nàm infrà c. 7. dicit ſe lætatum aduentu Titi, quo ſcilicèt indigebat cooperatore, deindè ſubdit minùs principalitèr: non ſolùm autèm in aduentu eius, ſed etiàm in conſolatione, referens, &c. & hìc quoquè deprehenditur non habuiſſe requiem ſpiritui, eò quòd non inueniſſet Titum ratione geſtorum Troade,

vbi


vbì inuenerat ostium apertum: is enìm est contextus, qui aliò non potest distrahi; vltrà quòd non erat legitima causa in Apostolo tanti mœroris, quia ab eo non audisset statum Corinthiorum, cum ipse non moueretur, nisi ex his, quæ Deum respiciebant, & quia dicit Troadem petijsse proptèr Euangelium. Dixi cooperatore, non interprete; nàm Apostoli habebant donum linguarum, quæ ipsis loquentibus ab omnibus intelligebantur. Acto. 2. aut declarante verba obscura, quia iuxtà captum auditorum loquebantur, factus sum omnia omnibus, vt omnes lucrifaciam, loquimur sapientiam intèr perfectos. Sapientibus, & insipientibus debitor sum; Hinc si hoc cooperatore indigebat, Barnabas non erat secum, quia quis illo melior ad hoc? *sed uale faciens eis*, quantum potui citò me expediens, *profectus sum in Macedoniam* prætèrquàm condixeram, quam tamèn cogitabam. Acto. 20. 1. pro qua aliàs monitus. Acto. 16. & ità se impeditum infert negocijs fidei, si ad eos adhùc non accessit, & grauibus, quia ostium sibi apertum est; hìnc collige etiàm Troade fecisse quod volebat. *Deo autèm gratias, qui sempèr triumphat*, nos triumphare facit, dat victoriam *in Christo Iesu*, per Christum Iesum in Euangelio, quod seminamus: de illo enim Troade; non hìc de animi inquietudine, & molestijs cœptis ob Titum non inuentum, & ideò vniformitèr subdit, *& odorem notitiæ suæ manifestat*, seù manifestare facit *per nos in omni loco*, *quia Christi bonus odor sumus Deo*, ad Dei gloriam *in ijs, qui salui fiunt, & in ijs, qui pereunt: alijs quidèm odor mortis in mortem: alijs autèm odor uitæ in uitam*; proùt Christus, in ruinam, & in resurrectionem multorum; ruina *odor mortis* non credentibus: resurrectio *odor uitæ* credentibus, & operantibus. *Et ad hæc quis tàm idoneus?* proùt nos scilicèt? hoc de se, & Apostolis veris dicit, vt magìs eos in fide sua retineat; & quia, quomodò prædicabunt nisi mittantur? & ipse missus erat, & alij veri Apostoli; subdit rationem pseudo excludentem, & veros includentem. *Non enim sumus sicùt plurimi, adulterantes uerbum Dei* fucis, & fallacijs, *sed ex sinceritate, sed sicùt ex Deo, & coràm Deo*, qui non potest falli, *in Christo*, per Christum, & de Christo *loquimur*, quem sensum sempèr inculcat in omnibus ferè Epistolis, & præsertìm in 1. ad Cor.



CAPVT III.

1 *INCIPIMVS iterum nosmetipsos commendare? aut*
numquid egemus (sicùt quidam) commendatitijs episto-
2 *lis ad vos, aut ex vobis? * Epistola nostra vos estis,*
scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & legitur ab om-
3 *nibus hominibus: * manifestati quòd Epistola estis Chri-*
sti, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spi-
ritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cor-
4 *dis carnalibus. * Fiduciam autèm talem habemus per Christum ad Deum:*
5 ** non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed suffi-*
6 *cientia nostra ex Deo est: * qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti: non*
7 *littera, sed Spiritu: littera enìm occidit, Spiritus autèm viuificat. * Quòd si*
ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ità vt non
possent intendere filij Israel in faciem Moysi proptèr gloriam vultus eius, quæ
eua-

8 *euacuatur : * quomodò non magìs miniſtratio Spiritus erit in gloria ? * Nàm ſi*
9 *miniſtratio damnationis gloria eſt : multò magìs abundat miniſterium iuſtitiæ*
10 *in gloria . * Nàm nec glorificatum eſt , quod claruit in hac parte , proptèr excel-*
11 *lentem gloriam . * Si enìm quod euacuatur , per gloriam eſt : multò magìs quod*
12 *manet , in gloria eſt . * Habentes igitur talem ſpem , multa fiducia vtimur :*
13 ** & non ſicùt Moyſes ponebat velamen ſupèr faciem ſuam , vt non intenderent*
14 *filij Iſrael in faciem eius , quod euacuatur , * ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum . Vſ-*
què in hodiernum enìm diem , idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti
15 *manet non reuelatum , (quoniàm in Chriſto euacuatur) * ſed vſquè in hodier-*
16 *num diem , cum legitur Moyſes , velamen poſitum eſt ſupèr cor eorum . * Cum*
17 *autèm conuerſus fuerit ad Dominum , auferetur velamen . * Dominus autèm*
18 *Spiritus eſt : Vbì autèm Spiritus Domini : ibì libertas . * Nos verò omnes, re-*
uelata facie gloriam Domini ſpeculantes , in eandem imaginem transformamur
à claritate in claritatem, tamquàm à Domini Spiritu.




NCIPIMVS iterum noſmetipſos commendare? aut nunquid egemus (ſicùt quidam) commendatitijs Epiſtolis ad vos, aut ex vobis ad alios? quia in ſuperiori cap. dixerat (& ad hæc quis tàm idoneus ?) ideò ne id aſcribatur alicui elationi, hæc ſubdit oſtendens ſic locutum eſſe ex fiducia, quam in Deo habet, à quo omnia recognoſcit, & miniſterio glorioſo ſibi iniuncto, & vult dicere, ignoratiſne vos hæc, vt indigeamus apud vos laudari, vel apud alios commendari? non intendit litteras commendatitias, quibus aliquem iuuari rogamus, ſed quibus innoteſcit is, pro quo mittuntur; propterà benè ſubdit nos à vobis, & proptèr vos ab alijs cognoſcimur. *Epiſtola noſtra vos eſtis* fide recepta Ieſu Chriſti, & baptiſmo, quæ nos commendat, & quales ſimus, demonſtrat, *ſcripta in cordibus noſtris*, continens Euangelium Chriſti, quod priùs ſcriptum fuit in cordibus noſtris, vt poſſemus illud vobis prædicare, *quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus*, qui vos vident conuerſos, & ad legem Euangelicam reductos: *manifeſtati quòd Epiſtola*, opus *eſtis Chriſti*, in quem creditis, qui ſolus operatur, *miniſtrata à nobis*, per miniſterium noſtrum, *& ſcripta* ſupèr vos conuerſos ad Chriſtum *non atramento*, *ſed ſpiritu Dei viui* mouentis, & ad fidem ſuauitèr inducentis: *non in tabulis lapideis*, duris, non admittentibus ſculpturam, proùt erant corda Hebræorum, quibus lex in talibus tabulis lapideis data, corda eorum dura figurantibus, *ſed in tabulis cordis carnalibus*, impreſſionem de nouo, de facili admittentibus, proùt contigit, & apparet ex conuerſione veſtra. Vel ſicùt ſupèr chartam ſcribitur Epiſtola, ità nos ſupèr vos, ſeù ſuprà corda veſtra euangelizauimus, & impreſſimus legem Chriſti, *quæ* Epiſtola ſic ſcripta *ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus:* ſpiritus enìm teſtimonium dat ſpiritui noſtro, & infrà *ſpiritu Dei viui:* &, *Spiritus autèm viuificat:* ità vt (vult inferre) negare non poſſitis beneficium hoc à nobis vobis collatum, & quòd non fuerimus idonei, proùt dixerat in fine cap. præcedentis; & ideò ex opere ipſo commendamur abſquè alia Epiſtola veſtra. Vel *Epiſtola noſtra vos eſtis* ex fide recepta, *ſcripta in cordibus noſtris* ob charitatem, qua vos proſequimur, *quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus* ob ea, quæ veſtri cauſa egimus: vult dicere, conuerſio veſtra per nos facta vbiquè prædicatur, & publica eſt; & dimiſſa locutione tranſlatitia Epiſtolæ, rediens ad eos, & declarans: *manifeſtati*, clari, certi, notorij redditi, ità vt non poſſitis tergiuerſari, *quòd Epiſtola eſtis Chriſti*, in qua Chriſtus ſcripſit, vel repreſentatur,

& con-

& continetur, dum vos ad fidem adduxit, & in ea ſtatis; refert ad Chriſtum quod de ſe primò dixerat, ne quidquam ſibi videatur arrogare, *miniſtrata*, miniſterio ſolo noſtro, ore noſtro in cordibus veſtris exarata; lingua mea calamus ſcribæ velocitèr ſcribentis; *nõ atramento* delebili, *ſed ſpiritu Dei viui* viuificantis, illuſtrantis: *non in tabulis lapideis* duris, non recipientibus ſculpturam de facili, in quibus Hebræis data lex Moyſis, *ſed in tabulis cordis carnalibus*, mollibus, recipientibus formam de facili. repetit nouo modo, quod ſuprà dixerat, *in cordibus*. Senſus eſt, vos eſtis noſtrum opus, factura, partus, ex hoc noſtis quales vobiſcum fuerimus, propptereà alijs vobiſcum non indigemus, alios non quærimus, à laudibns abſtinemus, qui intellectus corroboratur ex verbis (*ſicùt quidam*) qui hæc venabantur. Non ergò aptatur, Corinthios de ſua per Paulum conuerſione prædicaſſe, ideò hæc innotuiſſe; nàm eſt diuinatio, & de his non agitur, cum apud alios nil quæreret, ſed apud ipſos tantùm & hoc etiàm excluditur ex verbis, *aut ex vobis*, quaſi ad alios; non ergò id ipſi præſtabant, dum præſupponit non indigere, ſeù velle. *Fiduciam autèm talem habemus per Chriſtum ad Deum*, vt ſitis tales, quales diximus ex miniſterio noſtro, quod in vobis exercuimus, *non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis* ſolis: *ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, ità vt omne principium boni in nobis à Deo ſit, nihil à nobis recognoſcimus in veſtra conuerſione: *qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti*, Euangelij ex ſua virtute dicens, & faciens, proùt Saulem in alium mutauit, nos Apoſtolos in alios, faciam vos fieri piſcatores hominum: *non littera*, non lege, *ſed Spiritu* ſancto: *littera enim*, lex enim *occidit*, eſt occaſio mortis, *ſpiritus autèm* ſanctus *viuificat*, dat vitam. *Quòd ſi miniſtratio mortis*, lex *litteris deformata*, impreſſa *in lapidibus*, ſeù (*tabulis lapideis*, ſuprà verſ. 3.) *fuit in gloria*, claritate, *ità vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi* de mõte deſcendentis cum lege *propter gloriam*, claritatem *vultus eius, quæ euacuatur*, euaneſcit, ergò & ſi lex illa occideret, ſeù eſſet occaſio ad peccatum, & eſſet ceſſatura, tamèn aliquam gloriam habuit, etſi nulla reputanda reſpectu miniſtrationis ſpiritus excellentis gloriæ, & manſuræ, quia pòſt illam alia non datur: *quomodò non magìs miniſtratio ſpiritus*, euangelica lex tota ſpiritualis *erit in gloria?* & ſic ſuum miniſterium Paulus commendat, ne deſpiciatur. *Nàm ſi miniſtratio damnationis* legis Moſaicæ ad peccatum occaſionem dantis, nec releuantis *gloria eſt*. *Multò magìs abundat miniſterium iuſtitiæ*, quam fecit Deus obſeruando promiſſa facta Abraham, & Patribus, ſeù iuſtificationis peccatoris *in gloria*. *Nàm nec glorificatũ eſt quod claruit in hac parte*, vt dixi, *propter excellentem gloriam* Euangelicæ legis, imò nec poteſt dici gloria illa veteris legis, vel Moyſis reſpectu nouæ Euangelicæ illam longè ſuperantis. *Si enìm quod euacuatur*, ceſſat, *per gloriam eſt*, vt dixi in gloria Moyſis, *multò magìs quod manet* vſquè ad finem mundi, lex Euangelica vſquè ad illum duratura, *in gloria eſt*, ſuperat, antecedit: manſura enim excedunt citò ceſſatura, quæ nec curamus. Ex hac ratione, quam ſubiungit, apparet præmiſſa, *nàm nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte proptèr excellentem gloriam*, non poſſe intelligi, aut dici non glorificatum, quia ſplendor Moyſis impediebat, vt per Caietanum, ſed comparatiuè loqui à lege veteri ad nouam. *Habentes igitur talem ſpem*, gloriæ ſcilicèt, *multa fiducia vtimur*, de qua ſuprà verſ. 4. in promulgatione legis Euangelicę, ſeù miniſterio noſtro clarè, & reuelata facie omnia edocentes, non proùt Moyſes velata; ideò ſubdit: *& non ſicùt Moyſes ponebat velamen ſupèr faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſrael in faciem eius, quod euacuatur, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Vſquè in hodiernum enim diem id ipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum* (*quoniàm in Chriſto euacuatur*, finitur) *ſed vſquè in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſupèr cor eorum*; docet velamen Moyſis adhùc poſitum ſupèr oculos Hebræorum ſupèr teſtamento veteri euacuato in Chriſto; qui omnes figuras veteris teſtamenti adimpleuit, quem ipſi non recipiunt, & ſic cœcitas in Iſrael ex parte contigit, & pluriès Chri-

ſtus

stus cœcitatem obiecit Hebræis, de qua per Isaiam: excœca cor populi eius,& aures eius aggraua,&c. *Cum autèm conuersus fuerit*, conuersi fuerint *ad Dominum, auferetur velamen*, omnis populus Hebræus in fine conuertendus: reliquiæ enim saluandæ; at non primò in plurali, nunc in singulari, quasi pauci, imò tùnc ferè omnes, vt aliàs in Epistola ad Rom. & Apocal. diximus; tùnc *auferetur velamen:* recipient enim Christũ, & hoc fiet à Spiritu sancto velamen auferente. *Dominus autèm spiritus est*, qui homines carnales reddit spirituales: *Vbi autèm spiritus Domini* velamen tollentis: *ibi libertas*, applicatio ad fidem in Christum, ex qua libertas, nunc seruitus dum velamine obteguntur: velamen enim denotat subiectionem. 1. Cor. 11. Non placet quod dicunt aliqui; *Cum autèm conuersus fuerit*, scilicèt Moyses, quia iàm Apostolus Moysen dimiserat, & loquebatur de populo ab illis verbis, *filij Israel:* &, *sed obtusi sunt sensus eorum*, ideò verba etiàm, *cum conuersus fuerit*, intelligenda de populo Israel; vtitur autèm singulari, quia quasi vnus vir omnes conuertentur, vel maior pars iuxtà prophetias; vel quia vsitata hæc mutatio in Scriptura. Applicatur autèm ipsis, *auferetur velamen*, scilicèt de cordibus eorum, supèr quibus positum dixerat, & id fiet à Deo, à quo in libertatem spiritus deducentur; non autèm fiet id Moysi credenti, & beato, qui his non indiget, nec viuens illis indigebat. *Nos verò omnes* Apostoli (redit ad verba *habentes igitur talem spem, &c.*) *reuelata facie*, absquè velamine *gloriam*, claritatem *Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur*, adeò hæc apprehendimus clarè, & absquè velo, *à claritate* vna *in claritatem* alteram, quia iugitèr illustramur, non à lege, non à nobis, sed *tanquàm* verè *à Domini spiritu:* dicit, *tanquam*, quia nobis non apparet; nescis vndè veniat, aut quò vadat, sed sensim, & inuisibilitèr hæc in nobis spiritus operatur. Hæc autèm ministris Euangelij conceduntur, vt possint hæc & ipsi alijs impartiri, proùt suprà cap. 1. in princip. de alijs dixerat, & quomodò id præstent, prosequitur in cap. seq.




CAPVT IV.



1 *DEO habentes administrationem, iuxtà quod miseri-*
2 *cordiam consecuti sumus, non deficimus, * sed abdicamus*
occultam dedecoris, non ambulantes in astutia, nequè
adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione verita-
tis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam ho-
3 *minum coràm Deo, * Quòd si etiàm opertum est Euan-*
4 *gelium nostrum: in ijs, qui pereunt, est opertum: * in qui-*
bus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illumi-
5 *natio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. * Non enim nosmetipsos præ-*
dicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum: nos autèm seruos vestros per
6 *Iesum: * quoniàm Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in*
cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu.
7 ** Habemus autèm thesaurum istum in vasis fictilibus: vt sublimitas sit vir-*
8 *tutis Dei, & non ex nobis. * In omnibus tribulationem patimur, sed non an-*
9 *gustiamur: aperiamur, sed non destituimur: * persecutionem patimur, sed non*
dere-

10 *derelinquimur : deijcimur , sed non perimus :* * *sempèr mortificationem Iesu in*
corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.
11 * *Sempèr enim nos , qui viuimus , in mortem tradimur proptèr Iesum : vt &*
12 *vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali .* * *Ergò mors in nobis operatur ,*
13 *vita autèm in vobis .* * *Habentes autèm eundem spiritum fidei, sicùt scriptum*
est : Credidi , proptèr quod locutus sum : & nos credimus, proptèr quod & loqui-
14 *mur :* * *scientes quoniàm qui suscitauit Iesum , & nos cum Iesu suscitabit , &*
15 *constituet vobiscum.* * *Omnia enim proptèr vos: vt gratia abundans, per mul-*
16 *tos in gratiarum actione , abundet in gloriam Dei .* * *Proptèr quod non defici-*
mus : sed licet is , qui foris est , noster homo corrumpatur : tamen is , qui intus
17 *est , renouatur de die in diem .* * *Id enim , quod in præsenti est momentaneum*
& leue tribulationis nostræ , suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus
18 *operatur in nobis ,* * *non contemplantibus nobis quæ videntur , sed quæ non vi-*
dentur . Quæ enim videntur , temporalia sunt : quæ autèm non videntur, æter-
na sunt .




DEO nos Apostoli *habentes administrationem*, ministerium in euangelizando, *iuxtà quod misericordiam consecuti sumus* iuxtà gratiam misericordis Dei nobis elargitam, *non deficimus*, sed prosequimur ministerium nostrum , *sed abdicamus occulta dedecoris* , infrà dedecorosa, seù turpia; sic. 1.Thes.2.3. declarat, *non ambulantes in astutia , nequè adulterantes verbum Dei*, hæc occulta, turpia non patrantes, *sed in manifestatione veritatis* clara, & aperta *commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coràm Deo* sincerè, manifestè, ità vt apud omnes probati simus; hinc collige quomodò non indigebat aliorum commendatione , & quòd ex Corinthiorum laude nihil aucupabatur, vt dixi , cum ex suis actibus commendabilem se redderet coràm hominibus, & Deo. *Quòd si etiàm opertum*, clausum *est Euangelium nostrum: in ijs, qui pereunt, est opertum*, quibus mortis odor sumus suprà cap.2.16. *in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium , vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago* vera *Dei* , de qua & Philip.2. & Hebr.1. Aduerte, etsi Deus dicatur excæcare, nempè permittere cæcitatem , tamèn phrasis hæc Deo vero non aptatur , nec reperitur in Scriptura , ideò aptiùs ascribitur diabolo, qui tamèn cum nihil faciat , nisi Deo permittente , videtur Deus vti illo ministro, vndè omnia in idem recidunt ; est hoc illud semen , quod aufert diabolus , vt dicit Christus in Euangelio, & de Deo vero infrà vers.6. *quoniàm Deus qui dixit*, iussit *de tenebris lucem splendescere ; Non enim nosmetipsos prædicamus , sed Iesum Christum Dominum nostrum : nos autèm seruos vestros per Iesum ;* quia suprà dixerat excæcari *mentes infidelium* à dæmone , *vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi* , ostendit hoc non à se fieri , quia non prædicat se ipsum , sed Iesum Christum : ipse enim Dominus , *nos seruos vestros per Iesum: quoniàm Deus, qui dixit*, iussit *de tenebris lucem splendescere.* Genes. 1. *ipse illuxit in cordibus nostris*, nos illuminauit *ad illuminationem scientiæ claritatis* claræ Dei *in facie* persona *Christi Iesu*, in reuelatione Christi Iesu, quem prædicamus , vt per nos alij illuminentur . *Habemus autèm thesaurum istum* illuminationis : de hoc enim agitur, non alio , & in dubio ad proximiora fit relatio, *in vasis fictilibus*, in nobis abiectis: *vt sublimitas sit virtutis Dei*, ad quem conuersiones, & illustratio-

tiones, & omnia referenda, *& non ex nobis* fragilibus, & sic appareat maius miraculum Dei: quò enim Apostolus se magis abijcit, Deum magis extollit. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur:* ità vt separemur à tribulatione: *aporiamur*, egemus, *sed non destituimur*, aliquandò enim abundamus: *persecutionem patimur, sed non derelinquimur* in ea; nàm tandèm euadimus: *deijcimur* ferè in profundum, *sed non perimus*, surgimus ex his; docet quomodò sint vasa fictilia, & abiecta ex pressuris numeratis, quas sustinent, nec pereunt: *Sempèr mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes*, vt appareat quomodò proptèr ipsum mortificemur tota die, *vt & vita Iesu*, dum ipse intèr nos fuit, *manifestetur*, appareat *in corporibus nostris*, vt illum repraesentemus, quod clariùs declarans subdit. *Sempèr enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur proptèr Iesum*, ad gloriam eius: *vt & vita Iesu*, cui testimonium damus, *manifestetur in carne nostra mortali*, & sic fiat manifestum qualia passus sit ipse pro nobis ex nostra imitatione, & mortificatione; nec credo hìc agi de resurrectione ipsorum, vel Christi: Vel, hæc *patimur*, *in mortem tradimur proptèr Iesum: vt & uita Iesu*, qui nos viuificat, & stare facit, appareat in corporibus nostris, & hoc modo videtur magis annecti cum præcedentibus. *Ergò mors in nobis operatur*, vires suas exerit, agit, *uita autèm* Iesu, quæ manifestatur in nobis, & in nostro mortali corpore, *in uobis* operatur, scilicèt ad vestram salutem, *ut sublimitas sit uirtutis Dei, & non ex nobis* vers. 7. seù, *ergò mors*, pericula mortis, *operatur*, sic agit in nobis, *uita autèm*, conseruatio vitæ nostræ à Iesu facta: non enim perimus, sed viuimus vers. 10. *in uobis* operatur, quia pro vobis laboramus. *Omnia enim proptèr uos* saluandos. *Habentes autèm eundem spiritum fidei* nos, ego, & collegæ mei eandem fidem, *sicùt scriptum est: Credidi, proptèr quod locutus sum: & nos credimus, proptèr quod & loquimur:* illuminatio enim facit nos credere, & idem loqui ad alios, proùt Dauid, exemplo Dauidis; *scientes*, certi *quoniàm qui suscitauit Iesum*, quod est maius, *& nos cum Iesu suscitabit*, non sinet, quod est minus, perire nos in angustijs, & tribulationibus, imò *& constituet uobiscum*, ad vos venire permittet; iuxtà illud: statuet suprà petram pedes meos. *Omnia enim proptèr uos* conuertendos nobis dabuntur à Deo, proùt de illustrationibus datis dixi: *ut gratia abundans per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam* Dei, vt maior gratiarum actio fiat per multos conuersos Deo de salute mea, & ad vos aduentu; similis phrasis suprà cap. 1. 11. *Proptèr quod non deficimus* in tribulationibus, non despondemus animo: *sed licèt is, qui foris est* carnalis, *noster homo corrumpatur* ex tot angustijs, patiatur: *tamèn is* homo, *qui intus est*, *renouatur* ad maiora *de die in diem*, quò magis progredimur. *Id enim, quod in præsenti* sæculo *est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, suprà modum*, excellentèr, *in sublimitate æternum* (respicit momentaneum) *gloriæ* inenarrabilis *pondus* (respicit leue) *operatur in nobis, non contemplantibus nobis* ea *quæ uidentur*, apparent in mundo, *sed* ea *quæ non uidentur* in cælis, in quibus nostra conuersatio. *Quæ enim uidentur, temporalia sunt*, cessatura: *quæ autèm non uidentur* præparata diligentibus Deum, *æterna sunt*, ni mirum, si horum consideratione subleuamur, & tribulationes nihili facimus.



CA-



CAPVT V.



1 CIMVS enim quoniam si terrestris domus nostra hu-
2 ius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo
habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.
* Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram,
3 quæ de cælo est, superindui cupientes; * si tamen vestiti,
4 non nudi inueniamur. * Nam & qui sumus in hoc ta-
bernaculo, ingemiscimus grauati: eo quòd nolumus expo-
5 liari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est, à vita. * Qui autem
6 efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. * Audentes igitur
7 semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: (* per
8 fidem enim ambulamus, & non per speciem) * audemus autem, & bonam
voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Domi-
9 num. * Et ideò contendimus siuè absentes, siuè præsentes placere illi. * Omnes
10 enim manifestari oportet antè Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria
11 corporis, prout gessit, siuè bonum, siuè malum. * Scientes ergò timorem Domi-
ni hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in con-
12 scientijs vestris manifestos nos esse. * Non iterum commendamus nos vobis, sed
occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: vt habeatis ad eos, qui in facie glo-
13 riantur, & non in corde. * Siuè enim mente excedimus, Deo: siuè sobrij su-
14 mus, vobis. * Charitas enim Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniam si
15 vnus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt: * & pro omnibus mor-
tuus est Christus: vt, & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro
16 ipsis mortuus est & resurrexit. * Itaquè nos ex hoc neminem nouimus secundum
carnem. Et si cognouimus secundum carnem Christum: sed nunc iam non no-
17 uimus. * Si qua ergò in Christo noua creatura, vetera transierunt: eccè facta
18 sunt omnia noua. * Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Chri-
19 stum: & dedit nobis ministerium reconciliationis. * Quoniam quidem Deus
erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, &
20 posuit in nobis verbum reconciliationis. * Pro Christo ergò legatione fungimur,
tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.
21 * Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur
iustitia Dei in ipso.

SCIMUS *enim quoniàm si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur*, si ex hac vita euaserimus, *quòd ædificationem ex Deo habemus, domum nõ manufactam, æternam in cælis*. continuat hoc cap. 5. cum præcedentibus verbis cap. 4. scilicèt, si in hac vita in tribulationibus defecerimus (ecce pondus, quod operantur tribulationes, iuxtà quod in fine præcedentis cap. dixerat) meliori habitatione à Deo dignabimur. *Nàm & in hoc ingemiscimus*, in quonam? *habitationem nostrã* iustis à constitutione mundi paratam, *quæ de cælo est*, cælestem *superindui cupientes* gloria coronari, & immortalitate superuestiri: *si tamèn vestiti* bonis operibus, merito, ità vt superindui mereamur, *non* his bonis operibus *nudi inueniamur:* nudis enìm non datur superindutio; nàm rei non resurgunt ad gloriã, sed ad iudicium; at in Apostolis non videtur procedere hæc distinctio, imò & in eis, quatenus sub his cõprehendit omnes euangelizantes. *Nàm & qui sumus in hoc tabernaculo*, in hac vita, corpore, quo viuimus, *ingemiscimus grauati*, onerati, *eò quòd nolumus expoliari* hac vita nobis grata, vel ità vt nudi simus timentes nobis; nàm etsi nihil nobis conscij, sed nõ in hoc iustificati sumus, & nemo scit, an amore, vel odio sit dignus, *sed superuestiri* gloria, ità *vt à vita*, ab immortalitate absorberetur, *quod mortale est*, & ad gloriam efferremur in anima, & deindè ad immortalitatem in corpore, & de hoc vellemus certos esse. *Qui autèm efficit nos in hoc ipsum* gloriosos, & immortales, *Deus* est, *qui* antè hæc *dedit nobis pignus*, arrabonem *spiritus* sancti diffusi in cordibus nostris, interpellare nos facientis. *Audentes igitur sempèr* ob hoc pignus nobis datum, *scientes quoniàm dum sumus in* hoc *corpore*, vita, *peregrinamur*, peregrinari nos *à Domino*: non enim hic viuentes possumus cum illo esse, quia habitat lucẽ inaccessibilem, quam viuentes non possumus apprehendere; ideò dicit: *(per fidem enim* à longè *ambulamus, & non per speciem)* ità vt illo frui possimus, & videre sicuti est, *audemus autèm*, tamèn, *& bonam voluntatem habemus* saltèm in nobis datur velle *magìs peregrinari à corpore*, animam à corpore dissolui, *& præsentes esse ad Dominum* anima, cupio dissolui, & esse cum Christo. *Et ideò contendimus* omni conatu nostro, & voluntate nitimur *siuè absentes, siuè præsentes*, dum viuimus in corpore, & anima, vel à corpore peregrini *placere illi*, hoc est, omne desiderium nostrũ est quouismodo voluntatem suam facere. *Omnes enim nos manifestari oportet antè tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siuè bonum, siuè malum;* docet cur placere illi velit, ideò esto consentiens aduersario in via, &c. quasi dicat, ipse est enim iudex omnium actuum nostrorum, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. *Omnes enim nos*, dic homines mundi, nedùm Apostoli, vt referat *siuè bonum, siuè malum*, ergò & peccatores, ex quibus apparet suprà de omnibus generalitèr potiùs locutum esse, dum dixit, dummodò *vestiti*, & *non nudi inueniamur, propria corporis*, idest, quæ in corpore siuè temporalia, siuè spiritualia egimus. *Scientes ergò* nos, vel ego hæc, quæ prædixi, nos omnes repræsentandos antè Christi tribunal: horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis, *timorem* hunc *Domini hominibus* omnibus *suademus*, vt in die illo euadant, *Deo autèm manifesti sumus*, hæc nos dicere ob hũc zelum, quem ergà alios gerimus. *Spero autèm, & in conscientijs vestris manifestos nos esse*, eadem de causa nos moueri, non alia. *Non iterum commendamus nos vobis* hęc dicentes, seù ex his in laudem nostram nõ prorumpimus, seù illius occasione non mouemur, *sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis*, qui sincerè, & in veritate hæc agimus, *vt habeatis* hanc occasionem *ad eos*, in eos, *qui in facie*, apparentèr *gloriantur*, gloriari videntur verè, sed falsò gloriantur, & non ex corde faciunt, quia conscientia mala deprimuntur. *Siuè enim* in ijs, quæ ad laudem nostram cedere videntur, *mente excedimus*, idest, vltrà quàm mens, & voluntas nostra esset scribimus, *Deo* referimus omnia, qui nos hæc scribere

bere facit: *siue sobrij sumus* in ijsdem non excedentes, sed parùm dicentes, *vobis*, vt discatis exemplo nostro humiliari. *Charitas enim Christi vrget nos* in his omnibus, quæ facimus, vel dicimus, quia in ipso, & pro ipso viuimus, & hanc vitam ab ipso recognoscimus, & ad hæc mouemur: ideò subdit: *æstimantes hoc* supèr omnia vrgentia, *quoniam si unus pro omnibus mortuus est*; ne dum de prædestinatis intelligit, cum de salute non agat, sed de operatione, quæ conuenit, & aptatur, & contingit tàm in prædestinatis, quàm in præscitis secundùm præsentem iustitiam euntibus: *ergò omnes mortui sunt* siuè prædestinati, siuè præsciti, & clariùs subdit: *& pro omnibus mortuus est Christus: vt & qui viuunt, iàm non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*, & hoc capit omnes tàm prædestinatos, quàm præscitos: loquitur enim Paulus de eo, quod fieri debet, non de eo, quod fieret malè. *Et resurrexerit*, quia resurrectio eius est causa nostræ resurrectionis. 1. Cor. 15. & operata est iustificationem nostram. Rom. 4. 25. *Itaquè nos ex hoc* (infert ex prædictis) non nobis, sed Christo viuentes, & in carne positi non secundùm carnem ambulantes, *neminem nouimus secundùm carnem*, sed secundùm spiritu.n, iuxtà quem mori, & resurgere debemus in Christo, seù tales nos ostendere. Vel, *neminem nouimus secundùm carnem* nobis auxiliantem, proùt *Christus mortuus, & qui resurrexit* pro nobis; ideò frustrà expectatur alius Messias. Vel, *itaquè nos* sic mortui Christo *neminem nouimus secundùm carnem*, in quem fiduciam habeamus, nisi in Christo, imò *etsi cognouimus secundum carnem Christum*, aut indutum carnem morituram passibilem: *sed nunc iàm* sic mortui illi, & spirituales toti facti *non nouimus* eum secundùm illum statum passibilem, sed gloriosum, Deo viuentem: Christus enim resurgens ex mortuis iàm non moritur; ideò præmiserat, *sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*; & Christus postquàm resurrexit ad aliam vitam trãslatus dicebat: cum essem vobiscum: is enim pro nobis talia effecit, & in eo solo gloriamur iuxtà statum illius præsentem, ex quibus docet quomodò nobis moriendum, Christo viuendum, vt in carne positi nihil carnale nouerimus, sed solum Christum spiritualem pro nobis mortuum, *& qui resurrexit*. *Si qua*, si quis *ergò in Christo noua creatura* per gratiam est Christi, cum sustulerit veterem hominem, qui mortuus est in ipso, *vetera transierunt* in eo, quæ cum gratia non possunt permanere: *ecce facta sunt omnia noua* in eo per gratiam, quam nobis meruit: si ergò hæc nouitas per eum, ergò serui eius sumus, ipsi viuimus noui effecti, renouati, non nobis: in Christo enim Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, neque Hebræus, neque Gentilis, sed noua creatura spiritualis in nouitate spiritus reformata, & ambulans. Vel, *si qua ergò in Christo noua creatura*, idest, quia *ergò in Christo noua creatura* sumus sic renati, renouati in eo, *vetera*, antiqua creatura peccatrix *transierunt*, euanuerunt: *eccè facta sunt omnia noua*. *Omnia autèm ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum*, loquitur ergò sempèr de iustificatione per Christum in nobis facta, & pace per eum obtenta: *& dedit nobis* Apostolis *ministerium reconciliationis* huius, vt prosit ijs, quibus illam annunciamus. *Quoniàm quidèm Deus* per carnis assumptionem *erat in Christo mundum reconcilians sibi*; vel, *Deus erat sibi reconcilians mundum* per Christum, *non reputãs illis delicta ipsorum*, quæ suprà se sumpsit, & quæ Christus deleuit, *& posuit in nobis verbum* hoc *reconciliationis*, & sic Apostolus ostendit modum tentum à Deo reconciliandi mundum per Christum passum, & Apostolos prædicantes. *Pro Christo ergò legatione fungimur* ex ministerio reconciliationis, *tanquàm* verè *Deo exhortante per nos*, quia nisi ipse ædificet, vana esset prædicatio nostra. *Obsecramus pro Christo*, vice Christi, *reconciliamini* Deo, ex parte vestra etiàm id efficite, vt applicetur vobis eius passio efficientèr, promptè autèm id efficere debetis, & debent omnes per semetipsos; quia Deus *eum* Christum, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit* posuit in eo iniquitates nostras; vel, Christus suprà se sumpsit pro nobis peccatum, quod non nouerat, *vt nos efficeremur iustitia* Dei *in ipso*, vt nos iustificaremur in ipso apud Deum, quantò ergò magis nos pro nobis peccatoribus?



CAPVT VI.


1 *ADIVVANTES autèm exhortamur ne in vacuum*
2 *gratiam* Dei *recipiatis.* * *Ait enim: Tempore accepto*
exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Eccè nùnc tempus
3 *acceptabile, eccè nùnc dies salutis.* * *nemini dantes vllam*
offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum:
4 * *sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicùt* Dei *mini-*
stros in multa patientia, in tribulationibus, in necessita-
5 *tibus, in angustijs,* * *in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in*
6 *vigilijs, in ieiunijs,* * *in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate,*
7 *in Spiritu sancto, in charitate non ficta,* * *in verbo veritatis, in virtute* Dei,
8 *per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris,* * *per gloriam, & ignobilitatem,*
per infamiam, & bonam famam: vt seductores, & veraces, sicut qui ignoti,
9 *& cogniti:* * *quasi morientes, & eccè viuimus: vt castigati, & non mortifi-*
10 *cati:* * *quasi tristes, sempèr autèm gaudentes: sicut egentes, multos autèm locu-*
11 *pletantes: tamquàm nihil habentes, & omnia possidentes. Os nostrum patet ad*
12 *vos ô Corinthij, cor nostrum dilitatum est.* * *Non angustiamini in nobis: an-*
13 *gustiamini autèm in visceribus vestris:* * *eandem autèm habentes remunera-*
14 *tionem, tamquàm filijs dico dilatamini & vos.* * *Nolite iugum ducere cum in-*
fidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci
15 *ad tenebras?* * *Quæ autèm conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum*
16 *infideli?* * *Qui autèm consensus templo Dei cum idòlis? Vos enim estis templum*
Dei viui, sicùt dicit Deus: *Quoniàm inhabitabo in illis, & inambulabo intèr*
17 *eos, & ero illorum* Deus, *& ipsi erunt mihi populus.* * *Proptèr quod exite de*
18 *medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis:* * *&*
ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias,
dicit Dominus *omnipotens.*



ADIVVANTES autèm, cooperantes iuxtà ministerium nobis iniunctum, auxilium præstantes ijs, in quibus pro Deo legatione fungimur: adiutores enim Dei sumus, inquit. 1. Cor. 3. 9. *exhortamur ne in vacuum,* frustrà *gratiam* hanc *Dei* reconciliationis per nos vobis annunciatam, *recipiatis,* ità vt vobis non profit in tempore adeò opportuno. *Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te; Eccè nunc tempus acceptabile, eccè nùnc dies salutis,* pòst aduentum Messiæ; sic, pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno; *nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum:* quasi, nedum adiuuamus, sed etiàm *nemini* damus *offensionem vllam,* scandalum verbo, vel facto, *vt non vituperetur, &c.* sed reputetur, & magni-

magnificetur: *Sed* vt & *in omnibus exhibeamus*, seù exhibemus *nosmetipsos sicùt Dei ministros*. 1. Cor. 4. sic nos existimet homo, &c. *in multa patientia*, & alijs enumeratis, de quibus etiàm egit suprà cap. 4. & latiùs in Act. Apost. in quibus contingebat eis, proùt & Christo: alij, quia bonus est: alij, quia seducit turbas, &c. *in multa patientia*, in qua possessuri erant animas suas, *in tribulationibus*, quas eis prædixit Christus, ità vt tæderet eos viuere *in necessitatibus*, ità vt manibus proprijs operarentur, vt in Paulo, *in angustijs*, vt vix mortem effugerent, *in plagis, in carceribus*, de his pluriès in Act. Apost. *in seditionibus*, etenìm tamquàm seditionem excitantes arcebantur; *in laboribus*, vt numquàm otiarentur, *in vigilijs*, orantes, *in ieiunijs*, ne carne deprimerentur, *in castitate*, ne vituperaretur ministerium eorũ, *in scientia*, vt alios docerent, *in longanimitate*, expectantes à Deo remunerationem, *in suauitate*, vt traherent ad fidem, *in Spiritu sancto*, quo regebantur, & ducebantur, *in charitate non ficta*, sed sincera, vera, *in verbo veritatis*, non fallentes, *in virtute Dei*, miraculis, vt eorum doctrina firmaretur, *per arma iustitiæ*, rectitudinem *à dextris, & à sinistris*, idest, seruantes iustitiam siuè in prosperis, siuè in aduersis ità vt non moueamur à recta via; recitat quæ aduersa, quæ prospera, *per gloriam*, laudem, *& ignobilitatem*, ignominiam, *per infamiam, & bonam famam*, vt seductores, proùt & Christus, seductor ille, *& veraces* in rei veritate, *sicùt qui ignoti, & cogniti* in nostro ministerio, præsertìm ex virtute, miraculis: *quasi morientes* ex angustijs, & afflictionibus, *& eccè viuimus* quasi ex miraculo: *vt castigati*, flagellati, *& non mortificati* adhùc: *quasi tristes* apparentes, vel ex causis, *sempèr autèm gaudentes*; & gaudium vestrum nemo tollet à vobis: *Sicùt egentes* pauperes, *multos autèm locupletantes* spiritualitèr; nàm seminantes spiritualia metebant temporalia ad victum, vndè subdit, *nihil habentes*, qui omnibus etiàm spei renunciauimus, *& omnia possidentes* nobis necessaria; nàm dixit Christus: edentes, & bibentes quæ apponuntur vobis: dignus est enìm operarius mercede sua; &, quandò misi vos sinè sacculo, & pera, numquid aliquid vobis defuit? neq. enim quidquam vltrà victum, & necessaria recepissent, imò Paulus proprijs manibus laborauit, nõ credo ob auaritiam Corinthiorum, sed vt quæstum pseudoapostolis interrumperet, vt ipse dicit in prima epistola. *Os nostrum* (hìc incipit obiurgare) *patet ad vos ò Corinthij*, sincerè vobiscum agimus, *cor nostrum dilatatum est*, aperuimus vobis quod intùs habebamus. Vos ergò *non angustiamini in nobis* vobiscum adeò liberè agentibus, vt nolitis, quod in vobis est explicare: *angustiamini autèm in visceribus vestris*, in considerationem vestri prorumpite, & corrigimini: *eandem autèm habentes remunerationem*, quam nos habituros speramus, *tamquàm filijs*, quos in Christo genui, *dico: dilatamini & vos* in suscipiendo monita nostra, documenta, quæ dedimus, & quæ illa sint, declarat. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, nolite commercium habere, conuersari cum infidelibus, vel matrimonialitèr cum eis coniungi, vtì præmonui: quæ enim hinc mala constat ex Iudæis cum Moabitis mulieribus, in terra promissionis cum Chananæis, Salomone cum alienigenis, & cum eisdem tempore captiuitatis Babylonicæ apud Esdram sociatis. *Quæ enim participatio*, communio debet esse, aut est *iustitiæ*, in qua nùnc conuersi, & fideles estis *cum iniquitate*, in qua infideles versantur? *Aut quæ societas luci* (vos enìm, qui aliquandò eratis tenebræ, nùnc lux estis in Domino) *ad tenebras?* in quibus illi versantur, imò sunt? *Quæ autèm conuentio*, communio *Christi ad Belial*? ad diabolum? qui cum eo vtì inimico humani generis bellum suscepit, & quem vicit? *Aut quæ pars*, lucrum *fideli cum infideli?* cum fidelis lucrum sit spirituale? *Qui autèm consensus*, conuenientia *templo Dei* viui *cum idòlis* mortuis, mutis? *Vos enìm estis templum Dei viui*, quia Deus in vobis conuersis habitat; ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus; *sicùt dicit Deus*, qui mentiri non potest: *Quoniàm inhabitabo in illis* fidelibus, *& inambulabo intèr eos*: delitiæ enìm suæ esse cum filijs hominum; *& ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus*, vnio magna

erit inter nos, protegam ego illos, & ipsi obedient mihi. *Propter quod exite de medio eorum* infidelium iniquorum, *& separamini, dicit Dominus, & immundum ne* etiàm *tetigeritis*, ne contaminemini: *& ego recipiam vos*, protegam, non derelinquam: *& era vobis in patrem*, paterna largiar, *& vos eritis mihi in filios, & filias* obsequentes mihi, *dicit Dominus omnipotens*, verax, obseruans, & faciens, & potens; sic Moyses: recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Num. 16. 26. & quantùm hoc displiceat Deo, apparet in Iosaphat. 2. Paralip. 19. 2. impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris; & idcircò iram quidèm Domini merebaris, &c. & Tobias: non licet nobis edere ex furto aliquid, aut contingere. Tob. 2. 21. sic Hebræi ab eis occisorum substantias non tetigerunt. Esther. 9. 10. 15. 16.




CAPVT VII.



1 *AS ergò habentes promissiones, charissimi, mundemus nos*
ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes san-
2 *ctificationem in timore Dei.* * *Capite nos. Neminem læ-*
simus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus.
3 * *Non ad condemnationem vestram dico. prædiximus*
enim quòd in cordibus nostris estis ad commoriendum, &
4 *ad conuiuendum.* * *Multa mihi fiducia est apud vos,*
multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio
5 *in omni tribulatione nostra.* * *Nàm & cum venissemus in Macedoniam, nul-*
lam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pu-
6 *gnæ, intùs timores.* * *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in*
7 *aduentu Titi.* * *Non solùm autèm in aduentu eius, sed etiàm in consolatione,*
qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum,
8 *vestram æmulationem pro me, ità vt magìs gauderem.* * *Quoniàm etsi contri-*
staui vos in epistola, non me pænitet: etsi pæniteret, videns quòd epistola illa
9 *(etsi ad horam) vos contristauit;* * *nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed*
quia contristati estis ad pænitentiam. Contristati enim estis secundùm Deum,
10 *vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis.* * *Quæ enim secundùm* Deum
tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autèm tristitia
11 *mortem operatur.* * *Ecce enim hoc ipsum, secundùm Deum contristari vos, quan-*
tam in vobis operatur solicitudinem: sed defensionem, sed indignationem,
sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. in omnibus
12 *exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio.* * *Igitur etsi scripsi vobis, non pro-*
ptèr eum, qui fecit iniuriam, nec proptèr eum, qui passus est: sed ad manifestan-
13 *dam solicitudinem nostram, quam habemus pro vobis* * *coràm Deo: ideò con-*
solati sumus. In consolatione autèm nostra, abundantiùs magìs gauisi su-
14 *mus supèr gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis.* * *& si*
quid

quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ità & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veri-
15 *tas facta est, * & viscera eius abundantius in vobis sunt: reminiscentis omnium vestrum obedientiam: quomodò cum timore, & tremore excepistis illum.*
16 * *Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis.*



AS ergò habentes promissiones, charissimi, Deum nobiscum inhabitaturũ, intèr nos inambulaturũ, nosquè recepturum, *mundemus nos ab omni inquinamento carnis*, ideò præcedenti capitulo dixit (in castitate. vers. 6.) vt exemplo suo mouerentur; *& spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei* nos purgante à malis: ad hoc enim recipiendum munditia requiritur; ideò dixit suprà cap. 6. 18. & immundum ne tetigeritis; & Christus: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; *spiritus perficientes sanctificationem* iàm cœptam *in timore Dei*, de quo suprà cap. 5. 11. *Capite nos*, apprehendite quod dicimus. *Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus* in his quæ iussimus. *Non ad condemnationem vestram dico*, quasi hæc de nobis suspiceremini, sed satisfaciens officio meo pro vobis, quos opto immunes omninò; *prædiximus enim quòd estis in cordibus nostris* paratis *ad commoriendum, & ad conuiuendum*, in vita, & morte pro vobis, & maior hac charitas non datur: ad verba enim Christi potiùs alludit, quàm ad profana. *Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro uobis* apud alios, vndè *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, qua opprimor. Vult ex his ostendere cur cum illis ità liberè agat, & dixerit quæ in eis desideret: *Nàm & cum uenissemus in Macedoniam* (dat rationem dictorum) *nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus*; ità vt *foris pugnæ* apertæ, *intùs timores* de statu peiori, in his solicitudinibus, & anxietatibus positi pro vobis. *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi*, qui de statu vestro fecit nos certiores. *Non solùm autèm* (hùc alludebat, ostendere volens quomodò in eo consolatio causa ipsorum) *in aduentu eius, sed etiàm in consolatione, qua consolatus est in uobis, referens nobis uestrum desiderium*, ad perficiendum, *uestrum fletum* contrà vitia, *uestram æmulationem*, zelum *pro me, ità ut magìs gauderem*, quàm antè tribularer, quod suprà expresserat verbis, *superabundo gaudio*; Aemulationem verò intelligit pro fornicario illo; & ne obijcerent, ergò ex epistola tua, quæ nos contristauit, & ex qua fletus noster, de quo præmisit (hinc enim fletus ille) lætatus es, respondet. *Quoniàm & si contristaui uos in Epistola, non me pœnitet: etsi pœniteret, videns quòd Epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit; nùnc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam*; vndè potiùs mihi gaudendum fuit de hoc fructu ex illa, quàm tristandum. *Contristati enim estis secundùm Deum*, proùt debueratis, *vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis*, sed ex re ipsa, ob quam iustè contristati estis, vel imò fructum ex pœnitentia. *Quæ enim secundùm Deum tristitia est*, dolor de peccatis commissis, quæ à Deo emanat, & in vobis creat, *pœnitentiam in salutem stabilem*, æternam, ad peccatorum remissionem idoneam *operatur: sæculi autèm tristitia*, ob res sæculares, inanes, ad salutem non tendentes *mortem operatur*, & sic tristitia sola esse debet pro peccatis; probat quod dixit: *Eccè enim hoc ipsum secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem* ad bonum: (audierat hoc à Tito) *sed* imò & *defensionem*: fortè enim defendebant aliqua ratione quod fecerant, *sed indignationem* contrà peccatum, *sed timorem* pœnæ, *sed desiderium* proficiendi in bono,

sed æmulationem, zelum pro bono, vel Deo, vel alios in virtutibus excedendi, *sed vindictam* in peccatores: *in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos*, puros *esse negocio*, de quo agebatur, fornicarij. *Igitur, etsi scripsi vobis, non proptèr eum, qui fecit iniuriam, nec proptèr eum, qui passus est: sed ad manifestandam solicitudinem nostram, quam habemus pro uobis coràm Deo: ideò consolati sumus*; intelligit de fornicario, tùm quia ipsi conueniunt verba, *proptèr eum qui fecit iniuriam*, tùm iniuriato, *nec proptèr eum, qui passus est*, tùm quia scripsisse dicit, & de epistola scripta contristante plura præmisit, & in ea nihil aliud potest considerari, quàm casus fornicarij. *In consolatione autèm* hac *nostra, abundantiùs magis gauisi sumus supèr gaudio Titi*, quod Titus recepit, *quia refectus est spiritus eius ab omnibus uobis. & si quid apud illum de uobis gloriatus sum*, nempè quod mei causa sic facturi eratis, vel quia de vobis hæc pronunciaueram, *non sum confusus*, non erubui, non secùs ac dixi euenit: *sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus* circà vos, & vestra, *ità & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum*, quòd benè tractaretur, *veritas facta est*, effectum habuit, *& viscera eius*, affectus *abundantiùs in vobis fixa sunt; reminiscentis omnium vestrum obedientiam*, ex obedientia vestra: & *quomodò cum timore, & tremore excepistis illum*, venerati estis; honorastis illum. *Gaudeo quòd in omnibus, confido in uobis*, & suprà vers. 4. *multa mihi fiducia*; & in hac mea confidentia non confundor.



CAPVT VIII.



1 *NOTAM autèm facimus vobis, fratres, gratiam Dei,*
2 *quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ:* quòd in multo ex-*
perimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit,
& altissima paupertas eorum abundauit in diuitias sim-
3 *plicitatis eorum:* quia secundùm virtutem testimonium*
4 *illis reddo, & suprà virtutem voluntarij fuerunt,* cum*
multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & commu-
5 *nicationem ministerij, quòd fit in Sanctos.* Et non sicùt sperauimus, sed semet-*
6 *ipsos dederunt primùm* Domino, *deindè nobis per voluntatem* Dei, * *ità vt ro-*
garemus Titum: *vt quemadmodum cœpit, ità & perficiat in vobis etiàm gra-*
7 *tiam istam.* * *Sed sicùt in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia,*
& omni solicitudine, insupèr & charitate vestra in nos, vt & in hac gratia
8 *abundetis.* * *Non quasi imperans dico: sed per aliorum solicitudinem, etiàm*
9 *vestræ charitatis ingenium bonum comprobans.* * *Scitis enim gratiam Domi-*
mini nostri Iesu Christi, quoniàm proptèr vos egenus factus est, cum esset diues,
10 *ut illius inopia uos diuites essetis.* * *Et consilium in hoc do: hoc enim uobis utile*
11 *est, qui non solum facere, sed & uelle cæpistis ab anno priore:* * *nùnc uerò & fa-*
cto perficite, ut quemadmodum promptus est animus uoluntatis, ità sit & perfi-
12 *ciendi ex eo, quod habetis.* * *Si enim uoluntàs prompta est, secundùm id, quod*
13 *habet, accepta est, non secundùm id, quod non habet.* * *Non enim ut alijs sit*
14 *remissio, uobis autèm tribulatio, sed ex equalitate.* * *In præsenti tempore ue-*
stra

stra abundantia illorum inopiam suppleat: vt & illorum abundantia vestræ
15 *inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas, sicùt scriptum est:* * *Qui multum*
16 *non abundauit: & qui modicum, non minorauit.* * *Gratias autèm Deo, qui*
17 *dedit eandem solicitudinem pro vobis in corde Titi,* * *quoniàm exhortationem*
quidèm suscepit: sed cum solicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos.
18 * *Misimus etiàm cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Eccle-*
19 *sias:* * *non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis*
nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam, & desti-
20 *natam voluntatem nostram:* * *deuitantes hoc, nequis nos vituperet in hac pleni-*
21 *tudine, quæ ministratur à nobis.* * *Prouidemus enìm bona non solum coràm*
22 *Deo, sed etiàm coràm hominibus.* * *Misimus autèm cum illis & fratrem no-*
strum, quem probauimus in multis sæpè solicitum esse: nùnc autèm multo soli-
23 *citiorem, confidentia multa in vos,* * *siuè pro Tito, qui est socius meus, & in*
24 *vos adiutor, siuè fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi.* * *Osten-*
sionem ergò, quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis, in illos osten-
dite in faciem Ecclesiarum.



OTAM *autèm facimus uobis, fratres, gratiam*, eleemosynam *Dei*, pro Deo, *quæ data est;* hinc rectè gratia pro eleemosyna, *in Ecclesijs*, non Ecclesijs, proùt sic dicendum si gratiam pro eleemosyna non acciperet, *Macedoniæ:* (vult Apostolus ab exemplo eos ad eleemosynam allicere) *quòd*, pro, quia, *in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit;* nàm ipsi hæc præstiterunt lætantèr etiàm in tribulatione positi: hilarem enim datorem diligit Deus; qui miseretur in hilaritate. Rom. 12.8. Eccl. 18. 27. *& altissima*, maxima *paupertas eorum*, fortè quia spoliati à cōtribulibus, vt 1. Thesal. 2. 14. *abundauit in diuitias*, fuit diues, larga, *simplicitatis eorum*, quia pro Deo simplicitèr hæc fecerunt, non humano respectu; hìnc appellat suprà, *gratiam Dei*, & infrà, *semetipsos dederunt primùm Domino, deindè nobis per uoluntatem Dei: quia secundùm uirtutem testimonium illis reddo*, testor ipsos fecisse secundùm virtutem, iuxtà vires, *& suprà uirtutem uoluntarij*, vltronei *fuerunt*, sed & suprà vires facere voluisse, *cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerij* mihi commissi. Gal. 2. 10. Act. 11. infrà 12. in fin. *quod sit in sanctos* eleemosynam ab illis recipere. *Et non sicùt sperauimus*, vltrà spem nostram: tanta enim de illis non conciperamus, *sed semetipsos dederunt primùm Domino*, confidentes in eum, etsi proprijs spoliarentur, *deindè nobis* per eleemosynam *per voluntatem Dei*, à quo omne bonum, *ità vt* (de vobis soliciti ne ab alijs vinceremini) *rogaremus Titum: vt quemadmodum cœpit* in alijs charismatibus, *ità & perficiat in vobis etiàm gratiam istam*, hoc charisma, vt sitis abundantes in eleemosynarum erogatione. *Sed sicùt in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni solicitudine, insupèr & charitate vestra in nos, vt & in hac gratia* eleemosynarum elargiendarū *abundetis. Non quasi imperans dico*, quasi velim in vobis hanc obligationem inducere: *sed per aliorum solicitudinem*, Macedonicam diligentiam *etiàm vestræ charitatis ingenium bonum comprobans* aliorum solicitorum exemplo vos charitate plenos ad idem bonum exhortans. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniàm proptèr uos*

egenus

egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis spiritualibus, cuius exemplo eos moueri vult ad idem erga proximos pauperes. *Et consilium in hoc do*, non præcipio, proùt & suprà, non quasi imperans: *hoc enim vobis vtile est*, qua vestra vtilitate ductus hoc consulo, præsertim *qui non solum facere, sed & velle* ex inclinatione vestra promptè *cœpistis ab anno priore*; vndè non ingero noua: *nùnc verò & facto perficite* quod facere, & velle cœperatis: *vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ità sit & animus promptus perficiendi ex eo, quod habetis*, ex eo, quod vobis suppetit: *Si enim uoluntas prompta est secundùm id, quod habet*, seù potest elargiendi, *accepta est* Deo, & ideò potest tantùm facto perficere in eo, quod habet, seù potest, *non secundùm id, quod non habet*, quod non est in sua potestate. *Non enim* (declarat prædicta) volo vos abdicare bona, *ut alijs sit remissio*, abundantia, otium, *uobis autèm* dantibus *tribulatio*, si plùs æquo dederitis, *sed ex æqualitate*, sed vt æqualitas seruetur intèr vos dantes, & illos recipientes. *In præsenti tempore* illorum egestatis *uestra abundantia*, quod vobis abundat (eccè quomodò clariùs præmissa explicat) *illorum inopiam suppleat* in temporalibus: *ut & illorum abudantia* spiritualium *uestræ inopiæ* spiritualium *sit supplementum*: aliqui dicunt, si ipsi aliquandò diuites, vos inopes efficeremini, & velle hanc mutuam charitatem intèr fideles admodum conuenire, & illis commemorare posse & ipsos ad inopiam deuenire, & cupere ab alijs subueniri: centuplum enim hic accipimus, & in alia vitam æternam, sed de his tacitè agat, ne videatur eis malum minari; at quia loquitur de præsenti, *ut & illorum abundantia uestræ inopiæ sit supplementum*, meliùs est vt dicamus, vt ipsi eorum orationibus vos adiuuent; & sic in spiritualibus; quisque autèm inops, nesciens an amore, vel odio dignus; & sic infrà cap. 9. 12. 13. idem clarè repetit; *ut fiat æqualitas* hinc indè, *sicùt scriptum est: Qui multum* collegit mannæ, *non abundauit*, quia sempèr gomor, *& qui modicum* collegit, *nō minorauit*, quia idem, ità & vos facite, ad hanc æqualitatem rem reducite. *Gratias autèm Deo, qui dedit eamdem solicitudinem pro vobis* circà has collectas, seù eleemosynas *in corde Titi, quoniam exhortationem quidèm* meam *suscepit* circà gratiam hanc in vobis inserendam, de qua suprà vers. 6. *sed cum solicitior esset* ex se, non se continuit, sed *sua voluntate* ductus *profectus est ad vos*, ad vos venit. *Misimus etiàm cū illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias* prædicando, non in scripto, quia de scripto adhùc nulla mentio: *non solum autèm, sed & ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis nostræ in hāc gratiam* eleemosynæ, *quæ ministratur à nobis*, cuius ministerium habemus *ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram*, qui nos sic dedicauimus: *deuitantes hoc, ne quis nos uituperet in hac plenitudine*, gratia, subuentione, *quæ ministratur à nobis*; sic suprà cap. 6. 3. vt non vituperetur ministerium nostrum, & cap. 9. 12. *prouidemus enim bona*, facimus bona *non solum coram Deo* in conscientia nostra tuti, *sed etiam coram hominibus*, ne quis habeat dicere de nobis; hinc 1. Cor. 16. 3. volebat per eligendos ab ipsis mittere eleemosynam in Ierusalem: Sed quis hic? non Barnabas, quia tùnc disiuncti ab inuicèm. Act. 15. 49. nequè Tito iungeretur Barnabas, sed Titus Barnabæ: non Apollo, qui secum non erat, & recusauit semèl. 1. Cor. 16. 12. nequè illorum Episcopum postponeret, vel innominatum prætériret, quod non fecit prima epistola: non Lucas, quia non is ordinatus comes, &c. non Timotheus, quia & ipse scribit cum Paulo. An potiùs Silas cum Baronio? vidè Act. 15. 40. fateor esse dubiam quæstionem; at in actis fusiùs dixi: *Misimus autèm cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpè solicitum esse: nùnc autèm multò solicitiorem, confidentia multa in vos*, quam in vobis habemus, ducti quòd liberalitèr eos excipietis, *siuè pro Tito, qui est socius meus, & in vos adiutor*, cui multum debetis his nominibus, *siuè* pro alijs, qui sunt *fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum*, ab Ecclesijs missi, *gloria Christi*, cum pro illa animas suas ponant. *Osten-*

Ostensionem ergò, quæ est charitatis vestræ solitæ, *& nostræ gloriæ pro nobis*, in qua nos gloriamur, eam prædicantes ijs, quos mittimus, *in illos ostendite in faciem Ecclesiarum* coràm multitudine ad præsentiam omnium, ad hoc, vt efficiantur maioris fidei apud alios.



CAPVT IX.




1 *AM de ministerio, quod fit in sanctos ex abundanti est*
2 *mihi scribere vobis. * Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniàm & Achaia parata est ab anno præterito, & vestra*
3 *æmulatio prouocauit plurimos. * Misi autèm fratres: vt ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte, vt*
4 *(quemadmodum dixi) parati sitis: * ne cum venerint*
Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos (vt non di-
5 *camus vos) in hac substantia. * Necessarium ergò existimaui rogare fratres,*
vt præueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc para-
6 *tam esse sic, quasi benedictionem, non tamquàm auaritiam. * Hoc autèm di-*
co: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de
7 *benedictionibus & metet. * Vnusquisque proùt destinauit in corde suo, non ex*
8 *tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. * Potens est*
autèm Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus sempèr
9 *omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, * sicùt scriptum*
10 *est: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. * Qui*
autèm administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit,
& multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ ve-
11 *stræ: * vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ opera-*
*tur per nos gratiarum actionem Deo. * Quoniàm ministerium huius officij non*
12 *solùm supplet ea, quæ desunt sanctis, sed etiàm abundat per multas gratiarum*
13 *actiones in Domino, * per probationem ministerij huius, glorificantes Deum in*
obedientia confessionis vestræ, in Euangelium Christi, & simplicitate commu-
14 *nicationis in illos, & in omnes, * & in ipsorum obsecratione pro vobis, deside-*
15 *rantium vos proptèr eminentem gratiam Dei in vobis. * Gratias Deo supèr*
inenarrabili dono eius.

NAM



AM de ministerio, quod fit in sanctos ex abundanti est mihi scribere vobis. Commendabat missos in fine cap. præcedentis, videbatur & aliquid addendum ad commendationem eleemosynæ, sed dicit, *ex abundanti est mihi scribere*, superfluum id esset. *Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones, quoniàm & Achaia*, cuius caput estis, *parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio*, zelus *prouocauit plurimos*; non ergò inferendum quia sic dicit, ergò suprà cap. 8. de hac non egit, quia non concludit. *Misi autèm fratres*, de quibus suprà: *vt ne quod gloriamur de vobis*, quos prædicamus profusos, *euacuetur in hac parte, vt (quemadmodum dixi) parati sitis: ne cum venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos (vt non dicamus vos) in hac substantia*, in hac re graui, seù in hoc negotio. addit calcaria currentibus. *Necessarium ergò* hac de causa *existimaui rogare fratres, vt præueniant* aduentum meũ *ad vos, & præparent repromissam benedictionem*, eleemosynam *hanc paratam esse sic, quasi benedictionem*, abundantiam, *non tamquàm auaritiam*, idest, diminutam eleemosynam. *Hoc autèm dico: Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus* abundantèr, *de benedictionibus* largitèr *& metet*, iuxtà opus suum paruum, vel magnum cuique retribuetur. *Vnusquisque* tribuat *proùt destinauit in corde suo*, quia, vt dixi, non impero, sed consulo, *non ex tristitia*, non mœrens, sed hilaritèr, *aut ex necessitate*, coactus sed pròptè ex animo: *hilarem enim datorẽ diligit Deus*, placet Deo hilaritèr dantes. *Potens est autèm Deus omnem gratiam*, benedictionem spiritualem *abundare facere in vobis*, quia & centuplum in hac vita datur: *ut in omnibus sempèr omnem sufficientiam habentes, abundetis*, abundare possitis *in omne opus bonum* cuiusuis generis: quasi, ne timeatis Deum vobis defuturum ex hac contributione, quia Deus non derelinquet vos vacuos, subministrabit vobis spiritualia, quod probat ex Scriptura, *sicùt scriptũ est: dispersit* iustus bona sua, *dedit pauperibus: iustitia eius*, merces *manet in sæculum sæculi*, æterna est: primus fructus eleemosynæ, subdit de secundo, scilicèt de centuplo hìc, de gratia. *Qui autèm administrat semen seminanti*, qui dat gratiam ad dandas eleemosynas, Deus: *& panem ad manducandum præstabit* dantibus, *& multiplicabit*, benedicet *semen uestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ uestræ* mercedis vestræ, operis vestri boni, & sic non derelinquet semen per vos satum absquè fructu, imò multiplicabit: *ut in omnibus* spiritualibus *locupletati abundetis in omnem simplicitatem*, puritatem operum, agentes illa respectu Dei tantùm; sic Iob simplex cap. 1. Iacob. Gen. 25. 27. *quæ* vestra simplicitas nobis nota *operatur per nos gratiarum actionem* ipsi *Deo*, facit vt gratiæ Deo per nos reddantur. *Quoniàm ministerium huius officij* mihi iniuncti *non solùm supplet ea, quæ desunt sanctis* in Ierusalem, sanctorum necessitatibus, *sed etiam abundat*, benedicitur, fouetur *per multas gratiarum actiones in Domino* operante hoc supplementum, *per probationem*, experimentum *ministerij huius, glorificantes Deum in obedientia confessionis uestræ in*, ergà *Euangelium Christi*: operando enim iuxtà illud confitemini vos esse illi obedientes, *& simplicitate communicationis*, eleemosynæ *in illos, & in omnes alios, & in ipsorum obsecratione pro uobis* fusa, *desiderantium uos*, optantium vobis omne bonum *proptèr eminentem gratiam Dei*, quæ est *in uobis*. *Gratias Deo super inenarrabili dono eius*, à quo tot bona iuncta procedunt.

CA-



CAPVT X.

1 IPSE autèm ego Paulus obsecro vos per mansuetudi-
nem, & modestiam Christi, qui in facie quidèm humi-
2 lis sum intèr vos, absens autèm confido in vobis. * Ro-
go autèm vos ne præsens audeam per eam confidentiam,
qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos
3 tamquàm secundùm carnem ambulemus. * In carne
enim ambulantes, non secundùm carnem militamus.
4 * Nàm arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructio-
5 nem munitionum, consilia destruentes, * & omnem altitudinem extollentem
se aduersùs scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in
6 obsequium Christi, * & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam,
7 cum impleta fuerit vestra obedientia. * Quæ secundùm faciem sunt, videte.
Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se: quia sicùt ipse
8 Christi est, ità & nos. * Nàm, & si ampliùs aliquid gloriatus fuero de po-
testate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destru-
9 ctionem vestram: non erubescam. * Vt autèm non existimer tamquàm ter-
10 rere vos per epistolas: * quoniàm quidèm epistolæ, inquiunt, graues sunt &
11 fortes: præsentia autèm corporis infirma, & sermo contemptibilis: * hoc cogi-
tet qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales &
12 præsentes in facto. * Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibus-
dam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & com-
13 parantes nosmetipsos nobis. * Nos autèm non in immensum gloriabimur, sed
secundùm mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingen-
14 di vsquè ad vos. * Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendi-
15 mus nos vsquè ad vos enìm peruenimus in Euangelio Christi. * non in im-
mensum gloriantes in alienis laboribus: spem autèm habentes crescentis fidei ve-
16 stræ, in vobis magnificari secundùm regulam nostram in abundantiam, * etiàm
in illa, quæ vltrà vos sunt, euangelizare, non in aliena regula in ijs
17 quæ præparata sunt gloriari. * Qui autèm gloriatur, in Domino glorie-
18 tur. * Non enìm qui seipsum commendat, ille probàtus est: sed quem Deus
commendat.



PSE autèm ego Paulus obsecro uos per mansuetudinem, & modestiam Christi; hæc præmittit, vt ostẽdat se has imitatum; ideò subdit quæ ad imitationem, *qui in facie quidèm*, in præsentia *humilis sum intèr uos:* fatetur qualis sit, & contrà eum hoc dicebatur; sic & infrà. 1. Cor. 12. 3. at hæc humilitas nedum in tractando, sed etiàm in laborando manibus suis, vt infrà cap. 11. 7. & cap. 12. 13. quod & magis angebat pseudoapostolos quæstui inhiantes, quod vers. 12. innuit Apostolus; *absens autèm* (si secùs videor, vel sum) *confido in uobis*, hoc fit ex confidentia, quam in vobis habeo, de qua suprà etiàm pluriès. *Rogo autèm uos*, vt sitis obedientes, *ne præsens audeam per eam confidentiam, qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tanquàm secundùm carnem ambulemus*, moueri humanis affectibus; præstolor itaquè vt impleatur vestra obedientia, eorum nempè, *qui* existimant *nos tanquàm secundùm carnem ambulemus*, ne, si nùnc antequàm vestra obedientia impleatur vellem aliorum inobedientiam vlcisci, euellerem cum zizanijs & triticum, & quia expedit mora, vt reducamini, & fiatis interìm obedientes, & dum hæc habetur, suspendimus quam in promptu habemus vltionẽ aduersùs transgressores. At decipiuntur illi sic existimantes. *In carne enìm ambulantes, non secundùm carnem militamus*, sed secundùm spiritum. *Nàm arma militiæ nostræ*, quibus militamus *non carnalia sunt, sed* spiritualia, *potentia Deo*, idest, vel à Deo, vel per Deũ *ad destructionem munitionum* contrà fidẽ, vel prædicationem nostram erectarum, *consilia destruentes, & omnem altitudinem*, superbiam *extollentem se aduersùs scientiam Dei*, & ex alia parte *in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, ad credendum in Christo. Vult dicere, sunt adeò potentia arma nostra, vt contraria, & contumacia destruamus, tollamus, vel ad Christum reducamus, & postquàm reduxerimus *in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* eorum, *cum impleta fuerit uestra obedientia*, quam præstolamur. Qui autèm essent inobedientes, an pseudoapostoli, an conuersi adhùc non liquet ex his verbis, sed potiùs videntur conuersi, vt & infrà cap. 12. 21. & 13. 2. nàm si essent pseudoapostoli soli, facilè poterant euelli; & vlcisci eorum inobedientia, & de illis cõuertendis hìc non agebat. *Quæ secundùm faciem sunt*, quæ sunt in me manifesta, *uidete*, hæc considerate, & cognoscetis, quàm iniustè mihi detrahatur. *Si quis confidit sibi Christi se esse*, nec tangi nostris monitionibus, vel nos posse spernere, *hoc cogitet iterum* benè *apud se: quia sicutì ipse Christi est, ità & nos*, qui monemus, cui detrahit: quasi, consideret nos benè monere, & iuxtà mentem Christi, & saltèm nos inferiores seipso non faciat. Iob dicebat cap. 13. 2. nec inferior vestri sum, & cap. 12. 3. *Nàm, etsi ampliùs aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem uestram: non erubescam*, non confundar; dixi *quia sicùt ipse Christi, ita & nos* sumus, sed si dixero plùs nos, quibus ideò deberet obedire, & non detrahere, cum construere nõ destruere cogitemus, nõ mentior. *Vt autèm nõ existimer tanquàm terrere vos per Epistolas*, deindè non adimpleturus minas: *quoniam quidèm Epistolæ, inquiunt, graues sũt, & fortes* ad terrendum: *præsentia autèm corporis infirma* (erat enim breuis staturæ) *& sermo contemptibilis:* loquebatur enim absquè fuco, & in simplicitate: *hoc cogitet qui eiusmodi est* inobediens, *quia quales sumus verbo per Epistolas absentes, tales & præsentes in facto*, in veritate, non fingimus. *Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant*, laudant, extollunt: *sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis* stamus in terminis nostris, nolumus alios in hoc imitari, humiliamur in nobis potiùs, deprimimur. *Nos autèm non in immensum*, vltrà mensuram *gloriabimur, sed secundùm mensuram regulæ, qua mensus*, partitus est *nobis Deus mensuram* dico pertin-

pertingendi vsquè ad vos, & hos terminos nùnc non dilatamus, sed ad vos tantùm protendimus. *Non enìm quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos*, & hæc dicendo non excedimus limites nostros; *vsquè ad vos enim peruenimus in Euangelio Christi* promulgando, in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. *non in immensum*, non vltra mensuram, seù limites *gloriantes*, gloriamur *in alienis laboribus: spem autèm habentes crescentis fidei vestræ*, & ob eam *in vobis magnificari*, superextolli *secundùm regulam nostram* vobis datam *in abundantiam*, largitèr, effusè *etiàm in illa* loca, *quæ vltrà vos sunt, euangelizare, non in aliena regula*, modo, seù labore *in ijs, quæ præparata sunt* ab alijs conuersa *gloriari*; intendit de proprio, non alieno labore magnifieri, & gloriari velle. *Qui autèm gloriatur, in Domino glorietur*; ne obijceretur sibi, cur in te gloriaris? non (inquit) in me, sed in Domino. *Non enim qui se ipsum commendat*, laudat, *ille probatus est*, cùm imò nesciat an amore, vel odio dignus sit, & an fecerit quod sibi iussum quod seruo incumbebat, & si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Rom. 4. 2. *sed quem Deus* omnisciens, scrutator cordium *commendat*, laudat, approbat.



CAPVT XI.



1 *VTINAM sustineritis modicum quid insipientiæ meæ,*
2 *sed & supportate me: * Aemulor enìm vos Dei æmulatione. Despondi enìm vos vni viro virginem castam exhibere Christo. * Timeo autèm ne sicùt serpens Heuam*
3 *seduxit astutia sua, ità corrumpantur sensus vestri, & ex-*
4 *cidant à simplicitate, quæ est in Christo. * Nàm si is, qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicauimus aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis: aut aliud Euangelium, quod*
5 *non recepistis: rectè pateremini. * Existimo enim nihil me minùs fecisse à ma-*
6 *gnis Apostolis. * Nàm etsi imperitus sermone, sed non scientia, in omnibus au-*
7 *tèm manifestati sumus vobis. * Aut numquid peccatum feci, ipsum humilians, vt vos exaltemini? quoniàm gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis?*
8 ** Alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.*
9 ** Et cum essem apuod vos, & egerem; nulli onerosus fui: nàm quod mihi deerat, suppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia: & in omnibus sinè onere me*
10 *vobis seruaui, & seruabo. * Est veritas Christi in me, quoniàm hæc gloriatio*
11 *non infringetur in me in regionibus Achaiæ. * Quare? quia non diligo vos?*
12 *Deus scit. Quod autèm facio, & faciam: vt amputem occasionem eorum, qui*
13 *volunt occasionem, vt in quo gloriantur, inueniantur sicùt & nos. * Nàm eiusmodi pseudoapostoli, sunt operarij subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi.*
14 ** Et non mirum: ipse enìm Satanas transfigurat se in angelum lucis. * non est*
15 *ergò magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri Iustitiæ: quorum*
16 *finis erit secundùm opera ipsorum. * Iterum dico, (ne quis me putet insipientem esse, aliòquin velut insipientem accipite me, & vt & ego modicum quid glorier)*

17 * *quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in insipientia, in hac sub-*
18 *stantia gloriæ.* * *Quoniàm multi gloriantur secundùm carnem: & ego gloriabor.*
19 * *Libentèr enim suffertis insipientes: cum sitis ipsi sapientes.* * *Sustinetis enim si*
20 *quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur,*
21 *si quis in faciem vos cædit.* * *Secundùm ignobilitatem dico, quasi nos infirmi*
22 *fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego:* * *Hebræi*
23 *sunt, & ego. Israelitæ sunt, & ego: semen Abrahæ sunt, & ego:* * *Ministri Christi sũt,*
(vt minùs sapiens dico) plùs ego: in laboribus plurimis, in carceribus abũdantiùs,
24 *in plagis suprà modum, in mortibus frequentèr.* * *A Iudæis quinquies, quadrage-*
25 *nas, vnà minùs, accepi.* * *Ter virgis cæsus sum, semèl lapidatus sum, ter nau-*
26 *fragium feci, nocte & die in profundo maris fui,* * *in itineribus sæpè, periculis*
fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis
in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus:
27 * *in labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & in siti, in ieiunijs mul-*
28 *tis, in frigore, & nuditate,* * *prætèr illa, quæ extrinsecùs sunt, instantia mea quo-*
29 *tidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* * *Quis infirmatur, & ego non infirmor?*
30 *quis scandalizatur, & ego non vror?* * *Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ*
31 *sunt, gloriabor.* * *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus*
32 *in sæcula, scit quòd non mentior.* * *Damasci præpositus Gentis Aretæ regis, custo-*
33 *diebat ciuitatem Damascenorum vt me comprehenderet:* * *& per fenestram in*
sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius.




TINAM *sustineretis* patientèr *modicum quid insipientiæ meæ*, meç gloriationis, seù gestorum meorum more insipientium, quæ nõ reputo, *seu &*, quæso, *supportate me* ad bonum vestrum: timens eorum seductionem, à qua vellet eos seruare, sic exorditur. *Aemulor enim vos*, magno zelo afficior proptèr vos, sed bono, nempè *Dei æmulatione*, Dei zelo. *Despondi enim vos vni viro;* soli *Christo virginem castam*, incontaminatam *exhibere*; ideò enitor, ne falsa doctrina deturpemini: *Timeo autèm* (vndè zelus) *ne sicùt serpens* antiquus, diabolus *Euam seduxit astutia sua, ità corrumpantur sensus vestri* à pseudoapostolis, *& excidant à simplicitate*, puritate morum, *quæ est in Christo* Iesu, quem imitari, & sequi debemus. *Nàm si is, qui venit* ex pseudoapostolis, *alium Christum prædicat, quem nos non prædicauimus, aut alium spiritum* meliorem *accipitis, quem non accepistis* à nobis: *aut aliud Euangelium* melius, quàm *recepistis* à nobis: *rectè pateremini* hos Apostolos falsos; at Galat. 1. vti falsos mandat reijci, sed hic vno, ibì alio modo ad idem tendente. *Existimo enim*, imò & certus sum *me nihil minus fecisse à magnis Apostolis*: de hoc & Galat. 2. in promulgando Euangelium; vndè hi pseudoapostoli non potuerunt, nec possunt me superare. *Nàm etsi imperitus sermone* videor, quia non vtor fuco, sed simplicitate in euangelizando, *sed non scientia*, cum Euangelium didicerim per reuelationem Iesu Christi. Gal. 1. 12. *in omnibus autèm manifestati sumus vobis*, vos scitis hæc omnia, quomodò vobiscum egerim, testes vos inuoco: *Aut nunquid peccatum feci, meipsum humilians* laborando manibus meis, *vt vos exaltemini?* hoc facto meo in fide? *aut peccatum feci, quoniàm gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis?* hic vrgebant pseudoapostoli ventrem im-

plere

plere cupientes, & hoc exemplum eis nocebat. Imò & *alias Ecclesias expoliaui, accipiens* ab illis *stipendium ad ministerium vestrum*, vt vobis euangelizarem. *Et cum essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui*, neminem grauaui: *nàm quod mihi deerat* ad victum, *suppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia: & in omnibus sinè onere* vestro *me vobis seruaui* ministrum Euangelij, *& seruabo*, non sum mutatus. *Est veritas Christi in me*, non mentior, *quoniàm hæc gloriatio*, scilicèt non esse oneri cuiquam, *non infringetur in regionibus Achaiæ* nam & ibi neminem grauabo euangelizãs. *Quare?* id feci scilicèt nolens à vobis recipere? *quia non diligo vos? Deus scit*, testem Deum inuoco supèr dilectione mea in vos. *Quod autèm facio, & faciam*, vt sic abstineam: *vt amputem occasionem eorum* pseudoapostolorum, *qui uolunt*, quærunt *occasionem, ut in quo gloriantur*, esse sicùt nos, *inueniantur sicut & nos* sumus: retento enim meo more vos non grauandi, ad quod ipsi pertingere non possunt, assequar, *ut* non *inueniantur sicùt & nos*, proùt *gloriantur*, postquàm illi inhiant pecunijs vestris, nec possunt abstinere ab eis, proùt ego, & hæc sua gloriatio tendens in gloriam Christi; si hæc ratio cur abstineret, non ergò auaritiâ Corinthiorum; & verè quid fuisset alere Paulum? & quia hæc præstabant pseudoapostolis, infrà, *si quis deuorat*, & quia dicit. *Quare? quia non diligo uos?* vers. 12. *Nàm eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli*, fallaces, *transfigurantes se in Apostolos Christi*, cuius non sunt. *Et non mirum: ipse enim Satanas*, quem sequuntur, *transfigurat se in angelum lucis*, vt decipiat. *non est ergò magnum, si ministri eius*, pseudoapostoli *transfigurentur velut ministri iustitiæ*, virtutum. *Quorum* tamèn *finis* tandèm *erit secundùm opera ipsorũ*, pro quibus cognoscentur; ex fructibus eorũ cognoscetis eos; sic suprà cap. 2. *Iterum dico (ne quis me putet insipientem esse*, dum me laudo, *aliòquin velut insipientem accipite me, vt & ego modicum quid glorier)* at facite quod libet. Volens Paulus sua depromere, quæ in gloriam suam tendebant, hæc præmittit: serui enim Dei ægrè de se hæc referunt; *quod loquor*, quod nùnc sum dicturus, *non loquor secundùm Deum*, sed secundùm sæculum, *sed quasi in insipientia*, proùt insipientes homines mundani *in hac substantia gloriæ*, in hac materia, sermone gloriæ, quæ mihi èst vanitas, non tamèn hæc insipientia verè, sed iuxtà existimationem loquitur, vt & infrà cap. 12. 6. & vt aperiat non ad suam gloriam hæc referre: ideò sempèr quandò de se aliqua in gloriam tendentia dicit, his phrasibus vtitur, vt & infrà vers. 22. 23. & c. 12. 11. *Quoniàm multi gloriantur secundùm carnem*, secundùm carnalem affectũ, vtì homines mundi solent: *& ego gloriabor* ad bonum, vt os eorum obstruam, & vobis prosim, non vt me commendem. *Libentèr enìm suffertis insipientes*, commendantes seipsos: *cùm sitis ipsi sapientes*, prudentes in hoc. *Sustinetis enim, &c.* sic Ioab exprobabat Dauid. 2. Reg. 19. 6. *Sustinetis enim* patientèr, *si quis vos in seruitutem redigit* legalium cæremoniarũ per Christum ablatarum, *si quis deuorat* vestras substantias in victu, & alijs necessarijs, *si quis accipit* vestra vltrà illa; sic ad Hebræos, & rapinam bonorum vestrorum sustinuistis; *si quis extollitur*, superbit, vult præcedere vos, *si quis in faciem vos cædit* non percutiendo *Secundùm ignobilitatem*, ignominiam, *dico*, ignominiosa, & turpia comminùs vobis dicendo; hæc omnia à pseudoapostolis Corinthij recipiebant, & sustinebant; *quasi nos infirmi*, humiles *fuerimus in hac parte*, vt non potuerimus & nos hæc omnia facere, & dicere: quæ autèm essent, quæ effutiebant pseudoapostoli, & gloriabantur suprà Paulum, & ignominia afficiebant Corinthios subdit, dicens. *In quo* in quouis nobilitatis genere *quis audet* gloriari (*in insipientia dico*, in commendatione sui ipsius) *audeo & ego*, rationem, & potentiam, veritatem habeo & ego gloriandi: *Hebræi sunt*, ab Heber descendentes (sic dicebant) *& ego* Hebræus: *Israelitæ sunt* de populo peculiari à Deo electi, *& ego* Israelita sum: *Semen Abrahæ sunt* secundùm carnem, cui factæ primò promissiones; cum Christo etiàm dicebant illi, semen Abrahæ sumus: patrem habemus Abraham; *& ego: Ministri Christi sunt* (non erant, sed secundùm eorum

falsitatem loquitur, (*vt minùs sapiens dico*) cur minùs sapiens? quasi cognoscens indignitatem suam, & se humilians, *plus ego;* quod autèm plùs ipse, ostendit ex subiunctis, non illa æquiparando, quibus talia non contigerunt, sed de se loquendo: *in laboribus plurimis* fui, *in carceribus abundantiùs*, sæpiùs, *in plagis*, quibus affectus sum *suprà modum, in mortibus*, periculis mortis *frequentèr* (descendit ad particularia) *à Iudæis quinquiès*, quinque vicibus, *quadragenas* plagas, *vna minùs* iuxtà Deuter. 25. *accepi. Ter virgis cæsus sum* à Romanis, vel alijs, *semèl lapidatus sum*, de his in Act. Apost, *ter naufragium feci*, & euasi ex miraculo, *nocte & die in profundo maris. fui*, iuxtà litteram, proùt Aegyptijs contigit, ferebanturquè in profundum. Exod. 14. 25. & Psal. infixus sum in limo profundi, & hoc ex miraculo in eius persona salua, vti in Iona, & non est dubium saluum fuisse ereptum ex alijs periculis vniuersis miraculosè, & manu Dei protegente; quomodò verò ad alia trahi possit non video, nisi diuinando, & postquàm non nisi ex diuinatione, satiùs est stare in proprietate sermonis, in qua persistimus etiàm in alijs periculis enumeratis, & congruit naufraganti etiàm stare in profundo maris, & habemus exemplum Ionæ. Ad hæc, non contentus dixisse, *ter naufragium feci*, subdit, *periculis in mari;* Vltrà quòd adeò propriè hic loquitur, vt enumeret vices & in plagis, & naufragio, & virgarum cæsione, & à quibus, & singillatum omnia enumeret, quod facit, vt & illud propriè dictum sit habendum. Et si dicis in alto mari, vltrà diuinationem, illud suprà aquas, proùt dictum Petro, duc in altum, hoc subtèr aquas: si de carcere, vltrà impropriationem, suprà dixit *in carceribus abundantiùs*, & potiùs dixisset in lacum, proùt Gen. 40. 15. in Ioseph. & Ierem. 38. 6. in Ieremia, & Scriptura ad carceres designandos non vtitur profundo; & hæc opinio est conformis Ecclesiæ dicenti, tertiò naufragantem de profundo pelagi liberauit. *In itineribus sæpè*, quæ & hominem frangunt, & in ijs, *periculis fluminum* in eis transuadandis, *periculis latronum* insidiantium, *periculis ex genere*, ab Hebræis, vt in Act. *periculis ex Gentibus* à Iudæis commotis, *periculis in ciuitate*, pro ciuitatibus, Epheso, & alijs, *periculis in solitudine*, desertis, *periculis in mari*, hæc vltrà naufragia prædicta, *periculis in falsis fratribus* Christianis: familiaris inimicus omni peste peior: *in labore, & ærumna*, quod est maius; sic Gen. 3. ad mulierem; *in vigilijs multis*, quæ difficultèr tolerantur, *in frigore, & nuditate*, non valens sibi subuenire, *præter illa* hæc omnia narrata, *quæ extrinsecus sunt*, corpus tantùm respicientia, intrinseca, in animo residentia, illumquè occupantia, *instantia*, vigilantia *mea quotidiana* continuata, *solicitudo*, anxia cura *omnium Ecclesiarum* mihi commissarum, & aliarum, vt ex Epistolis patet. (solicitudinem explicat) *Quis infirmatur* in fide, *& ego non infirmior?* animo mœrens, compatiens? *quis scandalizatur* actiuè, vel passiuè, offenditur aliquo modo, *& ego non vror?* zelo consummor? *Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt*, dum timore perculsus eram, *gloriabor*, in commendationem adducam. *Infirmitatis*, idest, infirmis, debilibus, abiectis, quæ iàm dixerat insipientiam: quasi in his, quæ penès me leuiora sunt, imò insipientia, & corporalia vt plurimùm; ideò hæc à visionibus distinguit; nàm infrà cap. 12. 1. ad spiritualitatem tendentia adducit. *Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui* est *benedictus in secula, scit quòd non mentior.* Deum in testem inuocat, vt ei credatur. *Damasci præpositus Gentis*, præsidij *Aretæ Regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet:* & à fratribus, fidelibus *per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius* in nomine Domini. de hoc Act. 9. 24. hoc factum distinctum recitat vti notum, quod ab alijs poterant ediscere, vt ex notorio cætera occulta confirmentur, & credantur; fuga verò hoc casu laudabilis, quia quid in ea ciuitate, cui euãgelizabat, acturus pro Euangelio, si quærebatur ad necem solus, nec erat tuta remansio, & conuersatio? meliùs ergò fuit conseruari ad vtilitatem omnium Ecclesiarum.

CA-



CAPVT XII.

1 SI gloriari oportet (non expedit quidèm:) veniam autèm
2 ad visiones, & reuelationes Domini. * Scio hominem
in Christo antè annos quattuordecim, siuè in corpore ne-
scio, siuè extrà corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmo-
3 di vsquè ad tertium cælum. * Et scio huiusmodi homi-
nem siuè in corpore, siuè extrà corpus nescio, Deus scit:
4 * quoniàm raptus est in Paradisum: & audiuit arcàna
5 verba, quæ non licet homini loqui. * Pro huiusmodi gloriabor: pro me autèm
6 nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. * Nam, & si voluero gloriari, non
ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autèm, ne quis me existimet suprà
7 id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. * Et ne magnitudo reuelatio-
num extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me
8 colaphizet. * Proptèr quod ter Dominum rogaui vt discederet à me: * & dixit
9 mihi: Sufficit tibi gratia mea: nàm virtus in infirmitate perficitur. Libentèr
10 igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. * Pro-
ptèr quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus,
in persequutionibus, in angustijs pro Christo: Cum enim infirmor, tunc potens
11 sum. * Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim à vobis debui com-
mendari: nihil enim minùs fui ab ijs, qui sunt suprà modum Apostoli: tametsi
12 nihil sum: * signa tamèn Apostolatus mei facta sunt supèr vos in omni patien-
13 tia, in signis, & prodigijs, & virtutibus. * Quid est enim, quod minùs ha-
buistis præ cæteris Ecclesijs, nisi quòd ego ipse non grauaui vos? Donate mihi
14 hanc iniuriam. * Eccè tertiò hoc paratus sum venire ad vos: & non ero gra-
uis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij
15 parentibus thesaurizare, sed parentes filijs. * Ego autèm libentissimè impendam,
& superimpendar ipse pro animabus vestris: licèt plùs vos diligens, minùs di-
16 ligar. * Sed esto: ego vos non grauaui: sed cum essem astutus, dolo vos cepi.
17 * Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos? * Rogaui
18 Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? nonnè
19 eodem spiritu ambulauimus? nonnè ijsdem vestigijs? * Olim putatis quòd ex-
cusemus nos apud vos? Coràm Deo in Christo loquimur: omnia autèm charissi-
20 mi proptèr ædificationem vestram. * Timeo enim ne fortè cum venero, non qua-
les volo, inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis: ne for-
tè contentiones, emulationes, animositates, dissensiones, detractationes, susurra-
21 tiones, inflationes, seditiones sint intèr vos: * ne iterum cum venero, humiliet
me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui antè peccauerunt, & non
egerunt

egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.




I gloriari oportet ad vestrum lucrum (*non expedit quidèm* quòad me:) *veniam autèm ad visiones, & reuelationes Domini*, ex quibus magìs cognoscetis qualis ego sim, quales illi. *Scio hominem in Christo* stantem; sic Christus in tertia persona loquebatur pluriès; *antè annos quattuordecim*, non in illo triduo, quo nondum baptizatus, sed pòst, vt in Act. dixi, & intrà spatium, quod intercessit ab hac Epistola scripta vsquè ad tempus alterius scriptæ ad Galatas, in qua cap. 2. dicit pòst annos quattuordecim à die conuersionis ascendi Ierosolymam, hìc *antè annos quattuordecim* raptum ad tertium cælum, *siuè in corpore nescio, siuè extrà corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsquè ad tertium cælum*, ignorauit quomodò hoc factum, aliàs non dicturus; ideò subdit, *Deus scit*, proùt solemus in dubijs; raptum verè ex duobus. Primò, quià dicit bis an *in corpore*, an *extrà corpus*. Secundò, quia dicit simùl *vsquè ad tertium cælum*, pondera verbum, *vsquè*, iterum in paradisum: si enim in extasi non dixisset an *in corpore*, an *extrà corpus*, nec locum bis nominasset, & aliòquin non esset res tanta gloria, & memoria digna pòst annos quattuordecim. Sed quo modo; ipse incertum habet: quid nos volumus diuinare? opinio, quòd in corpore, patitur minores difficultates. *Et scio huiusmodi hominem siuè in corpore, siuè extrà corpus nescio, Deus scit: quoniàm raptus est in paradisum* cælestem, non terrestrem: in terrestri enim non audisset arcana verba; & ad quid ad terrestrem rapi, & quomodò staret vsquè ad tertium cælum rapi; deindè intelligere de paradiso terrestri? Paradisus enim idem quod tertium cælum, aliòquin si diuersa, quid importabit raptus ad tertium cælum? erit quid inane, & aereum, nec aliqua gloria dignum; Vltrà quòd non esse diuersum facit, quia reguntur omnia à tempore vno antè annos quattuordecim, & verbis *siuè in corpore, siuè extrà corpus &c.* Vel dixit, *paradisum* non contentus dixisse de tertio cælo, vt denotaret voluptate quadam perfusum: paradisus enim dicitur locus voluptatis: *Et audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, mihi non datur, non possum loqui inenarrabilia.

Sed an viderit essentiam diuinam? credo quòd non, quia non datur homini qui superuiuat: & quomodò habuit hanc intuitionem beatificam, si ignorat an in corpore, an extrà corpus, & bis id repetit? si enim dubius, quomodò vidit? potuit audire, & superfundi reuelationibus, at nō hac visione; hinc de illis agit, non hac; & si vidit, ergò beatus, ergò immortalis; quomodò ergò rediјt ad vitam hanc mortalem? præsertim quia dona Dei sunt sinè pœnitentia. Si dicis: ad horam fuit beatus, das aliud miraculum, nec soluis dubium. Sed cur sic raptus? Viderat Dominum Iesum in via sibi apparentem, nō viderat illum ascendisse, proùt alij Apostoli: ideò ne quid ab alijs sibi foret communicandū, sed de omnibus posset attestari, raptus fuit in paradisum, vbi vidit Iesum ad dexteram patris sedentem, quem & hìc in mundo Stephanus. *Pro huiusmodi gloriabor* ad vestrum lucrum: *pro me autèm nihil gloriabor*, non me efferam, commendabo *nisi in infirmitatibus meis*, humiliationibus, abiectionibus. *Nàm, & si voluero gloriari*, commendare me, *non ero insipiens*, non agam more insipientis, vt falsa adducam; *veritatem enim dicam: parco autèm* gloriationi, *ne quis me existimet suprà id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me*, ne maiora, quàm dico, de me præsumant suo arbitrio, proùt Lycaonici. *Et ne magnitudo reuelationum*, de quibus agere possem, *extollat me*: ideò etiàm illas non refero: *datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet*; hæc erat tentatio carnis: dicit enim, *stimulus carnis meæ*: & vtitur verbo, *colaphizet*, ad denotandum

tandum tactum carnis, quæ instigabatur, sicùt dum colaphis cædimus carnem, tangimus carnem: hinc, castigo corpus meũ, &c. 1. Cor. 9. 27. & sentio legem in membris meis. Rom.8.23. & hæc tentatio carnis magìs humiliat, & deprimit. Non hæ infirmitates corporis, nàm nulla supèr his querela in actis, vel Epistolis, & in vna earum suadet patienti Timotheo vsum vini. 1.Tim. 5.23. nec potuisset circuire, & operari, & itinera aggredi, nec memini legisse vnum ex Apostolis passum familiares infirmitates aliquas: cùm enim orbem obirent, his liberos esse oportuit, proùt Israelitæ in deserto, & quia dum meminit angeli Satanæ, ad tentationem tendit. Non inimici, seù aduersarij: iàm enim dixerat aduersarij multi, & ideò hoc est quid particulare, hi etiàm noti erant, proùt argentarius, & alij; at hic de incognito, seù non expresso alibì, & quia loquitur de stimulo, & carnis suæ, & sic de sibi cohærente, de vno Angelo, proptèr quem rogauit, vt discederet à se, non aptantur aduersarijs verba, ***virtus in infirmitate perficitur***, nequè aliud ex suprà dictis; est etiàm sermo de perpetuo, seù instante, quod nec aduersarijs accommodatur; Præterea quòad aduersarios erat proprium Apostolorum hos pati, proùt eis dixit Christus, & Paulo maximè, quanta oporteat eum pro me pati. At magna Dei prouidentia permissus is stimulus, ne magnitudo reuelationum eum extolleret: Dæmon enìm non poterat à se, qui petijt à Deo contrà Iob, & Achab. Non dicas indigna Apostolo tentatio ad concupiscentiam, imò digna, ne efferretur, & vt compensarentur tot reuelationes, quibus superfundebatur: ideò ad sui humilitatem hanc refert; & alibì: castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. 1.Cor.9.27. ad idem innuebat, docebatquè quomodò tentatio superanda corporis castigatione, & oratione, & gratia Dei, & præsertim Corinthios, qui vitijs carnalibus abundabant, & cognoscerent eum, qui illos de his obiurgabat, hominem esse tentatum, proùt Christus per omnia. Heb. 4. 15. & nonnè cuique fomes? hæcne extrà hominem? at victorem gratia Dei; ideoquè posse & eos vincere, & in summa ad magnam gloriam decuit magnam humilitatem annectere exemplo Christi, qui quandò vt Deus manifestabatur, eligebat humilia, vt manifestaretur homo; ostendit etiam à dæmone hanc immitti, ideò dicit, ***angelus Satanæ***, quod amouet ab eo omnem turpitudinem. ***Proptèr quod tèr Dominum rogaui, vt discederet à me***, ne molestiam hanc paterer: ***& dixit mihi*** Dominus: ***sufficit tibi gratia mea***, qua fulciris: in reliquo non expedit tibi: ***nàm virtus*** tua ***in*** hac ***infirmitate***, tentatione, qua probaris infirmus, ***perficitur***, ad perfectionem tendit: quid enim scit non tentatus? humiliaris, in me sistis, nil tibi confidis. Vel, ***virtus***, potentia gratiæ meæ ***perficitur in infirmitate*** tua, dum magìs roboraris. At sicùt referendo tentationem non exclusit alias, de quibus suprà egerat, sic omnia colligendo. ***Libentèr igitur gloriabor in infirmitatibus meis***, vt dixi, ***vt inhabitet in me virtus***, non mea, sed ***Christi***, potens superare, & perficere, & sic non repulsus, sed exauditus Paulus ad suum bonum. ***Proptèr quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs***, iniurijs, ***in necessitatibus***, quas patior, ***in angustijs*** animi ***pro Christo***, proptèr Christum, in his ego delector; sic: ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniàm digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati; sic Christus: beati eritis, &c. &, beati, qui persecutionem, &c. Non explicat illam tentationem in his consistere, quia & has aliàs retulit suprà, sed in omnibus à Deo adiuuari, & gratiam Christi secum habitare, ideò subdit: ***Cum enìm infirmor, tùnc potens sum***, quia gratia, & virtus Christi in me habitat; Vel, ***virtus***, vis resistendi fit perfectior in infirmitate: ideò ***cum infirmor, tùnc potens sum***. nàm: cum steteritis antè reges, & præsides, nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, ero vobiscum. ***Factus sum insipiens***, me commendando, ***vos me coegistis***, proptèr vos hæc feci coactus; sic Io. Baptista non dicit se vocem, nisi coactus: adeò enim erant humiles, vt has suas excellentias non essent proditurì, ***Ego enìm*** vobis notus ***debui à vobis***, quos genui in Christo, ***commendari: nihil enim minùs fui ab ijs, qui sunt suprà modum Apo-***

stoli

stoli à Christo in vita electi: *tametsi nihil sum*, nihil me reputo: & quia gratia Dei sum id, quod sum: *Signa tamen Apostolatus mei facta sunt supèr vos in omni patientia* persecutionum, & aliorum malorum, quam habui, *in signis, & prodigijs, & virtutibus*, miraculis cuiuscũque generis. *Quid est enim, quod minùs habuistis præ cæteris Ecclesijs, nisi quòd ego ipse non grauaui vos?* quod lucro vestro ascribere deberetis, non diminutioni. *Donate mihi hanc iniuriam*, si eam talem existimatis. *Eccè tertiò hoc paratus sum venire ad vos, & non ero grauis vobis, &c.* hinc apparet non fuisse ex auaritia Corinthiorum, si Apostolus noluit ab eis ali. *Non enim quæro quæ vestra sunt* etiàm pro meis necessitatibus, *sed vos*, conuersionem vestram, vestrum progressum spiritualem: vndè nullo affectu prauo moueor. *Nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs*, vos filij non debetis mihi patri prouidere, sed ego pater vobis filijs. *Ego autem libentissimè impendam* me, *& superimpendar ipse* vsquè ad mortem, qua nulla maior charitas, *pro animabus vestris: licèt plùs vos diligens, minùs diligar* à vobis, quia neque ex hoc refugiam, remouebor: mouebatur enim principalitèr ob Deum: ideò non curabat illorum ingratitudinem, at intendit prouocare eos ad necessitudinem amoris. *Sed esto: Ego vos non grauaui* præsens: *sed cùm essem astutus, dolo vos cœpi* per meos nuncios accipiendo vestra; hoc erat obiectum pseudoapostolorum; respondet Paulus huic obiecto. *Nunquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos?* proùt fortè solent pseudoapostoli? dicite qui illi. *Rogaui* (eccè quos misi) *Titum*, vt ad vos veniret, *& misi cum illo fratrem. Nunquid Titus vos circumuenit? nonnè eodem spiritu ambulauimus? nonnè ijsdem vestigijs?* si ergò ego absquè dolo, & illi, qui me sequuti sunt, & nullos alios misi, ergò nullo modo dolo ago vobiscũ per me, vel alios *Olim*, rursùs *putatis quòd excusemus nos apud vos?* mendacia confingendo? *Coràm Deo* in veritate *in Christo*, secundùm Christum hæc *loquimur: omnia autèm charissimi proptèr ædificationem vestram*, ad vestrum profectum, vt moueamini, vt nùnc pœniteat vos, nequè expectetis aduentum meum. *Timeo enim, ne fortè cum venero, non quales volo* puros, *inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis*, iudicem seuerum, & tristem patrem: *ne fortè* (quòad vos) *contentiones*, rixas, *æmulationes* ad malum, *animositates* ad vindictã, *dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones* (effectus hi odij) *sint intèr vos*, non sit intèr vos pax vno verbo: *ne iterum cum venero* (nùnc de se) *humiliet*, deprimat, confundat *me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam* impositam *supèr immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt*, & sic defrauder his, pro quibus in vobis glorior.



CAPVT XIII.



1 *ECCE tertiò hoc venio ad vos: In ore duorum, vel*
2 *trium testium stabit omne verbum. * Prædixi, & prædico, vt præsens, & nùnc absens ijs, qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniàm si venero iterum, non*
3 *parcam. * An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?*
4 ** Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute Dei. Nàm & nos infirmi sumus in illo: sed viuemus*


mus

5 *mus cum eo ex virtute* Dei *in vobis*. * *Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi*
vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos quia Christus Iesus in vobis est?
6 *nisi fortè reprobi estis*. * *Spero autèm quòd cognoscetis, quia nos non sumus re-*
7 *probi*. * *Oramus autèm* Deum *vt nihil mali faciatis, non vt nos probati ap-*
pareamus, sed vt vos quod bonum est faciatis: nos autèm vt reprobi simus.
8 * *Non enim possumus aliquid aduersùs veritatem, sed pro veritate*. * *Gaude-*
9 *demus enim, quoniàm nos infirmi sumus, vos autèm potentes estis. Hoc & ora-*
10 *mus vestram consummationem. Ideò hæc absens scribo, vt non præsens durius*
agam secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non
11 *in destructionem*. * *De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini,*
12 *idem sapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum*. * *Salu-*
13 *tate inuicèm in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti*. * *Gratia Domini*
nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum
omnibus vobis. Amen.




CCE *tertiò hoc venio ad vos: in ore duorũ, vel trium testium stabit omne verbum:* quasi puniturus, si hāc probationem habuero. *Prædixi, & prædico, vt præsens*, vtì præsens vobiscum iàm feci, *& nùnc absens ijs, qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniàm si venero iterum*, si meum aduentum expectauerint ad pœnitentiam, *non parcam*, virga vtar. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus* adhùc impœnitentes? quasi, vultis audire Christum in me loquentem ad pœnitentiam peragendam? vultis experiri Christi vltionem? proùt fornicarius traditus Satanæ? *qui* Christus *in vobis non infirmatur*, non deficit, proùt ego in meis abiectionibus, humilitatibus, & infirmitatibus, *sed potens est in vobis* puniẽdis, vt experti estis, quasi, non mea id facturus sum (si differtis pœnitentiam) potestate, & virtute, sed Christi, à quo eam recepi: *Nàm etsi* Christus *crucifixus est ex infirmitate*, quam suscepit, ad crucem vsquè se humilians: *sed viuit ex virtute Dei* propria, qua, cum sit Deus, se suscitauit: vndè potens est ad vltionem in vos. *Nàm & nos* à nobis ipsis *infirmi sumus*, humiles *in illo* ob ea, quæ proptèr illum patimur: *sed uiuemus cum eo* apti ad puniẽdum impœnitẽtes *ex uirtute Dei*, de qua suprà, *in uobis*, ergà vos: quasi dicat, fulciemur, licèt infirmi, illius virtute ad inobedientes puniendos; sed quia poterant dicere, videmur nobis satis pœnitentes, & facere quod debemus: ideò ne decipiantur in opinione, dicit: *Vosmetipsos tentate*, probate, *si estis in fide: ipsi vos probate*, hoc est, videte an veram pœnitentiam egeritis, vel egerint qui debent: si enim egeritis, vel egerint illam, Christus in vobis erit. Ideò *an non cognoscitis vosmetipsos quia Christus Iesus in vobis est?* quod est captu facile, *nisi fortè reprobi* sitis, idest, sinè probatione, sinè auctoritate, vndè verisimile hæc referri ad Ecclesiam, ad congregationem, non ad singulos: si enim ad singulos, dixisset verbo distributiuo: proùt alibi, probet autèm se ipsum homo, &c. sic 1. Cor. 2. 10. quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis? *Spero autèm quòd cognoscetis, quia nos non sumus reprobi*, abiecti, absquè facultate puniendi, si differetis pœnitentiam. *Oramus autèm Deum vt nihil mali faciatis, non* autèm *vt nos probati appareamus*, exercẽtes potestatem nostram in malos, *sed* imò *vt vos quod bonum est faciatis: nos autèm vt reprobi simus*, vt non probemur, non cognoscamur fulti auctoritate, & virtute Dei in hoc genere, vt potestate non vtamur. Si enim bona egeritis, nos nihil *possumus aduersùs veritatem,*

ritatem, iuſtitiam, *ſed pro veritate*, pro iuſtitia tantùm defendenda; ſic, fac bonum, & non timebis poteſtates. *Gaudemus enim, quoniàm nos infirmi ſumus*, probamur, oſtendimur, dum nihil reſtat emendandum, *vos autèm potentes eſtis*, qui non ſuperamini à vitijs, & meam poteſtatem non ſentitis, quam in bonos non exerceo. *Hoc & oramus veſtram conſummationem*, propterea oro veſtram perfectionem. *Ideò hæc abſens ſcribo*, dans vobis ſignificationem fugiendi à facie arcus, *vt non præſens duriùs agam* contrà obſurdeſcentes *ſecundùm poteſtatem, quam dedit mihi Dominus in ædificationem* Eccleſiæ, & ſuorum, *& non in deſtructionem*: quaſi, non vterer ea niſi ad emendationem veſtram, & ad bonum, non malum. *De cætero*, (docet quid in eis velit) *fratres, gaudete* ſimùl, gaudere cum gaudentibus, *perfecti eſtote*, Deum imitantes, *exhortamini* ad bonum, *idem ſapite* quod fugat contentiones, *pacem habete*, vnanimes ſitis, *& Deus pacis, & dilectionis* amator *erit vobiſcum*, habitabit vobiſcum. *Salutate inuicèm* omnes *in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti*, fideles, qui mecum ſunt. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis*, à quibus dirigamini. *Amen*.



IN



IN EPISTOLAM AD GALATAS

CAPVT PRIMVM.

1 *PAVLVS Apostolus non ab hominibus, neque per ho-*
minem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui
2 *suscitauit eum à mortuis: * & qui mecum sunt omnes*
3 *fratres, Ecclesiis Galatiæ. * Gratia vobis, & pax à*
4 *Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo, * qui dedit*
semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos de præsen-
ti sæculo nequam, secundùm voluntatem Dei, & Pa-
5 *tris nostri, * cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. * Miror quòd sic tàm*
6 *citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi in aliud Euange-*
7 *lium: * quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt*
8 *conuertere Euangelium Christi. * Sed licèt nos, aut Angelus de cælo euangelizet*
9 *vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit. * Sicùt prædixi-*
mus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit prætèr id, quod acce-
10 *pistis, anathema sit. * Modò enìm hominibus suadeo, an Deo? An quæro ho-*
11 *minibus placere? Si adhùc hominibus placerem, Christi seruus non essem. * No-*
tum enìm vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum est à me,
12 *quia non est secundùm hominem: * neque enìm ego ab homine accepi illud, ne-*
13 *què didici, sed per reuelationem Iesu Christi. * Audistis enìm conuersationem*
meam aliquandò in Iudaismo: quoniàm suprà modum persequebar Ecclesiam
14 *Dei & expugnabam illam, * & proficiebam in Iudaismo suprà multos coæta-*
neos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum
15 *traditionum. * Cum autèm placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ,*
16 *& vocauit per gratiam suam, * vt reuelaret Filium suum in me, vt euange-*
17 *lizarem illum in Gentibus: continuò non acquieui carni & sanguini, * neque*
veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abij in Arabiam: & ite-
18 *rum reuersus sum Damascum: * deindè pòst annos tres veni Ierosolymam vi-*
19 *dere Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim: * alium autèm Apostolo-*
20 *rum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. * Quæ autèm scribo vo-*

21 *bis, eccè coràm Deo quia non mentior.* * *Deindè veni in partes Syriæ, & Ci-*
22 *liciæ.* * *Eram autèm ignotus facie Ecclesijs Iudææ, quæ erant in Christo:* * *tan-*
23 *tùm autèm auditum habebant: Quoniàm qui persequebatur nos aliquandò,*
24 *nunc euangelizat fidem, quam aliquandò expugnabat.:* * *& in me clarificabant Deum.*



AVLVS Apostolus non ab hominibus vocatus, vel electus, *neque per hominem*, mediatè à Deo electus, *sed per Iesum Christum, & Deum patrem* immediatè, & clariùs infrà vers. 12. *qui suscitauit eum à mortuis*, præmittit hoc quasi pro triumpho, & fundamento prædicationis, proùt in Epistola ad Rom. cap. 1. 5. nisi enim Christus resurrexit, inanis est fides vestra, inanis prædicatio nostra. 1. Cor. 15. vel quia per Christum gloriosum electus Apostolus: *& qui mecum sunt omnes fratres*, quasi ex concilio congregati pro his, quæ scribuntur, ne videatur solus auctor horum, proùt actum in simili quæstione. Acto. 15. in concilio Ierosolymitano, quod Paulus iubebat seruari in Actibus Apostolorum. Et pòst illud hæc scripta, & ad Rom. *Ecclesijs Galatiæ* prouinciæ. *Gratia vobis, & pax* sit à *Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo, qui dedit*, obtulit *semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam*; sic, qui eripuit vos ab ira ventura; sic, quoniàm eripuit animam meam de morte. *Vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam*, vt dissolueret opera diaboli. 1. Ioan. 3. 9. alibi: vt eriperet nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum: mundus enim in maligno est positus. 1. Ioan. 5. Cain ex maligno erat, & occidit fratrem suum, & proptèr quod occidit eum? quia opera eius maligna erant, fratris autèm iusta. 1. Ioan. 3. 12. *secundùm voluntatem Dei Patris nostri*, quam venit facturus, *cui est gloria*, & quam solam quærit *in sæcula sæculorum. Amen.* Argumentum totius Epistolæ: quia enim pro nobis traditus, quia nos eripuit morte sua, quia resurrexit, ambulandum nobis non in vetustate litteræ, sed in nouitate spiritus, ideòquè à legalibus recedendum, & standum legibus victoris. *Miror quòd sic tàm citò transferimini ab eo, qui vos vocauit* Deo *in gratiam Christi in aliud Euangelium: quod non est aliud*, quia non datur aliud, *nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere* in aliud *Euangelium Christi*, arma diaboli Christo contraria, prædicatores subdoli; sic Act. 15. etiàm supèr his legalibus, de quibus in hac Epistola agitur, & in pluribus alijs. *Sed licèt nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit*; loquitur ex hypothesi, & per hyperbolem: quasi, id impossibile est, sed ad possibile reducit. *Sicùt prædiximus, & nunc iterum dico*, ad maiorem firmitatem dictorum, & maturam deliberationem: *Si quis vobis euangelizauerit pratèr id, quod accepistis* à me, *anathema sit.* Nec ab re vtitur hoc modo, quia adeò erant addicti iudaizantes suę Mosaicę legi conseruandæ, vt ad illam perpetuandam fingerent etiàm visiones Angelorum vidisse. Coloss. 2. 18. hinc 2. Ioan. 1. 10. si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, &c. & 2. Cor. 11. nàm si is, qui venit, alium Christum prædicat, aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis, aut aliud Euangelium, &c. & Ephes. 5. 6. nemo vos seducat inanibus verbis; & Actorum 20. 29. Ego scio quoniàm intrabunt pòst discessionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi; sic & primò Christus suaserat, & prædixerat: nemo vos seducat. Matth. 24. 5. Marc. 13. 5. Luc. 21. 7. *Modò enim hominibus suadeo, an Deo?* proferone hæc coràm hominibus, qui falli possunt, an coràm Deo, qui falli non potest? vtiquè coràm Deo, qui omnia nouit; ideò quæ dico, maioris sunt fidei, quia coràm Deo falsa non proferrem; sic infrà vers. 20. vult

dice-

dicere, veritatem dico. *An quæro hominibus placere?* & aucupari gloriam apud eos mendacio? non profectò, quia imò hæc dicendo, hominibus displiceo vos auertentibus. *Si adhùc hominibus placerem, Christi seruus non essem:* qui enim hominibus placent, inimici Dei constituuntur, non stant simùl arca, & Dagon. Vel, *si adhùc* (proùt antè conuersionem meam faciebam infrà vers. 13.) *hominibus placerem*, quærens coràm eis gloriam, *Christi seruus non essem*, cuius solius gloriam quæro, non facio hæc vt placeam Gentilibus, vt gloriam apud eos quæram, cum gloria Dei sola mihi sit cordi. *Notum enim vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem: nequè enim ego ab homine accepi illud, nequè didici, sed per reuelationem Iesu Christi*, quod etiàm suprà vers. 1. præmisit ex his, & alijs vsquè ad finem cap. Apostolus docet nō ab homine se edoctum; sed à Christo reuelante. *Audistis enim conuersationem meam aliquandò in Iudaismo*; cui hærebam tenacitèr: *quoniàm suprà modum, grauitèr persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam*, omnes fideles in Iesum, *& proficiebam in Iudaismo suprà multos coætaneos meos in genere meo*, nationis meæ, *abundantius*, plusquàm decebat, *æmulator*, zelator *existens paternarum mearum traditionum*, quas tenebam; insinuat æmulationem suam pro Iudaismo, & litteris sacris incubuisse antè conuersionem; vt ei magis crederent omnia experto, & se quoquè fuisse in errore, & deindè conuersionem suam, & continuò non acquieuisse carni, & sanguini, nō cum homine quod didicerat communicasse, vel Apostolos conuenisse Ierosolymam, quod est explicatio præcedentis, sed vltrò iuisse prędicatum Euangelium reuelatum in Arabiam; sic & Acto. 9. 20. & continuò in Synagogis prædicabat Iesum, deindè pòst tres annos iuisse visum Petrum, secumquè per quindecim dies mansisse, alium Apostolum non vidisse prætèr Iacobum, ex quo discursu inferre vult quod præmiserat se à Deo, non ab hominibus edoctum: in illis enim spatijs temporum non potuit ab hominibus edoceri: *Cum autèm placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ*, quod est simile illi; vas electionis, idest, electum est mihi. Acto. 9. 15. hinc Dei prædestinatio; sic de Iacob, & Esau cum adhùc in ventre matris essent, nec aliquid boni, aut mali egissent. Rom. 9. 11. vbi dictum, *& vocauit me per gratiam suam*, qua sum id, quod sum; *vt reuelaret filium suum in me*. Acto. 9. fides ergò donum Dei nullis meritis præcedentibus nostris, *vt euangelizarem illum in Gentibus: continuò non acquieui carni, & sanguini* antiquis traditionibus paternis, vel consanguineis, aut amicis; si ex Damasco Tarsum, Tarsensibus, vel Damasci morantibus; sic, caro, & sanguis non reuelauit tibi. Vel non assensi carni meæ retrahenti, & aliò impellenti, sed spiritui me vocanti, & impellenti consensi, ergò tùnc, vel illo triduo, vel parùm pòst didicit à Christo quæ euangelizare debuerat, & est proprium Dei facere suos ministros idoneos, vt in Saulo, & Apostolis alijs à naui, & telonio vocatis: ideò continuò prædicabat Damasci, & iuit prædicatum in Arabiam, vt subdit, & Acto. 9. 6. dicitur ei: ibi dicetur quid te oporteat facere: & Ananiæ vers. 15. vas electionis est mihi, vt portet nomen meum coràm Gentibus, & Regibus, & filijs Israel: ego enim ostendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati, & vers. 20. continuò in Synagogis prędicabat Iesum, & tùnc erat Apostolus; etsi enim vers. 19. dicatur, fuit cum discipulis, non tamèn discipulus ille; sed Apostolus: dicere enim Dei est facere. Hinc exploditur illud, quòd in raptu ad tertium cælum de his edoctus fuerit, cum iàm per octo annos prædicasset, & ibi dicat arcana verba audisse, quæ non licet homini loqui: 2. Cor. 12. *Nequè veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abij in Arabiam* euangelizaturus, non missus: ecquis enim erat ibi mittere valens? nullus Apostolorū, sed vltrò ex mea electione mihi à Deo indita, seù illius præcepto.

Sed an priùs in Ierusalem, quàm in Arabiam? dicas priùs in Arabiam, vt hic: clara enim sunt verba, *abij in Arabiam*, & excludit Ierosolymam, dicens, *nequè veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abij in Arabiam: & iterum reuersus sum Damascum: deindè pòst annos tres veni Ieroso-*

rosolymam videre: quasi, quem anteà non videram, *Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim: alium autèm Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini;* vndè dicit infrà, *eram ignotus facie Ecclesijs: tantùm auditum habebant, &c.* Non obstat Acto.9.26. cum autèm venisset in Ierusalem, quasi fuerit illud consecutiuum pòst fugam ex Damasco; nàm omittitur ibì à Luca abitus in Arabiam: tùnc enim non erat adhùc cum Apostolo, nec seruatur ibì ordo, qui ex ore Pauli hic habetur, cui standum, & alia multa ex Epistolis eius colliguntur omissa in Actibus Apostolorum à Luca. Aliqui dicunt, non iuit fuga lapsus è Damasco prædicatum Ierusalem, sed vt vitæ suæ consuleret, & sic procedent dicta. Act.9. Sed respondeo ad hæc de directo contrariari verba Pauli hìc, *continuò, &c.* &, *abij in Arabiam,* & verbis Acto.9.29. loquebatur quoquè Gentibus, & disputabat cum Græcis. Prætereà, tùnc innotuit Apostolis, & alijs mediante Barnaba. vers. 26. hinc ipse hic dicit mansisse cum Petro diebus quindecim, ne obijceretur sibi tùnc non fuisse receptum; & certè credo tùnc fuisse pòst tres annos, quo tempore hic dicit vidisse Petrum, & Iacobum; nàm quandò pro legalibus iuit missus Ierosolymam cum Barnaba vidit & Ioannem. Acto.15. Prætereà, quomodò consuluisset sibi Ierosolymis, si à Pontificibus missus erat contrà Christianos, & ipse transfugerat ad eos in maius periculum se coniecisset. & Acto.9. vers. 30. fratres deduxerunt eum Cæsaream ad mortem quæsitum: hic autèm dicit ignotum fuisse facie Ecclesijs Iudææ, & pòst tres annos vidisse Petrum, & Iacobum. Aliqui, non iuit vt conferret, sed vt videret; sed est contrà id, quod dicit, pòst tres annos iuisse Ierosolymam videre Petrum: visum enim non petijsset iterum visurus; vltrà quòd hic agit de prima visione. Non obstat, Barnabas narrat quomodò in via vidisset Dominum, ergò de recenti, nec potuit tantum miraculum ignotum esse Apostolis, quia vel profectio Arabica, & triennium hęc obliuioni tradiderant, vel dictum Barnabæ confirmauit, quod euenerat, vt prodesset Saulo.

Sed an antequàm peteret Arabiam prædicauerit Damasci? & de hoc non videtur dubitandum, quia dicitur Acto.9.20. & continuò in Synagogis prædicabat Iesum, &c. & Acto. 26. 20. sed his, qui sunt Damasci primùm, & Ierusalem, & in omnem regionem Iudææ, & Gentibus annunciabam, &c. Nec potest disiungi, vt alio tempore id factum, quia subditur. vers. 21. nónnè hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos, qui inuocabant nomen istud, & hùc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad Principes Sacerdotum? & eodem tempore vndè aufugit, vt ibì prosequitur Lucas vers. 25. & ipse etiàm. 2.Cor.11.32. Non dicas, sic fuga lapsus ad mortem quæsitus, iterum non esset illùc reuersus, vt hic dicit; nàm respondeo primò, id ipsum clarè testari hìc, *& iterum reuersus sum Damascum.* Secundò. Ipsemet Paulus, qui è Ierusalem aufugerat, iterum ad eandem reuersus est, & qui à Lystris, iterum illùc Acto. 14. & 16. idem contigit Moysi in Aegyptum redeunti, Christo, Apostolis in Ierusalem prædicantibus inuitis, & contradicentibus magistratibus. Tertiò. Ex hoc inferri non potest, an tùnc, vel secundò fuga ex Damasco contigerit. Quartò. Constat ex iàm dictis, quæ tolli non possunt, ipsum illicò prædicasse in Damasco. Quintò. Fortè iuxtà historias tùnc aderat minister Regis Aretę occasione bellorum tùnc currentium. Sextò. Discessus repentinus in Arabiã longinquam, & ex se nullo mittente hominum persuadet tũc cõtigisse, vt quæsitus fuerit ad necẽ; solent enim qui insidias patiũtur ad mortem longinqua petere, & in Ierusalem tutus non erat. Septimò. Contextus totus tangens Damascũ. Act.9. includit fugã ex Damasco hoc tempore fuisse: non enim sic cõtexuisset. Octauò. Probabilis est fuga, quãdò prima vice fuit Damasci, quia ibì tùnc prædicauit, quod est certũ; nàm Act.9.22. Saulus autèm conualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, &c. Nonò, verisimilius has turbas excitatas in principio fundatæ Ecclesiæ Damascenæ, quàm pòst tres annos, quibus iàm verisimile Christianismum incrementum recepisse; ideò deindè tùnc Paulum ad necem quæsitum fuga sibi consuluisse. Decimò, potuit & præpositum illum Aretę Regis successorem recepisse, insidiantes

tes mortuos esse, proùt contigit in Christo, & Moyse, ità vt Paulo proùt illis tutus esset nouus accessus: non enìm in euidens periculum absquè causa se coniecisset. In Arabia autèm profecisse verisimile est, tùm ex diuturna mansione, tùm quia, vt ex Act. Apost. mittebatur à Spiritu sancto ad regiones, in quibus propagaturus fidem, & auertebatur ab illis, in quibus parum fructus capturus. *Et iterum* pòst reditum ex Arabia *reuersus sum Damascum:* tùnc enìm tutus accessus: *deindè pòst annos tres veni Ierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim: alium autèm Apostolorum* tùnc *vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini,* consanguineum Domini, Apostolum; nàm cum dicat, *alium autèm Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum,* exceptio per verbum, *nisi,* quæ debet esse de regula includit Apostolum, non alium. Vltrà quòd quomodò is in concilio secundus pòst Petrum præsente Ioanne dixit sententiam, si non est Apostolus? at ibi clarè vti Apostolus. Act. 15. & infrà cap. 2. *Quæ autèm scribo vobis, eccè coràm Deo,* quem testem inuoco, *quia non mentior. Deindè veni in partes Syriæ, & Ciliciæ. Eram autèm ignotus facie Ecclesijs Iudææ, quæ erant in Christo* credentes, non de Synagogis loquitur: *tantùm autèm auditum habebant: Quoniàm* ille Saulus, *qui persequebatur nos aliquandò, nunc euangelizat fidem* in Iesum, *quam aliquandò expugnabat: & in me,* proptèr me *clarificabant Deum,* qui me conuerterat; hæc omnia differit, quia faciebant ad propositum suum auertẽdi hos à legalibus, quibus ipse olim addictus, nunc cognita veritate contrarius.



CAPVT II.



1 *EINDE pòst annos quattuordecim, iterum ascendi*
2 *Ierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito.* * *Ascendi autèm secundùm reuelationem: & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, seorsùm autèm ijs, qui videbantur aliquid esse: nè fortè in vacuum*
3 *currerem, aut cucurrissem.* * *Sed nequè Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi:*
4 * *sed proptèr subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in*
5 *seruitutem redigerent.* * *Quibus nequè ad horam cessimus subiectione, vt veri-*
6 *tas Euangelij permaneat apud vos:* * *ab ijs autèm, qui videbantur esse aliquid, (quales aliquandò fuerint, nihil mea interest. Deus personam hominis non ac-*
7 *cipit) mihi enìm qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.* * *Sed è contrà cum vidissent quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicùt & Petro cir-*
8 *cumcisionis: (* * *qui enìm operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, ope-*
9 *ratus est & mihi intèr Gentes)* * *& cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis: vt nos in Gentes, ipsi autèm in cir-*
10 *cumcisionem:* * *tantùm vt pauperum memores essemus, quòd etiàm solicitus fui*
11 *hoc ipsum facere.* * *Cum autèm venisset Cephas Antiochiam: in faciem ei re-*

12 *stiti, quia reprehensibilis erat.* * *Priùs enim quàm venirent quidam à Iacobo,*
cum Gentibus edebat: cum autèm venissent, subtrahebat, & segregabat se
13 *timens eos, qui ex circumcisione erant.* * *Et simulationi eius consenserunt cæteri*
14 *Iudæi, ità vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.* * *Sed cum*
vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ co-
ràm omnibus: Si tu, cum Iudæus sis, gentilitèr viuis, & non Iudaicè: quo-
15 *modò Gentes cogis Iudaizare?* * *Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus pecca-*
16 *tores.* * *Scientes autèm quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fi-*
dem Iesu Christi: & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Chri-
sti, & non ex operibus legis: Proptèr quod ex operibus legis non iustificabitur om-
17 *nis caro.* * *Quòd si quærentes iustificari in Christo, inuenti sumus & ipsi pecca-*
18 *tores, numquid Christus peccati minister est? Absit.* * *Si enim quæ destruxi, iterum*
19 *hæc ædifico: præuaricatorem me constituo.* * *Ego enim per legem, legi mortuus*
20 *sum, vt Deo viuam: Christo confixus sum cruci.* * *Viuo autèm iàm non ego:*
viuit verò in me Christus. Quòd autèm nunc viuo in carne: in fide viuo Fi-
21 *lij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* * *Non abijcio gratiam*
Dei. Si enim per legem iustitia, ergò gratis Christus mortuus est.

DEINDE *pòst annos quatuordecim* meæ conuersionis, *iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba,* cum quo mittebar, *assumpto & Tito,* quod refertur Act. 15. tùnc enim fuisse creditur ob materiæ identitatem, legalium scilicèt differentiam, de qua hic, & ibi. *Ascendi autèm secundùm reuelationem:* pluriès enim legitur in actis Paulum ex reuelatione motum ad aliquos profectum esse, vt ad Macedones: *& contuli,* communicaui *cum illis* omnibus *Euangelium, quod prædico in Gentibus, seorsùm,* ad partes *autèm ijs,* cum ijs, *qui videbantur,* reputabantur *aliquid esse,* proùt erant, sic distinctè, quia fortè seorsùm cum ijs aliqua, non cum alijs palàm communicanda; vel refert eosdem, sed cum hac qualitate, *qui videbantur aliquid esse,* quod credo verius, præsertim quia vna phrasis est, & vno verbo regitur, *contuli, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem* ob obiectiones mihi factas à pseudoapostolis, & confirmarentur ea, quæ prædico, & prædicaui; & quia agebatur de legalibus obseruandis, vel non, vt doceat ea non obseruanda, subdit factum. *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis* (quasi in Gentilibus nullo modo toleratum: & ne obijceretur sibi de Timotheo ex matre Iudæa) *compulsus est circuncidi,* quòd si necessaria fuisset legalium obseruantia, vtiquè coactus esset; at quia posset quis dicere, vndè orta hæc difficultas in Tito? subdit, non hæc à columnis illis, & ab eorum discipulis, *sed proptèr subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt* latentèr *explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu,* proptèr Iesum Christum, qui nos liberauit à seruitute legis, *vt nos in seruitutem* legis *redigerent,* reducerent. *Quibus* subintroductis falsis fratribus (hi iudaizantes) sic tentantibus *neque ad horam,* ad momentum *cessimus,* imò contradiximus *subiectione,* in subiectione in nos intentata, *vt veritas Euangelij,* quæ nos liberauit, *permaneat,* firma sit *apud vos,* & omnes credentes. Vt autèm excluderet non esse hæc ab alijs intentata, subdit: *ab ijs autèm, qui videbantur esse aliquid,* proùt erant, nihil supèr his negocijs actum, (etsi *quales aliquandò fuerint,* nempè idiotæ, clarum sit; at id *nihil mea interest. Deus personam hominis non accipit,* sed potens est de lapidibus

dibus suscitare filios Abrahæ) *mihi enim*, imò illi ijdem, *qui videbantur esse aliquid*, *nihil contulerunt* noui vltrà mea ipsis collata: *sed è contra* potiùs *cum vidissent*, experti essent *quòd creditum est mihi Euangelium præputij* in Gentiles à Domino, *sicùt & Petro circuncisionis: (qui enim operatus est Petro in apostolatum circuncisionis* ex signis, *operatus est & mihi intèr Gentes* ex eisdem) non tamèn quòd & Petrus Gentilibus non prædicauerit, vel eorum cura demandata ei non sit, aut Paulus Iudæorum curam non gesserit; nàm cõtrarium habetur de vtroque. Acto. 9. 15. & 15. 7. & Rom. 9. & 11. 13. *& cum cognouissent gratiam*, gratia enim Dei sum id, quod sum, *quæ data est mihi*, vt Gentibus prædicem, de qua aliquid & Barnabas. Act. 9. & in hoc congressu. Act. 15. 12. *Iacobus* Apostolus, *& Cephas*, Petrus, *& Ioannes* Apostolus, & Euangelista, *qui videbantur columnæ esse*, erant, *dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis*, socios nos sibijpsis iunxerunt, conuenerunt nobiscum: *vt nos in Gentes*, *ipsi autèm in circuncisionem*, in Hebræos incumberent principalitèr: *tantùm* iniunxerunt, *vt pauperum* Iudæorum, qui omnia à se ipsis abdicauerant, & ad pedes Apostolorum posuerant, seù aliorum, *memores essemus* illis subueniendo dum Gentibus prædicamus, *quod etiàm solicitus fui hoc ipsum facere* ego Paulus, tacens Barnabâ à se disiunctum. Sed in præmissis dubitatur, an hæc profectio Pauli cum Barnaba, & Tito sit illa, de qua Acto. 15. an alia. Credo illam esse, quia eadem materia agebatur legalium, & cadit sub tempore post annos quattuordecim Paulinæ conuersionis, & interuenit narratio signorum. Act. 15. vers. 12. proùt hic 8. 9 & quia correptio facta Petro per Paulum fuit verisimilitèr pòst cõcilium, aliòquin Paulus non irà in Petrum insiluisset, & quia in Antiochia natus rumor legalium, & pòst sequitur Petrum illùc accessisse. vers. 11. & sic videtur hæc omnia correspectiua, & coniuncta, & verisimilitèr Petrus citò petijt Antiochiam pòst concilium Ierosolymitanum, quia inuenit ibi Barnabam, qui fuit in simulationem tractus, vt hic vers. 13. qui nondum à Paulo discesserat, qui etiàm amplius non legitur conuenisse secum; Et quia hic Barnabas comes, proùt ibi Act. 15. quia idem locus, ad quem itum, & eædem personæ, ijdem contradictores. Acto. 15. seditionem commouentes, hic superinducti fratres nuncupati, quia non est verisimile bis intèr Apostolos, & Paulum de eadem materia actum, si antè concilium, hoc non fuisset congregatum, si pòst, illud erat sufficiens; Et quia seditio Antiochiæ facta fuit contrà Paulum, & Barnabam, & supèr legalibus, & ijdem missi in Ierusalem, nec legitur posteà Antiochiæ conuenisse, nisi hoc tempore Petri, vt hic. Præthereà non est prima Acto. 9. 26. quia hæc pòst tres annos, de qua suprà cap. 1. 18. Non secunda. Acto. 11. 30. & 12. 25. quia pro perferenda eleemosyna, neque hæ percuterent tempus quattuordecim annorum suæ conuersionis. Nõ quarta. Act. 21. quandò captus, ergò tertia. Act. 15. dum missus pro legalibus. Nec videtur posse dici hanc, de qua hic in cap. 2. omissam à Luca, quia constat eum prosecutum omnia itinera Pauli, & de omnibus benè constare vbi fuerit, & sisterit toto tempore pòst primam profectionem in Ierusalem, de qua Acto. 9. 26. Et quamuis Lucas omittat aliqua, non tamèn ex hoc probatur diuersitas, quia intèr Euangelistas hæc etiàm habẽtur, nec ea de causa diuersificantur narrationes, vel gesta. Lucas omittit Titum, quia assumptus fuit suprà numerum legatorum, & de legatis principalibus tantùm fuit sermo Lucæ, & id etiàm euenit in Euangelijs, vt Euangelistæ intenti principalibus personis, omittant dependentes, vt in Zacharia, & Ioanne, Sanctissima Virgine, & Ioseph obseruauimus; hinc dicit hic, *assumpto, & Tito* quasi non principali. Si dicis, cum ageretur de circuncisione, & Titus non esset circuncisus, minùs prudentèr id actum, imò prudentissimè, quia cum res Titi ageretur, rectè secum illum duxit Paulus. Vltrà quòd Paulus etsi certò sciret veritatem pro se stare à Domino edoctus, qui non fallit, nec fallitur, tamèn paratus erat, & paratos esse volebat omnes suos ad obedientiam, neque vitabat remedia, vel occultabat gesta sua, pro quibus defendendis mittebatur. Si dicis, tùnc missus fuit ab Ecclesia cum Barnaba, hìc per reuelationem. Respondeo vtrunque conuenisse:

nisse: si enim non esset sibi reuelatum, fortè non isset: vel saltèm tutiùs, & libentiùs iuit, neque hoc est considerabile ad diuersificandum profectiones; & Lucas ignorauit reuelationem, ni mirum, si illam non apposuit; Paulus verò apposuit, vt doceret ex mandato Domini accessisse discordias hasce compositurus. Non dicas, hìc in Epistola egisse seorsùm, in actis cap. 15. coràm Synodo; nàm & hic publicè, deindè etiàm seorsùm, at verum est hìc non agi de Synodo, quia non seruiebat ad suam intentionem fundandam. Non dicas, Paulum hanc profectionem, de qua hìc, sumpsisse ad conferendum Euangelium, quod prędicabat; nàm id non dicit, sed *contuli cum illis Euangelium*, quod factum est occasione illius profectionis, & tangit quod ad suam intentionem faciebat, quæ erat ostendere Euangelium recepisse ex reuelatione, & prædicationem suam alijs conformem, nec meminit concilij, quia tùnc res erat fortè in ore omnium, & nihil ad rem suam, & apponit quæ ad materiam, de qua agitur, faciebant. *Cum autèm venisset Cephas Antiochiam* pòst concilium Ierosolymitanum antequàm Paulus, & Barnabas abinuicèm discederent: *in faciem* publicè ei *restiti, quia reprehensibilis erat:* cur? *priùs enim quàm venirent quidam* conuersi ex circuncisione *à Iacobo* missi, *cum Gentibus edebat: cum autèm venissent* illi, *subtrahebat, & segregabat se timens eos, qui ex circuncisione erant. Et simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi* conuersi, *ità vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem;* dicit, *simulationem*, quia fingebant seruare legalia, nec obseruabant. *Sed cum vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coràm omnibus: Si tu cum Iudæus sis, gentilitèr viuis, & non Iudaicè: quomodò Gentes cogis* exemplo tuo *iudaizare?* quasi, eandem charitatem prestare deberes alijs, quam tibi, coactio nō erat, nisi ab exemplo: Petrus enìm retinere volens Hebræos in fide, timens ne si viderent illum gentilitèr viuentem, à fide recederent, subtrahebat se, & simulabat, & hac sua simulatione Gentes prætèr suam intentionem offendit, & sic incautè tantùm se gessit, sed quia res erat notoria, & periculum multitudinis, ideò necesse fuit Paulo palàm reprehendere. Et quamuis parua esset trangressio Petri, ità vt peccatum veniale non excedat, tamèn Paulus acriori vsus est reprehensione, & coràm omnibus ob scandalum, quod ex illa parua trangressione oriebatur in perniciem Gentilium, sed vide latiùs in Act. cap. 15. *Nos natura Iudæi*, quibus data lex, *& non ex Gentibus peccatores*, quibus lex non data, quomodò rectè ab illa subtrahimur, & ad illam Gentes, ad quas non pertinet (hæc prima ratio) inducimus? *Scientes autèm* (secunda ratio) scientes maximè *quòd non iustificatur homo ex operibus legis*, & sic quòd lex nihil prodest, sed fides Iesu Christi. Rom. 5. 1. *& nos*, qui alios docemus, *in Christo Iesu credimus*, hanc fidem amplectimur, *vt iustificemur* à Deo *ex fide Christi, & nō ex operibus legis: proptèr quod*, quia *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, homo, nullus homo. Rom. 3. 20. quomodò ergò alios ad illius obseruantiam cogimus? *Quòd si* nos (tertia ratio) *quærentes*, satagentes *iustificari in Christo*, in fide Christi, proptèr Christum, *inuenti sumus & ipsi peccatores*, non iustificati, ità vt operibus legis indigeamus, *nunquid Christus peccati minister est?* vt nos suæ fidei addixerit tanquàm liberandos à peccato ex illa, & id non præstet, sed lege indigeamus iustificante, quam ipse aboleuit? *Absit*, id nullo modo, & tamèn facto nostro legem amplexando id videmur dicere. *Si enim* (quarta ratio) *quæ destruxi*, (legem enim abieci, & respui) *iterum hæc ædifico*, iterum abolitam illam, & reiectam reassumo: *præuaricatorem me constituo*, declaro me non rectè egisse, & sic omnia subuertimus; cum ergò prædicauerimus legem destructam, iterum eam reædificare non debemus, ne præuaricatores constituamur. *Ego enim per legem* Christi (quinta ratio) *legi* Moysis *mortuus sum*, ad illam non teneor, proùt si mortuus essem: tùnc enim omnis obligatio deficit. Rom. 7. 1. 2. *vt Deo viuam*, qui legem nouam dedit viuificantem, & declarans quomodò mortuus sit, dicit: *Christo confixus sum cruci;* sicùt ergò ille mortuus, ità ego secum; sic 2. Cor. 15. quoniàm si vnus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus

tuus est Christus, vt & qui viuunt, iàm non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. *Viuo autèm* (declarat quomodò viuat Deo) *iàm non ego* ex me, qui non possum: nō enim ex morte poteram surgere: *viuit verò in me Christus,* in quo vita, & vita erat lux hominum, viuificans me. *Quòd autèm nunc viuo in carne* (declarat quomodò viuat in Christo) distractus à Christo, non obstat, *quia in fide viuo Filij Dei* spiritualitèr, *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me,* & sic à fide Christi vitam traho, & omnes trahimus, ideò in ipso viuere debemus, non in lege. *Non abijcio gratiam Dei*, qui pro me hæc fecit, sed illum recognosco, non legem, & sic omnes debent, aliòquin gratiam Dei abijciunt. *Si enim per legem iustitia* (sexta ratio) iustificatio, *ergò gratis*, sinè causa *Christus mortuus est*, ergò nihil ei debemus, & contrarium verum, ergò legem non debemus amplexari. Hæc sic, si adhùc cum Petro agit Paulus: at si cum Galatis, proùt videtur, quia non est verisimile tot rationibus egisse cum Petro in illo congressu, dicerem: *Nos natura Iudæi,* quibus lex data, & quàm deberemus defendere, & viuam sustinere, *& non ex Gentibus peccatores,* infideles, quibus lex non est data, & nihilominus contrà legem agimus, & pro Gentibus: ideò maiori fide digni sumus dicentes illam esse abolitam. *Scientes autèm, &c.* quasi, non temerè hæc agimus, sed *scientes, &c.* ideò exemplo nostro moueamini: *ex operibus enim legis, &c. Quòd si quærentes, &c.* quasi dicat, si quod dico non succederet, sed ex lege esset iustitia, *Christus minister esset peccati,* qui à lege nos abstraxisset iustitiam conferente, & ad fidem suam adduxisset non iustificantem, quod est falsum; sed si nos legem attenderemus, non Christum, vsquè Christum damnaremus. *Si enim quæ destruxi, &c.* (alia ratio;) si ædificamus legem, quam semèl destruximus, eiecimus, peccatores nos constituimus, & Christum nos non liberasse fatemur. *Ego enim per legem* ipsam Mosaicam, sic docentem, referentem omnia in Christum, qui illius finis, quod est argumentum vehemens, *legi* ipsi *mortuus sum,* non sum obnoxius, ac si mortuus, liber sum, *vt Deo viuam* in libertate Euangelica, quam fecit nobis Christus: ideò *Christo confixus sum cruci,* & sic membris affixus non possum auelli, & cum eo mortuus, cum eo conuiuificatus. *Viuo autèm, iàm non ego: viuit verò in me Christus,* vita mea, gratia sua me viuificans, in quem omnia refero. *Quod autèm nunc viuo in carne,* quasi non videar in Christo viuere, non attendendum: quia *in fide viuo, &c.* spiritualitèr, & sic declarat quomodò in carne existens viuat in eo Christus, & ipse in Christo per fidem, & dilectionem, & redemptionem Christi. *Non abijcio gratiam Dei,* à quo omnia recognosco, quam abijcerem, & abijcit quisquè legem seruans. *Si enim per legem iustitia,* iustificatio, *ergo gratis,* sinè causa absquè necessitate nihil nobis apportans boni, *mortuus est Christus,* nihil ei debemus, non sunt illi habendæ gratiæ, quod est impium dicere. Hæc Paulus non in se tantùm, sed in alijs figurans, & exprimens.



CA-




CAPVT III.



1 *Insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire verita-*
ti, antè quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in
2 *vobis crucifixus? * Hoc solùm à vobis volo discere: Ex*
operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?
3 ** Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne*
4 *consummemini? * Tanta passi estis sine causa? si tamen*
5 *sine causa. * Qui ergò tribuit vobis Spiritum, & opera-*
6 *tur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? * Sicut scriptum*
7 *est: Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. * Cognoscite er-*
8 *gò quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ. * Prouidens autèm Scriptura quia*
ex fide iustificat Gentes, Deus prænunciauit Abrahæ: Quia benedicentur in te om-
9 *nes Gentes. * Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. * Qui-*
10 *cumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: Scriptum est enim:*
Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in Libro
11 *legis vt faciat ea. * Quoniàm autèm in lege nemo iustificatur apud Deum, ma-*
12 *nifestum est: quia iustus ex fide viuit. * Lex autèm non est ex fide, sed, Qui fe-*
13 *cerit ea, viuet in illis. * Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro no-*
14 *bis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: * vt*
in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem Spiritus
15 *accipiamus per fidem. * Fratres (secundum hominem dico) tamen hominis con-*
16 *firmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. * Abrahæ dictæ sunt*
promissiones, & semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed
17 *quasi in vno: Et semini tuo, qui est Christus. * Hoc autèm dico, testamentum*
confirmatum à Deo: quæ post quadringentos, & triginta annos facta est Lex,
18 *non irritum facit ad euacuandam promissionem. * Nam si ex lege hæreditas,*
19 *iàm non ex promissione. Abrahæ autèm per repromissionem donauit Deus. * Quid*
igitur lex? Proptèr transgressiones posita est donèc veniret semen, cui promiserat,
20 *ordinata per Angelos in manu mediatoris. * Mediator autèm vnius non est:*
21 *Deus autèm vnus est. * Lex ergò aduersùs promissa Dei? Absit. Si enim da-*
22 *ta esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. * Sed conclusit*
Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credenti-
23 *bus. * Priùs autèm quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam*
24 *fidem, quæ reuelanda erat. * Itaquè lex pædagogus noster fuit in Christo, vt*
25 *ex fide iustificemur. * At vbi venit fides, iàm non sumus sub pædagogo.*
26 ** Omnes enim Filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. * Quicumque*
27 *enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. * Non est Iudæus, neque*
28 *Græ-*

Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, neque fœmina. Omnes
20 *enim vos vnum estis in Christo Iesu.* Si autèm vos Christi, ergò semen Abra-*
hæ estis, secundùm promißionem hæredes.



insensati Galatæ; ex zelo magno loquitur; *quis vos fascinauit*, decepit *non obedire veritati*, quæ est legalia non attendenda, cum lucem vobiscum habeatis, *antè quorum oculos Christus præscriptus est*, positus est, *in vobis*, pro vobis *crucifixus*, vt vos liberaret à iugo legis? Vel *in vobis crucifixus*, proùt de se cap. præcedenti dixit, Christo confixus sum cruci; vel qui cruce sua operatus est in vobis libertatem? *Hoc solùm à vobis volo discere*, modus conuincendi aptus: *ex operibus legis* Mosaicæ *Spiritum* sanctum visibilitèr *accepistis*: (loquitur enim de apparentibus) *an ex auditu fidei* fideles facti? profectò ex auditu fidei, qua in Christum credidistis. *Sic ergò stulti*, rudes *estis, vt cum spiritu* sancto *cœperitis* fidem hanc amplecti, *nunc* mutati, *carne*, in carnalibus, & legalibus, quæ hæc non efficiunt, *consummemini?* laboretis, frustretis? *Tanta passi estis sinè causa* pro hac fide Christi acquirenda, & retinenda? *Si tamèn sinè causa*: quasi, non fuit sinè causa: profuerunt enim vobis passiones illæ, merces fuit operi vestro; corrigit, quod præmiserat, & is videtur litteralis intellectus. *Qui ergò tribuit vobis*, Deus, non Paulus *spiritum* sanctum, *& operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei* id præstat? vtiquè ex auditu fidei; repetit quod in illis dixerat, in Deo: quasi, Deus non illis operibus, sed hac motus. *Sicùt scriptum est*, exemplo probat, fidei, non operibus spiritum dari, charismata, gratiam; sicuti Abrahæ ob fidem dictæ promissiones quibus credidit: non enim tùnc iustificatus Abraham, qui iustus erat, non idololatra, vt Rom. 4. latè diximus, dum segregatus fuit, & vocatus exire de terra, domo, & cognatione sua; sed id, quod credidit, *reputatum est illi ad iustitiam*, idest ac si ei deberetur: non enim poterat ei deberi quidquam, quia nullus hominum meruit Christi aduentum, sed Deus liberalitèr, & misericorditèr agens, præstitit fidei Abrahę, quasi ex sua obligatione, & reputauit illi omnia ad debitum; ideò cap. 15. Genes. promissiones firmauit pacto, & simile illud Pauli de corona iustitiæ sibi debita; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, non solùm, &c. & Dominus Abrahæ: ero merces tua magna nimis; & Dauid: vt iustificeris in sermonibus tuis: non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur laboris vestri. 1. Cor. 10. hinc terra promissionis dicta, quasi debita: tenemur enim ad obseruantiam promissorum; vult ergò dicere Paulus: sicutì fidei Abrahæ obseruatio promissorum, sic iustificatio nostra ex fide, non ex operibus legis; & sciens Paulus ex eo loco sic mutilato, & trunco, seù ex illis solis verbis non probari Deum iustificare ex fide, subijcit. *Prouidens autèm Scriptura*, Spiritus sanctus, *quia ex fide iustificat Gentes Deus, prænunciauit Abrahæ*, præsignificauit: *Quia benedicentur*, iustificabuntur *in te* in semine tuo ex te carnalitèr oriundo, qui est Christus, vt declarat infrà Paulus, *omnes Gentes*, vniuersum genus humanum crediturum in Christum. *Igitur qui ex fide sunt*, qui fideles sunt, credentes in Christum, *benedicentur cum fideli Abraham*, qui credidit etiàm in spe, contrà spem, adeò vt & ratione primatus, & ratione magnæ fidei, fidelis nomen receperit, & pater credentium dicatur, & omnes fideles ab ipso nuncupentur. Vide latiùs scripta. Rom. 4. quæ congruunt huic loco, & illa declarant, quibus excludo intellectum primæ, & secundæ iustificationis in Abraham tùnc apprimè iustificato. Et si ageretur de iustificatione Abrahæ, quæ occulta esset, quomodò seruiret in argumentum hic, aut in Epist. ad Rom.? agitur ergò de notis, ex quibus argumentum sumatur, & hæc nota illa, quæ dixi promissa illi imputata ad debitum à Deo sic volente imputari eius fidei.

Qui-

Quicunque enim ex operibus legis sunt, in illis viuentes, & ea obseruantes, *sub maledicto sunt*, non sub benedictione, ideò sub Abraham non comprehenduntur. *Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in Libro legis vt faciat ea*, vt ea adimpleat, non autèm data benedictio obseruantibus, ità vt iustificentur, proùt sequentibus fidem Abrahæ, ideò à lege etiàm obseruata non habetur benedictio, seù iustificatio. *Quoniàm autèm* (infert ex præmissis) *in lege nemo iustificatur*, iustus efficitur *apud Deum* iustitia spirituali, *manifestum est*, postquàm iustificatio datur, *quia iustus ex fide viuit*, viuificatur, iustificatur. *Lex autèm non est ex fide*, quia non proponit credenda, *sed*, *Qui fecerit ea*, quæ in illa dicuntur, *viuet in illis*, non incurret mortem comminatam, & obtinebit quæ illius opera seruantibus dabantur, & sic lex ipsa dat præmium operibus, non fidei; ideò Deut. 28. in benedictionibus promissis obseruantibus, nihil de iustificatione, sed tantùm de terrenis, & carnalibus. At quomodò salui illi Patres antè Christum? in fide venturi, non in operibus legis etiàm ad vnguem seruatæ, quia non in illis vita, sed in fide; non ergò recurrendum, Lex non poterat seruari, erat seruatu difficilis, quia quouis modo non iustificabat sinè fide in venturum. *Christus* pro nobis incarnatus, mortuus *redemit nos*, eripuit nos *de maledicto*, maledictione *legis* Mosaicæ, *factus pro nobis maledictum*, maledictio ipsa, vt nos benedictione impleret: *quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno*, quæ in Psalm. 131. in fin. dicitur sanctificatio, & 1. Cor. 1. 30. ob causam delicti, pro quo pendet, & in eo ipse pro nobis pependit: *vt in Gentibus benedictio Abrahæ* à Deo promissa *fieret in Christo Iesu*, per Iesum Christum; qui est de semine Abrahæ secundùm carnem, *vt pollicitationem*, promissionem factam Abrahæ, *Spiritus*, spiritualem (& sic eccè quomodò benedictio non carnalis, sed spiritualis) *accipiamus per fidem*, non autèm per legem, seù legalia. *Fratres* (*secundum hominem dico*) humana adduco, & *tamèn hominis confirmatum*, stabilitum, validum *testamentum nemo spernit, aut superordinat* quidquam addendo; infert ex hoc. *Abrahæ dictæ sunt*, factæ sunt *promissiones, & semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi*, sed certè *in vno* tantùm: *Et semini tuo, qui est Christus* ex Abraham per carnem descendens. *Hoc autèm dico*, sic ergò arguo, *testamentum*, pactum *confirmatum à Deo* etiàm iureiurando, & sacrificio: *quæ pòst quadringentos, & triginta annos* à promissione prima facta Abrahæ, *facta*, data *est Lex* Moysi, *non irritum*, nullum *facit ad euacuandam*, tollendam *promissionem* Abrahæ factam. *Nàm si ex Lege hæreditas*, benedictio, vt de Isaac habetur benedicente, hæreditatem dante Iacob, *iàm non ex promissione* Abrahæ facta. *Abrahæ autèm per repromissionem*, obligationem *donauit Deus* hæreditatem, benedictionem hanc, quam lex infringere non potuit, ergò infert, per Christum benedictionem haberi, non per legem, & consequentèr in fide Christi, non in lege insistendum. *Quid igitur lex?* ad quid lex data? *Proptèr transgressiones*, seù peccata in Deum, quæ ab hominibus fiebant, *posita est*, stabilita est quasi terminus, quem non transgrederentur, *donèc veniret*, incarnaretur *semen*, Christus, *cui promiserat*, cui, vel in quo Deus promissiones fecerat, *ordinata*, in ordinem deducta *per Angelos*. Act. 7. 53. in dispositione Angelorum administratoriorum spirituum. Heb. 1. in fin. *in manu*, in potentia, brachio *mediatoris*, Christi, non Moysis, cuius nulla potentia, & cui sequentia non conueniunt; & quia in Epist. ad Hebr. 8. 6. & 12. 24. & 1. Timot. 2. 5. dicitur Christus mediator, & verba, *in manu*, non possunt importare ministerium, vt in Prophetis, quia ministri hìc Angeli: dicitur enìm, *ordinata per Angelos*; & quia quomodò mediator homo? cum solus Deus, & homo mediator? Nec obstat Deut. 5. 5. ego sequester, & medius fui, quia subdit, vt annunciarem vobis verba eius: hìc autèm agitur de prolatione legis, dicendo *ordinata per Angelos in manu mediatoris*: &, *mediator vnius* populi *non est*; vndè non applicatur Moysi Hebræorum populum tantùm repræsentāti, sed Christo, qui fecit vtraque vnum, ad quem accessum habemus ambo, & ambos reconciliauit, &c. Ephes. 2. 16. 17. 18.

& 1.

& 1.Timot.2. vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem seipsum pro omnibus, non ergò mediator populi vnius, sed amborum, *Deus autèm vnus est*, omnium scilicèt. Non obstat Christus nondum erat homo tempore Moysis, & mediator esse non poterat, nisi homo, ergò non de Christo; nàm intelligitur *in manu*, seù potestate *mediatoris* futuri, sicùt dicimus de Messia futuro, præsertìm quia tùnc data etiàm lege, non dabatur mediator, nec salus, nisi per fidem in eum venturum, non in eo, qui iàm venisset; ideò nec actu requirebatur mediator, cum lex non operarètur partes mediatoris. Non obstat, dicitur *lex ordinata per Angelos in manu mediatoris*; nàm per Angelos ministros data, at non per ministerium, sed per potestatem mediatoris, qui Deus erat; nàm nónè dicimus datam esse legem à Deo? Præterea, verba, *in manu mediatoris*, referuntur ad tempus datæ legis, eo autèm tempore dum dabatur, à Deo dabatur, non ab homine, ergò mediator Deus tùnc, non homo, & quomodò mediator Angelus? excluditur enìm à verbis, *ordinata per Angelos in manu mediatoris*, quæ diuersificant Angelos à mediatore, & quomodò Angelus mediator, si dator? & quomodò mediator, si tùnc fungebatur vice Dei, quem repræsentabat? Non obstat tertium, Lex data per Moysen: esto, sed ad annunciandum populo: non enim dicitur, dum daretur, in potestate, & virtute sua dari, proùt & illa, & noua lex ex potestate mediatoris, & sic respiciunt illa verba tempus, quo Moyses illam promulgauit, non illud, quandò data in monte Sinai, de quo hìc Paulus, cùm meminerit Angelorum tùnc disponentium. Non obstat quartum: quia ex Apostolo non elicitur, imò contrarium; nàm si mediator est, idest, factor, promulgator noui testamenti. Hebr.8.9.12. ergò & antiqui, & inclusio de illo pro nouo non excludit illum à veteri, & maior bonitas noui non excludit, quin idem sit mediator in veteri minus bono, quod datum est ad præparationem noui intèr alia infrà vers.23. imò qui præparati, idem & præparantis mediator præsumitur, & creditur. Et quidquid dixeris, nunquàm Moysi adaptabis quæ sequuntur. *Mediator autèm vnius non est, &c.* cum autèm id non possis, ideò nec verba superiora Moysi aptantur. *Mediator autèm*, Christus scilicèt, *non est vnius* populi tantùm, sed vniuersorum, & Iudæi, & Gentilis: etsi enim ex Iudæis carnem sumpserit, tamèn in ea mediator Dei, & hominum factus. 1.Timot.2.5. est enim & Deus, *Deus autèm vnus est* omnium, quem inuocant omnes siuè Iudæus, siuè Gentilis. Rom.3.29. vult inferre: Si lex iustificaret, prouisum esset tantùm Hebræis, quibus lex data, non Gentilibus, at Deus communis, & vniuersalis omnibus hominibus non prouidit vni tantùm, sed omnibus, & omnium mediator factus est, quos saluos volebat; ergò vt omnes iustificari possent, remedium commune, quod est fides in venturum mediatorem, edocuit, non legem: Spe enim succedente, cessat id, quod ad spem nos inducebat, quod erat lex. *Lex ergò aduersùs promissa Dei?* vt euacuaret promissa Abrahamo? *Absit. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia*, iustificatio, & cederet contrà promissa Dei. *Lex ergò aduersùs promissa Dei?* ità vt ex ipsa, non ex promissione vita habeatur, & sic irrita sit promissio, & lex sequenda, & adhùc obseruanda quasi viuificans? *Absit*, nequaquàm. *Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia:* hoc enìm verum esset, si ex lege assequi possemus iustitiam, seù iustificationem. *Sed conclusit Scriptura*, Spiritus sanctus *omnia sub peccato*, idest, nullibi legitur in Scriptura antiqua vitam, seù iustitiam dari, sed omnes peccatores esse manifestat. Rom. 3. 10. & nullum remedium, vel remissionem competere, sed mediatorem Messiam expectandum, *vt promissio*, benedictio, hæreditas Abrahæ promissa *ex fide Iesu Christi*, ex illo per carnem nasciturо *daretur credentibus* in eum, & sic lex non aduersatur, cum ex fide hac, non illa recipiatur promissio, quæ fidei soli in Christum reseruata est. Vel, *Lex ergò aduersùs promissa Dei?* ità vt illa distulerit, quia dixi *proptèr transgressiones positam, donèc veniret semen, &c? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iustitia*, tùnc aduersaretur, quia

non ftaret promiffio Abrahæ in omnes homines diffundenda, fed legem feruantibus tantùm daretur, & tùnc volentes iuftificari legis indigerent obferuantia, & fic aduerfaretur promiffis id non requirentibus, fed fimplicibus. ***Sed conclufit Scriptura omnia fub peccato***, lex illa apparere fecit omnes peccatores, & feruos vinctos, & hoc fuit eius proprium, non vt retardaret, vel aduerfaretur, ***vt deindè promiffio ex fide Iefu Chrifti daretur credentibus***, poftquàm illa operata effet effectus fuos, ***donèc femen veniret***, quod & infinuat infrà cap. 4. 1. ex eo quòd nondum capax erat, in ætate recipiēdi Meffiam, exindè docet quomodò operabatur Lex, & quomodò non aduerfabatur, & hic aptior intellectus. ***Priùs autèm quàm veniret fides***, id quod expectabamus credentes qui eft Meffias, ***fub lege cuftodiebamur conclufi in eam fidem***, referuabamur intrà eius limites tamquàm paruuli, & lactentes; feù carceribus mancipati, ne peruerteremur, & vagaremur in idòla, ***quæ reuelanda erat*** ex aduentu Iefu Chrifti, & fic erat præparatorium ad Meffiam. ***Itaquè Lex pædagogus nofter fuit***, ductor nofter ***in Chrifto***, ad Chriftum venturum, & faluaturum, ***vt ex fide*** eius ***iuftificemur***, iufti efficiamur. ***At vbi venit fides***, Chriftus, vbì reuelatum eft quod expectabamus, ***iàm non fumus fub pædagogo***, fub lege, quæ hoc officio fungebatur. ***Omnes enim filij Dei eftis per fidem, quæ eft in Chrifto Iefu***, quē recipimus, quotquot autèm receperunt eum, dedit eis poteftatem filios Dei fieri. Io. 1. ideò non refert quòd vos Galatæ non fueritis fub pędagogo legis, quia fufficit fides abfquè illa. ***Quicunque enim in Chrifto***, in baptifmo Chrifti ***baptizati eftis***, ***Chriftum*** folùm ***induiftis***, vefte noua induti eftis, ad aliam vitam trāflati eftis, vnum effecti eftis cum Chrifto, incorporati eftis cum illo, ità vt nulla intèr baptizatos fit differentia; ideò fubdit. ***Non eft Iudæus, nequè Græcus: non eft feruus, nequè liber: non eft mafculus, nequè fœmina. Omnes enim vos vnum eftis in Chrifto Iefu*** tàm Iudæi, quàm Græci, &c. abfquè vlla differentia nationum, qualitatum, fexuum. ***Si autèm vos***, Galatæ Gentiles, ***Chrifti*** eftis qui eft de femine Abrahæ, ***ergò femen Abrahæ eftis*** & vos, qui eftis vnum cum illo ***fecundùm promiffionē***, pactum, illi factam ***hæredes***, benedicti, iuftificati, in partem regni admiffi, ideò legis operibus non indigetis, fruftrà cum illis confummamini.



CAPVT IV.

1 *DICO autèm: Quanto tempore hæres paruulus eft, nihil*
2 *differt à feruo, cum fit dominus omnium: * fed fub tuto-*
ribus, & actoribus eft vfquè ad præfinitum tempus à
3 *patre: * ità & nos cum effemus paruuli, fub elementis*
4 *mundi eramus feruientes. * At vbi venit plenitudo*
temporis, mifit Deus Filium fuum factum ex muliere,
5 *factum fub lege * vt eos, qui fub lege erant, redimeret,*
6 *vt adoptionem filiorum reciperemus. * Quoniam au-*
tèm eftis filij, mifit Deus fpiritum filij fui in corda veftra clamantem: Abba,
7 *Pater. * Itaquè iàm non eft feruus, fed filius: quòd fi filius: & hæres per Deum.*
8 ** Sed tùnc quidèm ignorantes Deum, ijs, qui natura non funt dij, feruiebatis.*
9 ** Nunc autèm cum cognoueritis Deum, immò cogniti fitis à Deo: quomodò con-*
c onuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuò feruire vul-
tis?

10 *tis?* * *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos.* * *Timeo vos, ne for-*
11 *tè sinè causa laborauerim in vobis.* * *Estote sicùt ego, quia & ego sicùt vos:*
12 *fratres obsecro vos: Nihil me læsistis.* * *Scitis autèm quia per infirmitatem car-*
14 *nis euangelizaui vobis iàm pridem, & tentationem vestram in carne mea* * *non*
spreuistis, neque respuistis, sed sicùt Angelum Dei excepistis me, sicùt Christum
15 *Iesum.* * *Vbi est ergò beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia,*
16 *si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* * *Ergò inimicus vobis*
17 *factus sum, verum dicens vobis?* * *Aemulantur vos non benè: sed excludere*
18 *vos volunt, vt illos æmulemini.* * *Bonum autèm æmulamini in bono sempèr:*
19 *& non tantùm cum præsens sum apud vos.* * *Filioli mei, quos iterum parturio,*
20 *donèc formetur Christus in vobis.* * *Vellem autèm esse apud vos modo, & mu-*
21 *tare vocem meam: quoniàm confundor in vobis.* * *Dicite mihi qui sub lege vul-*
22 *tis esse: legem non legistis?* * *Scriptum est enim: Quoniàm Abraham duos filios*
23 *habuit: vnum de ancilla & vnum de libera.* * *Sed qui de ancilla, secundùm*
24 *carnem natus est: qui autèm de libera per repromissionem:* * *quæ sunt per allego-*
riam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Vnum quidèm in monte Sina, in
25 *seruitutem generans: quæ est Agar:* * *Sina enim mons est in Arabia qui coniun-*
26 *ctus est ei, quæ nùnc est Ierusalem, & seruit cum filijs suis.* * *Illa autèm quæ*
27 *sursùm est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim:* * *Læ-*
tare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi fi-
28 *lij desertæ, magìs quàm eius, quæ habet virum.* * *Nos autèm fratres secun-*
29 *dùm Isaac promissionis filij sumus.* * *Sed quomodò tùnc is, qui secundùm carnem*
30 *natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum: ità & nùnc.* * *Sed*
quid dicit Scriptura? Eijce ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius
31 *ancillæ cum filio liberæ.* * *Itaquè, fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ: quà*
libertate Christus nos liberauit.



ICO *autèm: Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cũ sit dominus omnium*, etiàmsi sit dominus omnium: *sed sub tutoribus, & actoribus est vsquè ad præfinitum tempus à Patre*. Suprà docuerat Apostolus legem non aduersatam esse, vel retardasse promissionem, sed inseruisse donèc promissioni locus factus est; vt autèm meliùs id exprimeret, reassumit probare, quod semèl ostenderat exemplo paruuli sub pędagogo, eiusdem sub tutore constituti, qui sub illis edocetur, & eius vitæ principalitèr, rerum secundariò cura habetur, inferens: *ità & nos* Iudæi *cum essemus paruuli* sub lege, qui ad virum perfectum surgere non poteramus, *sub elementis mundi*, sub primis principijs, proùt sunt elementa in qualibet scientia, seù cultu *eramus seruientes*, conclusi, proùt paruulum seruum dixit; sicùt ergò paruulus non habet nequè velle, nequè nolle, nec potest rebus suis præiudicare, nequè aduersari, aut diferre, ità nequè nos promissionibus hac lege aduersabamur, vel illas differebamus: tempus enim promissionum adimplendarũ non erat in nostra, sed in Dei potestate. *At vbi venit plenitudo temporis*, opportunitas, quo omnia impleta, nihilquè implendum remanebat, *misit Deus Filium suum* naturalem

factum ex muliere sola, *factum sub lege* Mosaica, ea adhùc viua, seù vigente, & vires habente, *vt eos* Hebræos, *qui sub lege erant* conclusi, seruientes, paruuli, *redimeret* quasi captiuos, *vt* nos homines *adoptionem filiorum* cum ipso Filio naturali *reciperemus* per fidem: dedit eis potestatem Filios Dei fieri. Ioan. 1. & non ampliùs essemus serui diaboli, sed in libertatem vindicaremur. *Quoniàm autèm estis filij* per adoptionem, *misit Deus* (eccè effectus, & pignus, seù arrha) *spiritum filij sui*, Spiritum sanctum *in corda vestra clamantem*, clamare nos facientem, *Abba*, quod explicat verbo, *pater*, qua voce Deum in patrem recognoscitis. *Itaquè iàm non est*, non inuenitur *seruus* intèr homines iàm credentes, *sed filius*, omnes filij, quia vniuersalis est adoptio: *Quòd si Filius* quisque: *& heres per Deum* misericordem: Filio enim debetur hæreditas, benedictio, iustificatio. *Sed tùnc quidem* antequàm conuersi essetis à simulachris seruire Deo vero, & viuo, *ignorantes Deum, ijs, qui natura non sunt dij*, de quibus Baruch. 6. *seruiebatis*, cultum exhibebatis. *Nùnc autèm cum cognoueritis Deum*, qui seipsum vobis cognoscendum præbuit, *imò cogniti sitis à Deo* vti fideles, & in Christum credentes: *quomodò conuertimini iterum* quasi renouaturi vos legalia, ad quos non spectat, *ad infirma, & egena elementa*, legalia, quæ ad perfectum deducere non valebant, nùnc abolita, *quibus denuò seruire vultis?* nouæ seruituti mancipari? Ideoquè *dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos* ad festa celebranda quasi origine Iudæi, & quasi adhùc expectandus sit Messias, & non credatis iàm venisse; non potest trahi hæc ad idòlolatriam, quia si contrà fornicarium carnalem Corinthium adeò acerbè, quid contrà fornicarios spirituales? *Timeo vos, ne fortè sinè causa laborauerim in vobis*, timeo in vestra conuersione operam perdidisse, videns mutationem vestram. *Estote sicùt ego* sinè legalibus, sed stabiles, firmi in ea fide, quam in vobis formaui, *quia & ego sicùt vos* volo esse, sum. Vel, *estote sicùt ego, quia & ego sicùt vos* vnanimes in vnum in Christo Iesu. Vel, *estote sicut ego* prædicaui vobis, *quia & ego* sum *sicut vos* volui esse: *fratres obsecro vos*, vt velitis ità esse: *Nihil me læsistis* legalibus incumbentes, id ad iniuriam meam non reuocaui, vt nùnc mouear ad hæc vobis inculcanda; hoc modo mitigat reprehensionem. *Scitis autèm quia per infirmitatem carnis*, in tribulationibus versans; sic 2. Cor. 11. 30. quæ infirmitatis meæ sunt; *euangelizaui vobis iam pridem; & tentationem vestram* in quam ex passionibus meis inducebamini, *in carne meà non spreuistis, neque respuistis*, vt auerteremini ab his, quæ euangelizabam: *sed sicut Angelum Dei*, à Deo missum *excepistis me*, imò & *sicut Christum Iesum*, implentes illud: qui vos audit, me audit. *Vbi est ergò beatitudo vestra?* gloria vestra, prædicatio vestra, qua vos beatos dicebatis, dum vobiscum agerem, & in obsequijs meis toti essetis? *Testimonium enim perhibeo vobis*, (dicit beneficia vti gratus) *quia, si fieri posset, oculos vestros* quouis membro chariores *eruissetis, & dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum*, qui tot à vobis iam pridem beneficia, & exceptiones recepi (ex parte eorum loquitur) *verum dicens vobis?* quia veritatem dico malè vos agere, legalia sequentes? *Aemulantur vos*, zelum ergà vos ostendunt alij pseudo *non benè*, non ad bonum, non rectè: *sed excludere vos volunt* à me, vel à fide, *vt illos æmulemini*, imitemini in legalibus obseruandis in perniciem animarum vestrarum. *Bonum autèm* quemcunque *æmulamini in bono sempèr*, non in malo; Quæ dicunt vobis seruate, & facite; imò fugite ab imitatione mali: & ad se rem trahens, *non tantùm cum præsens sum apud vos*, sed etiàm cum absens sum debetis me in bono æmulari. Non potest dici *bonum* in rebus, quia subdit *in bono*, vndè ad personam referendum. *Filioli mei, quos* peperi, & *iterum parturio, donèc formetur Christus in vobis*, cui soli verè credatis non recessuri, nec iuncturi legalia. *Vellem autèm esse apud vos modò, & mutare vocem meam: quoniàm confundor*, erubesco *in vobis* mutatis, ad legalia translatis. *Dicite mihi qui sub lege vultis esse* serui: *legem non legistis?* ex magno zelo loquitur, & eos vrget. *Scriptum est enim: Quoniàm Abraham duos filios habuit, &c.* probat vsquè ad finem

nem cap. legem seruitutem inducere: fidem Christi libertatem; ideoquè suadet recessum à lege, & inhærentiam in fide Christi. *Scriptum est* in Genesi: *Quoniàm Abraham duos filios habuit,* Ismael, & Isaac; non meminit aliorum, quia satis ei fuit meminisse Ismaelis maioris, tùm quia omnibus data munera. Gen. 25. Isaac hæreditas, tùm quia Ismaele nato dictum: eijce ancillam, & filium eius, &c. Gen. 21. 10. quæ infrà Apostolus sensui suo accommodat: *vnum de ancilla* Agar, Ismael, *& vnum de libera* Sara, Isaac; *Sed qui de ancilla, secundùm carnem,* more aliorum hominum *natus est: qui autèm de libera per repromissionem,* & potestatem factã à Deo Abrahæ, Gen. 17. & 18. Rom. 9. *quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enìm sunt duo testamenta,* pacta, quæ figurant Sara, & Agar, nouum, & vetus. *Vnum quidèm in monte Sina,* quæ est Lex ibi data, quæ in pactum de illa obseruanda intèr Deum, & populum interuenit, *in seruitutem generans,* quia ob timorem seruabatur: *quæ est Agar* ancilla, denotans legem seruitutem inducentem; *Sina enìm mons est in Arabia, qui coniunctus est ei* monti Sion, seù Moriæ, *quæ nùnc est Ierusalem,* vbì nùnc Ierusalem sita; quę Agar *seruit cũ filÿs suis,* qui sequuntur eius conditionem seruilem. *Illa autèm, quæ sursùm est,* desursùm *est Ierusalem* spiritualis, ad quam aspiramus; alij Ecclesia Catholica non serua, sed *libera est, quæ est mater nostra,* à qua nos descendimus. *Scriptum est enìm: Lætare sterilis,* gentilitas, *quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis;* inuitat ad gaudium: *quia multi,* plures *filÿ desertæ* gentilitatis; hinc: emitte agnum Domine Dominatorem terræ de petra deserti, de petra Abraham; respicite ad petram, ex qua excisi estis, de gentilitate, idest, Abraham præputiato, & gentili promissum, ad montem filiæ Sion, ad Iudæos, quos denotat per Sion montem, vbì Ierusalem, *magìs quàm eius, quæ habet virum* Iudææ, Synagogæ. *Nos autèm fratres secundùm Isaac* legitimum, liberum *promissionis* à Deo factæ *filÿ* spirituales *sumus. Sed quomodò tùnc is, qui secundùm carnem natus fuerat,* Ismael, *persequebatur,* volens abripere sibi primogenituram. Genes. 21. proptereà enim non erit filius ancillæ cum filio meo, dixit Sara: hoc enim ipsa timuit: sic enim *persequebatur* Ismael hac de causã *eum, qui secundùm spiritum,* promissionem natus fuerat: *ità & nùnc* carnales Iudæi persequuntur vos spirituales, volentes inducere seruitutem legis supèr vos & abripere vobis hæreditatem paternam. *Sed quid dicit Scriptura? Eÿce ancillam, & filium eius: non enìm hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ;* sic Sara. *Itaquè, fratres, non sumus ancillæ filÿ, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit,* ideò inferre vult, non debemus pati nos sub iugo seruitutis legis poni, sed eijciendi sunt contrarium persuadẽtes pseudoapostoli, proùt eiectus Ismael.



CAPVT V.



1 TATE, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. * Ec-
2 cè ego Paulus dico vobis: quoniàm si circumcidamini,
3 Christus vobis nihil proderit. * Testificor autèm rursùs
4 omni homini circumcidenti se, quoniàm debitor est vni-
5 uersæ legis faciendæ. * Euacuati estis à Christo, qui in le-
6 ge iustificamini: à gratia excidistis. * Nos enìm spiritu
ex fide, spem iustitiæ expectamus. Nàm in Christo Ie-
7 su nequè circumcisio aliquid valet, nequè præputium: sed fides, quæ per charita-

8 tem operatur. * Currebatis benè: quis vos impediuit veritati non obedire?
9 * Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos. * Modicum fermentum totam
10 massam corrumpit. * Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapie-
11 tis: qui autèm conturbat vos, portabit iudicium quicunque est ille. * Ego au-
tèm, fratres, si circumcisionem adhùc prædico: quid adhùc persecutionem patior?
12 Ergò euacuatum est scandalum crucis. * Vtinam & abscindantur qui vos con-
13 turbant. * Vos enìm in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem
14 in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus seruite inuicèm. * Omnis
15 enìm lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicùt te ipsum. * Quòd
16 si inuicèm mordetis, & comeditis: videte ne ab inuicèm consummamini. * Di-
17 co autèm: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. * Caro enìm
concupiscit aduersùs spiritum: spiritus autèm aduersùs carnem: hæc enìm sibi in-
18 uicèm aduersantur: vt non quæcumque vultis, illa faciatis. * Quòd si spiri-
19 tu ducimini, non estis sub lege. * Manifesta sunt autèm opera carnis: quæ sunt
20 fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, * idolorum seruitus, veneficia,
21 inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, * inuidiæ, ho-
micidia, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicùt
22 prædixi: quoniàm qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. * Fructus
autèm Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas,
23 longanimitas, * mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersùs
24 huiusmodi non est lex. * Qui autèm sunt Christi, carnem suam crucifixerunt
25 cum vitijs, & concupiscentijs. * Si Spiritu viuimus, Spiritu & ambulemus.
26 * Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicèm prouocantes, inuicèm inuidentes.




TATE in fide Christi, & *nolite iterum iugo seruitutis* legaliũ *contineri*, astringi quasi compedibus. *Eccè ego Paulus* Apostolus Christi *dico vobis*, testificor: *quoniàm si circundamini, Christus nihil vobis proderit* amplectentibus, & renouantibus hoc modo legalia abolita. *Testificor autèm rursùs omni homini circuncidenti se, quoniàm debitor est*, constituitur *vniuersæ legis faciendæ*, quia circuncisione illam profitetur, & ad illam eo actu se obligat, quod maximè vitandum. *Euacuati estis à Christo*, Christum exuistis, *qui in lege iustificamini*, iustificari quæritis: *à gratia* Christi *excidistis*. *Nos enìm spiritu* adoptionis filiorum stabiliti *ex fide* in Christum, *spem iustitiæ*, præmium nobis ex operibus debitum *expectamus*; sic Paulus: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c. *Nàm in Christo Iesu*, in Christianismo, *neque circuncisio aliquid valet, neque præputium*, ad salutem quidquam cõferunt: *sed fides* in eum, *quæ per charitatem*, mediante charitate *operatur*. Fides enìm sinè operibus mortua. *Currebatis benè* in via Domini recta: *quis vos impediuit* scandalum ponens *veritati* cognitæ *non obedire? Persuasio hæc* ad legalia, impediens euangelica *non ex eo* Deo, *qui vocat vos* ad salutem, & ne putetis hoc leue, cum vos ad totam legem obliget circuncisio, & quatenùs esset, *modicum fermentum totam massam* farinæ *corrumpit*, inficit, & parua vitanda, quæ ad magna trahunt. *Ego confido in vobis in Domino*, per Dominum, *quòd nihil aliud sapietis* quàm quod nùnc scribo vobis, & aliàs prædicaui:

dicaui: *Qui autèm conturbat vos*, disseminando hæc mortifera, *portabit iudicium*, condemnationem, pœnam, *quicunque est ille*; stabunt iusti in magna constantia, &c. *Ego autem, fratres, si circuncisionem adhùc prædico*, & sic legalia seruanda: *quid adhùc persecutionem patior?* quasi, non potest hoc esse, quod mihi objicitur me prædicare circunsionem, quia proptèr hoc eo quòd legalia destruo, persequuntur me Iudæi. Act. 21. Et si hoc verum est, *ergò euacuatum est scandalum crucis*, gratis crucifixus est Christus, non ampliùs prædicandum Christum crucifixum, cessauit scandalum, in quod impingebant Iudæi, quod tamèn non est, contrarium videmus. *Vtinàm & abscindantur*, tollantur de medio *qui vos conturbant*, subuertunt his falsis dogmatibus, est propheticum fortè quod euenturum erat eis, vt sæpius in Psal. & Cant. Moysis, & Prophetis. *Vos enim in libertatem* Euangelij *vocati estis* à Deo *fratres: tantùm* animaduertite *ne libertatem* hanc *in occasionem detis carnis*, affectuum, desideriorum, seù contentionum, *sed per charitatem Spiritus* sancti Dei, quæ in vobis infunditur, *seruite inuicèm:* hoc subrogo legalibus. *Omnis enim lex*, tota lex Christi, de qua & cap. seq. *in vno sermone impletur* in spectantibus ad humana: *diliges proximum tuum sicùt te ipsum*. *Quòd si inuicèm mordetis, & comeditis*, laceratis non sequendo præceptum: *videte*, cauete *ne ab inuicèm consummamini*. *Dico autèm:* (reassumit quæ dixit) *Spiritu* ductore *ambulate, & desideria carnis* ad malum inclinantia *non perficietis:* quasi dicat: si Spiritu ambularetis, neque legalibus, neque alijs vitijs incumberetis, seù ea non perficeretis, etsi ad ea tentaremini. *Caro enim*, fomes noster *concupiscit*, impellit *aduersus spiritum*, voluntates bonas ab eo emanantes: *spiritus autem aduersùs carnem*, fomitem pugnat: *hæc enim* dissimilia *sibi inuicem aduersantur* nolens consentire: *vt* ex hac contentione *non quæcunque vultis, illa faciatis*; sic & Rom. 7. idem est quod aliàs dicit, homo spiritualis, homo carnalis; vndè spiritum hic pro Spiritu sancto non videtur ad litteram aptari. *Quòd si Spiritu* sancto *ducimini*, in quo est libertas, in quo nullo indigetis, *non estis* serui *sub lege*. Vt autèm id cognoscatis, subijcio vobis manifesta esse opera carnis, fomitis vestri, *quæ sunt fornicatio*, & alia; quæ enumerat, *quæ prædico* iterum *vobis, sicùt* aliàs *prædixi: quoniàm qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*, eijcientur à regno; si verò his liberi estis, vtiquè sub spiritu estis. *Fructus autèm Spiritus est: charitas, &c. fides*, fidelitas, quæ meliùs opponitur præmissis ex carne orientibus. *Aduersùs huiusmodi*, qui spiritu ducuntur, *non est lex:* iusto enim lex non est posita, nec contrà bonum est lex. *Qui autèm*, pro, enim, *sunt Christi* credentes in eum, illi addicti, *carnem suam*, fomitem reluctantem *crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*, mortificando ieiunijs, & alijs modis; alludit ad illud Christi: delens quod contrà nos erat chirographum, affigens illud cruci. *Si ergò spiritu viuimus, spiritu & ambulemus*, operemur iuxtà illum. *Non efficiamur inanis*, vanæ *gloriæ* etiàm *cupidi*, nedum in eam incurramus, *inuicèm* ea de causa *prouocantes*, contendentes, *inuicèm inuidentes* de alterius bono.



CA-



CAPVT VI.

1 F*RATRES, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo*
delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in
spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.
2 * *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem*
3 *Christi.* * *Nàm si quis existimat se aliquid esse, cum ni-*
4 *hil sit, ipse se seducit.* * *Opus autèm suum probet vnus-*
quisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, &
5 *non in altero.* * *Vnusquisque enim onus suum portabit.* * *Communicet autèm*
6 *is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.* * *Nolite er-*
7 *rare: Deus non irridetur.* * *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quo-*
8 *niàm qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autèm se-*
9 *minat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* * *Bonum autèm facientes,*
10 *non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.* * *Ergò dum tempus*
11 *habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autèm ad domesticos fidei.* * *Vi-*
12 *dete qualibus litteris scripsi vobis mea manu.* * *Quicumque enim volunt pla-*
cere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm vt crucis Christi persecutionem
13 *non patiantur.* * *Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt: sed vo-*
14 *lunt vos circumcidi, vt in carne vestra glorientur.* * *Mihi autèm absit glo-*
riari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifi-
15 *xus est, & ego mundo.* * *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid va-*
16 *let, neque præputium, sed noua creatura.* * *Et quicumque hanc regulam secuti*
17 *fuerint, pax supèr illos, & misericordia, & supèr Israel Dei.* * *De cætero nemo*
18 *mihi molestus sit: ego enim stigmata* Domini *Iesu in corpore meo porto.* * *Gra-*
tia Domini nostri Iesu Christi, cum spiritu vestro, fratres. Amen.



RATRES, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; quia non omnes Galatæ seducti erant ad legalia capessenda, sed aliqui: ne hi contemnantur à refugientibus ab illis, subdit, *vos, qui spirituales estis*, spiritu viuentes, non carne, proùt illi, *huiusmodi* sic peccantes *instruite in spiritu lenitatis*, mansuetudinis, *considerans te ipsum* quòd nihil sis, *ne & tu tenteris* ad idem, vel maius delictum: potes enim & tu, qui stas, cadere, & huiusmodi indigere: *Alter alterius onera portate*, vobis inuicèm adiuuantes ex charitate, *& sic adimplebitis* facto, & veritate; non fictè, vel lingua *legem Christi* in sola dilectione vera consistentem. *Nàm si quis existimat*, præsumit *se aliquid esse* præ alijs (suprà enim de contentione, & inuidia in fin. cap. præcedentis) nec posse his tentationibus subiacere, *cum nihil sit* ex se, nisi ex gratia Dei, *ipse se seducit*, decipit seipsum. *Opus autèm suum probet*, videat, consideret *vnusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit*, cognoscet vndè possit gloriari; *& non in altero*, ità vt alijs præferri

præferri velit, vel putet, vti Pharisæus Publicano. *Vnusquisque enim onus suum*, sarcinam suam *portabit*, quasi velit dicere, satis in hoc occupabitur absquè eo quòd in alterum oculos conijciat, & velit supèr alios efferri. *Communicet autèm is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis*, vt paritas seruetur: quasi, nedum non displiceat ei, qui instruitur in spiritu lenitatis, sed etiàm *communicet, &c.* iustum est enim ostendere hoc sibi gratum, & rependere pro beneficio recepto. Nec potest intelligi, *in omnibus bonis*, idest, in eo quod bonum est, quia verbum, *communicet*, huic non aptatur, sed superiori intellectui. *Nolite errare*; in genere loquitur, ideò etiàm in genere subdit: *Deus non irridetur*, imò irrisores confundit, nec falli potest, & in iudicio cognoscetur, generalia subdens. *Quæ enim seminauerit homo*, fecerit, *hæc & metet*, recipiet. *Quoniàm qui seminat in carne sua*, carnalia, *de carne & metet corruptionem*. pœnalia: non enim arbor mala bonos fructus facit: *qui autèm seminat in spiritu*, spiritualia, *de spiritu metet vitam æternam*, quæ in fine datur, & sic Deus non fallitur: *Bonum autèm facientes, non deficiamus*, imò sempèr vltrò progrediamur in illo: *tempore enìm suo metemus non deficientes* in æternum, sicùt parati fuimus ad laborandum, ad semen proijciendum. *Ergò dum tempus habemus*, incerti quid crastina productura sit dies, *operemur bonum* re, *ad omnes*: omnes enim proximi, *maximè autèm ad domesticos fidei*, ad credentes, fideles. *Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu*; hoc dicit ad dandam fidem Epistolæ. *Quicunque enim volunt placere in carne*, in carnalibus, hominibus, *hi cogunt vos circuncidi tantùm* ad effectum *vt ratione crucis Christi*, qua abrogata carnalia, *persecutionem non patiantur* a Iudæis: ex circuncisione enim declaratis vos non niti cruce. *Nequè enim qui circunciduntur, legem custodiunt*: quasi dicat, vultis videre hos ex lege non moueri, sed ad euacuandam crucis potentiam? apparet, quia legem non custodiunt, quam si custodirent, tùnc dici posset ex ea moueri, *sed volunt vos circuncidi, vt in carne vestra* abscissa *glorientur*, quasi sectatores habeant, & adhùc circuncisio vigeat. At *mihi absit gloriari*, non in carne, non in circuncisione, non in præputio, quæ ad nihil valent, *nisi in cruce*, in qua ipsi scandalizātur, *Domini nostri Iesu Christi: per quem*, pro cuius amore ardente, quo teneor, *mihi mundus*, mundana omnia, *crucifixus est*, vt illum non sentiam transformatus in Christo, *& ego mundo* consequentèr crucifixus, & mortuus sum: *In Christo enim Iesu nequè circuncisio*, Iudaismus *aliquid valet, nequè præputium*, gentilitas, *sed noua creatura* in Christi cruce renouata: moriendo enìm mundo per baptismum, in quo ei renunciatur, reuiuiscit in Christo, qui est vita nostra. *Et quicunque hanc regulam* crucifigendi se mundo *secuti fuerint, pax* sit *supèr illos, & misericordia* Dei, *& supèr Israel Dei*, & supèr omnes credentes vel Iudæos, vel Græcos, qui sunt Israel, filij Israel spirituales, vel carnales, at *Dei*, omnes secundùm Deum. *De cætero nemo mihi molestus sit* mundo crucifixo supèr legalibus innouandis, vel alijs carnalibus: *ego enìm stigmata Domini Iesu* Christi, quæ in cruce tulit, *in corpore meo porto*, circumfero indelebilia, ità vt ab eo diuelli nequeā, nec alijs stigmatibus indigeam: quasi velit dicere, ità & vos facite, quia sic à legalibus, & carnalibus abstinebitis; dixerat enìm supèriùs, qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Vt autèm id perficere possitis, *Gratia Domini nostri Iesu Christi* sit *cum spiritu vestro, fratres*, quæ illum ducat, & quæ sola potens est vos adducere ad hæc, & abducere ab illis. *Amen*. Ex quo loco data Epistola, incertum. De tempore, antequàm Romam duceretur, quia videtur recentibus in fide scribere, & seductis à circuncisionem, & legalia defendentibus, quæ quæstiones respiciunt principium prædicationis Euangelicæ, & nunquàm meminit vinculorum, quod erat admodum opportunum, quod solet in scriptis ab Vrbe; & dicit in principio: omnes qui mecum sunt fratres, quasi ex congregatione scribens, quod Romæ existens non diceret, nec facere potuisset.

IN


IN EPISTOLAM
AD EPHESIOS
CAPVT PRIMVM.



1 *AVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Chri-*
2 *sto Iesu. * Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, &*
3 *Domino Iesu Christo. * Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, * sicut elegit*
4 *nos in ipso antè mundi constitutionem, vt essemus sancti*
5 *& immaculati in conspectu eius in charitate. * Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum: secundùm*
6 *propositum voluntatis suæ, * in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos*
7 *in dilecto Filio suo. * In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remis-*
8 *sionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius, * quæ superabundauit in nobis*
9 *in omni sapientia, & prudentia: * vt notum faceret nobis sacramentum vo-*
10 *luntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, * in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in*
11 *terra sunt, in ipso: * in quo etiàm & nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ:*
12 ** vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui antè sperauimus in Christo: * In quo*
13 *& vos, cum audissetis verbum veritatis, (Euangelium salutis vestræ) in quo*
14 *& credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, * qui est pignus hæreditatis*
15 *nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. * Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes*
16 *Sanctos, * non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in ora-*
17 *tionibus meis: * vt Deus, Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spi-*
18 *ritum sapientiæ & reuelationis in agnitione eius: * illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius*
19 *in Sanctis, * & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui cre-*
20 *dimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, * quam operatus est in Chri-*

sto,

sto, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus:
21 * *suprà omnem principatum, & potestatem, & virtutem, dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiàm in futu-*
22 *ro.* * *Et omnia subiecit sub pedibus eius; & ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam,* * *quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.*




AVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei; sic Rom. 1. Gal. 1. *omnibus sanctis* ex clero, *qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu*, christianis, *Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo* sit. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus*, non in pinguedine terræ, seù de rore cæli desupèr, proùt in benedictione Isaac. Gen. 27. sed in æternis circà cælestia versantibus: *in Christo*, per Christum, quod postea explicat, *sicùt elegit nos*, prædestinauit nos *in ipso*, per ipsum *antè mundi constitutionem*, antè iacta fundamenta mundi, ab æterno quia antè æternitas; & quamuis subdat, *Qui prædestinauit*, non facit, quin verbum, *elegit*, hic non sit capiendum pro prædestinatione, quia verba, *qui prædestinauit*, subsequuntur ad maiorem declarationem; Et si præmisit, *qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, quæ benedictio importat omne bonum, quomodò deprimeret orationem in sequentibus, *sicùt elegit, &c.* ¿ Imò verba, *sicùt elegit*, denotant sequentia quid maius importare. Vel meliùs; præmiserat Apostolus, *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus*, in sequẽtibus vsquè ad vers. *In quo etiàm & nos*. declarat quæ sint benedictiones illæ spirituales, cælestes, seù dona, gratiæ, abundantiæ, effusiones; sed ex sequentibus meliùs apparet quod dixi. Idem verbum, *prædestinauit*, habetur 1. Cor. 2. 7. pro, præparauit. *Vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate*, per charitatem; si enim linguis hominũ loquar, & Angelorum, charitatem autèm non habeam, factus sum, &c. 1. Cor. 13. 1. siuè in charitate perseuerante vsquè in æternitatem, quia charitas nunquàm excidit, siuè prophetiæ euacuabuntur, siuè linguæ cessabunt; ideò dicit, *in conspectu eius*, vt suprà *in cælestibus*, & hoc firmat intellectum datum suprà. Vel, *in charitate*, in Spiritu sancto, cuius est fructus, sicùt infrà vers. 13. *signati estis Spiritu promissionis sancto*: hoc enim signum electorũ spirituale, proùt Hebræis circuncisio carnale, qua ab alijs distinguebantur; hinc verba, *in charitate*, non possunt ad superiora, vel inferiora referri, sed stare debent in loco suo. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum*, in filios adoptiuos *per Iesum Christum in ipsum* Deum: *secundùm propositum voluntatis suæ*; hinc prædestinatio ex mera, & pura Dei voluntate absquè præuisione operum, quia opera etiàm fiunt ex auxilijs à Deo datis, sinè quo nihil possumus, & sunt à parte posteriori, quæ non attenditur; quod replicat, *secundùm beneplacitum eius* vers. 9. & 11. *secundùm propositum eius*: &, *secundùm consilium voluntatis suæ*, per Iesum Christum in ipsum, nihil sinè eo; suprà, *in cælestibus*, in ipso. infrà *in qua gratificauit nos in dilecto Filio suo. In quo, &c.* instaurare omnia in Christo, qui antè sperauimus in Christo; *in laudem gloriæ gratiæ suæ*: ipsi enim omnis laus, & ex gratia sua nobis collata omnis gloria ad eum referenda, *in qua gratificauit nos*, gratos sibi fecit *in dilecto Filio suo*, per dilectum Filium suum, per quem omnia habemus. *In quo* Filio *habemus redemptionem*, sumus redempti *per sanguinem eius* pro nobis effusum in cruce *remissionem peccatorum*, quæ deleuit *secundùm diuitias gratiæ eius* spontaneæ, vltroneæ, *quæ superabundauit*, excessit *in nobis* peccatoribus, *in omni sa-*

ni sapientia, & prudentia, idest, cum omni sapientia, & prudentia; tollit ex his duobus scandalum Iudæorum, stultitiam Gentium ex cruce: *vt notum faceret nobis sacramentum*, mysterium *voluntatis suæ* absconditum, *secundùm beneplacitum eius*, ità vt appareat nullum hominem hoc meruisse, sed à Dei voluntate omninò pendere; vndè alibì: apparuit gratia Saluatoris nostri Dei, non ex operibus, &c. & de hoc sacramento abscondito. Coloss. 1.26. Rom. 16.25. priùs vocauit tempora ignorantiæ. Act. 20.24. Petrus Act. 1. 17. *quod proposuit*, stabiliuit facere *in eo* Christo, *in dispensatione plenitudinis temporum*, in quibus omnia impleta, quæ impleri, & præcedere debuerant, *instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso; in cælis* quidèm replendo sedes cælestes vacuas: *in terra* verò homines redimendo à seruitute diaboli, & peccati *in ipso*, per ipsum. Vel, *quæ in cælis* ob casum angelorum dirupta, & dissita per homines redemptos ab eo implenda, sarcienda; *& quæ in terra*, ad quam pacem attulit; ideò Angeli: Gloria in excelsis Deo per instaurationem cælestium, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis allata per Christum natum, bello priùs omnia vastante. *In quo etiàm & nos* Hebræi (ad Gentiles enim scribit, & nihil proprium ad Apostolos.) suprà de omnibus in genere dixerat, præmittens gratiarum actiones, quas sempèr de more in omnibus Epistolis: nùnc de Hebræis, & vers. 13. restringit se ad Ephesios. De Hebræis autèm speciatim, quia ipsi primò credentes fuerunt, vt deindè ad Gentiles (intèr quos Ephesij) descendat. *Sorte*, ad modum sortis, nihil cooperantes, vt sorte extracti *vocati sumus prædestinati*; at *secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, ad Rom. 9. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali; hinc prædestinatio ex mera Dei voluntate: *vt simus in laudem gloriæ eius nos* Hebræi primi, quia & alij in laudem gloriæ gratiæ suæ suprà vers. 6. infrà vers. 14. ideò subdit, *Qui antè sperauimus in Christo*, illum expectantes promissum nobis: credita sunt enim nobis eloquia Dei; proptèr spem enim Israel hac catena circumdatus sum, dixit Apostolus. Act. 24. 15. 26. 6. 28. 21. *In quo* Christo *& vos* Ephesij sperare cœpistis, *cum audissetis verbum veritatis, Euangelium salutis vestræ*. Ego veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis: *In quo* Christo *& credentes*, postquàm credidistis, *signati estis Spiritu promissionis*, promisso, *sancto*, quem in baptismo accepistis, *qui est pignus hereditatis nostræ* futuræ, obtinendæ in patria, & apparet ex dilectione vestra *in omnes Sanctos* vers. 15. *& in redemptionem*, liberationem *acquisitionis*, acquisitam per sanguinem Christi, suprà vers. 7. *in laudem gloriæ ipsius*, à quo omnia hæc bona procedunt, vt ipse laudetur, glorificetur. Non placet, verba, *signati estis*, referri ad iustificationem, quia imò videtur aliquid manifestum, & apparens dici, & iustificatio est quid occultum, nec solet dari pro signo. *Propterea & ego audiens fidem vestram*, quibus verbis respondent illa, *& credentes*: &, *dilectionem in omnes Sanctos*, quibus respondent alia, *signati estis Spiritu promissionis sancto* ad charitatem accendente. *Fidem vestram, quæ est in Domino Iesu* Christo, *& dilectionem in omnes Sanctos*; hæc iungit necessaria, *non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis* pro vobis fusis ex charitate, qua vos prosequor: *vt Deus, &c.* vsquè in finem, quæ omnia reduci possunt ad verba Christi, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. *Deus Domini nostri Iesu Christi Pater*, fons, Auctor *gloriæ*; sic dicitur de Christo: in gloria est Dei Patris. Philip. 2. & infrà *quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius*. *Deus Pater*; sic 1. Cor. 8. 6. *det vobis Spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitione eius* Dei: *illuminatos oculos cordis vestri*, & illuminet vos, *vt sciatis quæ sit spes vocationis eius*, de qua suprà vers. 12. & 14. quid magnum speremus, expectemus ex hac vocatione sua, & *quæ diuitiæ* abundantiæ, gloriæ, *hereditatis eius* æternæ *in Sanctis*, Sanctis dandæ, *& quæ sit supereminens magnitudo virtutis*, potentiæ *eius in nos, qui credimus* in eum, quæ quidèm erit *secundùm operationem* magnæ

poten-

potentiæ uirtutis eius Dei, *quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus: suprà omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiàm in futuro;* sic & Phil. 2. & sic vult dicere, nos quoquè surrecturos cum Christo, & consessuros infrà cap. 2. 5. 6. 7. proùt etiàm cap. 3. 7. dicit secundùm operationem virtutis eius Dei in ipso. Saluatorem expectamus, &c. Vel, *supereminens magnitudo uirtutis*, potentiæ *eius in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ, uirtutis eius, quam operatus est in Christo, &c.* hoc est, qui credimus Resurrectionē Christi, & eius exaltationem, imbuti hac fide. Tolluntur alij intellectus vel iustificationis, de qua suprà in vocatione, vel resurrectionis vniuersalis, cum de sola Christi agat, quam sempèr in omnibus Epistolis familiarem habet, & infrà cap. 2. de resurrectione spirituali, & corporali nostra. *Et omnia subiecit sub pedibus eius.* 1. Cor. 15. 24. & seqq. *& ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam* militantem, & triumphantem; vndè non est dubium esse caput etiàm Angelorum quà homo, tùm quia instaurauit omnia, quæ in cælis, & quæ in terra, tùm quia sedet àd dexteram Patris, vt suprà, *omnem principatum, &c.* quid clarius? tùm quia subiecit ei omnia, tùm quia dicit, *omnem Ecclesiam*, ergò non militantem solam, sed & triumphantem: hæc enim omnia vti homini; illi enim vti Deo nihil noui dari potuit. *Quæ* Ecclesia *est corpus ipsius*, cum ipse caput: *& plenitudo eius* futura, cum tradiderit regnū Deo, & Patri, *qui per omnia, & in omnibus adimpletur* nùnc, & secuto adimplemento tùnc erit Deus omnia in omnibus. 1. Cor. 15. 28. Vel, *plenitudo eius*, in qua omnia adimpleuit, ità vt nec iota vnum præterierit, sed hoc præteritum tangit. Vel, *plenitudo eius*, in qua sacramenta, è quibus largitio gratiæ, de qua plenitudine omnes accepimus, & extrà quam non est salus, quia qui non cognoscit matrem Ecclesiam, nec habet Deum Patrem, qui Christus per eam sic per *omnia, & in omnibus adimpletur.* Vel, *plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur;* nàm in illa Ecclesia cognoscitur, adoratur, & in diem adimpletur regnum eius, perficitur, quod tandèm perfectum restituet Patri, & sic erit Deus omnia in omnibus. 1. Cor. 15. Vel, *qui omnia, & in omnibus adimpletur*, idest, omnia, & in omnibus Christus. Coloss. 3. 12. Vel, *plenitudo eius* gloriæ, *qui* interim *omnia in omnibus adimpletur* vsquè ad finem, cum tradiderit regnum Patri; nàm & Paulus adimplebat quæ deerant passionum Christi, & sic omnes Sancti, & Ecclesia tota.




CAPVT II.



1 *ET vos, cum essetis mortui delictis, & peccatis vestris,*
2 ** in quibus aliquandò ambulastis secundùm sæculum*
mundi huius, secundùm principem potestatis aeris huius,
3 *spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ: * in qui-*
bus & nos omnes aliquandò conuersati sumus in deside-
rijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogi-
tationum, & eramus natura filij iræ, sicùt & cæteri:
4 ** Deus autèm, qui diues est in misericordia, proptèr nimiam charitatem suam*
5 *quia dilexit nos, * & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chri-*
6 *sto, (cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit, & consedere fecit in cæle-*

7 *stibus in Christo Iesu: * vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes*
8 *diuitias gratiæ suæ in bonitate supèr nos in Christo Iesu. * Gratia enim estis sal-*
9 *uati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus. vt*
10 *nequis glorietur. * Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus*
11 *bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus: * Proptèr quod memores*
estote, quòd aliquandò vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ
12 *dicitur circumcisio in carne, manu facta: * quia eratis illo in tempore sinè Chri-*
sto, alienati à conuersatione Israel & hospites testamentorum, promissionis spem
13 *non habentes, & sinè Deo in hoc mundo. * Nunc autèm in Christo Iesu vos,*
14 *qui aliquandò eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. * Ipse enim est*
pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens,
15 *inimicitias in carne sua: * legem mandatorum decretis euacuans, vt duos con-*
16 *dat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, * & reconciliet am-*
17 *bos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. * Et*
veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem ijs, qui pro-
18 *pè. * quoniàm per ipsum habemus accessum ambo in vno Spiritu ad Patrem.*
19 ** Ergò iàm non estis hospites, & aduenæ: sed estis ciues Sanctorum, & dome-*
20 *stici Dei: * superædificati supèr fundamentum Apostolorum, & Prophetarum,*
21 *ipso summo angulari lapide Christo Iesu: * in quo omnis ædificatio constructa*
22 *crescit in templum sanctum in Domino, * in quo & vos coædificamini in ha-*
bitaculum Dei in Spiritu.


T *vos cũ essetis mortui, &c.* Suprà dixerat Apostolus maxima beneficia diuina, pro quibus Deum benedicendum præmonuerat; at vt Ephesij magis ea apprehendant, apponit antè illos statum eorum primæuum, vt illo considerato ad benedicendum Deo magìs accendantur. Vel suprà vers. 19. dixerat quæ sit magnitudo virtutis eius in nos, &c. in fide data credendo Christi Resurrectionem, & exaltationem, in quibus omnia fundantur; nùnc ad Ephesios sermonem conuertens dicit, *& vos*, & sic connectitur hoc cum superiori; nàm à vers. 19. vsquè ad fin. cap. loquitur de Christo, & prosequitur beneficia collata à Deo in sic credentes. *Et vos cum essetis mortui delictis, & peccatis vestris, in quibus aliquandò*, olìm *ambulastis* Deum non cognoscentes, *secundùm sæculum mundi huius*, iuxtà generationem currentem, & sic pluriès in Euangelijs: Filij huius sæculi prudètiores filijs lucis in generatione sua sunt. Luc. 16. 8. & infrà vers. 7. *vt ostenderet in sæculis superuenientibus:* multa enim sæcula, seù generationes, *secundùm principem potestatis aeris huius*, qui est spiritus, diabolus in aere residens, & vagans, circumiens; hinc non esse corporeos, & non manere in cælo, ideoquè verba in cœlestibus, illis non accommodari, vt dixi 1. Cor. 2. *qui nunc operatur in filios diffidentiæ*, in non credentes; at princeps, diabolus ligatus est in inferno, soluendus tempore Antichristi. Apocal. 20. vbì clara verba; vndè dicendum per suos exercere tyrannidem à Christo satis depressam; *in quibus & nos*, ne pudefaciat eos, dicens eorum primum statum malum, Iudæos socios adiungit & reassumit simùl peccatum, & beneficium; *in quibus & nos omnes aliquandò conuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum:* eccè quomodò labimur

bimur hæc non præmentes, & frænantes. At non est facienda vis, in quibus Apostolus peccauerit antè conuersionem, quia loquitur in genere de omnibus Iudæis, non de se solo; vndè ad singulares, seù ad ipsum referre potes quæ videntur; *Et eramus natura*, fomite nati *filij iræ*, in potestate iræ, iræ traditi, subiecti vltioni, *sicùt & cæteri*. *Deus autèm*, (eccè beneficium) *qui diues est in misericordia:* per viscera misericordiæ (inquit Zacharias) *proptèr nimiam charitatem suam*, *qua* solus motus *dilexit nos* immeritos, *& cum essemus mortui peccatis*. Rom. 5. 8. commendat autèm charitatem suam Deus, quoniàm cum adhùc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est; *conuiuificauit nos*, viuos nos reddidit *in Christo*, per Christum (*cuius gratia estis saluati*) non est enim aliud nomen datum sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri. Act. 4. *& conresuscitauit:* si enìm Christus resurrexit, & nos resurgemus. 1. Cor. 15. *& consedere fecit in cælestibus in Christo*, per Christum, vel cum Christo Iesu, sicutì cum Iesu actum suprà cap. 1. 19. vsquè ad fin. cap. enumerat beficia Dei in nos collata, quibus fruamur; vndè dixit: Volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. aduerte ad verbum (cęlestibus) quomodò non possit aptari dæmonibus, vt latè dixi. 1. Cor. 2. *vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate supèr nos* facta, in bonis nobis collatis *in Christo Iesu*, per Christum Iesum; Hæ autèm in cælo, ibì enìm apparituræ, non in mundo: in mundo enìm tàm cum scribebat, quàm nùnc non videntur, sed creduntur, at in cęlo ostendentur, vt dicit; videbimus facie ad faciem. Vel meliùs, *vt ostenderet in sæculis superuenientibus*, generationibus futuris *abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate supèr nos in Christo Iesu*, vt ijs moti ad fidem & ipsi accendantur: hoc enim voluit seruire in exemplum, & ad trahendum ad se futura sæcula, & tunc dicas: *conuiuificauit*, conuiuificabit: *conresuscitauit*, conresuscitabit: *& consedere fecit*, consedere faciet. *Gratia enìm estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enìm donum est* fides *non ex operibus*, non quòd quis mereri illam possit, *vt ne quis glorietur* in se, sed in Domino; hinc nota, clarè primam iustificationem à Deo dari absquè merito nostro. *Ipsius enim sumus factura*, non nostra, non alterius, & noua, quia in Christo nequè circuncisio, nequè pręputium quidquam valent, sed fides, *creati*, recreati spiritualitèr *in Christo Iesu*, per Christum Iesum *in operibus bonis*, in charitate, quæ operatur per fidem, *quæ* opera *præparauit*, disposuit, iussit, ordinauit Deus, *vt in illis ambulemus*; sic 1. Cor. 2. 9. quæ pręparauit Deus ijs, qui diligunt illum; fides ergò operibus ornanda exẽplo Abraham, qui obedientia, & circuncisione, & oblatione Isaac fidem suam ornauit. *Proptèr quod memores* (prosequitur quod à principio capitis cœpit præmonere eos, quales erant, nùnc quales per Christum) *quòd aliquandò vos Gentes in carne*, carnales, *qui dicimini præputium*, præputiati, *ab ea, quæ dicitur circuncisio in carne* manu facta, distincti: *quia eratis illo in tempore*, dum sic ambulabatis, *sinè Christo*, in Christum non intendentes, *alienati à conuersatione Israel*, quia vobiscum non coutebamur, *& hospites*, peregrini, *testamentorum*, pactorum, *promissionis spem non habentes:* solis enìm Hebræis facta promissio, non Gentibus, qua nos liberandi à peccato erigebamur, *& sinè Deo*, quem non colebatis, *in hoc mundo*, in hac vitiorum colluuie. *Nunc autèm in Christo Iesu vos, qui aliquandò eratis longè* à Deo, *facti estis propè*, vicini *in sanguine Christi*, ob Christi sanguinem. At quomodò, docet. *Ipse enìm est pax nostra, qui fecit vtraque* Hebræum, & Gentilem *vnum, & medium parietem maceriæ soluens*, destruens, nempè *inimicitias*, dissensiones intèr duos populos versantes *in carne sua*, in qua pati dignatus est: *legem mandatorum* Moysis (etenìm ad Rom. 7. legem dicit mandatum) *decretis* suis nouis *euacuans*, annullans, *vt duos* illos populos *condat*, ædificet *in semetipso*, per se *in vnum nouum hominem*, ablato vetustatis legis, & idòlolatriæ statu, *faciens pacem* intèr eos, *& reconciliet ambos in vno corpore*, vt vnum sint *Deo*, qui nobis irascebatur, *per crucem*, quem sustinuit, *interficiens*, penitùs delens *inimi-*

citias inter eos ortas *in semetipso*, per semetipsum. *Et veniens* in mundum *euangelizauit pacem* cum Deo *vobis* Gentilibus, *qui longe fuistis* ab eius cognitione, *& pacem ijs, qui propè*, Hebræis. (Notus in Iudæa Deus) *quoniam per ipsum habemus accessum ambo* populi *in vno spiritu*, eadem intentione viuentes *ad patrem*, ad quem ab eo tracti sumus. *Ergò iàm non estis hospites, & aduenæ* vos Gentiles nũc, proùt olim: *sed estis ciues sanctorum*, *& domestici Dei* ad consortium, & hæreditatem promissam admissi cum Sanctis, & domesticis, quales erant Hebræi soli: *superedificati suprà fundamentum Apostolorum*, *& Prophetarum*, qui vos præcesserunt tempore, à quibus didicistis, *ipso summo angulari lapide Christo Iesu* primario fundamento omnium: *in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum* rectè ædificatum *in Domino*, ad gloriam Domini, *in quo & vos coædificamini* perseuerantes *in habitaculum Dei in spiritu*, vt sitis templum Dei, habitatio Dei spiritualitèr; & sic ex his Christus omnia in omnibus adimpletur, vt præmisit in fine cap. præcedentis.



CAPVT III.

1 *HVIVS rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Iesu,*
2 *pro vobis Gentibus, * si tamèn audistis dispensationem*
3 *gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: * quoniàm secundùm reuelationem notum mihi factum est sacramen-*
4 *tum, sicùt suprà scripsi in breui: * proùt potestis legentes*
5 *intelligere prudentiam meam in mysterio Christi: * quod aliis generationibus non est agnitum filijs hominum, sicutì*
6 *nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in Spiritu. * Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promißionis eius in Christo Iesu*
7 *per Euangelium: * Cuius factus sum minister secundùm donum gratiæ Dei, quæ*
8 *data est mihi secundùm operationem virtutis eius. * Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias*
9 *Christi, * & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæ-*
10 *culis in Deo, qui omnia creauit. * vt innotescat principatibus, & potestatibus*
11 *in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, * secundùm præfinitio-*
12 *nem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro: * In quo habemus*
13 *fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius. * Proptèr quod peto ne defi-*
14 *ciatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra. * Huius rei gra-*
15 *tia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, * ex quo omnis pa-*
16 *ternitas in cælis, & in terra nominatur, * vt det vobis secundùm diuitias glo-*
17 *riæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem, * Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, & funda-*
18 *ti, * vt poßitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longi-*
19 *tudo, & sublimitas, & profundum: * scire etiàm supereminentem scientiæ cha-*
20 *ritatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. * Ei autèm, qui*
potens

potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, secun-
21 *dùm virtutem, quà operatur in nobis:* * *Ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Ie-*
su in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.



VIVS rei, de qua suprà, *gratia*, causa, vt scilicèt coædificemini, *ego Paulus vinctus Christi Iesu*, pro Christo Iesu, *pro vobis Gentibus* ad ædificium assumptis *flecto genua, &c.* vsquè ad vers. 14. Reddo gratias humilitèr Deo, nec immeritò, quod & vos probabitis, subdens: ne videatur extrà messem suam mittere falcem; *si tamèn audistis dispensationem gratiæ Dei*, ministrationem gratiæ mihi creditæ, *quæ data est mihi in vobis* Gentibus propagandæ: *quoniàm secundùm reuelationem*, ex reuelatione, quam habui, *notum mihi factum est sacramentum*, mysterium, absconditum hoc vocationis Gentium, *sicùt suprà scripsi in breui* sermone suprà cap. 1. 9. *prout potestis legentes* quæ scripsi *intelligere prudentiam*, expositionem *meam in mysterio*, in sacramento *Christi*, in tot beneficijs collatis, quæ explicaui: *quod* mysterium *alijs generationibus*, sæculis *non est agnitum filijs hominum*, hominibus promiscuè; nàm Patriarchis, & Prophetis apertum fuit, & prophetiarum suarum Prophetæ perfectam notitiam habebant, vt aliàs dixi, & habetur Dan. 10. spiritus enìm Prophetarum Prophetis subiecti. 1. Cor. 14. 32. nihil hìc de Angelis, sed de hominibus; *sicuti nùnc reuelatum est* clarè *sanctis Apostolis eius* Christi, *& Prophetis* recentioribus; verbum enìm, *nùnc*, excludit antiquos à sermone hoc; *in spiritu* sancto, qui eisdem suggessit, & intelligere fecit Scripturas, & prophetias, proùt & Christus pòst resurrectionem insufflauit in Apostolos Spiritum sanctum, vt intelligerent Scripturas, scilicèt *Gentes esse cohæredes, & concorporales; & comparticipes promissionis eius*, Dei, factæ Patriarchis antiquis, Abraham, Isaac, Iacob *in Christo Iesu*, per Christum Iesum, *per Euangelium* vocatas: *Cuius* Euangelij *factus sum ego minister*, non ex me, sed *secundùm donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundùm operationem virtutis*, potentiæ *eius* Dei, vt suprà cap. 1. 19. quæ apparet in miraculis, & signis. *Mihi* enìm *omnium sanctorum minimo* (extenuat se, ne videatur arrogans, ad quos scribit; & quòad Deum recognoscens eius potentiam, & misericordiam) *data est gratia hæc; in Gentibus euangelizare inuestigabiles*, non vestigabiles, reconditas *diuitias Christi* pro salute mundi operanda, *& illuminare*, eius nomine (quia ipse prima lux vera, &c.) *omnes, quæ sit dispensatio*, misericordia, seù extraordinaria prouisio prætèr regulas *sacramenti*, mysterij *absconditi à sæculis* retrò actis *in Deo*, qui paucis communicabat, *qui omnia creauit*, fecit, ordinat, disponit. *vt innotescat*, nota fiat ad eorum confusionem, ità vt tabescant, & corrodantur, dicimus Italicè, acciò che intendino, impatino, in malam partem capientes, sicùt August. lib. 9. de Ciu. Dei cap. 21. Christum eis innotuisse, quoniàm in eis terrendis innotescendum fuit, non vt discant, non vt aliquid eis accrescat, etiàm *principatibus, & potestatibus*, dæmonibus *in cælestibus*, aereis cælis, quos inhabitant *per Ecclesiam* militantem, quasi per tibicinem ex his effectibus, *multiformis sapientia Dei* eis incognita in homine liberando, & gentilibus coædificandis, idòlolatria, & tyrannide eorum dissipanda, & per Christum pessumdanda, quam ipsi putabant in æternum continuare in Gentibus. Principatus autèm, & potestates intellexi dæmones, quia dicuntùr principes mundi, & aeris huius; principes huius mundi dicit Christus, & Paulus. 1. Cor. 4. 9. illos vocat Angelos; & suprà c. 2. principem aeris huius spiritus; & infrà c. 6. 12. non est nobis colluctatio, &c. sed aduersùs principes, & potestates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum contrà spiritualia nequitiæ in cælestibus. Alia opinio; *vt innotescat principatibus, & potestatibus*, idest, Angelis bonis, & quamuis hæc obstare videantur, quia non homines angelos, seù

intelligentias spirituales, sed illæ homines docent, & illuminant, vt Danielem, & in conuersione Gentium Petrum, in Incarnatione Verbi Mariam, in Natiuitate Pastores, in Resurrectione, & Ascensione alios: ipsis enim in visione beatifica priùs hæc manifestantur, nec est verisimile quod in Deo videre possunt, illis communicari per Ecclesiam, seù mediante Ecclesia, & quod sciunt quos ipsi custodiunt, ignorare custodes, & superiora influunt in inferiora, nō è contrà, aliòquin peruerteretur ordo; imò existimandum pòst lapsum Adæ sciuisse Angelos custodes remedium adhibendum; præsertim ex verbis (inimicitias ponam, &c. Gen. 3.) si non priùs. Etsi Prophetę antè Apostolos, & Apostoli à Prophetis, Prophetę ab Angelis, quomodò nùnc Angeli ab Apostolis? Et si Deus nihil facit, quod non reuelet Prophetis suis priùs, quomodò non priùs Angelis, à quibus prophetæ? Vltrà quòd verba Apostoli, *vt innotescat, &c.* sapiunt potiùs quandam vtilitatem, & abiectionem respectu edoctorum, & supereminentiam respectu ipsius, seu Ecclesiæ, quæ sicùt in dæmones licuit, ità non in Angelos. Ad hæc Paulus dicit, ***non est agnitum filijs hominum***, quasi Angelos non includens, & absconditum à sæculis, non in cælo. Neque obstant verba. 1. Timot. 3. 16. apparuit Angelis; nàm primò dicam, ergò non per Ecclesiam militantem, sed per Deum, qui dixit: introducens primogenitum in Orbem terrarum, & adorent eum omnes Angeli Dei. Heb. 1. Secundò, ibi agi de Christo, non de Sacramento, de quo hìc; vndè locus ille non contrariatur huic intellectui; vel & ibì de dæmonibus, quos Angelos vocat. 1. Cor. 4. 9. Quòd autèm verba, *vt innotescat*, denotent quandam confusionem, vt dixi, probatur ex Psal. 78. vt innotescat in nationibus coràm oculis nostris; & Psal. 93. intelligite insipientes in populo, & stulti aliquandò sapite, qui plantauit, &c. & Psal. 108. & sciant quia manus tua hæc. & Psal. 144. vt notam faciant Filijs hominum potentiam suam, &c. & Psal. 85. vt videant, qui oderunt me, & confundantur. & verba, ***in calestibus***, nihil obsunt huic intellectui, quia intelliguntur aereis, in aere; sic infrà cap. 6. 12. quo declaratur hic locus in quo nihil de tenebris, & aere suprà c. 2. 2. & vocat eos angelos. 1. Cor. 4. 9. & cap. 15. 21. in quibus locis non fit mentio aeris, vel tenebrarum; & si de bonis Angelis intellexisset, nominasset eos antè homines, at hos postposuit. At omnia, tolluntur vno verbo, quia per Christum necnō, & per Mariam Virginem potuerunt edoceri de multis, & ità tenendum, nequè verba hoc modo applicata sapient abiectionem vllam. Et aduerte, quia hæc non possunt intelligi de Ecclesia triumphante, quia Apostolus loquitur de agendis in mundo, ***secundùm præfinitionem sæculorum*** manifestata, ***quam fecit in Christo Iesu Domino nostro***, per Iesum Christum Dominum nostrum: ***In quo***, per quem ***habemus fiduciam, & accessum in confidentia*** magna ***per fidem eius:*** qui enim proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non omnia cum illo nobis donauit? & si sperauimus in morte eius dum essemus inimici, quantò magis in vita eius? Rom. 5. 10. Et si tandèm de Angelis bonis hæc intelligenda, dicendum innotuisse eis de facto ex his, quæ contigerunt ab experientia, præsertim quia hìc subdit, ***quam fecit in Christo Iesu Domino nostro***, & tunc etiàm posset dici, ***innotescat***, ità vt deducantur in admirationem ex huiusmodi successu, etsi hæc non videantur admodùm firma. sic aliàs dicebam; at nùnc proùt exclusi Angelos, sic excludo dæmones, & declaro. ***Vt innotescat principatibus, & potestatibus*** huius sæculi eminentioribus (dixerat illuminare omnes, nùnc & hos magnos) in sapientia humana ambulantibus, ***in cælestibus***, circà cælestia ***multiformis***, magna ***sapientia***, consilium, non humanum, sed ***Dei***, quod clariùs expressit Paulus. 1. Corint. 2. iuxtà quem locum, vbi latiùs dixi, hic intelligendus. Non poterat autèm restringi hæc cognitio quòad Angelos, proùt Caietanus dicebat, ad tempus tantùm, non ad res cognitas, quia si cognita antè in tempore, quo purificabantur, vidissent, quid eis innotuisset per Ecclesiam? facto ipso, & successu hæc demonstrabantur, non ab Ecclesia; at hoc nihil seruit, si exclusi Angeli ex præmissis. ***Proptèr quod peto ne deficiatis*** animō, despōdeatis ***in tribulationibus meis***, vinculis ***pro***

vobis

vobis Gentibus mihi iniectis : *quæ est gloria vestra.* hæc enim redundant in honorem vestrum: cum enim ego patiar pro fide, eò magis illa roboratur, & vos honoramini, quòd in eadem fide estis, quæ sic defenditur à me; deduxerat eos in magnam confidentiam ex præcedentibus, nunc his verbis tollit hoc obstaculum, quod eis poterat scandalum generare. *Huius rei gratia* præmissorum *flecto genua mea* corporis, vt denotet humilitatem precum: in his enim possunt verificari, secùs in illis; omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, &c. orans *ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas*, familia, cognatio *in cælis, & in terra* vbiquè, tàm homines, quàm Angelos comprehendit, *nominatur*, est: quasi, non datur alia origo rebus, & suprà vers. 9. *qui omnia creauit*; & Moyses in cantico: nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te? & quandò diuidebat altissimus Gentes, &c. & suprà cap. 4. 6. vnus Deus, & Pater omnium, &c. in quo omnes vnimur, & à quo simùl dependimus, *vt det vobis*, non parua, sed *secundùm diuitias gloriæ suæ*, de quibus suprà cap. 1. *virtute*, fortitudine, potentia *corroborari per Spiritum eius* Sanctum *in interiorem hominem*, in mente, in spiritualibus, ne hæc vobis officiant, necnon *Christum habitare per fidem* charitate ornatam *in cordibus vestris*, vt nunquàm auellatur: & sic *in charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere*, quantum fas est *cum omnibus Sanctis* Christianis, qui nobiscum communicant, cum simus eiusdem familiæ, vt suprà, *quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum* mysteriorum Dei: *scire etiàm supereminentem*, superabundantem *scientiæ charitatem Christi*, superantem scientiam humanam: quasi velit dicere, det vobis scire charitatem Christi in quantum potestis, etenim quanta sit, apprehendi à vobis non potest, *vt impleamini in omnem plenitudinem* gratiam *Dei*, ità vt nil vobis desit. *Ei autèm* Patri, *qui potens est omnia facere* in vobis *superabundantèr quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem*, potentiam, *quæ operatur in nobis*, quod à nobis non possumus. *Ipsi* (dico) *gloria in Ecclesia*, quæ illum superexaltet, *& in Christo Iesu*, quem nobis dedit, & à quo voluit glorificari *in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen*, æternas.



CAPVT IV.



1 *BSECRO itaquè vos ego vinctus in Domino, vt di-*
2 *gnè ambuletis vocatione, qua vocati estis, * cum omni*
humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportan-
*tes inuicèm in charitate, * solliciti seruare vnitatem Spi-*
3 *ritus in vinculo pacis. * Vnum corpus, & vnus Spiri-*
4 *tus sicùt vocati estis in vna spe vocationis vestræ. * Vnus*
6 *Dominus, vna fides, vnum baptisma. * Vnus Deus &*
7 *Pater omnium, qui est supèr omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. * Vni-*
cuique autèm nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.
8 ** Proptèr quod dicit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit*
9 *dona hominibus. * Quod autèm ascendit, quid est, nisi quia & descendit pri-*
10 *mùm in inferiores partes terræ? * Qui descendit, ipse est & qui ascendit supèr om-*
11 *nes cælos, vt impleret omnia. * Et ipse dedit quosdam quidèm Apostolos, quos-*
dam autèm Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autèm pastores, & docto-

res

12 *res, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corpo-*
13 *ris Christi: * donèc occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij*
Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iàm non
14 *simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia*
15 *hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. * Veritatem autèm facientes*
16 *in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: * ex quo totum*
corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secun-
dùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augumentum corporis fa-
17 *cit in ædificationem sui in charitate. * Hoc igitur dico, & testificor in Domino,*
18 *vt iàm non ambuletis, sicùt & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, * te-*
nebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ
19 *est in illis, proptèr cæcitatem cordis ipsorum, * qui desperantes, semetipsos tradide-*
20 *runt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam. * Vos au-*
21 *tèm non ità didicistis Christum, * si tamèn illum audistis, & in ipso edocti estis,*
22 *sicùt est veritas in Iesu. * Deponere vos secundùm pristinam conuersationem*
23 *veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. * Renouamini*
24 *autèm spiritu mentis vestræ, * & induite nouum hominem, qui secundùm Deum*
25 *creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. * Proptèr quod deponentes menda-*
cium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniàm sumus in-
26 *uicèm membra. * Irascimini, & nolite peccare: sol non occidat supèr iracundiam*
27 *vestram. * Nolite locum dare diabolo: * qui furabatur, iàm non furetur: ma-*
28 *gìs autèm laboret, operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat vndè tri-*
29 *buat necessitatem patienti. * Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed*
30 *si quis bonus ad ædificationem fidei vt det gratiam audientibus. * Et nolite con-*
31 *tristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis. * Om-*
nis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vo-
32 *bis cum omni malitia. * Estote autèm inuicèm benigni, misericordes, donantes*
inuicèm sicùt & Deus in Christo donauit vobis.



BSECRO itaquè vos vinctus in Domino, ne dum Apostolus, sed qui tribulor pro Domino, vt suo exẽplo moueantur ad charitatem in Deum amplexandam, quam ipse ostendit pro Domino patiens, & rem hanc ad eum spectare cognoscant: tùnc enim seruum fidum cognoscimus, & negotia Domini sui benè gerentẽ, quandò in proprio corpore pati pro rebus Domini volens non dedignatur; hinc de vinculis sæpè suprà cap. 3. hìc, & cap. 6. 20. pro quo legatione fungor in catena, ità vt in ipso audeam, proùt oportet, me loqui; sic Phinees, sic Elias zelo diuino moti; & repilogans quæ dixerat, *vt dignè ambuletis* fructificantes *vocatione, qua vocati estis* à Domino, de qua supra cap. 1. 18. *cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia* expectantes: ideò dixit spem vocationis. cap. 1. 18. & infra 4. *supportantes inuicèm in charitate*, sinè qua nihil operaremini bonũm, *soliciti* diligentèr *seruare*, conseruare, *vnitatem spiritus*, postquàm estis inuicèm fratres, ab vno Patre Deo ortum habentes su-

suprà cap.3.15. *in uinculò pacis* indissolubili. *Vnum corpus* mysticum Ecclesiæ sitis, *&* *unus spiritus*, idem omnes sapientes, & non sint in vobis schismata, *sicut uocati estis* simùl omnes *in una spe uocationis uestræ* ad Deum fruendum. *Vnus Dominus*, non plures, *una fides*, non plures, *unum baptisma* à Christo institutum, non plura. *Vnus Deus*, non plures. 1.Cor.8.5.6. *& Pater omnium*, solus suprà cap.3. non plures, *qui est supèr omnes*, imperantes, *& per omnia* diffusus, *& in omnibus nobis* operans, ex quibus vnitatibus vult inferre eandem vnitatem intèr eos seruandam, & tenendam. *Vnicuique autem nostrum*, qui sumus in hoc corpore mystico, & in hac vnione, vt vnus alteri deseruiat, & quod alteri deest, adimpleat, *data est gratia secundùm mensuram donationis* liberæ *Christi* hæc nobis promerētis, & dantis iuxtà ministeria, non ipsi nobis; hinc ipse dixit missurum Spiritum sanctum; proùt misit. *Proptèr quod dicit* Scriptura, vel Dauid: *Ascendens* Christus *in altum*, in cælum *captiuam duxit captiuitatem* è Limbo, vel Purgatorio extractam, cælo dignam, cui primò ascensus impediebatur: sumus enim captiui, seù serui illius, qui nos à diabolo euicit: deindè *dedit dona hominibus* secundùm mensuram, vt suprà; & verba Psal.67. (accepisti dona in hominibus) idem important; nàm dixit: rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis; expedit vobis, vt ego vadam: nisi enim abiero in cælum, paraclitus non veniet ad vos: dixit Dauid accepturum danda, quæ Apostolus dedisse dicit. *Quod autèm ascendit* in cælum, *quid est*, quid importat, *nisi quia & descendit primùm*, antè *in inferiores partes terræ*, ad inferos per mortem, indè assumpturus captiuos? iàm enim præsupponit descensum ad terras per Incarnationem; ideò vsus est dicto Dauidis, ascendisti in altum, non descendisti, Apostolus verò vtitur argumento Christi, qui dixit, nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo; & quid si videritis illum ascendentem in cælum, vbi erat priùs? *Qui descendit*, sic per mortem, *ipse est & qui ascendit*, postquàm resurrexit, *supèr omnes cælos*, in quibus Deus habitat, sedens ad dexteram Patris; vndè ad quid quæritur an suprà conuexa? *ut impleret omnia* de eo scripta; hęc Apostolus de identitate descendentis, & ascendentis, ne putaretur diuersus. Vel distinctiùs, seù meliùs. *Ascendens in altum*, in cælum, *captiuam duxit captiuitatem* iàm à Limbo, & Purgatorio extractam: deindè postquàm illùc peruenit, *dedit dona hominibus*, mittens Spiritum sanctum, quem promiserat, & de quo dixerat: nisi ego abiero, paraclitus non veniet ad vos. *Quòd autèm ascendit* in cælum, *quid est*, quid importat, *nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?* in terram per Incarnationem, mortem, sepulturam? Qui cum in forma, &c. exinaniuit, &c. humiliauit, &c. vsquè ad mortem, &c. proptèr quod, &c. in gloria est Dei Patris. Philip.2. Hinc ipse: nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo. *Qui descendit* sic, *ipse est & qui ascendit supèr omnes cælos* à Patre exaltatus, *ut impleret omnia*, perficeret omnia; vel *omnia impleret* Spiritu sancto misso de cælo. *Et ipse* sic assumptus *dedit, &c.* enumerat dona, de quibus dixerat; Et is intellectus videtur præferendus, quia non ex descensu ad inferos, sed in mundum per carnem, & mortem hæc meruit, & non ascendit de infernis ad cælos, sed à terra ad cælos. *Et ipse dedit* (distinguit dona) *quosdam quidèm Apostolos, quosdam autèm Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autèm Pastores, & Doctores*; intellige omnia hæc officia distincta *ad cōsummationem*, perfectionem, gloriam (illa enim consummatio. Hebr.11. in fin.) *sanctorum in opus ministerij* cuique assignati, *in ædificationem corporis Christi*, Ecclesiæ: *donèc occurramus omnes*, conueniamus omnes *in vnitatem fidei* idem credentes nos quotquot prædestinati, *& agnitionis Filij Dei*, Christi; hæc est vita æterna, vt cognoscāt te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum; *in virum perfectum* solido cibo vtentem, non lacte indigentem, *in mensuram ætatis* (declarat quomodò *in virum perfectum*) spiritualis, non carnalis: de spirituali enim agit, & de corpore mystico, dum de viro perfecto loquitur, *plenitudinis Christi*, vt à Christo impleamur: tùnc enim erit in nobis consumma-

matio, vir perfectus; sic & Coloss. 1. 29. vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu; & Ioannes:& de plenitudine eius nos omnes accepimus; & suprà cap. 3. 19. vt impleamini in omnem plenitudinem Dei; quarè frustrà hìc agitur, qua ætate resurgemus: hæc enim spiritualitèr dicta:ideò benè subdit, & connectitur his proximis, adhùc dum hìc peregrinamur versans, & cum hæc tendant ad finem mundi, collige vsquè ad illud tempus perseueraturos Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores; sic Abulensis in prologo. Matth. 9. 11. 12. & seqq. *vt iàm* sic prouecti *non simus paruuli fluctuantes*, hàc,illàcque acti, sed stabiles, firmi, *& non circumferamur omni vento doctrinæ*, vtì naues agitatæ, *in nequitia*, in malitia, duplicitate *hominum*, *in astutia*, fallacia, & *ad circumuentionem erroris*, vt circumueniamur, & in errorem trahamur circà credenda, vel alia necessaria ad salutem. *Veritatem autèm facientes*, ne dum attendentes,*in charitate*,quod est fundamentum operum, *crescamus* (stat in prima metaphora viri perfecti) *in illo per omnia* opera,aliàs si in vno deficeremus,in omnibus defectiui essemus, *qui est caput* nostrum *Christus: ex quo totum corpus* mysticum *compactum, & connexum*, vnitum, coagulatum,conglutinatum *per omnem iuncturam subministrationis*, quæ ab vnoquoque iuxtà gratiam ei communicatam fit, *secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri*, quantum quodque membrum recipit,potest,*augmentum corporis facit* sic consummando, & crescendo *in ædificationem sui in charitate*, quæ omnia membra compaginat,& sic stat in vnitate,de qua suprà egit. Vide. 1.Cor.12.similia. *Hoc igitur dico, & testificor in Domino* (infert ex præmissis) *vt iàm* modò *non ambuletis,sicut & Gentes ambulāt in uanitate sensus sui*,suæ sensualitatis, seù iuxtà desiderium eorum. Iudas in Epist.vers.18.*tenebris* peccatorum, seù ignorantiæ, de qua subdit, *obscuratum habentes intellectum*, vt ad lucem non accedant, *alienati à uita Dei* viuificantis *per*, proptèr *ignorantiam.quæ est in illis*,qua tenentur, ne id agnoscant *proptèr cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes*, nulla spe suffulti eorum salutis, promissorum, proùt vos, vt suprà, *semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam* ad summum, iuxtà eorum desiderium, quod non refrænarunt Rom. 1. *Vos autèm non ità didicistis Christum*, in quo baptizati estis, vt ad hæc duci debeatis, *si tamèn illum audistis* ex corde, *& in ipso edocti estis* per ministros suos veros, *sicùt est veritas in Iesu*, iuxtà veritatem Iesu, cui ipse testimonium dedit. Sed quid hoc? *deponere vos secundùm pristinam conuersationem*, dum gentes essetis, *veterem*, carnalem *hominem* in peccato sedentem, *qui corrumpitur vtì carnalis*,cui corruptio assignata, *secundùm desideria erroris*, peccati. *Renouamini autèm spiritu mentis vestræ* in hominem spiritualem, *& induite nouum hominem*, vetere abiecto, *qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*, omni virtute ornatus, vt Adam. *Proptèr quod* (infert ex præmissis) *deponentes mendacium* veritati, de qua suprà, contrarium, *loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniàm sumus inuicèm membra*; de hac vnione suprà: vult dicere, neminem decipiatis, proùt suprà *ad circumuentionem erroris. Irascimini & nolite peccare*, vtimini ira, zelo, sed quousquè licet, & quia maius malum in nocte machinatur diabolus,vt dicit Chrisostomus: *Sol non occidat supèr iracundiam vestram*, citò deferbeat antequàm fiat noxia, tollatur. *Nolite locum dare diabolo*, qui in nocte est ferocior: *qui furabatur* alienum, *iàm non furetur: magis autèm laboret* (ex otio enim furtum) *operando manibus suis* ad Thes.1.& 2. *quod bonum est*,non aliquid ad peccatum trahens, vt nedum sibi prouideat, sed *habeat vndè tribuat necessitatem patienti*, vt tenetur. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus* proferatur *ad ædificationem fidei*, ad fidem stabiliendam, *vt det gratiam*, vt gratus sit *audientibus*, eis conferat. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei*, peccando: ob peccatum enìm habet se ad modum mœsti:*in quo signati estis in diem redemptionis* in vobis efficacitèr perfectæ,quandò baptizati estis: tùnc enim datur signum, non in die resurrectionis: etsi enìm vsquè ad il-

lud

lud tempus signum seruetur, tamèn illud non attendit, sed initium; ideò dicit, *signati estis*, in quo non signamur in die resurrectionis, sed signati iàm sumus: essetis enìm ingrati. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia:* hæc enìm numerat, quæ sunt contrà charitatem. *Estote autèm inuicèm benigni, misericordes, donantes inuicèm* iniurias, *sicut & Deus in Christo donauit vobis*, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & cum eo omnia; sic: estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est; & dicimus: dimitte nobis debita nostra, sicùt & nos, &c. & sic sublatis charitatem infringentibus subrogat inducentia, & conseruantia illam, de quibus & in principio cap.



CAPVT V.



1 *STOTE ergò imitatores Dei, sicùt filij charißimi:*
2 ** & ambulate in dilectione, sicùt & Christus dilexit nos,*
& tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam
3 *Deo in odorem suauitatis. * Fornicatio autèm, & omnis*
immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicùt
4 *decet sanctos: * aut turpitudo, aut stultiloquium, aut*
scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magìs gratia-
5 *rum actio. * Hoc enìm scitote intelligentes: quod omnis fornicator, aut immun-*
dus, aut auarus, quod est idòlorum seruitus, non habet hæreditatem in regno
6 *Christi, & Dei. * Nemò vos seducat inanibus verbis: propter hæc enìm ve-*
7 *nit ira Dei in filios diffidentiæ. * Nolite ergò effici participes eorum. * Eratis*
8 *enìm aliquandò tenebræ: nunc autèm lux in Domino. Vt filij lucis ambulate:*
9 ** fructus enìm lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate: * probantes*
10 *quid sit beneplacitum Deo: * & nolite communicare operibus infructuosis tenebra-*
11 *rum, magìs autèm redarguite. * Quæ enìm in occulto fiunt ab ipsis, turpe est &*
12 *dicere. * Omnia autèm, quæ arguuntur, à lumine manifestantur: omne enìm,*
13 *quod manifestatur, lumen est. * Proptèr quod dicit: Surge qui dormis, & exur-*
14 *ge à mortuis, & illuminabit te Christus. * Videte itaquè fratres, quomodò cau-*
15 *tè ambuletis: non quasi insipientes, * sed vt sapientes: redimentes tempus, quo-*
16 *niàm dies mali sunt. * Proptereà nolite fieri imprudentes: sed intelligentes quæ*
17 *sit voluntas Dei. * Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemi-*
18 *ni Spiritu sancto, * loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Can-*
19 *ticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris* Domino, ** gra-*
20 *tias agentes semper pro omnibus, in nomine* Domini *nostri Iesu Christi* Deo *&*
21 *Patri. * Subiecti inuicèm in timore Christi. * Mulieres viris suis subditæ sint,*
22 *sicùt* Domino*: * quoniàm vir caput est mulieris: sicùt Christus caput est Eccle-*
23 *sia: Ipse, Saluator corporis eius. * Sed sicùt Ecclesia subiecta est* Christo, *ità &*
24 *mulieres viris suis in omnibus. * Viri diligite vxores vestras, sicùt &* Chri-

stus

25 *stus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, * vt illam sanctificaret,*
26 *mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, * vt exhiberet ipse sibi gloriosam Eccle-*
27 *siam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit*
28 *sancta & immaculata. * Ità & viri debent diligere vxores suas vt corpora*
29 *sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. * Nemo enìm vmquàm car-*
nem suam odio habuit: sed nutrit, & fouet eam, sicùt & Christus Ecclesiam:
30 ** quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. * Proptèr*
31 *hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: &*
32 *erunt duo in carne vna. * Sacramentum hoc magnum est, ego autèm dico in*
33 *Christo & in Ecclesia. * Veruntamèn & vos singuli, vnusquisque vxorem*
suam sicùt seipsum diligat: vxor autèm timeat virum suum.



STOTE ergò imitatores Dei; dicit hìc *Dei,* quia de Deo erat sermo; at 1. Cor. 11. 1. (mei) quia de se loquebatur, at vtrunque in idem recidit, quia & ibì, sicùt & ego Christi; *sicut filij charissimi* illius, qui tenemini vestigia eius sequi: *& ambulate in dilectione,* quæ est basis cum proximis vsquè ad mortem, *sicùt & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis* volens *oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis,* suauem, gratam; sic Genes. 8. 21. odoratusque est Dominus odorem suauitatis, in expiationem nostrorum delictorum. *Fornicatio autèm, & omnis immunditia* carnalis, *aut auaritia* excedens desiderium habendi; hoc dicit, quia solet peruertere: ideò infrà dicit eam idolorum seruitutem, & solet esse in vsu, & verbum, *auaritia,* non potest sumi pro carnali vitio, de quo egit, & quia sequitur de alijs, *turpitudo, &c. nec nominetur in vobis,* adeò opto hæc à vobis aliena, & quia eam disiungit verbo, *aut; sicut decet Sanctos,* Christianos omnes: *aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magìs gratiarum actio* pro tantis beneficijs à Deo vobis collatis: in his enìm lætari possumus, & exultare. *Hoc enim scitote intelligentes: quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei,* vtrunque nominat, quia de vtroque egerat; hos dicit excludi à regno. *Nemo vos seducat inanibus verbis,* dicens hæc Deum non punire: *proptèr hæc enim* à me narrata *venit ira, punitio Dei in filios diffidentiæ,* incredulitatis. Coloss. 3. 6. 1. Petr. 3. 20. qui increduli fuerant, in quibus diabolus operatur suprà cap. 2. 2. hi in diluuio, & in igne Sodomitico Iudas in Epistol. vers. 14. videtur enìm ex præteritis arguere; hìnc mementote vxoris Lot; erant edentes, bibentes, &c. ideò subdit, ne sitis *participes eorum* in peccato, & pœna. *Eratis enìm aliquando tenebræ* obscuratum habentes intellectum suprà cap. 4. 18. *nùnc autèm lux,* lucidi *in Domino,* per Dominum. *Vt filij lucis* à Domino perfusi *ambulate* fructificantes de virtute in virtutem: *fructus enìm lucis* in homine illuminato, de quo suprà cap. 1. 18. & cap. 3. 9. *est in omni bonitate, & iustitia, & veritate,* idest, in omni virtute: *probantes quid sit beneplacitum* Deo, qui vos illuminauit: *& nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum* cum alijs, quæ iàm dereliquistis, *magìs autèm redarguite* vos, qui lux estis, proùt tenemini: si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe, &c. *Quæ enìm in occulto fiunt ab ipsis* in tenebris versantibus, *turpe est & dicere,* nedum facere, seù illis communicare; at quia poterant dicere, quomodò illa sciemus, aut redarguemus, si occultè fiunt? subdit. *Omnia autèm quæ arguuntur, manifestantur à lumine,* à Deo illuminante: *omne enìm, quod manifestatur, lumen est* ei, cui manifestatur, vt abstineat monitus ab operi-

bus

bus tenebrarum, & non absquè magna Dei prouidentia fit manifestatio; hoc clarum fuit in Dauide ferè per annum obsurdescente à Nathan iussu Domini monito. *Proptèr quod dicit* Scriptura, vt suprà cap. 8. vers. 8. *Surge qui dormis* in tenebris peccatorum, *& exurge à mortuis*: peccata enim occidunt animam *& illuminabit te Christus* lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1. *Videte*, considerate *itaquè fratres, quomodò cautè ambuletis*, ne immisceamini cum tenebris, cum peccatoribus: *non quasi insipientes*, imprudentes, *sed vt sapientes: redimentes tempus*, operantes bonum, dum tempus habetis, non differentes quasi ingrati lumini, *quoniàm dies mali sunt*, maligni sunt, in quibus non possumus confidere, cum hora mortis incerta sit; nunc hora est iàm nos de somno surgere; sic: in die mala liberabit eum Dominus. *Propterea nolite fieri imprudentes*, ad nihil animaduertentes, socordes: *sed intelligentes quæ sit voluntas Dei*, de qua suprà vers. 10. quam sequamini. *Et nolite inebriari*, repleri *vino, in quo est luxuria*; sinè Cerere, & Baccho friget Venus; *sed implemini* vice vini *Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris*, non solo ore, *Domino*, in eius conspectu stantes, *gratias agentes sempèr pro omnibus* beneficijs collatis *in nomine*, in virtute *Domini nostri Iesu Christi*, seù proptèr eum *Deo, & Patri*. Ex his intellige quid pro gratiarum actione suprà intellexerit cap. 5. 4. & de paternitate suprà cap. 3. 15. subiecti inuicèm in timore, non humano, non seruili, sed filiali Christi, ob Christum, qui docuit nos, veniens ministrare, non ministrari. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicùt Domino*; sic Sara, quæ vocabat Abraham Dominum suum, Dominus meus vetulus est. Et is intellectus conformis Petro in prima Epistola, cap. 3. 1. 6. *quoniàm uir caput est mulieris*, sicùt ergò membra capiti, mulieres viris subdantur: *sicùt Christus caput est Ecclesiæ*, quã sibi desponsauit: *Ipse* Christus, *Saluator corporis eius* Ecclesiæ, cuius est caput: dictum enim ab Angelo: ipse saluum faciet populum à peccatis eorum. *Sed sicùt Ecclesia* per Christum salua, *subiecta est Christo, ità & mulieres viris suis in omnibus*, excepto peccato, subiectæ esse debent: *Viri* (conuertit se ad viros) *diligite vxores vestras* vsquè ad mortem, non parcè, sed *sicùt & Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret*, sanctam redderet, *mundans lauacro aquæ* baptismo *in verbo vitæ*, in nomine Sanctissimæ Trinitatis, *vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam* suam, *non habentem maculam* peccati, *aut rugam* fictionis, *aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata*, proùt decet sponsam agni. *Ità & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua* propria. *Qui suam vxorem diligit, se ipsum diligit*, quia vna caro sunt, & mirum si odiat. *Nemo enim unquàm carnem suam odio habuit*, vt negligat: *sed nutrit, & fouet eam, sicùt & Christus Ecclesiam: quia* nos Ecclesiam constituentes *sumus membra corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius*; hìnc cum costa Adæ & caro. Genes. 2. in quibus passus pro nobis, ità vt non dedignetur nos fratres suos nuncupare. *Proptèr hoc*, hanc dilectionem, quam in coniugatis requiro, cum vna caro sint, & os de ossibus dictum, *relinquet homo patrem, & matrem suam*, illos postponens, *& adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*, nec potest dari maior nexus. *Sacramentum*, mysterium *hoc magnum est, ego autèm dico in Christo, & in Ecclesia* idem esse, quia nunquàm ab ea discedet Dominus, sed erit secum omnibus diebus vsquè ad consummationem sæculi, imò in Ecclesia, & Christo maius, quia etiàm in cælo, & gloria permanebit Ecclesia triumphans, cum matrimonium humanum morte soluatur; hoc dicit Paulus, *ego autèm dico*, non dixit Adam, vel Deus, sed Paulus accommodat dictum pro se; concludit. *Veruntamèn & uos singuli*, quod facit Christus cum omnibus in vniuersum, *unusquisque uxorem suam diligat sicùt seipsum: uxor autèm timeat*, reuereatur *uirum suum*, & ex his collige repudium destructum. Aduerte hìc. Aliqui dicunt ad illud Genesis: Tulit costam ad Adam, illam costam fuisse superfluam in Adam; at non videtur tenendum, tùm quia Deus non fecisset in Adam quidquam superfluum, tùm

quia apparet superfluam non fuisse, quia dicit textus: suppleuit carnem pro ea: si enim superflua fuisset, non indigebat suppletione aliqua, sed vide ibi scripta.




CAPVT VI.

1 *FILII obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim*
2 *iustum est.* * *Honora patrem tuum, & matrem tuam,*
3 *quod est mandatum primum in promissione:* * *vt bene sit*
4 *tibi, & sis longæuus super terram.* * *Et vos patres nolite*
ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate illos
5 *in disciplina, & correptione Domini.* * *Serui obedite do-*
minis carnalibus, cum timore, & tremore, in simplicita-
6 *te cordis vestri, sicut Christo:* * *non ad oculum seruientes, quasi hominibus pla-*
7 *centes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo,* * *cum bona*
8 *voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus:* * *scientes quoniam vnus-*
quisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue li-
9 *ber.* * *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & il-*
lorum, & vester Dominus est in cælis: & personarum acceptio non est apud
10 *eum.* * *De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius.*
11 * *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.*
12 * *Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduer-*
sus Principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, con-
13 *tra spiritualia nequitiæ, in cælestibus.* * *Propterea accipite armaturam Dei, vt*
14 *possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* * *State ergo succincti*
15 *lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ,* * *& calceati pedes in*
16 *præparatione Euangelij pacis:* * *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis*
17 *omnia tela nequissimi ignea extinguere:* * *& galeam salutis assumite: & gla-*
18 *dium spiritus (quod est verbum Dei)* * *per omnem orationem, & obsecratio-*
nem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia,
19 *& obsecratione pro omnibus sanctis,* * *& pro me, vt detur mihi sermo in aper-*
20 *tione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij:* * *pro quo lega-*
21 *tione fungor in catena, ita vt in ipso audeam, prout oportet me, loqui.* * *Vt*
autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet
22 *Tychichus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino:* * *quem misi ad*
vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda ve-
23 *stra.* * *Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Iesu Chri-*
24 *sto.* * *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum*
in incorruptione. Amen.

FILII


ILII, *obedite parentibus vestris in Domino*, proptèr Dominum: *hoc enim iustum est*, & decretum. *Honora patrem tuum*, *& matrem tuam* re, non verbo tantùm, *quod est mandatum primum* in lege secundæ tabulæ, *in promissione*, in pacto, in fœdere inito intèr populum, & Deum. Deut. 5.2. & seqq. Exod. 19.5. & 20. *ut benè sit tibi* ex hac obedientia, *& sis longæuus supèr terram*, ità vt è contrariò inobedientes parentibus, à quibus vitam receperunt, vita longiori non gaudeant. *Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros*, iniusta imperantes, vel insupportabilia: *sed educate illos in disciplina, & correptione*, timore *Domini. Serui obedite dominis carnalibus* (ne putarent, quia fideles, ab eis eximi) *cum timore, & tremore*, reuerentèr, *in simplicitate cordis vestri*, in sinceritate, *sicùt Christo: non ad oculum*, fictè *seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi*, in Christum respicientes, *facientes voluntatem Dei ex animo* puro, *cum bona voluntate*, libentèr *seruientes, sicùt Domino*, qui id iubet, & cui seruire regnare est, *& non hominibus*. *Scientes quoniàm vnusquisque quodcunque fecerit* bonum, *hoc recipiet à Domino*; sic sapiens: benefac iusto, & habebis retributionem, si non ab alio, certè à Domino; *siuè seruus, siuè liber*, quia apud Deum nulla distinctio. Hic & in multis epistolis Paulus ordinem hunc seruari iubet intèr iugales, filios, seruos, dominos, patres, ex his particularibus volens ad pacèm vniuersalem tendere; & ne quisquam putaret lege Euangelica liberari. *Et vos Domini eadem* cum benignitate *facite illis, remittentes minas*, nedum plagas inferentes: *scientes quia & illorum, & vester Dominus vnus est in cælis*, qui omnia videt, & iudicat: *& personarum acceptio non est apud eum*; ideò tàm vos, quàm illos iudicabit. *De cetero fratres confortamini* in tentationibus in diebus, qui mali sunt, *in Domino* benigno, & misericorde, *& in potentia virtutis eius*, potentis vos eximere ab illis, ad quem recurrendum. *Induite vos armaturam Dei*, nō vestram, quam recipietis confidentes in eum, *vt possitis stare* fortes *aduersùs insidias diaboli*, vt liberemini à diaboli insidijs: *quoniàm non est* (declarat, quod dixerat) *nobis colluctatio*, lucta, bellum *aduersùs carnem, & sanguinem*, homines: *sed aduersùs Principes, & Potestates, aduersùs mundi rectores*, dæmones; sic Christus: Princeps huius mundi, scilicèt *tenebrarum harum*, peccatorum, proùt suprà: eratis aliquandò tenebræ, &c. cap. 5.8.11. *contrà* (magìs declarat) *spiritualia nequitiæ*, idest, nequissima, ipsam nequitiam, colluuiem, & non carnalia, *in cælestibus*, circà cælestia, circà ea, quæ animam concernunt, versantia: etsi enìm aliquandò contrà carnem, & sanguinem luctandum, tamèn & horum motor est diabolus, qui instigat homines, vel carnem nostram; hinc Paulus: datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet. *Proptereà* benè dixi (replicat) *accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo*, dum hìc sumus; sic suprà, dies mali. cap. 5.16. *& in omnibus perfecti* absquè macula *stare*. Non dicas (*in cælestibus*) idest, aereis: nunquàm enìm sic capitur hoc verbum suprà cap. 1.3. 21. & 2.6. & 3.16. & quandò de aere, dicitur clarè cap. 2.2. sed dixi. 1. Cor. 2. latè. Quidam hic putāt cessaturos pòst iudicium hos ordines intèr dæmones; quidquid sit de veritate dicti, cui tamèn obstat naturalia eorum non tolli, non videtur id probari ex 1. Cor. 15.24. quia ibì dicitur Christum suppeditaturū illos, at non ordines sublaturum. Aduerte etiàm absquè dubio Angelum, qui cum Iacob luctam habuit, bonum fuisse, non malum, vt legenti cap. Genes. 32. à vers. 24. vsquè ad fin. patet, præsertim quia Iacob voluit ab eo benedici, nequè Christum fuisse, nisi diuinemus, cum Deus per Angelos soleret apparere. *State ergò succincti lumbos vestros*, proùt dimicaturi solent, vt sitis expeditiores, non in armis carnalibus, quæ contrà spiritualia frustrà agerent; aerem enim verberarent, sed spiritualibus, *in veritate*, de qua suprà cap. 5. 9. *& induti loricam iustitiæ*, ibidèm veritate, & iustitia mu-

niamini, *& calceati pedes*; ad eandem expeditionem tendit hoc; *in præparatione* vobis facta à Deo, iuxtà illud: oculus non vidit, &c. quæ præparauit Deus diligentibus se, *Euangelij pacis*, in quo omne bonum consistit: quasi, parati sitis, muniti proùt pedes calceati ad iter, quasi hinc digressuri à bello victores ad pacem æternam ex Euangelio promissam: hęc enim consideratio bonorum promissorum facilem vobis victoriam efficiet; respicite ergò remunerationem illam, ad quam & Moyses respexit. Hebr. 11. hanc pacem infrà precatur, quæ omnia bona continet; hinc; quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Vtitur verbo (*præparatione*) ad denotandam certitudinem promissorum, & Dei prōptitudinem. Simile verbum. Ion. 5. præparauit Dominus piscem, &c. Hinc vt intelligamus hanc præparationem, vbiquè Paulus vocat hanc mysterium absconditum in omnibus ferè epistolis, & in hac supra cap. 1. 4. 9. 13. 18. cap. 2. 7. 10. quæ parauit Deus vt in illis ambulemus. 17. veniens euangelizauit pacem vobis, de qua etiam cap. 1. 10. cap. 3. 3. 5. 6. Gentes esse cohæredes, &c. 9. & hoc. cap. 6. 20. 1. Cor. 2. 7. *in omnibus sumentes scutum fidei*; sic Petrus: cui resistite fortes in fide; & 1. Ioan. vlt. hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra, *in quo possitis omnia tela nequissimi*, suprà, nequitiæ, *ignea* tota, non ignita *extinguere*, superare: *& galeam salutis*, saluantem *assumite*, quæ est spes: *& gladium spiritus*, spirituale, *(quod est verbum Dei* penetrabilius omni gladio ancipiti) *per omnem orationem*, *& obsecrationem*, qua Dominus dixit eijci diabolum; *orātes omni tempore*, sempèr *in spiritu*, quod suprà in cordibus. cap. 5. 20. *& in ipso* verbo Dei *vigilantes omni instantia*, *& obsecratione*, nunquàm illud dimittentes *pro omnibus Sanctis*, electis, Christianis: *& pro me*, *vt detur mihi sermo* efficax *in apertione oris mei*, dum verba facio *cum fiducia*, libertate *notum facere mysterium* sacrum *Euangelij*, pro quo legatione fungor, mittor in catena ligatus, ità vt in ipso audeam (declarat verbum, *fiducia*) proùt oportet me loqui. *Vt autèm & vos sciatis quæ circà me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino: quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circà nos sunt, & consoletur corda vestra* ex bono nuntio. *Pax* sit *fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre*, *& Domino* nostro *Iesu Christo*, à quibus solis expectanda. *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen*, perseuerantèr vsquè ad resurrectionem corporum, qua corruptibile hoc induet incorruptionem. 1. Cor. 15. 53. ideò suprà cap. 4. 2. deponere veterem hominem, qui corrumpitur, &c. & 2. Timot. 1. 10. illuminauit vitam, & incorruptionem. Vel in incorruptione, cum sinceritate.



IN

IN EPISTOLAM
AD PHILIPPENSES
CAPVT PRIMVM.



1 AVLVS, & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus
Sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum episco-
2 pis, & diaconibus. * Gratia vobis, & pax à Deo Pa-
3 tre nostro, & Domino Iesu Christo. * Gratias ago Deo
4 meo in omni memoria vestri, * sempèr in cunctis oratio-
nibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem
5 faciens, * supèr communicatione vestra in Euangelio
6 Christi à prima die vsquè nùnc. * confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis
7 opus bonum perficiet vsquè in diem Christi Iesu. * sicut est mihi iustum hoc sen-
tire pro omnibus vobis: eo quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, &
in defensione, & confirmatione Euangelij, socios gaudij mei omnes vos esse.
8 * Testis enìm mihi est Deus, quomodò cupiam omnes vos in visceribus Iesu Chri-
9 sti. * Et hoc oro vt charitas vestra magìs ac magìs abundet in scientia, & in
10 omni sensu: * vt probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensa in diem Chri-
11 sti, * repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in gloriam & laudem Dei.
12 * Scire autèm vos volo fratres, quia quæ circà me sunt, magis ad profectum
13 venerunt Euangelij: * ità vt vincula mea manifesta fierent in Christo in om-
14 ni prætorio, & in cæteris omnibus, * & plures e fratribus in Domino confidentes
15 vinculis meis, abundantiùs auderent sine timore verbum Dei loqui. * Quidam
quidèm & proptèr inuidiam, & contentionem: quidam autèm & proptèr bo-
16 nam voluntatem Christum prædicant. * quidam ex charitate: scientes quoniàm
17 in defensionem Euangelij positus sum. * Quidam autèm ex contentione Chri-
stum annunciant non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.
18 * Quid enim? Dum omni modo siuè per occasionem, siuè per veritatem Christus
19 annuncietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. * Scio enim quia hoc mihi pro-
ueniet ad salutem, per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Iesu
20 Christi: * secundùm expectationem, & spem meam, quia in nullo confundar:
sed in omni fiducia sicùt sempèr, & nùnc magnificabitur Christus in corpore meo,

21 *ſiuè per vitam, ſiuè per mortem.* * *Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lu-*
22 *crum.* * *Quòd ſi viuere in carne, hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam*
23 *ignoro.* * Coarctor autèm è duobus: *deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum*
24 *Chriſto, multò magis meliùs:* * *permanere autèm in carne, neceſſarium propter*
25 *vos.* * *Et hoc confidens ſcio quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad pro-*
26 *fectum veſtrum, & gaudium fidei:* * *vt gratulatio veſtra abundet in Chri-*
27 *ſto Ieſu in me, per meum aduentum iterum ad vos.* * *Tantùm dignè Euange-*
lio Chriſti conuerſamini: vt ſiuè cum venero, & videro vos, ſiuè abſens au-
diam de vobis quia ſtatis in vno ſpiritu vnanimes, collaborantes fidei Euan-
28 *gelij:* * *& in nullo terreamini ab aduerſarijs: quæ illis eſt cauſa perditionis, vo-*
29 *bis autèm ſalutis, & hoc à Deo:* * *quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſo-*
30 *lùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini:* * *idem certamen ha-*
bentes, quale & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de me.




AVLVS, & Timotheus ſerui, miniſtri *Ieſu Chriſti*. Paulo videtur idem Apoſtolus quod ſeruus; nàm Coloſſ. 1. 1. dicit ſe Apoſtolum, deindè verſ. 7. Epaphram dicit conſeruum, & de Epaphrodito clariùs infrà cap. 2. 25. & de ſe miniſtro Coloſſ. 1. 23. 25. *omnibus Sanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis*, vniuerſitati, fidelibus Chriſtianis omnibus, deindè præcipuè *epiſcopis, & diaconibus*; pro epiſcopis tamèn intellige presbyteros; præſertim abſente Epaphrodito eorum epiſcopo. *Gratia vobis, & pax* ſit *à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago*; in omnibus epiſtolis ab hac gratiarum actione incipit, docens nobis in hac ſempèr verſandum eſſe, vt ſuprà ad Epheſ. *in omni memoria veſtri ſempèr in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, ſupèr cõmunicatione veſtra in Euangelio Chriſti à prima die vſquè nunc*, quia euangelizantibus, mihi primùm communicaſtis de bonis veſtris, & tùnc etiam per Epaphroditum Paulo communicauerant. cap. 4. 18. & verba, *à prima die vſquè nùnc*, reſtringunt omnia ad hæc tantùm. *confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum*, qui fuit Deus, à quo omne bonum procedit. Iacob. 1. *perficiet vſquè in diem Chriſti Ieſu*, vſquè ad mortem perſeuerantèr, vt & in verſ. 10. dies enim Chriſti ille iudicij particularis cuiuſque. *Sicùt eſt mihi iuſtum*, dignum, conueniens *hoc ſentire pro omnibus vobis*, & rationem reddit: *eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis*, etiàm dum ſic patior, *& in defenſione, & confirmatione Euangelij ſocios gaudij mei*, congaudentes *omnes vos eſſe* in laboribus meis his; & anguſtijs pro Euangelio, quod facto oſtendiſtis mittentes ad me, &c. *Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodò cupiam*, amem *vos in viſceribus Ieſu Chriſti*, tenerrimè, ardentèr proptèr Ieſum Chriſtum: ad illum enim omnia dirigebat. *Et hoc oro vt charitas veſtra*, qua præditi eſtis, *magis ac magis abundet*, dilatetur *in ſcientia* diuinorum, *& in omni ſenſu*, prudentia; ideò ſubdit: *vt probetis potiora, vt ſitis ſinceri*, nulla aſperſi macula, vel (vt declarat) *& ſine offenſa in diem Chriſti*, quo vocabit vos ad aliam vitam, *repleti fructu iuſtitiæ*, qua vobis merces detur, *per Ieſum Chriſtum*, à quo pendet iuſtitia veſtra, *in gloriam, & laudem Dei*, quæ ſempèr ſupèr omnia expetenda, & is melior intellectus, quia præcedunt verba, *in diem Chriſti*; ſic de ſe Paulus: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex. 2. Tim. 4. 8. *Scire autèm vos volo fratres* (certos reddit de ſe, non vt caueant ab his, qui Romæ erant: de illorum enim aduerſarijs in verſ. 28.) *quia quæ*

circà

circà me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ità vt vincula mea (causa ob quã patiebar) *manifesta fierent in Christo*, ad gloriam Christi *in omni pretorio*: sic enim solet Deus ad suam prçordinationem deuenire, vt in Ioseph vendito, Christi morte, & similibus. *Et in cæteris omnibus* locis Vrbis; nàm cum locus loci præcedat, subsequentia de eisdem, non de alijs ciuitatibus, vel regionibus, *& plures è fratribus in Domino* credentibus *confidentes vinculis meis abundantiùs*, plus *auderent sinè timore verbum Dei loqui*, ità vt quod debuerat eos reddere pusillanimes, fortes reddiderit. *Quidam quidèm & proptèr inuidiam*, vt nobis aliquid detrahant gloriæ, *& contentionem*, nobiscum non conuenientes: *quidam autèm & propter bonam voluntatem* ex puro corde *Christum prædicant*, annunciant: *quidam ex charitate*, ex feruore, zelo: *scientes quoniàm in defensionem Euangelij positus sum*, non mei; hinc ipsi pro Euangelio stabant illud prædicantes, non pro Paulo. *Quidam autèm ex contentione*, ex illis contentiosis *Christum annunciant* non sincerè, non vt decet, *existimantes pressuram se suscitare vinculis meis*, officere mihi vincto. An verò ex contentione, & non sincerè prædicantes, vel fratres in Domino sinè timore verbum Dei loquentes essent Hebræi, vel Gentiles, diuinare est; nàm non habemus, nisi quòd aliqui Hebræi non conuersi contradicebant Paulo Romæ commorantes cap. fin. Act. & fortè ex Ierusalem alij missi, potiùs tamèn inclinandum Hebræos fuisse, quia hi Paulò magis contrarij. At illud certum quòd vtrique, vel ex bonâ, vel mala voluntate moti (& hic erat error) secundùm veritatem Euangelium annunciabant, proùt subdit: *Quid enim?* quid refert? *Dum omni modo siue per occasionem* quasi aliud intendentes, *siuè per veritatem* sincerè *annuncietur Christus*, *in hoc gaudeo*, *& gaudebo* Christum annunciari. *Scio enim quia hoc mihi proueniet ad salutem*, ad liberationem meam a vinculis sicùt suprà dixerat illos existimantes præstare pressuram vinculis eius. Sed meliùs ad salutem spiritualem, quia magnificabitur Christus in corpore meo siuè per vitam si liberer, siuè per mortem si martyrio subdar; ideò subdit: *Mihi enim viuere Christus est*, *& mori lucrum*: quomodò enim id ad liberationem corporalem? quis enim Iudicum gentilium motus esset ex prædicatione Euangelij ad eam? Sed quia subdit de corpore, potest dici, contrarium eueniet eis quod prætendunt mihi insidiantes, quia insidias conuertet Deus ad liberationem meam, & infra de hac, dum dicit se eos visurum. *Per vestram orationem*, *& subministrationem Spiritus Iesu Christi secundùm expectationẽ & spem meam*, quæ totus in Christo sum, *quia in nullo cõfudar*, at obtinebo, impetrabo quod dico; simile. 3. Reg. 2. 21. *Sed in omni fiducia*, confidentia *sicùt sempèr, & nùnc magnificabitur Christus in corpore meo, siuè per vitam, siuè per mortem*: solam enim gloriam Christi quæro. *Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum*: quasi dicat, quòad me nihil curo; nàm Christus est vita mea, in ipso viuo; viuo ego iàm non ego, viuit verò in me Christus: *& mori lucrum*, quia ipso fruar, mercedem recipiam; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c. 2. Tim. 4. 5. & sic hoc lucrum proueniet ex morte. *Quòd si viuere in carne* datur, *hic mihi fructus operis est*, operabor pro Christo, cui viuo, & cedet ad fructum, *& quid eligam ignoro*, anxius sum quid petam. *Coarctor autèm è duobus*, premor his duobus: primò, *desiderium habens dissolui*, mori, *& esse cum Christo*, quod *multò magis melius*, quod longè melius, & tutius est pro me. Secundò, *permanere autem in carne*, in vita, *necessarium proptèr vos* adiuuandos; at dubium reijciens subdit permansurum esse. *Et hoc confidens scio quia manebo* in carne, *& permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum*, & sic declarat quomodò necessarium proptèr illos, *& gaudium fidei*, fidelium: *vt gratulatio vestra abundet*, excedat *in Christo Iesu*, per Iesum Christum *in me, per meum aduentum iterum ad vos* hinc liberatus. Hinc inuerisimile petijsse Hispaniam, vt dixi Rom. 16. & non potest dici Paulum optare potiùs manere in vita, quàm dissolui, & esse cum Christo, imò optat hoc secundum, primum non, sed primum dicit obuenturum. *Dissolui, & esse cum Christo*, ergò

ergò animæ puræ illicò ad beatitudinem transferuntur, quod ex Apoc. liquet, & Isa. 53. 11. & ex Lazaro. Luc. 16. *Tantùm dignè Euangelio Christi conuersamini* interim dum liberor : *vt siuè cum venero, & videro vos, siuè absens audiam de vobis quia statis in vno spiritu vnanimes*; hoc sempèr expetit Apostolus; & suprà ad Ephes. cap. 4. *collaborantes fidei Euangelij*, quod crescat : *& in nullo terreamini ab aduersarijs* vobis insidiantibus : *quæ illis est causa perditionis*, dum vos à fide volunt abstrahere, *vobis autèm* causa est *salutis, & hoc à Deo* sic prouidente : *quia vobis donatum est pro Christo*, de cuius plenitudine omnes accepimus. Ioan. 1. *non solùm vt in eum credatis, sed vt etiàm pro illo patiamini*, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, dum apud vos essem, & nùnc audistis de me vincto.



CAPVT II.

1 *SI qua ergò consolatio in Christo, si quod solatium charita-*
tis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis:
2 ** implete gaudium meum vt idem sapiatis, eandem cha-*
3 *ritatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes, * nihil*
per contentionem, neque per inanem gloriam : sed in hu-
4 *militate superiores sibi inuicem arbitrantes, * non quæ sua*
5 *sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum. * hoc enim*
6 *sentite in vobis, quod & in Christo Iesu : * qui cum in forma Dei esset, non*
7 *rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : * sed semetipsum exinaniuit for-*
mam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt
8 *homo. * Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem au-*
9 *tèm crucis. * Proptèr quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen,*
10 *quod est supèr omne nomen : * vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium,*
11 *terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus*
12 *Christus in gloria est Dei Patris. * Itaquè charissimi mei (sicùt sempèr obedi-*
stis :) non vt in præsentia mei tantùm, sed multò magis nùnc in absentia mea,
13 *cum metu & tremore vestram salutem operamini. * Deus est enim, qui opera-*
14 *tur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate. * Omnia autèm facite*
15 *sinè murmurationibus, & hæsitationibus : * vt sitis sinè querela, & simplices*
filij Dei, sinè reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ : inter quos lu-
16 *cetis sicut luminaria in mundo, * verbum vitæ continentes ad gloriam meam*
17 *in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. * Sed*
& si immolor suprà sacrificium, & obsequium fidei vestræ gaudeo, & congra-
18 *tulor omnibus vobis. * Idipsum autèm & vos gaudete, & congratulamini*
19 *mihi. * Spero autèm in Domino Iesu, Timotheum me cito mittere ad vos : vt*
20 *& ego bono animo sim, cognitis quæ circà vos sunt. * Neminem enim habeo*
21 *tam vnanimem, qui sincera affectione pro vobis solicitus sit. Omnes enim quæ*

22 *sua sunt, quærunt, non quæ sunt Iesu Christi.* * *Experimentum autèm eius co-*
23 *gnoscite, quia sicùt patri filius mecum seruiuit in Euangelio.* * *Hunc igitur*
24 *spero me mittere ad vos, mox vt videro quæ circà me sunt.* * *Confido autèm*
25 *in Domino quoniàm & ipse veniam ad vos citò.* * *Necessarium autèm existi-*
maui Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, ve-
26 *strum autèm Apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos:* * *quo-*
niàm quidèm omnes vos desiderabat: & mæstus erat, propterea quòd audiera-
27 *tis illum infirmatum.* * *Nàm & infirmatus est vsquè ad mortem: sed Deus*
misertus est eius: non solùm autèm eius, verùm etiàm & mei, ne tristitiam su-
28 *pèr tristitiam haberem.* * *Festinantiùs ergò misi illum, vt viso eo iterum gau-*
29 *deatis, & ego sinè tristitia sim.* * *Excipite itaquè illum cum omni gaudio in*
30 *Domino, & eiusmodi cum honore habetote.* * *quoniàm proptèr opus Christi vs-*
31 *què ad mortem accessit, tradens animam suam vt impleret id, quod ex vobis*
deerat ergà meum obsequium.




I qua ergò, &c. quia suprà cap. 1. 27. optauerat audire vt essent vnanimes: nùnc eandem materiam tractat, ostendens quantum sit sibi cordi; vndè *si qua consolatio* ergà me per vos demonstranda *in Christo*, per Christum, *si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: implete gaudium meũ vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, id ipsum sentientes* in his, quæ sunt fidei, vnanimitatem seruantes, *nihil per contentionem, nequè per inanem gloriam* agentes: *sed in humilitate superiores sibi inuicèm arbitrantes, non quæ sua sunt* bona, quod facit ad elationem, *singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum* bona, vos seruos inutiles in vestris reputantes, sed aliena æstimantes. Vt autèm ad humilitatem eos pertrahat, vtitur exemplo Christi. *Hoc enim* humilitatis *sentite in vobis, quod & in Christo Iesu* humili, & miti, exemplari nostro: *qui* (de Incarnato loquitur) *cum in forma Dei esset*, secundùm Ambrosium in figura Dei (etsi humanam induisset) idest, ostenderet se, & appareret in mundo, demonstraretur ab effectibus, & operibus suis Deus, proùt. 1. Io. 1. 1. Baruch. 3. 38. pòst hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est; & Ioan. 1. vidimus gloriam eius, &c. & Petrus: tu es Christus Filius Dei viui; &, opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me. Pater meus operatur, & ego operor. Pater suscitat mortuos, Filius quos vult, viuificat; & Rom. 1. qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri, idest, qui demonstratus est, apparuit Filius Dei ex resurrectione, excitans se ipsum virtute propria; & ad Heb. 1. 3. qui (Filius) cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansquè omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, quod est Dei proprium, & vers. 4. tantò melior Angelis effectus, idest, demonstratus; &, vt autèm sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c. & sic loquitur Apostolus de notis, & apparentibus, de demonstrantibus naturam diuinam, non de natura diuina: ex illa enim, quæ non apparebat, seù non manifestabatur nisi ex effectibus, non poterat demonstrari in forma Dei, vndè hìc potest dici, quod in simili ad Colos. 2. 3. dicit Theophil. supèr illis verbis: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, Apostolum minùs dicere, & ipse sit thesaurusmet. Vel, *in forma Dei*, exemplar Dei,

faciens

faciens quod Deus, Deum repræsentans: forma enim pro exemplari ponitur. Rom. 2. 20. & 5. 14. 1. Thess. 1. 7. 1. Pet. 5. 4. & infrà cap. 3. 18. hinc: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, quod non potest verificari, nisi ex operibus, de quibus aliàs: opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me, vt per Ambros. sic tenendo meliùs accommodantur sequentia, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, quasi dicat, talia faciens in forma Dei, soli Deo possibilia, non etiàm arbitratus est esse rapinam, rapere, subtrahere quidquam asserendo se æqualem Deo Patri; Ego, & Pater vnum sumus, proùt verè erat, & est. Quòd si dicas, *qui cum in forma Dei esset*, idest, natura Deus, quomodò sequentia aptabuntur? nàm carne indutus non erat cognitus Deus, nisi ex signis, tolle signa, quomodò probabitur, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo?* Secundò, plùs dices in primis verbis, quàm in secundis: in primis enim affirmatiuè dices natura Deū, in secundis non ità, & tamèn Apostolus videtur in secundis quid maius velle dicere, quàm in primis. Tertiò, quomodò ibi de natura diuinitatis, si dicit in figura Dei? figura enìm est potiùs representatio; sic infrà Apostolus cap. 3. 11. configuratus morti eius, & vers. 21. configuratum corpori claritatis suæ. Quartò, si de natura, poterat dicere vno verbo, qui cum Deus esset, proùt Coloss. 1. 15. qui est imago Dei inuisibilis: ibi enim de natura diuina; sic Heb. 1. 3. qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, &c. ibi enìm clarè de diuina natura, & 2. Cor. 4. 5. qui est imago Dei. Sed in idem recidunt omnia; nàm si proprio imperio tanta soli Deo possibilia operatus est, ergò natura Deus. Secundo, si *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, ergò natura Deus, alióqui non daretur æqualitas: *sed*, & tamèn *exinaniuit semetipsum*, *formam serui accipiens*, imaginē serui quòad obedientiam, & carnem: ideò *in similitudinem hominum*, carnis peccati *factus*, *& habitu*, in veritate *inuentus*, existens *vt homo*; & quomodò id? *Humiliauit semetipsum factus obediens vsquè ad mortem*, sicùt dederat ei mandatum Pater, *mortem autèm crucis*: quasi, ad infirmiora descendere non poterat. *Propter quod*, hac de causa, *& Deus exaltauit illum*; sic & vobis idem sentientibus faciet iuxtà vestram capacitatem, *& donauit illi nomen, quod est super omne nomen*: quid hoc? *vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum* tamquàm illi subiectorum Eph. 1. 21. 1. Cor. 15. 24. Heb. 16. & 2. 8. *& omnis lingua confiteatur*, omnibus appareat, omnes clament, *quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*, quod in introductione in mundum factum, & absolutè fiet in iudicio. Eph. 2. 1. Cor. 15. 24. & seq. Matth. 26. 64. Marc. 16. 19. Heb. 1. 3. 13. *Itaquè charissimi mei (sicùt semper obedistis:) non vt in præsentia mei tantùm*, quasi ad oculum seruientes, *sed multò magis nùnc in absentia mea*, solum Deum respicientes, *cum metu, & tremore*, qui nos rectè dirigunt *salutem vestram operamini*, obseruantes quæ prædixi. *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere*, & suprà cap. 1. 6. confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, &c. *pro bona voluntate* sua, qua in vos fertur. *Omnia autèm facite sinè murmurationibus, & hæsitationibus*, dubijs, quasi tuti, non fluctuantes: *vt sitis sinè querela* apud Deum, & homines; idem infrà cap. 3. 6. & dixi supèr Euāgelijs in Zacharia, *& simplices filij Dei*; de hac simplicitate in Iob, & Iacob; *sinè reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ*, proùt Iob, & Noe, & Lot: *inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* omnibus, qui nō ponunt obicem, *Verbum vitæ*, Euangelium: virtus est enim, &c. Rom. 1. *continentes ad gloriam meam*, vt in vobis glorier *in die Christi* vel mortis, vel iudicij vniuersalis, *quia non in uacuum cucurri, nequè in vacuum laboraui*, hæc erit gloria mea operam non perdidisse. *Sed & si immolor*, delibor, martyrio subdor *suprà*, vltrà *sacrificium, & obsequium fidei vestræ*, quæ Domino obtuli, *gaudeo, & congratulor omnibus vobis. Idipsum autèm & vos gaudete, & congratulamini mihi*, hoc enim ad maiorem meam gloriam cedet. *Spero autèm in Domino Iesu, Timotheum me citò mittere ad vos: vt & ego bono animo sim*, gaudeam,

deam, *cognitis* per eum *quæ circà uos sunt*, versantur. *neminem enim habeo tàm unanimem, qui sincerà affectione pro uobis sollicitus sit*. hæc præmittit de eo, vt venientem hilariùs amplexentur. *Omnes enim alij quæ sua sunt*, eis expediunt *quærunt*, *non quæ sunt Iesu Christi*, vt deberent. *Experimentum autèm eius cognoscite, quia sicut patri filius mecum seruiuit in Euangelio* promulgando. *Hunc igitur spero me mittere ad uos, mox ut uidero quæ circà me sunt*, circà causam meam, ob quam vincior. *Confido autèm in Domino, quoniàm & ipse ueniam ad uos citò*; hinc inuerisimilis profectio in Hispaniam post liberationem. *Necessarium autèm existimaui Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, uestrum autèm Apostolum, & ministrum necessitatis meæ*, pro nùnc *mittere ad uos: quoniàm quidèm omnes uos desiderabat*: ex illius affectu eorum affectum prouocat, *& mœstus erat, propterea quòd audieratis illum infirmatum. Nàm &* verè *infirmatus est usquè ad mortem: sed Deus misertus est eius*, liberans eum ab infirmitate: *non solùm autèm eius, uerum etiàm & mei, ne tristitiam supèr tristitiam haberem* ex eius morte. *Festinantiùs ergò misi illum, vt viso eo iterum gaudeatis, & ego sinè tristitia sim*, cum ad vos peruenerit. *Excipite itaquè illum cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum honore habetote*, proùt debetis Apostolo vestro; *quoniàm propter opus Christi vsquè ad mortem accessit, tradens animam*, vitam *suam vt impleret id, quòd ex vobis* absentibus *deerat ergà meum obsequium* necessarium; ostendit in his vltimis verbis Epaproditum in obsequio ipsius Pauli fuisse infirmatum.




CAPVT III.

1 *DE cætero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis*
scribere, mihi quidèm non pigrum, vobis autèm necessa-
2 *rium. * Videte canes, videte malos operarios, videte*
3 *concisionem. * Nos enìm sumus circumcisio, qui spiritu*
seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in
4 *carne fiduciam habentes, * quamquàm ego habeam con-*
fidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere
5 *in carne, ego magìs, * circumcisus octauo die, ex genere*
Israel, de Tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus,
6 ** secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundùm iustitiam, quæ in*
7 *lege est, conuersatus sinè querela: * Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus*
8 *sum proptèr Christum detrimenta. * Veruntamen existimo omnia detrimentum*
esse proptèr eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: proptèr quem omnia
9 *detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, * & in-*
ueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide
10 *est Christi Iesu: quæ ex Deo est iustitia in fide * ad cognoscendum illum, & vir-*
11 *tutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus morti eius.*
12 ** si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis: * non quòd iàm*
acceperim, aut iàm perfectus sim: sequor autèm, si quomodò comprehendam in

quo


13 quo & comprehensus sum à Christo Iesu. * Fratres, ego me non arbitror compre-
14 hendisse. * Vnum autèm: quæ quidèm retrò sunt obliuiscens, ad ea uerò, quæ
sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ
15 uocationis Dei in Christo Iesu. * Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentia-
16 mus: & siquid alitèr sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. * Veruntamen ad
17 quod peruenimus vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. * Imi-
tatores mei estote fratres, & obseruate eos qui ita ambulant, sicùt habetis formam
18 nostram. * Multi enìm ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autèm &
19 flens dico) inimicos crucis Christi: * quorum finis interitus: quorum Deus ven-
20 tèr est: & gloria in in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. * Nostra autèm
conuersatio in cælis est: vndè etiàm Saluatorem expectamus Dominum no-
21 strum Iesum Christum, * qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configura-
tum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, qua etiàm possit subiicere
sibi omnia.



DE cætero Fratres mei gaudete in Domino, qui vos fecit liberos. Eadem uobis scribere, mihi quidèm non pigrum, imò libentèr id præsto, uobis autèm necessarium, vt in vobis maneant. Videte canes lacerantes Euangelium, uidete malos operarios in diuersa trahentes, uidete concisionem, conturbationem, diuisionem, scismata, vel circuncisionem, ab his cauete, videte ne vos illaqueent inducendo supèr vos legalia, & maximè circuncisionem. Nos enim sumus circuncisio non carnalis, qua nõ indigemus iàm abrogata, sed spiritualis, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, à quo solo salus, & non in carne, in carnalibus, proùt legalia, fiduciam habentes, quanquàm ego habeam confidentiam, occasionem fiduciæ & in carne, in lege carnali eo modo, quo subdit: Si quis alius uidetur confidere in carne, ego magìs, vltrà alios, circuncisus octauo die ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus, ex secta nobiliori, secundùm æmulationem, zelum persequens Ecclesiam Dei, credentes in Christum. Act. 8. & 9. secundùm iustitiam, quæ in lege est, quæ in lege considerari potest non iustificans, conuersatus sinè querela, eam adimplens: Sed quæ mihi fuerunt tùnc secundùm reputationem meam lucra, hæc arbitratus sum posteà conuersus proptèr Christum iustificantem detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse proptèr eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, Euangelicam mihi communicatam, qua illustror, & ad veritatem inducor, & quæ omnia superat: proptèr quem Christum omnia detrimentum feci, nihil reputaui, & arbitror, estimo ut stercora vilissima, ut Christum lucrifaciam, acquiram, & inueniar, sim in illo non habens meam iustitiam (quomodò, meam, declarat) quæ ex lege est, quam sequebar olìm non iustificantem suprà vers. 6. sed illam iustitiam, quæ ex fide est Christi Iesu, iustificantem: quæ ex Deo est iustitia in fide fundata, & gratìs à Deo data. Rom. 5. ad cognoscendum illum Iesum Christum: hæc est enìm vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum; & uirtutem, potentiam, maiestatem resurrectionis eius, qua ostendit se Deum; vel uirtutem in quantum & in homines operatur; quia si Christus resurrexit, & nos resurgemus; Saluatorem expectamus Dominum nostrum, &c. præsertim quia subdit, & societatem passionum illius: configuratus morti eius, quia si compatiemur, & conregnabimus: Si quo modo occurram

ad re-


ad resurrectionem vitæ gloriosam, *quæ est*, fit *ex mortuis: non quod iàm acceperim* tutò vitam hanc, *aut iàm perfectus sim*, vt mihi debeatur: *sequor autèm si quomodò comprehendam*, assequar, *in quo & à Christo Iesu comprehensus sum:* tùnc enim facie ad faciem eum videbimus, sicuti est. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autèm* comprehendisse arbitror: *quæ quidèm retrò sunt*, legalia, iustitiam ex lege *obliuiscens*, vti stercora, & detrimenta, *ad ea uerò, quæ sunt priora*, potiora, iustitiam ex fide Christi, *extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium*, præmium *supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Sed meliùs, *quæ retrò sunt* bona opera *obliuiscès, ad ea verò, quæ sunt priora*, antè, quæ remanent, *extendens meipsum ad destinatum persequor: supernæ vocationis Dei in Christo Iesu*, per Christum Iesum, per quem salus: perseuerantia enim requiritur vsquè ad coronam. *Quicunque ergò perfecti sumus*, ad perfectionem tendentes, *hoc*, quod dixi, *sentiamus: & si quid* vos forsàn imperfecti *alitèr* quàm dixi nùnc *sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit*, vt sapiatis, quod dixi. *Veruntamèn ad quod peruenimus* comprehendentes, *ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula*, non auertentes nos à recto. *Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos qui ità ambulant, sicut habetis formam nostram*, exemplar nostrum, ne decipiamini. *Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam uobis (nunc autèm & flens dico) inimicos crucis Christi*, cruci præiudicantes, nolentes ea legalia sublata esse. hi iudaizantes, de quibus Apostolus ad Corinthios, & Galatas, ad quæstum, & sua anhelantes, vt ventri indulgerent. hos nedum in dogmatibus, sed & in moribus notat, & propterea cap. 4. 8. multa ad mores. *Quorum finis interitus:* ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt: *quorum* Deus *venter est* crapulæ addicti: *& gloria in confusione*, idest, quam putant gloriam, confusio erit *ipsorum qui terrena sapiunt*, terreni, carnales sunt. *Nostra autèm conuersatio*, non in terra, sed *in cælis est*, & in celis spes nostra versatur: *vndè etiàm Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humiliatis nostræ*, humile, *configuratum corpori* ad figuram, formam, similitudinem corporis *claritatis suæ* claræ, *secundùm operationem*, potentiam suam, quæ adeò valet, vt *etiàm possit subijcere sibi omnia*. 1. Cor. 15. 24. cum seqq. hanc enim resurrectionem corporum nobis ipse meruit.



CAPVT IV.


1 *ITAQVE fratres mei charissimi, & desideratissimi,*
gaudium meum, & corona mea: sic state in Domino,
2 *charissimi:* * *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor idip-*
sum sapere in Domino. * *Etiàm rogo & te germane com-*
3 *par, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euange-*
lio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum no-
4 *mina sunt in libro vitæ.* * *Gaudete in Domino sempèr:*
5 *iterum dico gaudete.* * *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus*
6 *propè est.* * *Nihil soliciti sitis: sed in omni oratione, & obsecratione cum gra-*
7 *tiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* * *Et pax Dei, quæ*
exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in
8 *Christo Iesu.* * *De cætero fratres, quæcunque sunt vera, quæcumque pudica, quæ-*


cumque iuſta, quæcumque ſanƈta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ fa-
9 *mæ, ſiqua virtus, ſiqua laus diſciplinæ, hæc cogitate.* * *Quæ & didiciſtis, &*
accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobi-
10 *ſcum.* * *Gauiſus ſum autèm in Domino vehementèr, quoniàm tandèm aliquan-*
11 *dò refloruiſtis pro me ſentire, ſicùt & ſentiebatis: occupati autèm eratis.* * *Non*
12 *quaſi proptèr penuriam dico, ego enìm didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe.* * *Scio*
& humiliari, ſcio & abundare: (vbiquè & in omnibus inſtitutus ſum) & ſa-
13 *tiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati.* * *omnia poſſum in eo, qui me*
14 *confortat.* * *Veruntamèn benè feciſtis, communicantes tribulationi meæ.* * *ſci-*
15 *tis autèm & vos Philippenſes, quòd in principio Euangelij, quandò profeƈtus*
ſum à Macedonia nulla mihi Eccleſia communicauit in ratione dati & ac-
16 *cepti, niſi vos ſoli:* * *quia & Theſſalonicam ſemèl & bis in vſum mihi miſi-*
17 *ſtis.* * *Non quia quæro datum, ſed requiro fruƈtum abundantem in ratione ve-*
18 *ſtra.* * *Habeo autèm omnia, & abundo: repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito*
19 *quæ miſiſtis odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.* * *Deus au-*
tèm meus impleat omne deſiderium veſtrum ſecundùm diuitias ſuas in gloria
20 *in Chriſto Ieſu.* * *Deo autèm & Patri noſtro gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.*
21 * *Salutate omnem ſanƈtum in Chriſto Ieſu.* * *Salutant vos, qui mecum ſunt,*
22 *fratres.* * *Salutant vos omnes ſanƈti, maximè autèm qui de Cæſaris domo ſunt,*
23 * *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.*



TAQVE fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea, in quibus gaudeo, & glorior: *ſic ſtate in Domino, chariſſimi*, vt dixi: *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor id ipſum ſapere* reƈtè cum alijs, *in Domino*, in his quæ ad Dominum. *Etiàm rogo & te Germane compar*, æqualis, *adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis*, vt idem ſapiant, poſtquàm dicit de Clemente, corruit in verbis *Germane compar* de fœmina agere, ſed vanum eſt hæc ad vxorem Pauli tradere, vt alibì dixi; *quorum nomina ſunt in libro vitæ* æternæ deſcripta; iuxtà æſtimationem, non veritatem loquitur, quia nec de ſe nouerat, tantò minùs de alijs. *Gaudete in Domino ſempèr: iterum dico gaudete*, ne turbemini ob legalia. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*, apud quos ſinè querela ſitis: *Dominus propè eſt*, adſtat, præſens eſt, in eius præſentia modeſtè agendum. *Nihil ſoliciti ſitis*; ſic & Dominus hàc ſolicitudinem prohibet: *ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum aƈtione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum* per vos petentes, & obſecrantes, etſi ipſi notæ ſint; nàm rogari vult; petite, & accipietis, dicit Dominus. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum*, mentem in ſuauitate, quæ eſt omni dulcedine plena, *cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu*, per Chriſtum Ieſum, ità vt ab illa nunquàm deficiatis, & quomodò id obtineant, ſubdit: *De cætero fratres, quæcunque ſunt vera*, non falſa, *quæcunque pudica*, non luxurioſa, *quæcunque iuſta*, non iniuſta, *quæcunque ſanƈta*, non profana, *quæcunque amabilia*, acceptabilia, *quæcunque bonæ famæ*, non malæ, *ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate*, his incumbite. *Quæ & didiciſtis, & accepiſtis*, approbaſtis, *& audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiſcum:* amat enim hos, qui his dele-

delectantur. *Gauisus sum autèm in Domino vehementèr, quoniàm tandèm aliquandò refloruistis pro me sentire*; aduerte, non increpat eos quòd sui obliti essent, quia subdit; *sicùt & sentiebatis*, at non poteratis; *occupati autèm eratis*; vndè tota phrasis legenda, & apparet velle dicere quòd nùnc magìs id præstiterunt. *Non quasi proptèr penuriam dico*, quasi eguerim, vel indigeam: *ego enìm didici, in quibus sum* terminis, *sufficiens esse* mihi prouidere. *Scio & humiliari* in paucis, *scio & abundare*: (*vbiquè, & in omnibus institutus sum*, probaui omnia) *& satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati: omnia possum in eo, qui me confortat*, refocillat; sic Ioannes Baptista confortabatur spiritu. Coloss. 1. 11. virtute confortati. *Scitis autèm & vos Philippenses, quòd in principio Euangelij*, quod promulgaui, *quandò profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit*, subministrauit, *in ratione dati, & accepti*, in meis necessitatibus, *nisi vos soli: quia & Thessalonicã semel, & bis in vsum mihi misistis. Non quia quæro datum*, vt de nouo detis hæc dico, *sed requiro fructum abundantem in ratione vestra* ad vestrum profectum. *Habeo autèm omnia, & abundo: repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo*, qui ad tollendas difficultates, & amaritudines à seruis suis voluit sibi offerri, & ex illis seruos ali, aliòquin dictu-ri erant aliqui, his subuenire nolumus. *Deus autèm meus impleat omne desiderium vestrum secundùm diuitias suas* abundantèr *in gloria*, in beatitudine *in Christo Iesu*, per Christum Iesum. *Deo autèm & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen*. non nobis. *Salutate omnem Sanctum in Christo Iesu* vel stantem, vel per illum. *Salutant vos, qui mecum sunt fratres*, fideles. *Salutant vos omnes Sancti*, Christiani, *maximè autèm qui de Cæsaris domo sunt. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen*.






IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES

CAPVT PRIMVM.

1 PAVLVS *Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei,*
2 *& Timotheus frater: * eis, qui sunt Colossis, sanctis, &*
3 *fidelibus fratribus in Christo Iesu. * Gratia vobis, &*
pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gra-
tias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi
4 *semper pro vobis orantes: * audientes fidem vestram in*
Christo Iesu, & dilectionem, quam habetis in sanctos
5 *omnes * propter spem, quæ reposita est vobis in cælis: quam audistis in verbo ve-*
6 *ritatis Euangelij: * quod peruenit ad vos, sicùt & in vniuerso mundo est, &*
fructificat, & crescit sicùt in vobis, ex ea die, qua audistis, & cognouistis gra-
7 *tiam Dei in veritate, * sicùt didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro,*
8 *qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu, * qui etiàm manifestauit nobis di-*
9 *lectionem vestram in spiritu: * ideò & hos ex qua die audiuimus, non cessa-*
mus pro vobis orantes, & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius,
10 *in omni sapientia & intellectu spiritali: * vt ambuletis dignè Deo per omnia*
11 *placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei: * in*
omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis eius in omni patientia,
12 *& longanimitate cum gaudio * gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit*
13 *in partem sortis Sanctorum lumine: * qui eripuit nos de potestate tenebrarum,*
14 *& transtulit in regnum filij dilectionis suæ, * in quo habemus redemptionem per*
15 *sanguinem eius, remissionem peccatorum: * qui est imago Dei inuisibilis, primo-*
16 *genitus omnis creaturæ, * quoniàm in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in*
terra, visibilia, & inuisibilia, siuè Throni, siuè Dominationes, siuè Princi-
17 *patus, siuè potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: * & ipse est an-*
18 *tè omnes, & omnia in ipso constant. * Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est*
principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens.
19 ** Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: * & per eum re-*
20 *conciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siuè quæ in ter-*

21 *ris, siuè quæ in cælis sunt.* * *Et vos cum essetis aliquandò alienati, & inimi-*
22 *ci sensu in operibus malis:* * *nunc autèm reconciliauit in corpore carnis eius per*
mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coràm ip-
23 *so:* * *si tamèn permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles à spe Euan-*
gelij, quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cælo
24 *est, cuius factus sum ego Paulus minister.* * *Qui nunc gaudeo in passionibus pro*
vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, *in carne mea pro corpo-*
25 *pore eius, quod est Ecclesia:* * *cuius factus sum ego minister secundùm dispensa-*
26 *tionem* Dei, *quæ data est mihi in vos, vt impleam verbum* Dei: * *mysterium*
quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus, nunc autèm manifestatum
27 *est sanctis eius,* * *quibus voluit Deus notas facere deuitias gloriæ Sacramenti*
28 *huius in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, quam nos annun-*
ciamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni
29 *sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* * *In quo*
& laboro, certando secundùm operationem eius, quam operatur in me in virtute.



AVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem puram *Dei* absquè meo meritò, *& Timotheus fráter: eis, qui sunt Colossis, Sanctis, & fidelibus fratribus in Christo Iesu,* in quo omnes vnimur. *Gratia vobis* hic, *& pax* æterna *à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo* sit. *Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi sempèr pro vobis orantes;* quasi sempèr præmittit de oratione facta pro his, ad quos scribit: *audientes* (hæc causa gratiarum actionum) *fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes proptèr spem;* sic infrà vers. 23. *à spe Euangelij*, & Ephes. 1. 18. *quæ reposita est vobis in cælis:* regnum enim cælorum promissum; & Philip. 3. 20. nostra autèm conuersatio in cælis est; vndè etiàm: Saluatorem expectantes, &c. *quam audistis in verbo veritatis Euangelij;* vndè dubitare non licet de ea: *quod peruenit ad vos, sicùt & in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit,* & fructificans, & crescens, pars pro toto; sic Ephes. 4. 16. crescamus in illo, & hoc ne putarent Euangelium restringi, vel vt magis eis animum augeat; *sicùt in vobis* crescit, *ex ea die qua audistis, & cognouistis gratiam Dei in veritate* Euangelij, qua fideles facti estis, *sicùt didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu, qui etiàm manifestauit nobis dilectionem vestram* ergà me *in Spiritu*, spiritualem, cum de facie illum non vidissent. *Ideò & nos ex qua die audiuimus* ab Epaphra, non à die conuersionis, *non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia, & intellectu spiritali;* sic Ephes. 1. 17. *vt* consequentèr sic impleti *ambuletis dignè Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei:* in huius enim cognitione vita æterna; vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: *in omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis,* gloriæ *eius* illuminantis, non à nobis, *in omni patientia, & longanimitate cum gaudio,* ne torpeatis expectantes, *gratias agentes Deo Patri;* hìc generalitèr loquitur de omnibus ad lumen vocatis, non de Colossensibus solis: verba enim apta sunt comprehendere omnes, & in omnes referuntur. *Qui dignos nos fecit in partem sortis*, hæreditatis *Sanctorum*, vocatorum, reddidit nos dignos participationi hæreditatis Sanctis præparatæ in gloria, *in lumine:* nos enim il-

luminauit, quod declarat: *qui eripuit nos de potestate tenebrarum*, dæmonum, *& transtulit in regnum filij dilectionis suæ*, dilecti; hic est Filius meus dilectus; loquitur de gratia, non de gloria: sermo enim est cum viuis, & vocatis ad lumen, & verba sequentia præcedentia determinant; sic & Ephes. 1. 18. vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis; *De potestate tenebrarum* peccatorum; eratis aliquandò tenebræ, tenebris obscuratum habentes intellectum: ideò præcedit, *in lumine*, & infrà, *remissionem peccatorum*. Vel, & meliùs iuxtà illud (hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum) potest intelligi de dæmonibus, etsi alijs titulis eos insigniri soleat Paulus. Ephes. 1. 2. *in quo* filio, *habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum*; sic Ephes. 1. 7. Rom. 3. 24. 25. Acto. 20. 28. Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo; & : non est datum aliud nomen sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri. Act. 4. 12. & Ephes. 1. 4. elegit nos in ipso antè mundi constitutionem; & agnus occisus ab origine mundi. & ne de his dubitent, assumit filij diuinitatem, maiestatem, operationes enarrare. *Qui* filius *est imago Dei inuisibilis*, similitudo perfecta, vera, naturalis, cum sit eiusdem substantiæ: Hebr. 1. & 2. Cor. 4. 5. dicitur *imago Dei*, sed *inuisibilis*, quia Deum nemo vidit vnquàm: habitat enim lucem inaccessibilem, *primogenitus omnis creaturæ*: in principio enim erat verbum, & sic antè omnes creaturas. Alij, *primogenitus omnis creaturæ* quà homo, omnes creaturas præcedens, excellens, superans, etenim quà Deus id satis expresserat, dicendo, *imago Dei inuisibilis*, & exprimit, *& ipse est antè omnes, & omnia in ipso constant*, qui est principium, *vt sit in omnibus ipse primatum tenens*. Sed tene primum intellectum: subdit enim rationem cur primogenitus, quę non aptatur illi quà homini, sed quà Deo, vt Ioan. 1. 3. omnia per ipsum, verbum, facta sunt, dicit ergò: *quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siuè throni, siuè dominationes, siuè principatus, siuè potestates*; horum facit expressam mentionem, vt euellat ex animis eorum superseminata de religione Angelorum (de qua infrà cap. 2. 18.) vana à pseudoapostolis suas fabulas in Angelorum reuelatione fundantibus, & de his pseudo dictum in alijs Epistolis; *omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*. Ioan. 1. 3. *& ipse est antè omnes*, æternitate omnes præcedit, & Ioa. 1. hoc erat in principio apud Deum, *& omnia in ipso constant*, viuunt, construuntur; & Io. 1. in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, nisi ex communicatione idiomatum velis secundum saluare. Non obstat. Rom. 8. 29. & ipse primogenitus in multis fratribus: clarè enim apparet ibi loqui de illo quà homine, vt etiàm ibi dixi. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ*; sic & 1. Cor. 15. 21. & Ephes. 1. 23. *Qui est principium*; principium qui & loquor vobis, dixit ipse; *primogenitus ex mortuis*, cum primus ad immortalitatem non ampliùs moriturus resurrexerit, sed & omnes in eo viuificentur, Christus resurrexit, & nos resurgemus; sicùt in Adam omnes moriuntur, ità in Christo omnes viuificabuntur; *vt sit ipse in omnibus primatum tenens*, ità vt nemo eum antecedat; vndè Ioannes Baptista: hic est qui post me venit, qui antè me factus est, quia prior me erat. Ioan. 1. & ibi dixi: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem* gratiarum *inhabitare*, de qua omnes accepimus. Ioan. 1. *& per eum reconciliare omnia in ipsum* Deum, *pacificans per sanguinem crucis eius, siuè quæ in terris, siuè quæ in cælis sunt*; sic & Ephes. 1. 10. & ideò pax per Angelos in eius natiuitate annunciata. *Et vos* Gentiles *cum essetis aliquandò alienati, & inimici* eius Dei *sensu*, voluntate, mente *in operibus malis*: hæc enim alienationem, & inimicitiam constituebant: *nunc autèm reconciliauit* ipse Christus *in corpore carnis eius per mortem*; sic specificat, quia dixerat suprà de corpore Ecclesiæ, ne vnum pro alio acciperemus, *exhibere vos sanctos, & immaculatos*, puros, *& irreprehensibiles coràm ipso*, in suo conspectu, qui non fallitur: *si tamèn permanetis in fide fundati, & stabiles immobiles à spe* cælestis patriæ vobis data *Euangelij*, ex Euangelio, *quod* Euangelium *audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cælo est*, omnibus hominibus; sic, prædicate Euangelium omni creaturæ, hic tamèn pars pro toto, *cuius*


ius Euangelij veritatem continentis, non aliorum falsorum, *factus sum ego Paulus minister*. Act.9. Ephes.3.7. *Qui nunc gaudeo in passionibus*, tribulationibus meis *pro uobis* instantibus, ò Gentiles, proptèr Euangelium, quod ex ministerio mihi iniuncto prædico. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniàm digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati; & Paulus: libentèr gloriabor in infirmitatibus meis, &c. *& adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi*, & 2. Cor.9.12. quæ desunt sanctis, & 1.Pet.4.15. communicantes Christi passionibus; *in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia* suprà vers.18. & Ephes.1.23. prædicando, pressuras patiendo, carceres, vincula: iussit enim Christus Apostolis prædicare; euntes in mundum vniuersum prædicatum Euangelium omni creaturæ; & de Paulo: vt portet nomen meum coràm regibus, gentibus, filijs Israel: Christus enim in Iudæa tantùm semen iecerat, ad quam solam visibilitèr missus, Apostoli missi iacturi in Gentes, vt applicarentur illis edoctis merita passionis Christi, & saluæ fierent, & hùc respicit Apostolus dicens, *quæ desunt passionum Christi*, nempè ad promulgationem Euangelij, non quòd Christus non satisfecerit Patri æterno pro toto mundo, cum suprà vers.14. dixerit, *in quo* filio *habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum*, & subdat, *pro corpore eius, quod est Ecclesia*, vt scilicèt illa dilatetur, & amplietur, proùt nos quotidiè: adueniat regnum tuum; & sic omnes homines credant, & passio Christi sufficiens fiat efficax in omnibus hominibus, & hoc est, quod deest passionibus Christi; hìnc: eritis mihi testes in Ierusalem, &c. Acto.1. manete in ciuitate donèc induamini virtute ex alto: testem resurrectionis fieri vnum ex istis; in promulgando autèm Euangelio prædixit eis persecutiones: absquè Synagogis, &c. antè Reges, & Præsides ducemini, &c. & de Paulo Ananiæ: ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Act.9. & hoc modo adimplebat quæ deerât passionum Christi in carne sua pro corpore eius, quod est Ecclesia, sed ex seqq. ad fin. vsquè cap. hæc magis declarantur; *cuius* Ecclesiæ, vel Christi *factus sum ego minister secundùm dispensationem Dei*, prouisionem ex magno priuilegio, quia iàm persecutus eram illam, sic interpretor, *dispensationem Dei quæ data est mihi in vos*, concredita, hanc vocat donum gratiæ Dei. Eph.3.6. in vos *vt impleam verbu Dei*, portando illud coràm Regibus, Gentibus, filijs Israel, quæ verba confirmant præcedentem intellectum: *mysterium*, Sacramentum, *quod absconditum fuit à seculis, & generationibus* præteritis, *nunc autèm manifestatum est Sanctis eius*, electis eius, *quibus voluit Deus notas facere diuitias*, abundantias *gloriæ Sacramenti huius in Gentibus* conuertendis, *quod est Christus*, qui Gentibus innotescit ad Ephes.1.18. & 2.7. & 3.3.4.5.8. & per quem gloriam recipimus: nos enim prædicamus Christum, & hunc crucifixum, &c. *in vobis spes gloriæ* factus: promittitur enim regnum cæleste, & gloriosum, *quem nos annunciamus, corripientes*, arguentes, *omnem hominem, & docentes omnem hominem* (eccè quomodò adimplet) *in omni sapientia* diuina, *vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu*. Ephes.4.13. qui locus hunc declarat, & infrà cap.2.10. & estis in illo repleti: *in quo & laboro*, adnitor, *certando*, pugnando *secundùm operationem eius* Christi, *quam operatur in me in virtute*, potentia sua. Ephes.1.19. & 3.7. ipse enim est, qui totum facit, solus ego minister, hæc sic descripsi etsi facilia, vt appareat intellectum verborum, *adimpleo quæ desunt passionum Christi*, versari in hac prædicatione, & promulgatione Euangelij. Ad hunc effectum dedit dona hominibus, quosdam quidèm Apostolos, &c. ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Ephes.4.8.12. quod est Ecclesia, misit Spiritum sanctum; & ipse: eccè ego vobiscum sum omnibus diebus vsquè ad consummationem sæculi, & sic habemus quomodò hunc locum intelligamus; sic in eadem ad Ephes.6.20. vt detur mihi sermo in operatione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Euangelij, prò quo legatione fungor in catena, &c. & hac de causa sæpè meminit vinculorum vbiquè.

C A-



CAPVT II.


1 VOLO enim vos scire qualem solicitudinem habeam pro
vobis, & pro ijs, qui sunt Laodiciæ, & quicumque non
2 viderunt faciem meam in carne: * vt consolentur corda
ipsorum, instructi in charitate, & in omnes diuitias ple-
nitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei Patris
3 & Christi Iesu: * in quo sunt omnes thesauri sapientiæ
4 & scientiæ absconditi. * Hoc autem dico, vt nemo vos
5 decipiat in sublimitate sermonum. * Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu
vobiscum sum: gaudens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius,
6 quæ in Christo est, fidei vestræ. * Sicut ergò accepistis Iesum Christū Dominum,
7 in ipso ambulate, * radicati, & superædificati in ipso, & confirmati fide, sicut
8 & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione: * Videte ne quis vos de-
cipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum,
9 secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum: * quia in ipso inhabi-
10 tat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: * & estis in illo repleti, qui est ca-
11 put omnis principatus, & potestatis: * in quo & circumcisi estis circumcisione non
12 manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: * conse-
pulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscita-
13 uit illum à mortuis. * Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis
14 vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta: * delens quod ad-
uersùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tu-
15 lit de medio, affigens illud cruci: * & expolians principatus, & potestates tra-
16 duxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. * Nemo ergò vos iudi-
cet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi: aut neomeniæ, aut Sabbatorum:
17 * quæ sunt vmbra futurorum: corpus autem Christi. * Nemo vos seducat, vo-
18 lens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustrà
19 inflatus sensu carnis suæ, * & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus,
& coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augumentum Dei.
20 * Si ergò mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi: quid adhuc tam-
21 quàm viuentes in mundo decernitis? * Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque
22 contrectaueritis: * quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundùm præcepta,
23 & doctrinas hominum: * quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in super-
stitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad
saturitatem carnis.

OLO enim vos scire qualem solicitudinem habeam pro vobis; alibi, solicitudo omnium Ecclesiarum. 2. Cor. 1. 28. *& pro ijs, qui sunt Laodiciæ, & quicunque non viderunt faciem meam in carne.* Sed an Colossenses, & Laodicenses viderint? hic negatur, & si vidissent, vel ipse fuisset eorum Apostolus, non diceret cap. 1. 7. sicùt didicistis ab Epaphra, &c. qui etiàm manifestauit, &c. ideò & nos ex qua die audiuimus, &c. nequè ad tollendam obiectionem, cur ipse scriberet, sæpiùs inculcaret se ministrum Euangelij. cap. 1. 1. 23. 25. Præthereà, ad quid diceret, *quicunque non uiderunt faciem meam*, si ipsi illam vidissent? & vt insinuet pro omnibus solicitudinem gerere, etiàm pro illis, qui illum non viderunt, verba illa profert, & copula (&) coniungit cum eadem qualitate: *vt consolentur corda ipsorum, instructi in charitate*, quæ præ alijs desideratur, *& in omnes diuitias*, abundantias *plenitudinis intellectus*, ità vt omnis hæsitatio tollatur, *in agnitionem mysterij* absconditi *Dei Patris, & Christi Iesu*, de quo suprà cap. 1. 26. *in quo* Christo Iesu *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*, q.d. ideò ab eo omnia bona continente petenda Instructio in charitate, & diuitiæ plenitudinis intellectus, de quibus præmisit; hinc infrà vers. 6. monet eos ambulare cum Christo; dicit, *absconditi*, ad denotandum eorum magnitudinem; nàm hæc non reuelantur, non communicantur, nisi ijs, quibus valdè confidimus; & si absconditi, quantò magìs alij? Nec possunt verba, *in quo*, referri ad mysterium, quia ad Iesum tendit oratio, & de illo encomia, nec benè conuenit, *in agnitionem mysterij*, quod significat quid absconditum, & deindè subdere, *thesauri absconditi*. *Hoc autèm dico, vt nemo uos decipiat in sublimitate sermonum* compositorum, seù elegantium, aliud vobis suggerens, & decipere volens. *Nàm etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum* in solicitudine pro vobis versans, vt in princip. cap. *gaudens, & videns* in mente mea *ordinem vestrum, & firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei vestræ* iuxtà relationem Epaphræ. cap. 1. 7. sic 1. Cor. 5. 3. iudicaui absens tanquàm præsens. *Sicùt ergo accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate* non deficientes, imò *radicati, & superædificati in ipso* capite nostro, & lapide angulari, *& confirmati*, stabiliti *fide, sicùt & didicistis* à veris euangelizantibus, *abundantes in illo*, proptèr illum *in gratiarum actione* pro tantis beneficijs: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum, secundùm elementa* huius *mundi*, idest, secundùm hæc terrena, & fluxa, & humanam scientiam, & res naturales, sicùt infrà. vers. 20. & cap. 3. 1. & seqq. & Galat. 4. 4. 10. Vel, *in sublimitate sermonum* suprà vers. 5. *& non secūdùm Christum* Dominum, pro quo omnis veritas stat, & permanet, & agentem spiritualitèr, & supernaturalitèr: *Quia in ipso* Christo, & non in alio *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporalitèr*, verè, realitèr; ideò potens facere supernaturalia, & in ipso stantes non errabitis, quasi dicat, vobis attendendus Deus, non alia commenta: *& estis in illo*, per illum *repleti*; de sua plenitudine accepistis. Ioan. 1. sua scientia diuina repleti estis: quasi, quomodò vultis illum abijcere, vel cum eo non conuenire? forsitàn timetis eum superari posse, imò tuti estis in illo, *qui est caput omnis principatus, & potestatis:* suprà hos enim exaltatus. Ephes. 1. in fin. & ipsorum creator suprà cap. 1. 16. ideò suprà hos æstimandus: *in quo* Christo *& circumcisi estis* (prosequitur beneficia eis à Christo collata, vt inferat admonitionem, ne ab eo diuellantur) *circumcisione non manufacta in expoliatione corporis*, substantiæ, *carnis*, pelliculæ, proùt Hebræi, *sed in circumcisione Christi* spirituali: *consepulti ei in baptismo*; nàm sicùt Christus sepultus, ità mersus in aqua dicitur sepeliri; *in quo* Christo, seù baptismo *& resurrexistis* quasi ex aqua surgentes à peccatis ad nouitatem vitæ *per fidem operationis*, potentiæ *Dei* operantem, *qui suscitauit illum à mortuis*, hoc est, per fidem resurrectionis Christi à Deo ope-

operatæ, quam credidistis; hinc resurrexit propter iustificationem nostram, quæ creatur per fidem. Rom.4. in fin. & 5.1. similia verba. Ephes.1. 19. *Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ*, veteri homine, gentilismo, quod non abscindebatis, *conuiuificauit cum illo* Christo, quod expressius declarat infrà cap.3.1. si consurrexistis cum Christo; & Christo confixus sum Cruci; viuo ego iàm non ego, viuit verò in me Christus, absquè alia carnali circumcisione, vel legalium obseruatione: sufficit enim solus Christus, *donans vobis omnia delicta*, in quibus mortui eratis, & in morte vos detinebant: *delens* (eodem verbo vtitur Dauid bis. Psalm. 50.) *quod aduersùs vos erat chirographum decreti*, decretum scriptum mortis æternæ; in quacunque die comederis, morte morieris. Genes.2. per vnum hominem mors, & per vnum hominem resurrectio mortuorum, *quod erat contrarium nobis*, mortem inferens, & nos mortuos reddens, *& ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*, idest, mediante Cruce, seù morte sua in Cruce illud sustulit, abrasit. Non potest intelligi de peccatis, quia iàm præmisit, *donans vobis omnia delicta*. Non de lege Mosaica, quia non potest dici contraria nobis, & quia loquitur de his, quæ nos tenebant captiuos, quod in ea lege considerari non potest, & fit clarius ex his, quæ subdit; nàm seruitus dæmonum erat ob peccata, non ob legem; benè verum est & legem in Cruce abolitam: ideò dixit, *conuiuificauit* nos *cum illo: & expolians* (eripiendo nos de manu ipsorum, qui nos captiuos tenebant) *principatus, & potestates*, dæmones *traduxit*, ostentauit eos *confidentèr*, intrepidè, *palàm triumphans illos*, in triumphum ducens *in semetipso* morte sua, non aliorum, vt solent triumphatores intèr homines, qua illos alligauit, & destruxit. *Nemo ergò vos* liberos per Christum *iudicet*, condemnet *in cibo, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum*, ne trahamini igitùr ad legalia à iudaizantibus: *quæ sunt vmbra futurorum* in Christo. Hebr.8.5. *corpus autèm*, soliditas, veritas, à quo vmbra dependet, & iuxtà quod vmbra reformanda, *Christi*, in quo verificata sunt, à quo tot beneficia recepistis, & sic illa iàm euanuerunt ab illo abolita; vndè alibì, dies obseruatis, menses, & tempora, & annos. Galat.4.10. sic pro corpore sæpè vtitur ad solida, ad substantiam denotandam. Rom.6.6. corpus peccati, & Rom.7.4. corpus Christi, vt hic. 1.Cor.12. 12. & seqq. hi iudaizantes omnia sus dequè vertebant pro suis legalibus. *Nemo vos seducat, volens*, tentans vos seducere *in humilitate* eorum, quam attendatis, *& religione Angelorum*, idest, in reuerentia, quam dicunt Angelis exhibēdam, vel à quibus mentiuntur se habere reuelationem, & hæc erat quædam superstitio, vt infrà vers. 23. *in superstitione: quæ non vidit*, quæ tamèn asserit vidisse, vt vos seducat, vel in ijs, *quæ non vidit*, idest, quæ non intelligit *ambulans*, versans, *frustrà*, vanè *inflatus sensu carnis suæ*, carnali, animali, ex suo capite, sinè ratione; simili verbo (infletur) vsus Apostolus. 1.Cor.4.6. & 5.2. & non tenens caput (quod retinendum est) quod est Christus, vt suprà dixit: omnis principatus, & potestatis; ideò præmisit hoc suprà vers.11. & cap.1. 16. ex quo, & non alio totum corpus Ecclesiæ per nexum, & coniunctiones subministratum. Ephes.4. crescit in augumentum, honorem, gloriam Dei, qui manifestatur; sic Ephes.2. 21. & 4. 16. Et hæc superstitio, seù religio Angelorum potuit esse iudaizantium aliquorum conuersorum, qui contrà Sadducæos negantes spirituales creaturas acritèr defenderent, & conseruarent, ità vt ad superstitionem defecissent: cum enim sempèr Paulus agat contrà iudaizantes in Epistolis, ad Rom. Galat. Ephes. non credo hic contrà alios. Obstat tamèn, quia hic dicit, *ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam*, nisi dicas residere in fallaci, vltrà quòd Philosophi non adorabant Angelos, nequè perueniebant ad exclusionē Christi, vel hoc, & illud diuersa; hæreses verò Angelicorum pòst Pauli tempora exortæ sunt. Vel, *nemo uos seducat, uolens* ex professo, ex malitia, vltroneus, *in humilitate*, abiectione profitens se ex his nolle præferri his, qui vos docuerunt, *& religione Angelorum*, dicens se habuisse reuelationem ab Angelis, & in ijs, *quæ non uidit ambulans*, referens vobis alitèr esse edoctum ab Angelis circà legalia se-

seruãda per visiones, seù reuelationes, quas confingunt, quam Epaphras vos edocuit, & ego nunc scribo, quia quæ dicit, non vidit, sed est suum commentum, *non tenens* in suo dicto *caput*, quod est Christus, qui solus suscipiendus, qui legalia abrogauit iuxtà illud ad Galat. 1. 8. contra eosdem iudaizantes; sed si nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis prætèr quàm euangelizauimus vobis, anathema sit, nec ab re ibi dicit hoc Apostolus, quia fortè & cum Galatis iudaizantes fingebant reuelationes Angelorum, & contrà pseudoapostolos. 2. Cor. 11. 4. nàm si is, qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicauimus, aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis, aut aliud euangelium, quod non recepistis, &c. 2. Thes. 2. 2. vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam, &c. Rom. 16. 17. iubet obseruari alitèr docentes. Eph. 5. nemo vos seducat, &c. Hebr. 13. 9. doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci; 1. Io. 2. 24. Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat. 1. Ioan. 3. 7. nemo vos seducat. 1. Io. 4. nolite omni spiritui credere. 1. Timo. 1. 3. ne alitèr docerent, neque intenderent fabulis, &c. & cap. 6. 3. si quis alitèr, &c. & superbus est; proùt hic *inflatus, &c.* hìc, *quæ non uidit:* ibi, nihil sciens. De fabulis, & 1. Timot. 4. vbi de cibis, & 7. & 2. Timot. 4. 4. & Tit. 1. iudaicis fabulis, & ibi etiàm de ciborum puritate: ad hęc enim iudaizantes; & Pharisæi de Paulo. Act. 23. 9. quid si spiritus locutus est ei, aut Angelus? & Paulus dicit Angelum Dei sibi nocte adstitisse. Acto. 27. 23. & quandò Ioan. 12. 29. tonitruum factum, dicebant: Angelus ei locutus est. Et videtur hic melior intellectus. Primò, quia Apostolus respicit modum deceptionis, & seductionis, & ab hoc suadet illos cauere, non ad adorationem, seù alia; ideò dicit, *nemo uos seducat;* sic ad Ephes. 5. nemo vos seducat inanibus verbis, proptèr hæc, &c. inania enim verba erant hæc fictarum Angelicarum reuelationum verisimilitèr, & congruunt intellectui huic verba, *quæ non uidit: &, frustra inflatus, &c.* quasi sibi arrogans quòd reuelationibus angelicis persuadatur, & præmissis, quòd Christus est caput Angelorum, quasi inferens, quomodò ergò Angeli contra caput insurgerent? Hinc censeo has technas iudaizantium: his enim fictionibus visionum, & reuelationum legalia sua fulcire, intrudere, & conseruare nitebantur; & cum hi scirent solum Deum adorandum, & idòlolatria intèr Hebræos non versaretur, eò magis intellectus hic procedit, & primus excluditur. Hinc fortè Apostolus ad tollendas tot reuelationes falsas meminit sibi reuelata mysteria, Sacramenta occulta supèr salute Gentium. Ephes. 1. 9. 3. 5. 9. & si ibi de bonis Angelis intelligeret, quod negaui, fortè ad hoc respiceret, dicens: vt innotescat, &c. & suprà cap. 1. 26. mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, &c. & 2. 2. & 4. 3. & ne his, vel similibus crederet, profert cap. 4. probatos alios Apostolos, alios Doctores ad consummationem Sanctorum, &c. & 1. Thess. 2. 4. dicit sibi creditum Euangelium, & in multis Epistolis dicit se Apostolum per voluntatem Dei, vt intelligerent hominibus, non Angelis hoc ministerium demandatum. Ansam fortè receperant hæc seminandi pseudoapostoli ex multis apparitionibus Angelorum in Resurrectione, Ascensione, Actibus Apostolorum. Quod si de idòlolatria ageretur, Apostolus non dixisset, *nemo vos seducat,* sed animaduertite à seductione, cauete ne inficiamini ab idòlolatria, neque vno verbo se expedisset, sed pluribus vitium detexisset, & eliminasset, & commercium omninò interdixisset, cum hisque nec cibum sumi scripsisset, eò magis quia hæc Epistola est quasi circularis, legenda scilicèt & Laodiciæ. cap. 4. 17. Apostolus ergò subdens, *nemo vos seducat*, nihil addit præmissis *nemo vos iudicet*, sed docet ne seducantur ad ea seruanda ex his fictionibus, & commentis; hinc infrà vers. 22. repetit concernentia cibos, & vsque in fin. cap. nihil autèm ad idòlolatriam, vel religionem, sed ad superstitionem, quæ versatur circà cibos. Ex his cessant quæ dicuntur, quòd vellent eos confidere in Angelis, vel adorare, vel ab illis salutem recognoscere, quia non aptantur, cum de legalibus seruandis tantùm agerent; hinc corruit quod dicitur, Angelum. Apocal. 19. 10. 22. 9. bis dicentem (Deum adora) ad hæc respexisse.

xisse, quia Angelus ibì explicat cur id faciat, quia cum Prophetis agebat, & in Apoc. diximus. Non dicas hæc verba intelligi, quia per Angelos lex data; nàm verum id, sed in manu mediatoris. Gal. 3. 19. Non potest etiã argui, Paulus in hac Epistola totiès de superioritate Christi suprà Angelos agit, & ab ipso solo omnia creata inculcat ad eliminandum contrarium dogma seminatum de Angelis, quia hoc Paulo proprium in omnibus Epistolis, vel hæc inculcat ne credantur Angeli sibi contrarij, & eos legalia defendere. *Si ergò mortui estis* in, *cum Christo ab elementis huius mundi*, ab his terrenis, à quibus translati, & seiuncti, & spirituales facti: *quid adhùc tanquàm viuentes in mundo* carnales *decernitis?* quid adhùc supèr legalibus insistitis? *Ne tetigeritis, nequè gustaueritis, nequè contrectaueritis* ea: *quæ sunt omnia in interitum ipso vsu*, & *secundùm præcepta, & doctrinas hominum* non sequendas, non Dei, cui obediendum. Congruunt dicta suprà vers. 8. *videte, &c.* quæ sunt rationem, speciem, imaginem quidèm habentia sapientiæ, sed fictæ, & reprobæ, nempè in superstitione, seù *in sublimitate sermonum* suprà vers. 5. & humilitate ad decipiendum; puto Paulum ad hos auertendos vti eodem modo, quo Moyses in facto Chore. Num. 16. 26. Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum, & non ad parcendum corpori, cum fatigentur in illis, non in honore aliquo ad saturitatem carnis, cum à multis abstineant, & carni largiùs satisfit ex varietate ciborum, & sic subuertunt corda humilium ex his apparentibus, sed falsis, & fictis. Ex his non possunt hæretici quidquam contrà ieiunia, vel delectum ciborum arguere, tùm quòd Paulus loquitur de legalibus abolitis, tùm quòd & in his verbis quatenùs ieiunium, & abstinentiam dicebant de facto, faciem gerebant bonitatis, non veritatem; vndè potiùs ex suis verbis, & sensu approbatio ieiunij, & delectio ciborum iuxtà ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ colligitur.




CAPVT III.



1 *GITVR, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt*
2 *quærite, vbì Christus est in dextera Dei sedens: * quæ sur-*
3 *sum sunt sapite, non quæ supèr terram. * Mortui enim estis,*
4 *& vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. * Cum*
Christus apparuerit, vita vestra: tunc & vos apparebitis
5 *cum ipso in gloria. * Mortificate ergò membra vestra, quæ*
sunt supèr terram: fornicationem, immunditiam, libidinem,
6 *concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus: * proptèr*
7 *quæ venit ira Dei supèr filios incredulitatis: * in quibus & vos ambulastis ali-*
8 *quandò, cum viueretis in illis. * Nunc autèm deponite & vos omnia: iram, in-*
9 *dignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. * No-*
10 *lite mentiri inuicèm, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, * &*
induentes, nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundùm imaginem eius,
11 *qui creauit illum, * vbì non est Gentilis, & Iudæus, circumcisio, & præpu-*
tium, Barbarus, & Scytha, seruus, & liber: sed omnia, & in omnibus Chri-
12 *stus. * Induite vos ergò sicùt electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericor-*
diæ,


13 *diæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam : * supportantes inui-*
cèm, & donantes vobismetipsis si quis aduersùs aliquem habet querelam : sicùt
14 *& Dominus donauit vobis, ità & vos. * Supèr omnia autèm hæc, charita-*
15 *tem habete, quod est vinculum perfectionis : * & pax Christi exultet in cordi-*
16 *bus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore : & grati estote. * Verbum*
Christi habitet in vobis abundantèr, in omni sapientia, docentes, & commo-
nentes vosmetipsos, Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, in gratia
17 *cantantes in cordibus vestris Deo. * Omne, quodcumque facitis in verbo aut*
in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri
18 *per ipsum. * Mulieres subditæ estote viris, sicùt oportet, in Domino. * Viri di-*
19 *ligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. * Filij obedite parentibus per*
20 *omnia : hoc enìm placitum est in Domino. * Patres, nolite ad indignationem*
21 *prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant. * Serui obedite per omnia*
22 *dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in*
23 *simplicitate cordis, timentes Deum. * Quodcumque facitis, ex animo operami-*
24 *ni sicùt Domino, & non hominibus : * scientes quòd à Domino accipietis retribu-*
25 *tionem hæreditatis. Domino Christo seruite. * Qui enìm iniuriam facit, recipiet*
id, quod iniquè gessit : & non est personarum acceptio apud Deum.


GITVR, *si consurrexistis cum Christo*, non legalia, non terrena, sed *quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens*, conuersatio vestra in cælis sit; nàm & reformandum corpus nostrum humile configuratum corpori claritatis, gloriæ suæ : *quæ sursum sunt sapite*, solida, *non quæ supèr terram* fluxa. *Mortui enim estis* in Christo, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*, per Deum, qui nos conuiuificauit suprà cap. 2. etsi vita hæc nondum appareat; ideò dicit *abscondita. Cum Christus apparuerit* in iudicio, *vita vestra* vos viuificans, *tùnc & vos apparebitis* resuscitati *cum ipso in gloria* gloriosi. *Mortificate ergò membra vestra, quæ sunt supèr terram*, vt surgant ad cælestia: *fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscētiam malam*, hęc omnia impedientia eleuationem mentis ad cælestia, *& auaritiam* vitium de per se, vt dixi ad Ephes. 5. 3. 5. non cum libidine iunctum, sed illi inseruiens, vt per Lyranum hic, & Theophil. 1. Timot. 9. dicentem, scortum argenti causa se prostituit, *quæ est simulachrorum seruitus*. Eph. 5. 5. cultus; sic: vbi enìm est thesaurus tuus, ibì est & cor tuum : *proptèr quæ venit ira Dei supèr filios incredulitatis*; sic & Ephes. 2. 2. & 5. 6. *in quibus* vitijs *& vos ambulastis aliquandò, cum viueretis in illis*, illis seruientes. *Nunc autèm deponite & vos omnia* vitia: *iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri inuicèm* vos fraudantes, seù circumuenientes; hæc omnia, quia in proximum, & Deum, vel frequentia in his; *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis* malis, *& induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundùm imaginem eius*, imitationem eius, *qui creauit illum, vbì non est Gentilis, & Iudæus, circuncisio, & præputium, barbarus, & Scytha, seruus, & liber*, non attenditur in renouatione hac quis renouetur, sed omnia, & in omnibus Christus attendendus, non legalia, non circuncisio; hoc benè declaratur. Galat. 3. 2. 7. & seqq. & 5. 6. *Induite vos ergò sicùt electi Dei* ad fidem, *sancti, & dilecti, viscera misericordiæ* ad teneritudinem magis insinuādam; sic Zacharias: per viscera misericor-

diæ; sic in matre vera coràm Salomone pro filio, in Iosepho cum fratribus apparuerunt; *benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, quam exercebitis: *supportantes inuicèm, & donantes vobismetipsis*, si quis aduersùs aliquem habet querelam: *Sicùt & Dominus donauit vobis, ità & vos* facite illum imitantes suprà 2. 14. & dimitte nobis debita nostra, sicùt & nos dimittimus debitoribus nostris; & Ephes. 4. in fin. 1. Cor. 6. omnia hæc ad pacem firmandam. *Supèr omnia autèm hæc* ad pacem tendentia, *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, vniens nos simùl perfectè. Vide. 1. Cor. 13. *& pax Christi exultet*, exultare vos faciat *in cordibus vestris, in qua* pace, & vnione, vt sitis vnum. Ioan. 17. Act. 2. *& vocati estis in vno corpore* mystico Ecclesiæ tanquàm membra: *& grati estote*, gratitudinem sempèr inculcat Apostolus, ipse sempèr est in gratiarum actione. Vel gratiosi, amabiles estote: in præcedentibus enim agebat de pace, quæ hac gratia, & amore conseruatur; & infrà vers. 17. de gratiarum actione. *Verbum Christi* euangelicum *habitet*, fixum sit *in vobis abundantèr*, largè, *in omni sapientia*, vt illud probè scitis; non contentus dixisse, *abundantèr*, subdit & hoc, *docentes* ex eo, *& commonentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus* spiritum excitantibus, non carnalibus, aut luxuriosis, *in gratia*, gratiarum actione *cantantes in cordibus vestris*, non ore tantùm, seù labijs *Deo*. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine*, virtute *Domini nostri Iesu Christi*, in quo viuimus, & cuius serui redempti sumus, *gratias agentes Deo & Patri per ipsum*, per quem salus. *Mulieres, subditæ estote viris, sicùt oportet, in Domino*, in his quæ cum Domino conueniunt: sic enim ob peccatum meruerunt. Genes. 3. *Viri, diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas*: estis enim vna caro, & carnem suam nemo vmquàm odio habuit, sed fouet illam. *Filij, obedite parentibus per omnia* licita: *hoc enim placitum est in Domino*, qui id iussit. *Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros*, sed mansuetè cum illis agite, *vt non pusillo animo fiant*, tabescant, confundantur. *Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum*, fictè *seruientes, quasi hominibus placentes*, externè, *sed in simplicitate*, sinceritate *cordis, timentes Deum*, qui omnia videt, & cor intuetur. *Quodcunque facitis* ergà dominos, *ex animo*, ex corde sincero *operamini sicùt Domino*, qui tale seruitium quærit, & cognoscit, *non hominibus*, qui interna ignorant: *Scientes*, certi *quòd à Domino accipietis retributionem*, mercedem *hæreditatis* cælestis; ideò suprà, *vbì non est Gentilis, seruus, &c.* vndè ex his etiàm Deum respicientes gestis meremur ad vitam æternam. *Domino Christo seruite* omnes patres, filij, serui, vxores in his, quæ dixi: *qui enim iniuriam facit* etiàm ex vobis, non obseruans quæ dixi, *recipiet id, quod iniquè gessit* iuxtà opus suum: *& non est personarum acceptio apud Deum*, liberum, seruum, omnes respicit, omnes iudicat: nos enim omnes repræsentari oportet antè tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis proùt gessit; idem Ephes. 6. 9. Hæc omnia de his inculcat, præsertìm seruis, quia aliqui putabant ex fide in Christum liberari ab his subiectionibus, quod Ethnicis valdè displicebat: nolebat enim blasphemari nomen Christianum intèr Gentes.



CA-



CAPVT IV.

1 DOMINI, *quod iustum est & æquum, seruis præstate:*
2 *scientes quòd & vos Dominum habetis in cælo.* * *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione:*
3 * *orantes simùl & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (proptèr quod*
4 *etiàm vinctus sum)* * *vt manifestem illud ità vt opor-*
5 *tet me loqui.* * *In sapientia ambulate ad eos, qui foris*
6 *sunt: tempus redimentes.* * *Sermo vester sempèr in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodò oporteat vos vnicuique respondere.*
7 * *Quæ circà me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, &*
8 *fidelis minister, & conseruus in Domino:* * *quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt*
9 *cognoscat, quæ circà vos sunt, & consoletur corda vestra,* * *cum Onesimo charissimo, & fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quæ hìc aguntur, nota fa-*
10 *cient vobis.* * *Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum:*
11 * *& Iesus, qui dicitur Iustus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adiutores*
12 *mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.* * *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, seruus Christi Iesu, sempèr solicitus pro vobis in orationibus, vt ste-*
13 *tis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.* * *Testimonium enìm illi perhibeo quòd habet multum laborem pro vobis, & pro ijs, qui sunt Laodiciæ, & qui*
14 *Hierapoli.* * *Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas.* * *Salutate*
15 *fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo eius est, Eccle-*
16 *siam.* * *Et cum lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite vt & in Laodicen-*
17 *sium Ecclesia legatur: & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.* * *Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, vt illud impleas.*
18 * *Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.*

DOMINI, *quod iustum est, & æquum, seruis præstate: scientes quòd & vos Dominum habetis in cælo,* à quo idem expectatis, & cui rationem reddere tenemini: *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione* pro beneficijs receptis: ***orantes simùl & pro nobis, vt Deus aperiat*** *nobis ostium sermonis,* non proùt Propheta: Domine labia mea aperies. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis, sed ***ad loquendum mysterium Christi*** de vocatione Gentium(***proptèr quod & vinctus sum***, patior) ***vt manifestem illud ità vt oportet me loqui***, & efficax sit sermo meus; sic & 1. Cor. 16. 9. de ostio sibi aperto. 2. Cor. 2. 12. Act. 14. 27. Apocal. 3. 8.

In sapientia, prudentèr *ambulate ad eos, qui foris sunt*, Gentiles: *tempus redimentes*, obseruantes opportunitatem temporis. *Sermo vester semper in gratia*, gratiosus, *sale*, sapientia, prudentia *sit conditus, vt sciatis, quomodò vos oporteat vnicuique respondere. Quæ circà me sunt*, concernentia causam meam, ob quam vincior, *omnia vobis nota faciet Tychychus charissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino: quem misi ad vos ad hoc ipsum vt cognoscat, quæ circà vos sunt, & consoletur corda uestra, cum Onesimo charissimo, & fideli fratre, qui ex uobis est*, conciue vestro. *Omnia, quæ hic aguntur* circà me, & fideles, *nota facient uobis. Salutat uos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus, consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata* mea: *si uenerit ad uos, excipite illum* hilaritèr. Sed an is Marcus, de quo Acto. 12. 12. 25. qui fuit causa, vt disiungerentur abinuicèm Paulus, & Barnabas. Act. 15.? incertum, imò in actis non nominatur consobrinus Barnabæ, proùt hìç, solum cognomen nominis præsumere facit hunc eundem esse, sed Barnabas Cyprius, ille Marcus. Act. 12. 12. 25. potiùs Ierosolymita, & hic ex circumcisione: *& Iesus, qui dicitur Iustus: qui sunt ex circumcisione*, Hebræi: *hi soli sunt adiutores mei in regno* Dei, in Ecclesia, in Euangelio promulgando, & propagando, *qui mihi fuerunt solatio*, consolationem mihi præbuerunt. *Salutat uos Epaphras, qui ex uobis est*, conciuis vester, *seruus Christi Iesu, sempèr solicitus pro uobis in orationibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni uoluntate* Dei, vt proficiatis, & impleamini, & perseueretis. *Testimonium enim illi perhibeo quòd habet multum laborem pro uobis, & pro ijs, qui sunt Laodiciæ, & qui Hierapoli.* Vide charitatem tùnc vigentem. *Salutat uos Lucas medicus charissimus, & Demas. Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo eius est, Ecclesiam*, congregationem. *Et cum lecta fuerit apud uos Epistola hæc, facite ut in Laodicensium Ecclesia legatur: & eam, quæ Laodicensium est, uos legatis*; hinc fortè ortus vsus Epistolarum circularium: & sicùt hanc, quæ sua est, vult in Ecclesia Laodicensium legi, ità dicas, *& eam, quæ Laodicensium est*, idest, ab ipso Paulo ad Laodicenses scriptam, *vos legatis*: vt quid enim dicere scriptam à Laodicensibus ad Paulum? quasi Laodicenses scriberent Paulo litteras, quibus ille edoceretur, & consequentèr Colossenses? non enim ob aliud iubet litteras suas legi. Absurda hæc; sic & 1. Thess. 5. 27. adiurat, vt legatur Epistola illa omnibus sanctis, fratribus. *Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino*, per Dominum, *vt illud impleas*, non negligas. *Salutatio, mea manu Pauli* ad fidem faciendam pro litteris; est modus similis loquendi, proùt in Apocal. 2. 3. & seqq. & in alijs. cc. seqq. *Memores estote vinculorum meorum*, in quibus teneor pro Christo, & defensione Euangelij, & pro Gentibus, absoluendus si ab his abstinerem: hoc enim vobis seruit ad veritatem eorum, quæ edocti estis, & perseuerantiam: quis enim credat proptèr falsitatem quis pati vsquè ad mortem? hìnc martyria tanquàm ager fertilis Ecclesiæ fœcundarunt, & 1. Timot. 4. 17. in hoc laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viuum; huiusmodi argumento vsus est. Galat. 5. 11. Ego autèm fratres, si circumcisionem adhùc prædico, quid adhùc persecutionem patior? *Gratia* Dei *vobiscum. Amen.*



IN

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES PRIMAM.

CAPVT PRIMVM.

1 *PAVLVS, & Siluanus, & Timotheus Ecclesiæ Thes-*
salonicensium in Deo Patre, & Domino Iesu Christo.
2 ** Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo semper*
pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in ora-
3 *tionibus nostris sine intermissione, * memores operis fidei*
vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei
Domini nostri Iesu Christi, antè Deum & Patrem no-
4 *strum: * scientes fratres, dilecti à Deo, electionem vestram: * quia Euange-*
5 *lium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute, & in*
Spiritu sancto, & in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis
6 *propter vos. * Et vos imitatores nostri facti estis, &* Domini, *excipientes*
7 *verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti: * ità vt facti sitis*
8 *forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia. * A vobis enim dif-*
famatus est sermo Domini, *non solùm in Macedonia, & in Achaia, sed & in*
omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, *profecta est, ità vt non sit nobis ne-*
9 *cesse quidquam loqui. * Ipsi enim de nobis annunciant qualem introitum habue-*
10 *rimus ad vos: & quomodò conuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo vi-*
11 *uo, & vero, * & expectare Filium eius de cælis (quem suscitauit ex mortuis)*
Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

PAVLVS, & Siluanus, & Timotheus. Siluanus communitèr habetur pro Sila hìc, & in secunda epistola ad Thess. & sic magis habebitur pro socio peregrinationis Pauli; hinc fortè postponit Timotheum Siluano, quia Silas hic erat comes peregrinationis; ideò maior Timotheo. Paulus hìc non nominat se Apostolum, quia prima epistola, & fortè nondum congressum habuerat cū Petro. Gal. 2. nàm Thessalonicæ signa Apostolatus fecit, vt hic, & per totam epist. at satisfacit cap. 2. 7. nuncupando se Apostolum,

stolum; vndè parùm refert id in principio tacuisse, cum versemur in indifferentibus. *Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre, & Domino Iesu Christo* congregatæ. *Gratia vobis, & pax* sit. *Gratias agimus Deo sempèr pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sinè intermissione*, quæ verba coniunguntur meliùs cum præcedentibus, quàm cum sequentibus, & ità in Biblijs correctis cum coma, & stella, *memores operis fidei vestræ*, à fide vestra emanantis, *& laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri Iesu Christi* ad æternam beatitudinem, *antè Deum, & Patrem nostrum*, ad quem preces fundimus: *Scientes fratres, dilecti à Deo, electionem vestram* ad christianismum; ideò illi gratias agimus. Non dicas ad prædestinationem, quia inuerisimile de vna Ecclesia id dicere, imò nec de seipso nouerat quid certum Apostolus, vt aliàs dixi: *quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm*, quasi inutile, *sed & in virtute*, miraculis, in potentia, in operatione, *& in Spiritu sancto* corda vestra dirigente, & inclinante, vel apparente, *& in plenitudine multa*, in abũdantia multa, hinc fructus in vobis; sic Stephanus faciebat signa, & prodigia multa in plebe; & 2. Cor. 8. 20. in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis; & Io. 1. & de plenitudine eius nos omnes accepimus; *sicùt scitis quales fuerimus in vobis proptèr vos*; facit illos testes præmissorum, quod repetit in prin. cap. 2. nàm ipsi scitis, & vers. 10. vos testes estis. *Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini*; nàm qui Pauli, & Domini, vt aliàs dixi; in tribulationibus, vt dixi, *excipientes verbum* Euangelicum *in tribulatione multa* externa, sed *cum gaudio Spiritus sancti* intùs infuso: *ità vt facti sitis forma*, exemplum *omnibus credentibus*, fidelibus *in Macedonia, & in Achaia. A vobis enim diffamatus est sermo* Domini, Euangelium, *non solùm in Macedonia, & in Achaia, sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad* Deum, *profecta est*, deuenit, *ità ut non sit nobis necesse quidquam loqui* ad illam manifestandam. *Ipsi enim*, ad quos peruenit, *de uobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad uos* in vestra conuersione: *& quomodò conuersi estis ad* Deum *à simulacris*, idòlis, *seruire* Deo *uiuo, & uero*; sic Christus: vt cognoscant te solum verum Deum, &c. ad differentiam idòlorum falsorum, & mortuorum, *& expectare Filium eius de cælis* venturum ad iudicandum, & regnum distributurum (*quem suscitauit ex mortuis* potentia diuina) *Iesum, qui eripuit nos ab ira uentura.* Vndè Ioannes Baptista: Genimina viperarum, quis docuit vos fugere à ventura ira? & infrà cap. 2. 17. peruenit ira Dei supèr illos.



CAPVT II.



1 *AM ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia*
2 *non inanis fuit: * sed antè passi, & contumelijs affecti*
(sicùt scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo
nostro loqui ad vos Euangeliũ Dei in multa solicitudine.
3 ** Exhortatio enim nostra non de errore, nequè de immun-*
4 *ditia, nequè in dolo, * sed sicùt probati sumus à Deo vt*
crederetur nobis Euangelium: ità loquimur non quasi ho-
5 *minibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. * Nequè enim aliquandò*
fuimus in sermone adulationis, sicùt scitis: nequè in occasione auaritiæ Deus te-
6 *stis est; * nec quærentes ab hominibus gloriam, nequè à vobis, nequè ab alijs.*

Cum

7 *Cum possemus vobis oneri esse vt Christi Apostoli: sed facti sumus paruuli in*
8 *medio vestrum, tanquàm si nutrix foueat filios suos. * Ita desiderantes vos,*
cupidè volebamus tradere vobis non solùm Euangelium Dei, sed etiàm animas
9 *nostras: quoniàm charissimi nobis facti estis. * Memores enìm estis fratres la-*
boris nostri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum graua-
10 *remus, prædicauimus in vobis Euangelum Dei. * Vos testes estis, & Deus,*
11 *quàm sanctè, & iustè, & sinè querela, vobis, qui credidistis, fuimus: * sicùt*
12 *scitis, qualitèr vnumquemque vestrum (sicùt pater filios suos) * deprecantes*
vos, & consolantes, testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit
13 *vos in suum regnum, & gloriam. * Ideò & nos gratias agimus Deo sinè inter-*
missione: quoniàm cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud,
non ut uerbum hominum, sed (sicùt est uerè) uerbum Dei, qui operatur in uobis,
14 *qui credidistis. * uos enìm imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ*
sunt in Iudæa in Christo Iesu: quia eadem passi estis & uos à contribulibus ue-
15 *stris, sicùt & ipsi à Iudæis, * qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophe-*
tas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduer-
16 *santur, * prohibentes nos Gentibus loqui ut saluæ fiant, ut impleant peccata sua*
17 *sempèr: peruenit enìm ira Dei supèr illos usquè in finem. * Nos autèm fratres*
desolati à uobis ad tempus horæ, aspectu, non corde abundantiùs festinauimus
18 *faciem uestram uidere cum multo desiderio: * quoniàm uoluimus uenire ad uos:*
19 *ego quidèm Paulus, & semèl, & iterum, sed impediuit nos Satanas. * Quæ*
est enìm nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonnè uos antè Domi-
20 *num nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? uos enim estis gloria no-*
21 *stra & gaudium.*



AM *ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad uos* (omnia in ipsorum testimonio firmat) *quia non inanis fuit*, nō fuit absquè signis, vel nō ad pompam: *sed antè passi, & contumelijs affecti (sicut scitis) in Philippis*. Act. 16. *fiduciam habuimus*, persecutione illa non attenta, *in Deo nostro loqui ad uos Euangelium* Dei *in multa solicitudine*, diligentia. *Exhortatio enim nostra non de errore* procedens, *nequè de immunditia*, proùt in idòlis, *nequè in dolo* vbiquè machinantes, *sed sicut probati sumus*, electi *à Deo, ut crederetur nobis Euangelium: ità loquimur non quasi hominibus placentes*, captantes auram hominum, *sed* Deo, cuius gloriam quærimus, *qui probat corda nostra*, quæ ipsi aperta sunt, qui scit nos in sinceritate ambulare; hìnc in multis epistolis dicit se Apostolum per voluntatem Dei; hìnc Ephes. 4. enumerat gratias, alios Apostolos, alios Prophetas, &c. & hæc ex more, & magna prudentia, ne à nō probatis quidquam sumerent, & deciperentur, sed sibi crederent. *Nequè enìm aliquandò fuimus in sermone adulationis*, verbum Dei adulterantes, *sicut scitis: nequè in occasione auaritiæ*, vt vellemus aliquid lucrari. *Deus testis est*, qui non fallitur: *nec quærentes ab hominibus gloriam*, quæ euanescit, *nequè à uobis*, quos instruximus, *nequè ab alijs*, ad quos hæc deferebantur; vult in omnibus se sincerum demonstrare Apostolus. *Cum possemus uobis oneri esse* in victu, & vestitu, recipiendo quæ nobis euangeli-

zantibus


zantibus debebantur: ideò subdit, *ut Christi Apostoli: sed facti sumus paruuli in medio uestrum*, nihil volentes, ne vos grauaremus, *tanquàm si nutrix foueat Filios suos*, à quibus nihil recipit, quia sui. *Ità* prout mater nutricis vice fungẽs *desiderantes uos*, vestram conuersionem, non vestra, *cupidè uolebamus tradere uobis non solùm Euangelium* Dei, *sed etiàm animas nostras*, vitas nostras pro vobis effundere: iàm retulit pericula vers. 2. *quoniàm charissimi nobis facti estis*; pro his enim vita non est in pretio. Charitatem hanc ostendit, dicens, *Memores enim estis fratres laboris nostri, & fatigationis*, quæ apparebant: *nocte, ac die operantes* pro victu, & vestitu nostro, *ne quem vestrum grauaremus*, & sic *prædicauimus in vobis*, intèr vos *Euangelium Dei*. *Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè, & iustè, & sinè querela*, neminem grauantes, *vobis, qui credidistis, fuimus: sicùt scitis, qualitèr unumquemque uestrum (sicùt Pater Filios suos) deprecantes uos, & consolantes, testificati sumus, ut ambularetis dignè* Deo, *qui uocauit uos in suum regnum, & gloriam*, in Ecclesiam suam, & in gloriam æternam, de qua 1. Cor. 2. 7. perseuerantes, vt grati essetis ei pro tanto beneficio. *Ideò & nos gratias agimus Deo sinè intermissione: quoniàm cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis*: nisi enim is operaretur, frustrà laborauemus; propretreà omnia Deo referenda, qui incrementum dat. 1. Cor. 3. *accepistis illud, non vt verbum hominum*, ab hominibus, *sed (sicùt est verè) verbum Dei, qui operatur in nobis, qui credidistis* fidem; nàm sinè fide impossibile est placere Deo. *uos enim* fide hac suffulti *imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu* stantium: *quia eadem passi estis & uos à contribulibus uestris, sicùt & ipsi* dictas Ecclesias constituentes *à Iudæis: qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas*, non ergò diabolus: ideò verba, si enim cognouissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. 1. Cor. 2. non ad dæmones, vt ibì dixi, sed ad Iudæos: *& nos persecuti sunt*; si me persecuti sunt, & vos persequentur, dixit Christus; *& Deo non placent*, illos non elegit Dominus, vel in eorum actibus, *& omnibus hominibus aduersantur*; ideò & ipsi omnium odium in se concitant, (deducit quomodò) *prohibentes nos Gentibus loqui* iuxtà mandatum Domini, *ut saluæ fiant*; hac de causa ad necem quærebatur Paulus, & insidias patiebatur, non causa pecuniarum, quas deferebat in Ierusalem, vt dixi in Act. Apost. *ut impleant peccata sua sempèr*; sic: implete mensuram patrum vestrorum; nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Genes. 15. recensui quæcumque fecit Amalech. 1. Reg. 15. *peruenit enim ira* Dei *supèr illos*, auferetur à vobis regnum, *usquè in finem* exclusiuè: nàm in fine reliquiæ Israel saluæ fient; nisi dicas, *usquè in finem*, vsquè ad internecionem, exterminium, referendo ad desolationem Ierusalem; ab hac eruit nos Christus suprà cap. 1. in fin. *Nos autèm fratres desolati*, disiuncti à *uobis ad tempus horæ, aspectu, non corde*, in quo sempèr vos habuimus, *abundantiùs*, plùs *festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio: quoniàm voluimus venire ad vos: ego quidèm Paulus, & semèl, & iterum*; is enim fuga lapsus Athenas secesserat. Act. 17. *sed impediuit nos Satanas*, timens regno suo, quod in malis retinet, & volens omnes perire, sicùt Act. 16. 6. 7. Spiritus sanctus, & Spiritus Iesu; sic vetitus Isaac ire in Aegyptum. Gen. 26. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ?* idest, in quo speremus proptèr Euangelium in vobis satum, in quo gaudeamus ad opus bonum, in quo reposita corona, merces. *Nonnè vos*, in quibus operati sumus, & quos conuertimus *antè Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius* ad iudicium, ad coronas dandas? *vos enim estis gloria nostra*, in quibus gloriamur, *& gaudium*, de quibus lætamur; sic & Phil. 2. 16.

CA-



CAPVT III.

1 *PROPTER quod non sustinentes amplius, placuit no-*
2 *bis remanere Athenis, solis: * & misimus Timotheum*
fratrem nostrum, & ministrum Dei *in Euangelio Chri-*
sti ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra:
3 ** vt nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim sci-*
4 *tis quòd in hoc positi sumus. * Nàm & cum apud vos es-*
semus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, si-
5 *cùt & factum est, & scitis. * Propterea & ego amplius non sustinens, misi ad*
cognoscendam fidem vestram: ne fortè tentauerit vos is, qui tentat, & inanis
6 *fiat labor noster. * Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annun-*
ciante nobis fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis
7 *bonam semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quoquè vos: * ideò conso-*
lati sumus fratres in vobis in omni necessitate, & tribulatione nostra per fidem
8 *uestram, * quoniàm nùnc uiuimus, si uos statis in Domino. * Quam enim gra-*
9 *tiarum actionem possumus* Deo *retribuere pro uobis in omni gaudio, quo gaude-*
10 *mus proptèr uos antè* Deum *nostrum, * nocte ac die abundantiùs orantes, ut ui-*
11 *deamus faciem uestram, & compleamus ea, quæ desunt fidei uestræ? * Ipse au-*
tèm Deus, & Pater noster, & Dominus *noster Iesus Christus dirigat uiam no-*
12 *stram ad uos. * Vos autèm Dominus multiplicet, & abundare faciat charita-*
13 *tem uestram in inuicèm, & in omnes, quemadmodum & nos in uobis: * ad con-*
firmanda corda uestra sinè querela in sanctitate, antè Deum, & Patrem no-
strum, in aduentu Domini *nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. Amen.*



ROPTER *quod* ob desiderium prædictũ, & alia, *non sustinentes amplius* sollicitudine ducti: ignorabat ergò quæ circà eos erant, & sic dicas quòd & per coniecturas agebat, & loquebatur. Coloss. 2. 5. vt ibi dixi: *placuit nobis remanere Athenis solis:* periclitabatur enim ad eos veniẽs: *& misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi*, ad hoc à Deo electum, *ad confirmandos, & exhortandos pro fide vestra* in vobis stabilienda, *vt nemo* vestrum *moueatur*, commoueatur *in tribulationibus istis* meis, ne in vobis pro his oriretur scandalum: *ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus* ad tribulationes subeundas; de Paulo, quanta oporteat pro nomine meo pati, & in Euangelijs patent dicta Christi Apostolis supèr persecutionibus, nec vobis est nouum. *Nàm & cum apud vos essemus, prædicebamus vobis*, ne scandalum pateremini *passuros nos tribulationes, sicùt & factum est, & scitis:* hæc enim prædicta vobis debent vos immunes reddere ab omni turbatione & scandalo. *Propterea & ego amplius non sustinens*, expectare non valens, *misi ad cognoscendam fidem vestram*, nempè an in ea perseueretis: *ne fortè tentauerit vos is, qui tentat*, diabolus, *&*

ina-

inanis fiat labor noster in conuersione vestra insumptus. *Nunc autèm veniente Timotheo ad nos à vobis, & annunciante nobis fidem, & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam sempèr, desiderantes nos videre, sicùt & nos quoquè vos* desideramus: *ideò consolati sumus fratres*, fideles *in vobis*, exemplum vestrum adducentes, *in omni necessitate, & tribulatione nostra per fidem vestram*, proptèr fidem vestram, *quoniàm nunc viuimus* læti, *si*, quia *vos statis in Domino*, in fide. *Quam enìm gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro uobis in omni gaudio*, proptèr omne gaudium, *quo gaudemus proptèr uos antè Deum nostrum, nocte, ac die abundantiùs*, plùs *orantes, ut uideamus*, detur nobis videre *faciem uestram, & compleamus ea, quæ desunt fidei uestræ?* quæ desunt perfectioni fidei vestræ per prædicationem implenda? prout Coloss. cap. 1. 24. *Ipse autèm Deus, & Pater noster*, addit *Pater* ob nimiam charitatem: nunquid non Pater tuus, qui fecit, & creauit te? *& Dominus noster Iesus Christus dirigat uiã nostram ad uos. Vos autèm Dominus multiplicet* in numero credẽtium, *& abundare faciat charitatem uestram in inuicèm, & in omnes*, quod est vinculum perfectionis, *quemadmodùm & nos in uobis: ad confirmanda corda uestra* perseuerantèr *sinè querela in sanctitate*, ità vt nemo possit quidquam obijcere *antè Deum, & Patrem nostrum in aduentu* ad iudicium *Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis* suis. Iudas in epist. *Amen*. At cum Silas, & Timotheus Berœæ remanserint. Act. 17. 14. & acceperint mandatum, vt ad Paulum celeritèr venirent. Act. 17. 15. & ipsi ad eum accesserint Corinthum. Act. 18. 5. videtur epistola Corinthio data, cum dicat, *nunc autèm veniente Timotheo ad nos* vers. 6. At quidquid sit de veritate, vbi scripta fuerit epistola, non censeo ex hoc firmari scriptam Corinthi; nàm si Corinthum accessit Timotheus Paulo vix appulso, non erat transactum tantum temporis, vt Paulus mittere debuisset ad cognoscendam eorum fidem, cum ab illis recentèr discessisset; vltrà quòd necessaria fuit remansio Silæ, & Timothei Berœæ, & discessio Pauli repentina. Act. 17. 14. vndè illa non fuit missio. Prætereà, Paulus mandauit eis per alios, vt citò ad eum redirent, quòd si misisset ipse illos Thessalonicam, per alios hæc mandata non iniunxisset. Insupèr, vt hic dicit, misit solùm Timotheum, & ipse cum Sila remansit, vel solus Athenis vers. 1. & 2. ergò non fuit missio, de qua hìc, quæ ex Athenis, cum ibi remanserint Silas, & Timotheus; quare dicendum de alio tempore sequenti, fortè dum Corinthi esset, vbi mansit per annum, & sex menses. Act. 18. 11. factam missionem Timothei, vel Athenis. Et vel Corinthi, vel Athenis, quò fortè redijt, cum ibi nihil passus dicatur, & Lucas non omnia descripsit, datam epistolam.

CAPVT IV.

1 *DE cætero ergò fratres rogamus vos, & obsecramus in Do-*
mino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis quomo-
dò oporteat vos ambulare & placere Deo, sic & ambu-
2 *letis, vt abundetis magis. * Scitis enim quæ præcepta de-*
3 *derim vobis per Dominum Iesum. * Hæc est enim vo-*
luntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à
4 *fornicatione, * vt sciat vnusquisque vestrum vas suum*
5 *possidere in sanctificatione, & honore: * non in passione desiderij, sicut & Gen-*

tes,

6 *tes, quæ ignorant Deum:* * *& ne quis supergrediatur, neque circumueniat in ne-*
gotio fratrem suum: quoniàm vindex est Dominus *de his omnibus, sicùt prædi-*
7 *ximus vobis, & testificati sumus.* * *non enim vocauit nos Deus in immundi-*
8 *tiam, sed in sanctificationem.* * *Itaquè qui hæc spernit, non hominem spernit,*
9 *sed* Deum, *qui etiàm dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* * De *charitate*
autèm fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo *di-*
10 *dicistis vt diligatis inuicèm.* * *Etenìm illud facitis in omnes fratres in vniuer-*
sa Macedonia. Rogamus autèm vos fratres vt abundetis magis, * *& operam*
11 *detis, vt quieti sitis, & ut uestrum negotium agatis,* * *& operemini manibus ue-*
stris, sicùt præcepimus uobis: & ut honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt: &
12 *nullius aliquid desideretis.* * *Nolumus autèm uos ignorare fratres, de dormien-*
13 *tibus, ut non contristemini sicùt & cæteri, qui spem non habent.* * *Si enim cre-*
dimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ità & Deus *eos, qui dormierunt*
14 *per Iesum, adducet cum eo.* * *Hoc enim uobis dicimus in uerbo* Domini, *quia*
nos qui uiuimus: qui residui sumus in aduentu Domini, *non præueniemus eos,*
15 *qui dormierunt.* * *Quoniàm ipse* Dominus *in iussu, & in uoce Archangeli, &*
in tuba Dei *descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.*
16 * Deindè *nos, qui uiuimus, qui relinquimur, simùl rapiemur cum illis in nu-*
17 *bibus obuiàm Christo in aera, & sic sempèr cum* Domino *erimus.* * *Itaquè*
consolamini inuicèm in uerbis istis.

DE *cætero ergò*, quod superest, *fratres, rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu*, per Dominum Iesum, *vt quemadmodum accepistis*, intellexistis *à nobis*, aliorum respuens falsas doctrinas, *quomodò oporteat vos ambulare* in via Domini, *& placere* Deo in actibus vestris, *sic & ambuletis vt abundetis magis* in gratia ipsius. *Scitis enìm quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum* data, non per me adinuenta. *Hæc est enìm voluntas* Dei, *sanctificatio vestra*, vt sancti sitis: *vt abstineatis vos à fornicatione*; de hac in omnibus epistolis, quia apud Gentiles non reputabatur peccatum, & erat frequens, & ideò in primo Concilio iussum, vt abstinerent à fornicatione. Act. 15. *ut sciat unusquisque uestrum uas suum*, corpus suum *possidere in sanctificatione*, sanctum, *& honore*, honestum: *non in passione desiderij* libidinosi, *sicùt & Gentes, quæ ignorant* Deum, ne contumelijs, & vituperio afficiatis corpora, luxuriantes. Rom. 1. *& ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum:* hoc enìm frequens erat apud Gentiles, & est contrà charitatem, & ius naturale, suadens non faciendum alijs, quod nobis nolumus. Nescio quomodò quidam dicat Paulum loqui hìc de vxoribus aliorum, & quomodò tenebris offundantur clara, cum de alio diuerso loquatur, & suprà non agat de vxoribus, sed de corpore proprio sub nomine vasis; intellige ergò proùt & 2. Cor. 7. 2. neminem circumuenimus, & 12. 17. 18. *quoniàm uindex est Dominus de his omnibus.* Rom. 1. Coloss. 3. 6. Ephes. 5. 6. *sicùt prædiximus uobis, & testificati sumus*, ità vt non possitis ea ignorare: *non enìm uocauit nos Deus in immunditiam*, (respicit hoc primum) *sed in sanctificationem*; in sanctitate, & iustitia coràm ipso. *Itaquè qui hæc spernit*, & in immunditiam declinat, *non hominem spernit, sed* Deum vocantem, & iubentem: *qui etiàm dedit Spiritum suum*

sanctum

sanctum in nobis, vt hæc enunciaremus; ideò quidquid dicimus, vel iubemus, ipso dictante facimus, & suprà dixit. *scitis quæ præcepta dederim uobis*. Vel, *qui etiàm dedit Spiritum suum sanctum in nobis*, vt hæc cognoscere, & perficere possimus, ne quis diceret, non possum hæc præstare: possumus enim omnia in eo, qui nos confortat, in charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; sufficit tibi Paule gratia mea, &c. *De charitate autèm fraternitatis* (hoc ad secundùm caput) *non necesse habemus scribere uobis: ipsi enìm uos à* Deo *didicistis, ut diligatis inuicèm*: id enìm Dominus sæpè inculcauit. *Etenìm & illud facitis in omnes fratres*, Christianos *in uniuersa Macedonia. Rogamus autèm uos fratres ut abundetis magis*, vt largiùs id faciatis (sermo est de eleemosyna) *& operam detis, ut quieti sitis* (hoc ad pacem, sinè qua omnia subuertuntur) vel non curiosi, *& ut uestrum negotium agatis*, non sitis otiosi; declarantur hæc. 2. Thes. 3. 8. 11. 12. *Et operemini manibus uestris, sicùt præcepimus uobis*; otium tentat abscindere: huic enìm dediti erant, & hac de causa ipse nocte, & die operabatur, vt exemplo suo ad laborem eos promoueret suprà cap. 1. 9. & 2. Thes. 3. 9. & seq. *& ut honestè ambuletis ad eos, qui forìs sunt*, Gentiles: *& nullius aliquid desideretis*, vt in decalogo. *Nolumus autèm vos ignorare fratres de dormientibus*, mortuis, qui dicuntur in Domino dormire, proùt de Stephano: obdormiuit in Domino, *vt non contristemini*, mœrore excessiuo afficiamini, *sicùt & cæteri, qui spem non habent* resurrectionis, quæ ex fide est. *Si enìm credimus quòd Iesus* caput, & primogenitus *mortuus est, & resurrexit* primitiæ dormientium: *ità & Deus eos, qui dormierunt per Iesum*, in quem crediderunt, *adducet cum eo*, vt vbi ipse est, & ipsi sint; Saluatorem expectamus, &c. Phil. 3. 21. *Hoc enìm vobis dicimus in verbo Domini* nobis facto, *quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini*, idest, qui viuent, & remanebunt, morituri tamèn propè aduentum Domini ad iudicium: nullus enim non gustaturus mortem, quam Christus ipse gustauit amaram, quia vel igne conflagraturo mundum, vel alio modo omnes morientur, & in cinerem redigentur, etiàm à principio defuncti, sed intelligit de his, qui in terris illi diei magis appropinquabunt viuentes, quasi parùm in sepulchro staturi habeantur pro viuis; facit ad prædicta, quia si Adam non peccasset, Deus viuum hominem ad gloriam prouexisset, sublato ergò statu illo ob peccatum, quomodò quis non moriturus, & absquè morte transferendus in cælum? *non præueniemus*, non præuenient in resurrectione *eos, qui dormierunt* in sæculis præteritis. *Quoniàm ipse Dominus* Iesus *in iussu suo, & in uoce*, seù ministerio *Archangeli, & in tuba* Dei operante, ex cuius mandato resonabit, & clanget, sic mysticè loquitur, *descendet de cælo* cum Angelis suis millibus in nube: *& mortui* boni (de reis enìm non agitur) *qui in Christo sunt*, Christo per fidem, & opera adhæserunt, perseuerauerunt in finem vsquè, *resurgent primi*, & sic omnes, tàm qui in sæculis præteritis, quàm qui propè diem iudicij. *Deindè nos qui uiuimus, qui relinquimur*, qui ex vltimis mortui erunt, iàm sic suscitati simùl, *simùl rapiemur*, rapientur *cum illis* primò mortuis *in nubibus obuiàm Christo* in terras descendenti *in aera*; hinc Paulus alibi, si quomodò occurram: occurramus in virum perfectum, &c. *& sic* & in iudicio, & *sempèr cum Domino erimus*, in gaudio Domini nostri. At aduertendum dum Apostolus distinguere videtur intèr primò, & vltimò mortuos, quasi primi illi surrecturi, deindè secundi, non hoc intendere, imò omnes simùl resurgent. 1. Cor. 15. & 51. ideò dicit, *non præueniemus*, idest, non præuenient, *& simùl rapiemur*, simùl rapientur, & omnes animæ beatæ in cælo erunt, & descendent corpora suscepturæ; ideò illud verbum (*deindè*) non importat ordinem, vel moram temporis, sed vnitatem, & coniunctionem ex his, quæ præcedunt, & sequuntur; Vel placuit Paulo, quia de primis mortuis, & secundis mortuis dixerat, ponere antè oculos resurrectionem vtrorumque ad intelligentiam, & capacitatem nostram, non quòd diuerso tempore hi, & illi resurrecturi, imò & rei simùl cū bonis resurgent; sicùt in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes viuifi-

viuificabuntur, & sic omnes resurgent in momento, in ictu oculi, &c. Vel vt dixi, refert dicta ad raptum, non ad resurrectionem, de qua in verbis præcedentibus. *Itaq; consolamini inuicèm in verbis istis*, & spe quæ in illis vobis datur.



CAPVT V.

1 *DE temporibus autèm, & momentis fratres non indigetis vt*
2 *scribamus vobis.* * *Ipsi enim diligentèr scitis quia dies Do-*
3 *mini sicùt fur in nocte, ità veniet.* * *cum enim dixerint,*
pax, & securitas: tùnc repentinus eis superueniet interitus,
4 *sicùt dolor in vtero habenti, & non effugient:* * *Vos autèm*
5 *fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tamquàm fur*
6 *comprehendat:* * *omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei:*
7 *non sumus noctis, nequè tenebrarum.* * *Igitur non dormiamus sicùt & cæteri, sed*
8 *vigilemus, & sobrij simus.* * *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij*
9 *sunt, nocte ebrij sunt.* * *Nos autèm, qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam*
10 *fidei, & charitatis, & galeam spem salutis:* * *quoniàm non posuit nos Deus in*
11 *iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum,* * *qui*
12 *mortuus est pro nobis: vt siuè vigilemus, siuè dormiamus, simùl cum illo viua-*
13 *mus.* * *Proptèr quod consolamini inuicèm: & ædificate alterutrum, sicùt & fa-*
14 *citis.* * *Rogamus autèm vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant intèr vos, &*
15 *præsunt vobis in Domino, & monent vos,* * *vt habeatis illos abundantiùs in*
16 *charitate proptèr opus illorum: pacem habete cum eis.* * *Rogamus autèm vos fra-*
17 *tres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes esto-*
18 *te ad omnes.* * *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed sempèr quod*
19 *bonum est sectamini in inuicèm, & in omnes.* * *Sempèr gaudete.* * *Sinè inter-*
20 *missione orate.* * *In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Chri-*
21 *sto Iesu in omnibus vobis.* * *Spiritum nolite extinguere.* * *Prophetias nolite sper-*
22 *nere.* * *Omnia autèm probate, quod bonum est tenete.* * *Ab omni specie mala ab-*
23 *stinete vos:* * *Ipse autèm Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spi-*
24 *ritus vester, & anima, & corpus sinè querela in aduentu Domini nostri Iesu*
25 *Christi seruetur.* * *Fidelis est, qui vocauit vos: qui etiàm faciet.* * *Fratres*
26 *orate pro nobis.* * *Salutate fratres omnes in osculo sancto.* * *Adiuro vos per* Do-
27 *minum vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* * *Gratia Domini no-*
28 *stri Iesu Christi vobiscum. Amen.*



E temporibus autèm, & momentis fratres, quandò scilicèt futurum iudicium, & resurrectio, *non indigetis, ut scribamus uobis. Ipsi enim diligètèr*, probè *scitis quia dies* Domini ad iudicium *sicut fur in nocte*, ex improuisò, *ità ueniet. cum enim dixerint pax, & securitas: tunc repentinus superueniet eis interitus, sicut dolor in utero habenti;* comparat sic, quia vel ex improuisò, vel quia necessariò contingit; *& non effugient*, quia non datur. dicebat Iob: vbì me abscondam? & Apoc. 6. dicent montibus, cadite supèr nos, &c. Vndè de his nil certi affirmare possumus, & Dominus euenturum dicit, proùt in diebus diluuij, & incendij Sodomorum. Luc. 17. Matth. 24. Censeo tamèn potiùs standum cum Daniele cap. 12. quàm cum Ezechiele cap. 39. circà tempus iudicij, pòst occisionē Antichristi, vt tenui in Apoc. *Vos autèm fratres non estis in tenebris* obcœcati, hæc non considerantes, vel ignorantes, *ut uos dies illa tanquàm fur comprehendat*, proùt in diebus Noe, & Lot: *Omnes enim uos filij lucis estis, & filij diei*, illuminati, & illustrati: *non sumus noctis, nequè tenebrarum;* non hic tenebrarum, dæmonum, sed ignorantiæ; hæc nos non prætereunt. *Igitur* hæc scientes *non dormiamus sicut & cæteri* hæc ignorantes, *sed uigilemus, & sobrij simus*, vt meliùs vigilemus; sic Christus, ne fortè grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ. Luc. 21. 3. *Qui enim dormiunt, nocte* ignorantiæ *dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte* ignorantiæ hæc non considerantes *ebrij sunt. Nos autèm, qui diei sumus*, illustrati scilicèt proùt in die, *sobrij simus, induti loricam fidei, & charitatis, & galeam spem salutis*, sic Eph. 6. 17. *quoniam non posuit nos* Deus *in iram*, imò ab ea nos eripuit suprà. cap. 1. in fin. *Sed in acquisitionem salutis per* Dominum *nostrum Iesum Christum* Saluatorem, *qui mortuus est pro nobis*, & eripuit nos sua morte ab ira ventura: *ut siuè uigilemus*, viuamus, *siuè dormiamus*, moriamur, *simùl cum illo uiuamus;* volo, Pater, vt vbì ego sum, illic sit & minister meus; salutem ergò vestram operemini, vt dicit Petrus; & operamini, dum venio, dicit Dominus. *Proptèr quod cōsolamini inuicèm* his suffulti: *& adificate*, stabilite *alterutrum, sicut & facitis. Rogamus autèm uos fratres ut noueritis eos, qui laborant* in Euangelio *intèr uos, & præsunt uobis in Domino*, qui sic disposuit, & elegit, *& monent uos* in fide, vel ad bonum, *ut habeatis*, tractetis *illos abundantiùs*, liberaliùs *in charitate*, quam eis ministratis, & eis debetur *proptèr opus illorum:* dignus est enim operarius mercede sua: pacem *habete cum eis* speciatim. *Rogamus autèm uos fratres*, qui alijs præestis, *corripite inquietos;* ideò suprà dixerat (quieti sitis) *consolamini pusillanimes*, abiectos, *suscipite infirmos, patientes estote ad omnes;* hæc omnia ad charitatem, & pacem. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed sempèr quod bonum est sectamini in inuicèm, & in omnes;* hæc ad iniurias remittendas. *Sempèr gaudete* in Domino. *Sinè intermissione orate* nunquàm deficientes. *In omnibus gratias agite* Deo: *hæc est enim uoluntas* Dei *in Christo Iesu*, per Christum Iesum *in omnibus vobis. Spiritum* gratiarum vobis communicatum *nolite extinguere. Prophetias nolite spernere*, quia hæ à Deo. 2. Pet. 1. *Omnia autèm probate: quod bonum est tenete*, amplectimini. *Ab omni spe mala* etiàm apparentèr *abstinete vos*, ne scandalizetis: *Ipse autèm Deus pacis sanctificet vos*, custodiat, segreget *vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sinè querela*, macula *in aduentu* Domini *nostri Iesu Christi* ad iudicium seruetur. *Fidelis est* Deus, verax, obseruans; fidelis Deus in omnibus verbis suis; vt iustificeris in sermonibus tuis; sic & 2. Thes. 3. 3. *Qui vocauit vos*, cœpit: *qui etiàm faciet*, perficiet. Philipp. 1. 6. & 2. 13. *Fratres orate pro nobis;* ferè sempèr aliorum orationibus se commendat. *Salutate fratres omnes in osculo sancto*, sic tùnc mos erat. *Adiuro uos per Dominum ut legatur epistola hac omnibus sanctis fratribus*, christianis. *Gratia Domini nostri Iesu Christi uobiscum* sit. Amen.


IN

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES SECVNDAM.

CAPVT PRIMVM.

1 *PAVLVS, & Siluanus, & Timotheus: Ecclesiæ*
Thessalonicensium in Deo Patre nostro, & Domino Ie-
2 *su Christo. * Gratia vobis, & pax à Deo Patre no-*
3 *stro, & Domino Iesu Christo. * Gratias agere debe-*
mus semper Deo pro vobis, fratres, ità vt dignum est,
quoniam supercrescit fides vestra, & abundat chari-
4 *tas vniuscuiusque vestrum in inuicem: * ità vt &*
nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesijs Dei, pro patientia vestra, & fide, &
5 *in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis * in exem-*
plum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimi-
6 *ni. * si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem ijs, qui vos tri-*
7 *bulant: * & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domi-*
8 *ni Iesu de cœlo cum Angelis virtutis eius, * in flamma ignis dantis vindi-*
ctam ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini
9 *nostri Iesu Christi. * qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, &*
10 *à gloria virtutis eius: * cum venerit glorificari in sanctis suis, & admira-*
bilis fieri in omnibus, qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum
11 *super vos in die illo. * In quo etiàm oramus semper pro vobis: vt dignetur*
vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis, &
12 *opus fidei in virtute, * vt clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vo-*
bis, & vos in illo secundùm gratiam Dei nostri, & Domini Iesu Christi.


AVLVS, *& Siluanus, & Timotheus: Ecclesiæ Thessalonicensium in* Deo *Patre nostro, & Domino Iesu Christo* congregatæ. *Gratia vobis, & pax à* Deo *patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias agere debemus semper* Deo *pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides uestra* apparentèr in operibus. *& abundat charitas uniuscuiusque uestrum in inuicèm: ita ut & nos ipsi in uobis gloriemur in* alijs *Ecclesijs* Dei, *pro patientia uestra, & fide, & in omnibus persecutionibus uestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum*, manifestationem *iusti iudicij Dei* sic permittentis, *ut digni habeamini in regno* Dei, ad regnum Dei assumi, *pro quo* Deo *& patimini. si tamen iustum est*, proùt est, *apud* Deum *retribuere* (eccè Iudicium Dei) *tribulationem ijs, qui uos tribulant*; mihi enim vindicta, & ego retribuam; & punit quemque in quo delinquit: *& uobis, qui tribulamini, requiem*, proùt in Lazaro, & Epulone, *nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cælo:* reuelatur enim ira Dei de cælo, & hoc magis terret. Rom. 1. 18. *cum Angelis uirtutis*, potentiæ *eius*, quandò veniet ad iudicium, *in flamma ignis* inferni *dantis uindictam ijs*, punientis eos, vindicantis se de ijs, *qui non nouerunt Deum*, nec Deum glorificauerunt. Rom. 1. *& qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi*, non adimplent eius præcepta, & sic duo seuera ponit, vnum infidelium, aliud fidelium inobseruantium. *qui pœnas dabunt in interitu*, in morte *æternas à facie* Domini irati, & potentis, & vlciscentis se, & suos, *& à gloria*, à maiestate *uirtutis eius*, eius potentiæ: *cùm uenerit*, proùt dixi, *glorificari*, gloriosus apparebit *sanctis suis*, quos ad gloriam euehet in animabus, & corporibus, *& admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt*, ob magna præmia, quæ largietur; hic de igne infernali, & punituro, non conflagraturo mundum: ideò subdit, *dantis uindictam: qui pœnas dabunt*. vide scripta. 1. Cor. 3. *quia creditum est testimonium nostrum super uos in die illo:* hoc enim certum apud vos, quia credidistis nobis de die illo, de quo egimus. *In quo*, in quam rem *etiàm oramus sempèr pro vobis: ut dignetur vos uocatione sua Deus noster* nedum, sed *& impleat*, adimpleat, perficiat perseuerantèr *omnem uoluntatem bonitatis*; bonam ab eo insertam, *& opus fidei in uirtute*, in potentia, in miraculis, *ut clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in uobis, & uos in illo*, sicùt suprà in genere vers. 10. *Secundùm gratiam* Dei *nostri, & Domini Iesu Christi*, à quibus hæc perficienda, & recognoscenda; nàm idem Paulus, gratia Dei sum id, quod sum.



CAPVT II.


1 OGAMVS *autèm vos fratres per aduentum Domi-*
ni nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum:
2 ** ut non citò moueamini à vestro sensu, neque terreami-*
ni, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per
epistolam tamquàm per nos missam, quasi instet dies Do-
3 *mini. * Nequis vos seducat ullo modo: quoniàm nisi*
venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo pecca-
4 *ti, filius perditionis, * qui aduersatur, & extollitur suprà omne, quod dicitur*
Deus,


Deus, aut quod colitur, ità vt templo Dei sedeat ostendens se tamquàm sit
5 *Deus. * Non retinetis, quod cum adhùc essem apud vos, hæc dicebam vobis?*
6 ** Et nùnc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore. * Nàm mysterium*
7 *iàm operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nùnc, teneat, donèc de medio fiat.*
8 ** Et tùnc reuelabitur ille iniquus, quem* Dominus *Iesus interficiet spiritu oris*
9 *sui, & destruet illustratione aduentus sui eum: cuius est aduentus secundùm*
10 *operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, * &*
in omni seductione iniquitatis ijs, qui pereunt: eo quod charitatem veritatis non
receperunt vt salui fierent. Ideò mittet illis Deus *operationem erroris vt cre-*
11 *dant mendacio, * vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consen-*
12 *serunt iniquitati. * Nos autèm debemus gratias agere* Deo *sempèr pro vobis fra-*
tres dilecti à Deo, *quòd elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione*
13 *spiritus, & in fide veritatis: * in qua & vocauit vos per Euangelium nostrum*
14 *in acquisitionem gloriæ* Domini *nostri Iesu Christi. * Itaquè fratres state: & te-*
nete traditiones, quas didicistis, siuè per sermonem, siuè per epistolam nostram.
15 ** Ipse autèm Dominus noster Iesus Christus, &* Deus *&* Pater *noster, qui di-*
16 *lexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, * exhor-*
tetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono.



OGAMVS *autèm vos fratres per aduentū Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum* dum venerit, de quibus. 1. Thess. 4. 12. & sup. cap. 1. *vt non citò moueamini à vestro sensu* primo bono, sed stetis firmi, *nequè terreamini, nequè per spiritum* malum, vel per dicentem ab Angelis (hi enim spiritus, seù substantiæ spirituales) sibi factam reuelationem, & hæc erat vna deceptio; ideò subdit: *Ne quis vos seducat vllo modo*, & idem documentum suggessit. Coloss. 2. 18. & Gal. 1. 8. in quibus locis dixi. *nequè per sermonem* pseudoapostolorum in humilitate, proùt Coloss. 2. 18. qui tentabant auertere corda conuersorum, *nequè per Epistolam tanquàm per nos missam:* has enim fingebant, vt deciperent; ideò Gal. 2. 18. si enim quæ destruxi, hæc ædifico, præuaricatorem me constituo; & cap. 4. 11. ego si circuncisionem adhùc prędico, quid adhùc persecutionem patior? *quasi instet dies Domini*, iudicium. Non ergò potest dici in prima epistola ad Thess. Apostolum dixisse diem Domini instare, cum Apostolus id excludat, dicens: *nequè per epistolam, &c.* præsertìm quia meminit se illis hæc dixisse infrà 5. 6. 14. *Ne quis vos seducat ullo modo* à veritate ab eo, quod audistis à me infrà 5. & à vestro bono sensu: *Quoniam nisi uenerit discessio primùm*, antè à fide: in nouissimis enim diebus instabunt tempora periculosa, &c. 2. Timot. 3. & 4. 1. 2. & seq. & quoniàm abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Matth. 24. 12. & in nouissimis temporibus discedent quidam à fide. 1. Timot. 4. 1. venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, &c. 2. Petr. 3. 3. Iudas vers. 18. diabolus enìm soluetur. Apoc. 12. 12. & 20. 3. 4. & hæc discessio auctore Antichristo fiet; & Christus Luc. 18. 7. veruntamèn Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? tanta erit discessio à fide, etsi sit hæc hyperboles; & quia non est venturus nisi ad iudicium, intelligit de illo tempore iudicium præcedente, quod erit tempus Antichristi, & cum Christus dicat de fide, videtur explicitus, & clarus hic locus. Nec potest intelligi discessio à Romano imperio, quia Roma destruetur à decē Regibus Antichristi.

tichristi. Apoc. 13. 5. Daniel. 12. *& reuelatus fuerit homo* procreandus, vt alij generantur communitèr: ad quid enim aliud excogitatur? ex genere Hebræorum, quia aliàs ab Hebræis non reciperetur, vt dixit Christus, si alius venerit in nomine meo, illum recipietis. Ioan. 5. 43. at de qua tribu, diuinare est. *peccati*, scelestissimus peccatorum, *filius perditionis*, filius perditus, *qui aduersatur* Deo, & Christo, *& extollitur* superbiens *suprà omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*, quod pro Deo adoratur, & habetur, *ità ut in templo Dei* Ierosolymitano ædificando, seù in Ecclesia alia *sedeat* præsidens *ostendens se tanquàm sit Deus*. Daniel. 11. 36. 37. ex caractere, & signis mendacibus, vt infrà, subintellige non erit dies Domini, iudicium. *Non retinetis* memoriæ *quòd cum adhùc essem apud uos, hæc dicebam uobis?* quarè tàm citò memoria exciderunt? *Et nunc quid detineat scitis*: illud enim est, *ut reueletur in suo tempore*, quod pater posuit in sua potestate, quod nondum aduenit. At non putetis, quia ille nondum aduenit, non esse locum iniquitatibus, versutijs, deceptionibus. *Nam mysterium iàm operatur iniquitatis* absconditus ille Antichristus, cum nondum venerit, seù Satanas loco illius secundùm eiusdem operationem. Antichristus operaturus nuncupatur mysterium, quia secretò per cuniculos decipit sub hoc nomine, *mysterium;* & mulier illa Apocalyp. 17. vult dicere, illud nùnc mysterium, secretum, iniquitatis, iniquum reuelandum suo tempore iàm operatur, non otiatur intenim; sic Ioannes in epistolis dicit multos esse Antichristos, seductores; operatur autèm iàm ex persuasione, & suspicione intèr vos sata, & orta finem mundi instare, qua vos perturbemini, & moueamini à fide, vel in genere occultas iniquitates machinatur, seù operari facit à pseudoapostolis, & alijs hominibus malis: cum enim præsens, & reuelatus fuerit Antichristus, tùnc palàm, & publicè & frōte meretricia operabitur; ideò nùnc mysterium. *Tantùm* aduertendum *ut qui tenet nùnc* fidem antè Antichristi aduentum, vndè capit totum tempus intermedium, *teneat*, non moueatur citò, vt suprà vers. 2. non vacillet, *donèc de medio fiat*, donèc moriatur, discedat è vita; qui enim perseuerauerit vsquè in finē, hic saluus erit; ideò c. 3. facitis, & facietis; hoc conforme dictis infrà pòst Antichristi aduentum *in omni seductione iniquitatis*; sic Apoc. 2. 13. 14. 15. 25. & 3. 3. 11. tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam; & Heb. 4. 14. teneamus confessionem; & cap. 10. 23. & 1. Cor. 15. si tenetis; & 1. Io. 2. 5. 6. 14. 24. 26. idem in verbo permaneat, & maneat, permanserit; & Gal. 2. & veritas Euangelij permaneat apud vos; & Coloss. 1. 22. si tamèn permanetis in fide fundati & stabiles, &c. & 2. Thes. 2. 14. state, & tenete traditiones, &c. & 1. Cor. 2. præcepta mea tenete; 2. Io. 9. qui permanet; & Coloss. 1. 23. si tamèn permanetis in fide, & in omnibus epistolis Paulus, & alij Apostoli sempèr aduertunt eos, ad quos scribunt, ne seducantur, ne vacillent, & hìc Paulus nil aliud intendit. De Nerone, vel Imperio Romano hìc nihil, tùm quia non aptantur verba, & intrat diuinatio, tùm quia Paulus nondum Romæ fuerat, & fortè Nero nondum regnabat; & Thessalonicenses fuerunt primitiæ credentium infrà vers. 12. vndè cessat, quòd obscurè locutus sit, ne suspectus fieret principi, nedum quòd Nero mouisset persecutionem cōtrà Christianos, quoniàm nec pòst aliquot annos Imperij sui. Roma subuertenda tempore Antichristi, vel circà, non antè ex cap. 17. Apoc. at non ob rebellionem à summo Pontifice; vel alia mala, vt tenui in Apoc. *Et tùnc* cùm venerit discessio à fide *reuelabitur:* ideò suprà (*mysterium* absconditum) *ille iniquus* Antichristus, *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*, virtute, potestate, iussu suo. Isa. 11. *& destruet*, pessumdabit *illustratione aduentus sui eum* in gloria, & maiestate: veniet enim contrà eum pugnaturus. Apoc. 19. & quomodò moriturus in Apoc. morte pessima, *& insolita, proùt de* Chore, & Abiron. Num. 16. 19. *cuius* Antichristi *est aduentus secundùm operationem Satanæ*. Apoc. 13. 4. vndè Christus: vos ex patre diabolo estis, & opera eius facitis; *in omni virtute*, potentia, *& signis, & prodigijs mendacibus*, falsis. Apoc. 13. 3. 13. talia enim videbuntur, sed non erunt, *& in omni seductione iniquitatis*,

tis, ad iniquitatem. Apoc. 13. 14. *ijs*, *qui pereunt*, malis: *eò quòd charitatem veritatis*, veram *non receperunt* non perfecerunt opera bona, *vt salui fierent*. *Ideò mittet*, permittet *Deus* immitti *illis*, in illos *operationem erroris*, opera erronea ad errorem, & falsitatem inducentia. Roman. 1. proùt Achab. 3. Reg. vlt. *vt credant mendacio*, postquàm viam veritatis non sunt amplexati, proùt primi parentes non credentes Deo veraci, sed dæmoni decipienti, & mendaci. Gen. 3. *vt iudicentur*, condemnentur *omnes*, *qui non crediderunt veritati*, qui non receperunt veritatem, *sed consenserunt iniquitati*, operibus malis. meliùs hìc de veritate, quàm de Christo: sic enìm respondet alijs verbis *in omni seductione;* sic infrà cap. 3. 5. in omni charitate Dei, & patientia Christi, & si de Christo intelligis, & verbum, *mendacio*, de Antichristo intellige. *Nos autèm debemus gratias agere Deo sempèr pro vobis fratres dilecti à Deo:* ipse enìm prior dilexit nos: *quòd elegerit* ex sua misericordia, & pura gratia *vos Deus primitias:* fuerunt enìm intèr primos conuersi, *in salutem*, ad saluandum nos, *in sanctificatione spiritus* vestri; in sanctitate, & iustitia coràm ipso; *& in fide ueritatis*, qua iustificamur. Rom. 5. *in qua* fide *& uocauit uos per Euangelium nostrum* vobis prædicatum *in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi:* ad eius enìm gloriam conuersio fidelium tendit; sic suprà cap. 1. 10. 12. *Itaquè fratres state* suprà vers. 2. *ut non citò moueamini;* & 7. *qui tenet nunc, teneat, &c. & tenete traditiones, quas didicistis, siuè per sermonem, siuè per epistolam nostram*. *Ipse autèm* Dominus *noster Iesus Christus, & Deus, & Pater noster, qui dilexit nos & dedit consolationem æternam*, nunquàm deficientem, in æternum mansuram, *& spem bonam in gratia*, ex mera sua gratia: ab eo enìm omne bonum: *exhortetur*, consoletur *corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono* peragendo: sinè ipso enìm nec aliquid boni cogitare possumus.




CAPVT III.



1 *E cætero fratres orate pro nobis vt sermo Dei currat, &*
2 *clarificetur, sicùt & apud vos: * & vt liberemur ab*
importunis, & malis hominibus: non enìm omnium est
3 *fides. * Fidelis autèm Deus est, qui confirmabit vos,*
4 *& custodiet à malo. * Confidimus autèm de vobis, in*
Domino, quoniàm quæ præcipimus, & facitis, & facie-
5 *tis. * Dominus autèm dirigat corda vestra in charita-*
6 *te Dei, & patientia Christi. * Denunciamus autèm vo-*
bis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni
fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperunt
7 *à nobis. * Ipsi enìm scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniàm non in-*
8 *quieti fuimus intèr vos: * nequè gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in*
labore, & in fatigatione noctè & die operantes, ne quem vestrum grauaremus.
9 ** Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus*
10 *vobis ad imitandum nos. * Nàm & cum essemus apud vos, hoc denunciaba-*
11 *mus vobis: quoniàm si quis non vult operari, nec manducet. * Audiuimus enìm*

intèr

12 *intèr vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes.* * *Iis autèm, qui eiusmodi sunt denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Chri-*
13 *sto, vt cum silentio operantes, suum panem manducent.* * *Vos autèm fratres*
14 *nolite deficere benefacientes.* * *Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam,*
15 *hunc notate, & ne commisceamini cum illo vt confundatur:* * *& nolite quasi*
16 *inimicum existimare, sed corripite vt fratrem.* * *Ipse autèm Dominus pacis det*
17 *vobis pacem sempiternam in omni loco.* Dominus *sit cum omnibus vobis.* * *Sa-*
18 *lutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola. ità scribo.* * *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.*



E catero fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, illustre fiat, acceptetur, *sicùt & apud nos;* sic suprà cap. 2.17. ad Eph. 6. 19. Coloss. 4. 3. *& vt liberemur ab importunis, & malis hominibus*, fortè Iudæis impedientibus ne prædicaret Gentibus: *non enim omnium est fides*, sed quotquot præordinati sunt ad vitam æternam. Act. 13. 48. ideò vult dicere à Deo hoc impetrandum; vel meliùs, *non omnium est fides*, non omnes homines fideles, non omnibus fidendum, multi deceptores, illusores, presertìm quia subdit ex opposito. *Fidelis autèm Deus, &c. Confidimus autèm de vobis in Domino, quoniàm quæ præcipimus, & facitis, & facietis*; hoc seruit ad magìs inflammandos illos. *Dominus autèm dirigat corda vestra* ad omnia *in charitate Dei, & patientia Christi*, vt omnia operemini in charitate more Dei, & in patientia, proùt Christus. *Denunciamus autèm vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis*; hoc dicit, ne inficiantur ex conuersatione malorũ, quod repetit infrà vers. 14. *Ipsi enìm scitis quemadmodum oporteat imitari nos* secundùm Deum ambulantes: *quoniàm non inquieti fuimus*, molesti *intèr vos:* (declarat magìs) *neque gratìs*, sinè labore *panem manducauimus ab aliquo* datum, *sed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus* in victu, & vestitu nostro. *Non quasi non habuerimus potestatem* grauandi vos in his: quasi, illam habebamus, *sed* id fecimus, *vt nosmetipsos formam*, exemplum *daremus vobis ad imitandum nos* in labore, & in non grauando alios (erant fortè hi pigri, & otiosi.) *Nàm & cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniàm si quis non vult operari, nec manducet*. hoc ad euangelizantes, & operarios. *Audiuimus enìm intèr uos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes;* his inquietis opposuit se quietum suprà. *Iis autèm, qui eiusmodi sunt*, inquieti scilicèt, *denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio*, quiete *operantes, suum panem manducent*, non aliorum. *Vos autèm fratres nolite deficere benefacientes*; nàm qui perseuerauerit vsquè in finem, hic saluus erit. *Quòd si quis horum non obedit verbo nostro per epistolam*, manifestè *hunc notate, & ne commisceamini cum illo vt confundatur* sic derelictus: *& nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem*; sic & Gal. 6. 1. *Ipse autèm* Dominus *pacis det uobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus uobis. Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola. ità scribo*; hoc ne epistolæ falsæ redderentur. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis. Amen.*

IN EPISTOLAM
AD TIMOTHEVM
PRIMAM.

CAPVT PRIMVM.



1 PAVLVS Apostolus Iesu Christi secundùm imperium
2 Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ: * Ti-
motheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia, & pax
3 à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro. * Sicùt ro-
gaui te vt remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam,
4 vt denunciares quibusdam ne alitèr docerent, * nequè in-
tenderent fabulis, & genealogijs interminatis: quæ quæ-
5 stiones præstant magis quàm ædificationem Dei, quæ est in fide. * Finis autèm
6 præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. * A
7 quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, * volentes esse legis
doctores, non intelligentes nequè quæ loquuntur, nequè de quibus affirmant.
8 * Scimus autèm quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur: * sciens hoc quia
9 lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis, & impijs, & peccatoribus,
10 sceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, * fornicarijs,
masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, & periuris, & si quid
11 aliud sanæ doctrinæ aduersatur, * quæ est secundùm Euangelium gloriæ beati
12 Dei, quod creditum est mihi. * Gratias ago ei, qui me confortauit Christo Iesu
13 Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio: * qui priùs
blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei conse-
14 cutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. * Superabundauit autèm gratia
15 Domini nostri cum fide, & dilectione, quæ est in Christo Iesu. * Fidelis sermo,
& omni acceptione dignus: quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccato-
16 res saluos facere, quorum primus ego sum: * Sed ideò misericordiam consecutus
sum: vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informa-
17 tionem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. * Regi autèm seculo-
rum immortali, inuisibili, soli Deo honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

* Hoc

18 * *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundùm præcedentes in te pro-*
19 *phetias, vt milites in illis bonam militiam, * habens fidem, & bonam con-*
20 *scientiam, quam quidam repellentes, circà fidem naufragauerunt: * ex quibus*
est Hymenæus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, vt discant non bla-
sphemare.



AVLVS Apostolus Iesu Christi, non à se, sed *secùdùm imperium Dei Saluatoris nostri*. Act. 9. *& Christi Iesu spei nostræ*, qui est spes omnium fidelium, in quo solo sperandum, quia ab ipso solo salus. *Timotheo dilecto filio*, non carnali, sed spirituali *in fide*, qua illum imbuerat. *Gratia, misericordia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro* sit. *Sicùt rogaui te vt remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam*, quod fuit dum Ephesо discessit. Act. 19. in fin. & 20. in princip. *vt denunciares* præcipiendo *quibusdam ne aliter docerent*, quàm deceret, & quàm à nobis audissent, *neque intenderent fabulis, & genealogijs interminatis*, nunquàm finem habentibus: *quæ quæstiones præstant magis*, à quibus abstinendum, *quàm ædificationem* Dei, *quæ est in fide*: hoc enim fundamentum; hi erant iudaizantes; quæ autèm essent fabulæ, & genealogiæ, incertum; at versabantur omnia circà legalia, proùt ferè in omnibus Epistolis, & in Actis, quia subdit; *volentes esse legis Doctores*: &, *scimus autèm quia bona est lex*; & verba Doctores, non discipulos respiciunt. *Finis autèm præcepti est charitas*, finis legis Euangelicæ est charitas *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*, de qua fide & præmisit; sic alibi: plenitudo legis est dilectio; in his duobus præceptis, dilectionis Dei, & proximi, vniuersa lex pendet, & Prophetæ; sed charitatem vult sinceram. *Scimus autèm quia bona est lex, si quis ea legitimè utatur*: sciens tu *hoc quia lex iusto* credenti in Christum *non est posita*, non est iussa eius obseruatio: iustus enim est sibi lex. Rom. 2. 14. *sed iniustis*, quorum aliquos numerat, & deindè omnes comprehendens, *& si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur*, *quæ* doctrina sana *est secundùm Euangelium gloriæ*, gloriosum, vel gloriam promittens *beati* Dei, *quod creditum est mihi* à Deo, & Iesu, vt suprà in princip. *Gratias ago ei* Deo, *qui me confortauit Christo Iesu Domino nostro*, me reddidit potentem, aptum; sic & dictum in Ioanne in Euangelijs: puer confortabatur spiritu; & in eo qui me cõfortat, dicit Paulus: *Quia fidelem*, fidũ me *existimauit, ponens me in ministerio* Euangelij: *qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus*. Act. 8. *sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* positus. *Superabundauit autèm* in me *gratia Domini nostri cum fide*, qua fuit iustificatus, *& dilectione, quæ est in Christo Iesu*; denotat excessum gratiæ in eum collatæ. *Fidelis sermo* sic impletus, *& omni exceptione dignus: quòd Christus Iesus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere*, (eccè opus Christi) *quorum primus ego sum*, qui priùs fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus. vers. 13. proùt & ad Galat. 1. 13. quoniàm suprà modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & sic seipsum, non alios respicit, & considerat: quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? 1. Cor. 2. 11. *Sed ideò misericordiam consecutus sum: ut in me primò*, principalitèr *ostenderet Christus Iesus omnem potentiam*, & Rom. 13. 26. in sustentatione Dei; *ad informationem eorum, qui credituri sunt illi*, recepturiquè *uitam æternam. Regi autèm sæculorum immortali, inuisibili*; sic, inuisibilem infrà Hebr. 11. 28. & Deum sæculorum. Tob. 13. 12. *soli Deo hon[or], & gloria in sæcula sæculorum. Amen*. Reddit gratias Deo de tanta in eum misericordia. *Hoc præceptum* seruandum, & publicandum, scilicèt Deum venisse peccatores saluaturum, *commendo tibi fili Timothee*,


thee, *secundùm præcedentes*, antiquas *in te*, tibi notas *prophetias*, quas nunc constat hæc prædixisse, & adimpletas esse; id dicit, quia multi iuxtà Ioannem in Epistolis negabant Christum venisse, non iuxtà fabulas, vel genealogias retenta fide, & bona conscientia; *vt milites in illis* explicandis *bonam militiam*, ità vt edoceantur homines Christum venisse, nec alium expectandum, vel similia euangelica, non autèm prophetias in illo promouendo ad Apostolatum: nàm dixisset aliquid apertius, & de Spiritu sancto, vt etiàm dixi infrà cap.4. 14. proùt & 2. Timot. 1. admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quę est in te per impositionem manuum mearum. Vel, *hoc præceptum commendo tibi* charitatis, de quo suprà, vbì & de fide, & bona conscientia, proùt hìc, *habens fidem, & bonam conscientiam* supèr his; *quam* bonam conscientiam *quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt:* mala enim conscientia demerguntur in profundum malorum: *ex quibus est Hymeneus, & Alexander* incerti: *quos tradidi Satanæ*, proùt Corinthium illum, *vt discant non blasphemare*, eccè cur corrigantur, & scopus censurarum.



CAPVT II.


1 *OBSECRO igitur primùm omnium fieri obsecrationes,*
orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus
2 *hominibus:* * *pro regibus, & omnibus, qui in sublimita-*
te sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in
3 *omni pietate, & castitate.* * *Hoc enim bonum est, &*
4 *acceptum coràm Saluatore nostro Deo, qui omnes homi-*
nes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis veni-
5 *re.* * *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus*
6 *Iesus:* * *qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus, testimonium tempori-*
7 *bus suis:* * *in quo positus sum ego prædicator, & Apostolus (veritatem dico,*
8 *non mentior) doctor Gentium in fide, & veritate.* * *Volo ergò viros orare in*
9 *omni loco, leuantes puras manus sinè ira, & disceptatione.* * *Similitèr & mu-*
lieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non in
10 *tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa:* * *sed quod de-*
11 *cet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* * *Mulier in silentio discat*
12 *cum omni subiectione.* * *Docere autèm mulieri non permitto, nequè dominari in*
13 *virum: sed esse in silentio.* * *Adam enim primus formatus est: deindè Eua.*
14 * *Et Adam non est seductus: mulier autèm seducta in præuaricatione fuit.*
15 * *Saluabitur autèm per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dile-*
ctione, & sanctificatione cum sobrietate.

OBSE-



BSECRO *igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus* speciatìm, *& omnibus, qui in sublimitate sunt:* hi enìm magìs indigent, *vt quietam, & tranquillam vitam agamus* simùl, quia quieti, & tranquilli, seù pacifici magìs spiritualibus incumbemus; agit de publica oratione hìc; *in omni pietate*, cultu Dei, *& castitate*, de hac & infrà cap. 4. 12. contrà eam enìm maximè peccabatur; ideò sempèr de hac in omnibus epistolis: *hoc enìm bonum est, & acceptum*, vt fiant obsecrationes, & alia prædicta *coràm Saluatore nostro Deo, qui* mandauit vnicuique de proximo suo, & *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire;* ideò placet ei oratio pro omnibus. *Vnus enim Deus* omnium, ergò omnes vult saluos, *vnus & mediator Dei & hominum* omnium tàm Iudæi, quàm Græci *homo Christus Iesus*, quà homo, ergò clarè mediator ex verbis Apostoli, sed in supposito diuino, qui vult omnes saluos; & si vnus, excluduntur alij, vt dixi supèr verbis: in manu mediatoris. Galat. 3. 13. & quomodò ibì Angelus mediator tradens legem, si in eo actu Deum repræsentabat? & si postquàm dixit data per Angelos, subdit quid diuersum in manu mediatoris. Et quòd velit omnes saluos, apparet: *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Dixerat placere Deo orationem fieri pro omnibus, subdiderat, *quia vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, probat, quia *vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, ergò ex parte sua perfecit mediator quod suum erat, & sic Deus sufficientèr prouidit pro omnibus, & hoc modo vult omnes homines saluos fieri: est enim Christus lux illuminans omnem hominem, &c. & dedit eis potestatem filios Dei fieri; at ex parte hominum: quotquot receperunt eum, &c. *testimonium temporibus suis*, dedit scilicèt, clarè ostendendo se Deum, & hominem verum, & vnicum mediatorem ex scripturis, testibus, operibus tempore sibi placito, similibus verbis, *temporibus suis*, vsus est ad Tit. 1. 3. frustrà enìm venisset, nisi & se talem demostrasset, vt dixi in baptismo Christi in Euangelijs supèr verbis (sine modò, decet nos implere omnem iustitiam:) *in quo* testimonio dando *positus sum & ego prædicator, & Apostolus (veritatem dico, non mentior.)* Hebraismus est; sic: confessus est, & non negauit, & confessus est, &c. Ioan. 1. hoc interponit, quia magna de se dicebat, vt credantur; *doctor Gentium*. Acto. 9. Galat. 2. 8. *in fide, & veritate*, vt fidelis sim, & vera enuntiem; sic suprà cap. 1. 12. & seq. quod proprium est doctoris. *Volo ergò* ego, cui ministerium tale creditum ex potestate mihi iniuncta, *viros orare in omni loco*, non in templo Ierosolymitano solo iuxtà Christum cum Samaritana. Ioan. 4. 21. *Leuantes puras manus;* eleuatio manuum signum innocentiæ. Genes. 14. 22. leuo manum meam, &c. vltrà alia, *sine ira, & disceptatione*, idest, discordia, cum charitate, proùt suprà vers. 3. sic Christus: si offers munus tuum, &c. *Similitèr & mulieres in habitu ornato*, compto, *cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa: sed quòd decet mulieres promittentes pietatem per opera bona*, proùt illa, quæ operata est consilio manuum suarum. Prouerb. 31. 13. non per huiusmodi vanitates, de quibus & 1. Pet. 3. *Mulier in silentio discat cum omni subiectione*. Genes. 3. *Docere autèm mulieri non permitto, neque dominari in virum: sed esse in silentio*. 1. Cor. 11. & 14. 34. duplici enim ex causa non potest mulier dominari, prima, ex creatione: *Adam enim primus formatus est: deindè Eua*. Genes. 1. & 2. Secunda, ex peccato: *& Adam non est seductus* à serpente, qui eum attingere non præsumpsit: *mulièr autèm seducta in præuaricatione fuit;* Vndè Deus dixit illi: sub viri potestate eris. Genes. 3. Hinc colligitur, quòd quia homo prior, & mulier est facilis seductionis, & posset quaquauersum trahi in doctrina, propterea non debet docere


cere publicè: priuatìm enim poteſt. Tit. 2. ſed quomodò non ſeductus Adam? clarum, quia peccauit ſcientèr præferens vxorem Deo: ſeductio enim præſupponit quandam ignorantiam, quæ in eo non fuit; vndè Deus. Geneſ. 2. 17. quia audiſti vocem vxoris tuæ, vt ibì latiùs dixi. *Saluabitur autem* nupta: de hac enim ſermo, non de virginibus, vel viduis; nàm præmiſerat de coniugibus, Adam & Eua, ideò idem thema retinet: aliæ enim ſaluantur alio modo, imò hìc potiùs dat documentum nuptis non applicabile alijs, & his verbis occurrit Apoſtolus nuptias prohibituris infrà cap. 4. *Per filiorum generationem*, ob quam nubat in Domino: vult dicere, ſicùt officium viri docere, & non mulieris, ità mulierum filiorum generationi incumbere, ideò ſubdit quæ ad ſalutem, *ſi* tamèn *permanſerit in fide*, fidelis viro, *& dilectione* viri, *& ſanctificatione cum ſobrietate*, non quaſi equus, & mulus iuxtà Angelum Raphaelem, ad quem fortè Apoſtolus idem, quod ſuprà dixit, *cum verecundia*, *& ſobrietate*, in quo officio ſaluabitur. Sed cur ſaluabitur per filiorum generationem? dic, per ærumnas, dolores, anguſtias, quas patietur in filiorum generatione: hæc enim patientèr ferendo, quæ ſunt ei à Deo impoſita. Geneſ. 3. 16. ſeruient ei ad coronam, ad ſalutem; vndè collige, pœnas illas mulieri datas Deum patientèr ferenti ad gloriã immutaſſe, proùt & Adamo labores, & mortẽ, & hæc ex magna Dei miſericordia, qui nouit & de malo elicere bonum, & mala in bonum conuertere, & eſt regulare Dei ex noſtris tribulationibus patientèr ſumptis nos coronare.



CAPVT III.

1 *FIDELIS ſermo: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bo-*
2 *num opus deſiderat. * Oportet ergò Epiſcopum irreprehen-*
ſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem,
3 *ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, * non vino-*
lentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum,
4 *non cupidum, ſed * ſuæ domui benè præpoſitum: filios ha-*
5 *bentem ſubditos cum omni caſtitate. * Si quis autèm do-*
6 *mui ſuæ præeſſe neſcit, quomodò Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? * Non neo-*
7 *phytum: ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. * Oportet autèm*
illum & teſtimonium habere bonum ab ijs, qui forìs ſunt, vt non in opprobrium
8 *incidat, & in laqueum diaboli. ** Diaconos *ſimilitèr pudicos, non bilingues,*
9 *non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes: * habentes myſterium fidei*
10 *in conſcientia pura. * Et hi autèm probentur primùm: & ſic miniſtrent, nul-*
11 *lum crimen habentes. * Mulieres ſimilitèr pudicas, non detrahentes, ſobrias,*
12 *fideles in omnibus. ** Diaconi *ſint vnius vxoris viri: qui filijs ſuis benè præſint,*
13 *& ſuis domibus. * Qui enìm benè miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acqui-*
14 *rent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu. * Hæc tibi ſcribo,*
15 *ſperans me ad te venire citò. * Si autèm tardauero, vt ſcias quomodò oporteat*
te in domo Dei *conuerſari, quæ eſt Eccleſia* Dei *viui, columna & firmamen-*
16 *tum veritatis. * Et manifeſtè magnum eſt pietatis* Sacramentum, *quod ma-*

nifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.



IDELIS *sermo*, tutus, & acceptabilis: *Si quis Episcopatum*, superintendentiæ onus *desiderat* vt laboret, *bonum opus desiderat* in suo genere, sed his ornatus esse debet illum optãs. *Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse*, vt nullo modo notari possit, ne alios castigare volenti dicatur, eodem vitio aspersus es *vnius vxoris*, non plurium *virum*, quasi ex pluralitate incontinentia arguatur, *sobrium*, vt vigilet, *prudentem*, omnia rectè disponentem, *ornatum* moribus, & virtutibus, *pudicum:* quomodò enim alitèr tractaret sacra? *hospitalem*, hanc virtutem commendat Paulus. Hebr. 13. 2. *Doctorem:* populum enim docere tenetur, *non vinolentum;* in alijs id exigit Paulus dicens: & nolite inebriari, impleri vino, in quo est luxuria, quantò magis in Episcopo? *non percussorem:* est enim indecens, *sed modestum*, iram frœnantem, mitem: *non litigiosum:* quælibet enim discordia abesse debet, *non cupidum*, auarum: *sed suæ domui benè præpositum*, expertum in regimine: *Filios habentem subditos cum omni castitate;* ex subiunctis docet, in quo velit eum benè præesse domui suæ. *Si quis autèm domui suæ*, quod est quid minus, *præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* in qua maior numerus, maius ministerium. *Non neophytum*, nouitium in fide. *ne in superbiam elatus in iudicium*, condemnationem *incidat diaboli* ex eadem superbia è cælo detracti. *Oportet autèm illum & testimonium bonum habere ab ijs, qui forìs sunt*, ab infidelibus, apud quos versatus, *vt non in opprobrium incidat*, vituperetur, *& in laqueum diaboli* tentantis, & circuientis quem deuoret, si in enumeratis deficiat. *Diaconos similitèr* oportet *esse pudicos;* sempèr hanc pudicitiam inculcat, quia frequentèr contrà eam peccabatur, *non bilingues*, varia, & contraria referendo, *non multo vino deditos*, non se implentes vino, *non turpe lucrum sectantes* in eorum ministerio: *habentes*, scientes, tenentes *mysterium*, secretum, Sacramentum *fidei in conscientia pura* absq; macula. *Et hi autèm probentur primùm: & sic ministrent, nullum crimen habentes*, si ab omni crimine liberi reperti fuerint. *Diaconos*, hi primò mensarũ ministri, posteà etiàm ad munia Ecclesiastica, & spiritualia admissi, vt Act. 6. dixi. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura*, possidentes in promptu mysterium fidei, Sacramentum fidei, occulta fidei in conscientia pura, quod declarat infrà, *nullum crimen habentes*, vt possint illud alijs communicare; hìnc subdit quòd *probentur primùm*, an scilicèt possideant mysterium fidei, ea, quæ ad cathechizandos spectant, & circà mores, *& sic ministrent, nullum crimen habentes*. Non credo hìc agi de distributione sanguinis, quia verba, *habentes mysterium fidei*, ad distributionem sanguinis non aptantur, nequè id sonant, & quia subdit verba, *& sic ministrent*, quæ aptè ad iàm dicta trahi possunt. *Mulieres similitèr pudicas, non detrahentes;* hoc proprium solet esse mulieribus; *sobrias, fideles*, fidas *in omnibus* eis commissis; credo loqui de vxoribus Diaconorum, quia eas interserit in sermone præcedente, & sequente Diaconorum, & de alijs iàm dixerat. *Qui enim* Diaconi *benè ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent* in Ecclesia, vt ad altiora promoueri possint, *& multam fiduciam*, confidentiam *in fide, quæ est in Christo Iesu*, quòad remunerationem à Deo iuxtà illud: accipietis in hoc sæculo centiès tantùm, & in futuro sæculo vitam æternam. Matth. 19. *Hæc tibi scribo sperans me ad te venire citò*, etsi hoc sperem. *Si autèm tardauero*, si secùs fiat, *vt scias quomodò te oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui;* Domus mea domus orationis vocabitur; *columna & firmamentum veritatis*, contrà quam portæ inferi non præualebunt; qui extrà illam, in falsitate positus. *Et manifestè*, clarè, in confesso apud omnes *magnum est pietatis*, charitatis, misericordiæ, vt aliàs, *Sacra-*

cramentum, mysterium aduentus Christi, *quod manifestatum est in carne*, factum ex muliere, factum sub lege. Galat.4.5. quod factum est ei ex semine Dauid secundùm carnem. Rom.1.3. *iustificatum est*, clarum redditum hominibus *in spiritu*, in diuinitate: docuit enim se Deum ex operibus, testibus, resurrectione suprà cap.2.6. & si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Ioan.15.22. Vel, *in spiritu*, idest, per Spiritum sanctificationis, idest, sanctum; sic Rom.1.4. qui prædestinatus est, demonstratus Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis, *apparuit Angelis*; introducens primogenitum in orbem terrarum dixit, & adorent eum omnes Angeli Dei. Heb.1. non per Ecclesiam, quia ipsi primi manifestarunt Ecclesiæ: gloria in Excelsis, &c. Luc.2. & quia apparitio facta Angelis designatur per eundem Dominum, vel simpliciter; vndè quomodò per Ecclesiam? Non dicas Angelis, idest, dæmonibus, quia imò dæmonibus fuit occultum. Dixit, *apparuit Angelis*, vt magìs clarum, & certum faciat quod dixit, quia ipsi acutiores non potuerunt decipi. Hæc de Angelis verè, quia Episcopi, & omnes alij sub generalitate comprehenduntur; at de Angelis mentio specialis, & quomodò mutaret verbum, *apparuit*, in eisdem hominibus, de quibus egerat, vel quia subdit, *prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo? Prædicatum est Gentibus*; prædicate Euangelium omni creaturæ, quod nunquàm persuasum Hebræis; *creditum est in mundo;* multi venient ab Oriente, & Occidente, &c. &, quotquot autèm receperunt, &c. *assumptum est in gloria* videntibus illis. Acto.1. assumptio enim ad gloriam fuit finis circuli; à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsquè ad summum eius, exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem, & assumptio ad gloriam non videtur posse aliò trahi.



CAPVT IV.

1 *SPIRITVS autèm manifestè dicit, quia in nouissimis*
temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus
2 *erroris, & doctrinis dæmoniorum. * In hypocrisi loquen-*
tium mendacium, & cauteriatam habentium suam con-
3 *scientiam, * prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos*
Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fi-
4 *delibus, & ijs, qui cognouerunt veritatem. * Quia om-*
nis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione
5 *percipitur: * sanctificatur enim per verbum* Dei, *& orationem. * Hæc propo-*
6 *nens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu enutritus verbis fidei, & bonæ*
7 *doctrinæ, quam assecutus es. * Ineptas autèm, & aniles fabulas deuita: exer-*
8 *ce autèm teipsum ad pietatem. * Nàm corporalis exercitatio, ad modicum vti-*
lis est, pietas autèm ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc
9 *est, & futuræ. * Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. * In hoc enim la-*
10 *boramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viuum, qui est Saluator*
11 *omnium hominum, maximè fidelium. * Præcipe hæc, & doce. * Nemo adole-*
12 *scentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatio-*

13 *ne, in charitate, in fide, in castitate.* * *Dum venio, attende lectioni, exhor-*
14 *tationi, & doctrinæ.* * *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi*
15 *per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.* * *Hæc meditare, in his*
16 *esto: vt profectus tuus manifestus sit omnibus.* * *Attende tibi, & doctrinæ: in-*
sta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos, qui te au-
diunt.

*PIRITVS autèm* Sanctus Ecclesiam gubernans *manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris*, decipientibus, mendacibus, *& doctrinis dæmoniorum*, quæ fingebant iudaizantes de industria cum Colossensibus quasi ab Angelis reuelata. Coloss. 1.2. 18. vbi & de ciborum delectu vers. 16. proùt hic abstinere à cibis, &c. Hic locus declarat quod dixit. 2. Thes. 2. nisi venerit discessio primùm, à fide scilicèt, vt hic. Non dicas, *doctrinis dæmoniorum*, idest, hominum à dæmone instructorum, sed dæmoniorum, vt iacet; *in hypocrisi loquentium mendacium*, quod est proprium hæreticorum: *& cauteriatam*, sauciatam *habentium suam conscientiam*: hypocrisis enim præsupponit fictionem, & scientiam, ex qua oritur vulnus in conscientia, *prohibentium nubere, abstinere à cibis*, quod ad iudaizantes facit, *quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus* à legalibus liberis; in vltimis verbis declarat qui fideles, *& ijs, qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est.* Genes. 1. vndè Petro. Acto. 10. quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris, & Act. 11.9. *& nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*, hinc ad benedictionem ciborum argue. Hæc Apostoli prædictio videtur comprehendere omnia tempora vsquè ad iudicium: hæc enim omnia nouissima tempora, & concordant. 2. Timot. 3.1. 2. Pet. 3. Iudæ. vers. 18. 2. Thess. 2. Tit. 1. *Hæc proponens fratribus*, vt caueant, proùt Coloss. 2.16. & 18. & Apocal. 1. exemplo Christi eadem, vel similia præmonentis, *bonus eris*, apparebis, *minister Christi Iesu enutritus verbis fidei*, ad fidem allicientibus, *& bonæ doctrinæ, quam assecutus es* à me. *Ineptas autèm, & aniles fabulas deuita*; sic & suprà cap. 1. 4. & 2. Pet. 1. non enim doctas fabulas secuti: *exerce autèm te ipsum ad pietatem* in Dei ministerio, religione. *Nàm corporalis exercitatio ad modicum vtilis est*, intellige ad litteram, tùm quia vera est propositio, tùm quia præmisit verbum, *exerce*, vnum suadens, aliud prohibens, tùm quòd ieiunium non est exercitatio, mortificationes minus; vndè de propria intelligendum: *Pietas autèm*, religio, seruire Deo, charitas *ad omnia vtilis est*. Charitas nunquàm excidit: Fides, Spes, Charitas, tria hæc, maior autèm horum est charitas; ideò subdit, *promissionem*, pignus certum *habens vitæ, quæ nunc est*, præsentis, nàm seruiens Deo manet in vita, *& futuræ* eo modo, quo diximus. Ephes. 6. 2. at non hic strictè ad parentes, sed generalitèr ad omnes. Vel sicuti: & omnis, qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Vel, quærite ergò primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. *Fidelis*, ratus, firmus *sermo, & omni acceptione dignus* qui ab omnibus recipiatur, & fiat. *In hoc enim*, proptèr hoc *laboramus* pro Domino, *& maledicimur*, persecutiones patimur, *quia speramus in Deum viuum* hac spe fulcimur, *qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium*; hinc quomodò vult omnes homines saluos fieri suprà cap. 2. 4. non restringas autèm ad prædestinatos, quia non omnes fideles prædestinati, perseuerantium hoc. *Præcipe hæc* vtilia, *& doce*, cùm ad id assumptus sis. *Nemo adolescentiam tuam contemnat*; & ad Tit. 2. in fin. nemo te contemnat; caue ne iuuenilia

nilia

nilia amplectens (vtì 2.Timot.2.) contemnaris, fortè ad exercitationem corporis alludens; ideò subdit, *sed exemplum esto fidelium in verbo* prædicando, *in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate:* hæc enim obseruans efficitur vir perfectus; quò verò ad ætatem, cum Hebrei in trigesimo anno tantùm prodirent, quod seruarunt Ioannes Baptista, & Christus, non est credendum Timotheum in minori ætate promotum. *Dum venio;* sic suprà cap. 3. 14. sperans me venire ad te citò, ex hoc vult eum diligentem, & cautum reddere. *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ:* hæc nunquàm ab Episcopo intermittenda, vt prosequitur vsquè ad finem capitis. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam*, in prophetia, in declarandis Scripturis. 1. Corint. 14. *cum impositione manuum presbyterij* congregati; de hac impositione manuum ad aliud. Actor. 13. 3. *Hæc meditare, in his esto: vt profectus tuus manifestus sit omnibus* pro exemplo instruendis. *Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt;* sic & Iacob. 5. in fin. vult dicere, frequens esto in docendo populum, ne sis negligens, morosus: idem. 2. Timot. 1. 6. Et cum hæc sit gratia, & habita tùnc, dum ordinaretur, excluditur quòd per prophetiam, idest, reuelationem dicat Apostolus cognouisse ipsum promouendum, vt etiàm dixi suprà capite 1. 18.



CAPVT V.

1 *SENIOREM ne increpaueris, sed obsecra vt patrem:*
2 *iuuenes, vt fratres: anus, vt matres: iuuenculas, vt*
3 *sorores in omni castitate:* * *Viduas honora, quæ verè vi-*
4 *duæ sunt.* * *Si qua autèm vidua filios, aut nepotes ha-*
bet: discat primùm domum suam regere, & mutuam vi-
cem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coràm
5 *Deo.* * *Quæ autèm verè vidua est, & desolata, speret*
6 *in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte ac die.* * *Nàm quæ in*
7 *delicijs est, viuens mortua est.* * *Et hoc præcipe vt irreprehensibiles sint.* * *Si quis*
8 *autèm suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, &*
9 *est infideli deterior.* * *Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fue-*
10 *rit vnius viri vxor,* * *in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit,*
si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus submini-
11 *strauit, si omne opus bonum subsecuta est.* * *Adolescentiores autèm viduas deui-*
12 *ta: Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt:* * *habentes damna-*
13 *tionem, quia primam fidem irritam fecerunt.* * *Simùl autèm & otiosæ discunt*
14 *circuire domos: non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non*
oportet. * *Volo ergò iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nul-*
15 *lam occasionem dare aduersario maledicti gratia.* * *Iàm enim quædam conuer-*
16 *sæ sunt retrò Satanam.* * *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non*
17 *grauetur Ecclesia: vt ijs, quæ verè viduæ sunt, sufficiat.* * *Qui benè præsunt*

presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo &
18 *doctrina.* * *Dicit enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti. Et: Di-*
19 *gnus est operarius mercede sua.* * *Aduersùs presbyterum accusationem noli re-*
20 *cipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* * *Peccantes coràm omnibus argue:*
21 *vt cæteri timorem habeant.* * *Testor coràm Deo & Christo Iesu, & electis An-*
gelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinan-
22 *do.* * *Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.*
23 *Teipsum castum custodi.* * *Noli adhùc aquam bibere; sed modico vino vtere*
24 *proptèr stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* * *Quorundam homi-*
25 *num peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quosdam autèm & sub-*
sequuntur. * *Similitèr & facta bona manifesta sunt: & quæ alitèr se habent,*
abscondi non possunt.



ENIOREM ne increpaueris, nàm teneris honorare, *sed obsecra, vt patrem:* precibus enim eum delinies: *iuuenes*, obsecra scilicèt, *vt fratres*, æquales: *anus, vt matres: iuuenculas, vt sorores in omni castitate*, vt permaneant; doceat quo modo cum singulis se habeat: *Viduas honora*, ale, *quæ veræ viduæ sunt:* stant enim sub protectione Dei. *Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet. discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus*, quos ipsa habet, qui pro illa laborarunt: præsupponendum enim hos extare, vt sermo verificetur, & licèt non dixerit, si habet parentes, proùt *si filios*, vel *nepotes*, parùm refert, sufficit, quòd dum præscribit viduis quid agant, de illis mentionem faciat: vult dicere, has ne assumas ad ministerium, sed dimitte illas ad earum domestica ministeria: *hoc enim acceptum est coràm Deo* exigente pietatem ergà parentes, & domesticos, & videtur melius stare verbum, *discat*, cum sermo sit de vidua, non, discant filij, cùm de filijs nonnisi paßiuè; sic & infrà prosequitur. *Quæ verè vidua est*, & dū de eligenda loquitur, *Vidua eligatur*, & hinc an liceat è claustro exire ad alendos parentes. *Quæ autem verè vidua est; & desolata; speret in Deum*, Deo hæreat viduarum protectori, *& instet obsecrationibus, & orationibus nocte, ac die*, frequentèr. *Nam quæ vidua in delitijs est, viuens* in eis *mortua est* spiritualitèr, proùt dicimus de mortuo peccatis. Colos. 3. & alibì millies. *Et hoc præcipe vt irreprehensibiles sint. Si quis autèm suorum.* quia dixerat suprà, *discat primùm domum suam regere*, & infrà, *si filios educauit*, vt doceat quantùm id referat, *& maximè domesticorum*, quibus tenetur præ cæteris, *curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*, quia hi naturam non negarunt, proùt ille suos negligens, hæc autèm subdit: *Vidua eligatur*, loquitur hic, & per tot. cap. de qualitatibus viduarum eligendarum ad communem victum Ecclesiæ, & ad præfecturam: scribit enim viduas honorandas, alendas, deindè quæ ad ministerium eligendæ, quæ reijciendæ, dicit ergò. *Vidua eligatur* ad ministeria *non minus sexaginta annorum* ætatis, *quæ fuerit vnius viri vxor*, non plurium, *in operibus bonis testimonium habens*, quod in his versabitur, *si filios educauit*, vt debuit, *si hospitio recepit*, hospitalis fuit, *si Sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit:* tùnc enim piorum viscera solent magis commoueri, *si omne*, aliquod *opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas deuita*, ne assumas ad ministerium, ideò voluit esse sexagenariam: *Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo*; in lasciuiam resolutæ in cibis, seù alimonijs Christi, seù Ecclesiæ, mox otio delibutæ, *nubere volunt: habentes damnationem*, iudicium. Rom. 7. nihil ergò damnationis,

quia

quia primam fidem, qua se Deo in viduitate consecrauerant, *irritam fecerunt*. *Simul autèm & otiosæ discunt circuire domos*, quod est contrà pudorem muliebrem: *non solùm otiosæ, sed & verbosæ*, loquaces in alias mulieres, *& curiosæ* de gestis aliarum, *loquentes quæ non oportet* vana. *Volo ergò iuniores*, quæ non vouerunt, vt illæ, *nubere*, non quòd hoc sit meliùs in se, sed in illis, quæ ad peiora trahuntur, & sequitur, meliùs certè nubere, quàm vri, *filios procreare*, *matres familias esse*, vti matrimonio ad id, quod institutum est, vt dixi suprà cap. 2. in fin. *nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia* obloquendi de illis, & sic ad amputanda scandala; vel, *aduersario*, idest, diabolo *maledicti gratia*, quia scientes ex voto non posse retrocedere, maledicunt vota, & prouisiones circà earum castitatem factas à diabolo instigatæ. *Iam enim quædam* infirmæ à primo proposito recedentes, *conuersæ sunt retrò Satanam*, ad luxuriam datæ, & sic expertus loquitur, vt ei maiorem fidem adhibeat. *Si quis fidelis* (eccè alia species viduarum non alenda) *habet viduas, subministret illis* de proprio, *& non grauetur Ecclesia: vt iis, quæ veræ viduæ sunt*, pauperes, & desolatæ, *sufficiat*. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore*, idest, magno; iuxtà illud Elisei: fiat in me duplex spiritus tuus; *digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina*, quod est principalius. Act. 6. 2. 4. *Dicit enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti*, sic neque homini in his laboranti. *Et: Dignus est operarius mercede sua*; vide quomodò omnia componit. *Aduersùs presbyterum accusationem noli recipere. nisi sub duobus aut tribus testibus*, in his stat omne verbum, ob illius honorem, & suspicionem calumniæ. hinc non esse sempèr synonima nomen Episcopi, & presbyteri: *Peccantes coràm omnibus*, publicè *argue: vt & cæteri timorem habeant*; & infertur pro pœna & eiectio à communione aliorum, vt de Corinthio. 1. Cor. 5. Hymeneo, & Alexandro suprà cap. 1. in fin. non autèm inferuntur pœnæ corporales adhùc: in hoc enim initio nondum Ecclesia coaluerat, seù vim suam receperat; aliæ pœnæ, quandò vigorem suum recepit introductæ, sat est tribunalia tùnc erecta spiritualibus pœnis vsa esse, pœnæ enim mutabiles sunt, & accessoriæ. *Testor coràm Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis*; sic Christus, Marc. 8. 38. Luc. 9. 26. & 12. 9. 10. & Apocal. 3. 5. confitebor nomen eius coràm Patre meo, & coràm Angelis eius, *vt hæc custodias sine præiudicio*, nihil illis, vel partibus præiudicans, *nihil faciens in alteram partem declinando*, non vult vt conniueat, sed exactè obseruet. *Manus citò nemini imposueris*, ideò suprà & de Episcopis, & de diaconibus iussit informationem capi. cap. 3. *neque communicaueris peccatis alienis* in genere. *Teipsum castum custodi*, aliòquin non potuisset alios obiurgare. *Noli adhùc aquam bibere, sed modico vino vtere proptèr stomachum tuum, & proptèr frequentes tuas infirmitates*, eccè discretio Apostoli, & legis Dei. *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium*, ità vt absquè alia discussione possint puniri: *quosdam autèm* peccantes *& subsequuntur* manifestationes, quæ ex discussione in iudicio apparent; hoc subdit, quia de accusationibus præmiserat, & peccantibus. *Similitèr & facta bona*, ob quæ quis mereatur ad altiorem gradum euehi, *manifesta sunt: & quæ alitèr se habent*, vel mala, vel non manifesta *abscondi non possunt*, quia nihil occultum quod non reueletur, ex diligenti discussione apparebunt.



CA-



CAPVT VI.

1 QVICVNQVE sunt sub iugo serui dominos suos om-
ni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & do-
2 ctrina blasphemetur. * Qui autèm fideles habent dominos,
non contemnant, quia fratres sunt: sed magìs seruiant,
quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt.
3 * Hæc doce, & exhortare. * Si quis aliter docet, & non
acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, &
4 ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ: * superbus est, nihil sciens sed languens
circà quæstiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones
5 blasphemiæ, suspiciones malæ, * conflictationes hominum mente corruptorum, &
6 qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. * Est autèm
7 quæstus magnus pietas cum sufficientia. * Nihil enìm intulimus in hunc mun-
8 dum: haud dubium quòd nec auferre quid possumus. * Habentes autèm alimen-
9 ta, & quibus tegamur, his contenti simus. * Nàm qui volunt diuites fieri, in-
cidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, &
10 nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. * Radix enìm
omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, &
11 inseruerunt se doloribus multis. * Tu autèm ò homo Dei hæc fuge, sectare verò
12 iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. * Certa
bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & con-
13 fessus bonam confessionem coràm multis testibus. * Præcipio tibi coràm Deo, qui
viuificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pila-
14 to, bonam confessionem: * vt serues mandatum sinè macula, irreprehensibile
15 vsquè in aduentum Domini nostri Iesu Christi, * quem suis temporibus ostendet
16 beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium: * qui solus ha-
bet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum
vidit, sed nec videre potest: cui honor, & imperium sempiternum. Amen.
17 * Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, nequè sperare in incerto di-
18 uitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) * be-
19 nè agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, * thesauri-
zare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.
20 * O Thimothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & op-
21 positiones falsi nominis scientiæ; * quam quidam promittentes, circà fidem exci-
derunt. Gratia tecum. Amen.




VICVNQVE sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, illos non spernant; in pluribus Epistolis de his, *ne nomen Domini & doctrina* Euangelica *blasphemetur*: hinc Onesimum remisit ad Philemonem, vt in Epistola ei scripta. *Qui autèm fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt*: quasi, æquales sunt: *sed magìs seruiant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt*, quò enìm domini meliores, eò magis ad seruiendum moueri debent. *Hæc doce, & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ: superbus est*, & sic cauendus, *nihil sciens*, etsi se scire putet, *sed languens* inutilitèr *circà quæstiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum*, non in sinceritate ambulantium, *& qui veritate priuati sunt*. Vide suprà cap. 4. 4. errantium, *existimantium quæstum*, ad quem anhelant, & ob quem hæc excitant, *esse pietatem*: sic & ad Galat. 2. si nos, aut Angelus Euangelizet, &c. & Coloss. 2. vbi inflatus, proùt hic superbi, hìc, *nihil sciens*, ibì, quæ non vidit, & hos puto iudaizantes. *Est autèm quæstus magnus pietas cum sufficientia* siuè propria, siuè ab alijs recepta. *Nihil enìm intulimus in hunc mundum*, in quem nudi intrauimus: *haud dubium quòd nec auferre quid possumus* discedentes: quasi, sufficientia ergò dum hic sumus quærenda, non vltrà, explicat. *Habentes autèm alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, quia hæc sufficiunt. *Nàm qui volunt*, optant (stat in desiderio) *diuites fieri* non contenti sufficientibus, *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*, & idolorum seruitutem: sic enim auaritia dicitur. *Radix enim omnium malorum est cupiditas*, quia illa depressi trahimur ad illicita: *quam quidam appetentes*, desiderio in ea fixi *errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus*, angustijs *multis*. *Tu autèm ò homo Dei hæc fuge: sectare verò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem*; hæc ad perfectionem. *Certa bonum certamen fidei*, pro fide, pro Euangelio, *apprehende* tanquàm ad brauium currens *vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem* fidei *coràm multis testibus* in tua ordinatione: de Episcopalibus enim agit. *Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia*, viuo, & vitam omnibus dante; sic, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum; & infrà, *Deo viuo, & vitam*; vndè nil hìc propriè ad resurrectionem, *& Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem*. manifestando se Messiam: nisi enim se manifestasset, omnem iustitiam, & obligationem non adimpleuisset, vt dixi in baptismo; vndè: manifestaui nomen tuum hominibus: *vt serues mandatum sinè macula, irreprehensibile*, purum, absquè vocum nouitate, vt infrà, vndè etsi ad mandatum referat verbis, re tamèn ad Timotheum, *vsquè in aduentum Domini nostri Iesu Christi*, perseuerantèr vsquè in finem, *quem suìs temporibus*, tempore beneplacito, & opportuno *ostendet beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium*; nàm mittetur à Deo. Acto. 3. malè auctor imperfecti secùs dicens; hinc fortè: de die illo nemo scit, nequè filius, vt dixi in eo loco, *qui solus habet immortalitatem*; sic: nemo bonus nisi solus Deus. Matth. 19. 18. Marc. 10. 19. Luc. 18. 20. *& lucem habitat inaccessibilem*, id est, Deus, quem sic describit; hinc apparens Moysi in flamma ignis de medio rubi Angelus Deum representans, dixit: ne appropies hùc, solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Exod. 3. 2. sic Iosue: solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est. Iosu. 5. 16. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*; hinc nequè Paulus, vel alij viderunt essentiam Dei,

Dei, de quo aliàs dixi, & probatur Ioan. 1. vnigenitus, qui in sinu eius est, nobis enarrauit: *cui honor, & imperium sempiternum.* 1. Cor. 15. *Amen. Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere,* pro sapientibus se habere, *neque sperare in incerto diuitiarum* fragilium, *sed in Deo viuo* (*qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum* tantùm, à quo diuitias recognoscere debent) *benè agere.* Ioannes, facere fructus dignos pœnitentiæ, *diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant,* digni sint apprehendere *veram vitam,* & Christus: thesaurizate vobis thesauros in cælo. *O Timothee, depositum custodi,* doctrinam, quam à me assecutus es; ideò subdit, *deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones,* quæstiones, lites, contentiones *falsi nominis scientiæ,* quæ scientiæ nomen non merentur à iudaizantibus introductas, de quibus suprà cap. 1. 4. & cap. 4. 2. *quam quidam promittentes,* profitentes, *circà fidem exciderunt,* infideles euaserunt. *Gratia tecum. Amen.*



I N



IN EPISTOLAM AD TIMOTHEVM SECVNDAM.

CAPVT PRIMVM.

1 PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei,
secundùm promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu:
2 * Timotheo charissimo filio, gratia, misericordia, pax à
3 Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro. * Gratias
ago Deo, cui seruio à progenitoribus in conscientia pura,
quòd sinè intermissione habeam tui memoriam in oratio-
4 nibus meis, nocte ac die * desiderans te videre, memor
5 lacrymarum tuarum, vt gaudio implear, * recordationem accipiens eius fidei,
quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre
6 tua Eunice, certus sum autèm quòd & in te. * Proptèr quàm causam admoneo
te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.
7 * Non enìm dedit nobis Deus spiritum timoris: sed virtutis, & dilectionis, &
8 sobrietatis. * Noli itaquè erubescere testimonium Domini nostri, nequè me vin-
9 ctum eius: sed collabora Euangelio secundùm virtutem Dei: * qui nos liberauit,
& vocauit vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm
propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu antè tempora
10 sæcularia. * Manifestata est autèm nùnc per illuminationem Saluatoris nostri
Iesu Christi, qui destruxit quidèm mortem, illuminauit autèm vitam, & in-
11 corruptionem per Euangelium: * in quo positus sum ego prædicator, & Aposto-
12 lus, & magister Gentium. * Ob quam causam etiàm hæc patior, sed non con-
fundor. Scio enìm cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum
13 seruare in illum diem. * Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti
14 in fide, & in dilectione in Christo Iesu. * Bonum depositum custodi per Spiri-
15 tum sanctum, qui habitat in nobis. * Scis hoc, quod auersi sunt à me omnes,
16 qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes. * Det misericordiam
Dominus Onesiphori domui: quia sæpè me refrigerauit, & catenam meam non

eru-

17 *erubuit:* * *sed cum Romam venisset, solicitè me quæsiuit, & inuenit.* * *Det*
18 *illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illa die.* * *Et quanta Ephesi*
ministrauit mihi, tu melius nosti.



AVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei eligentis, & vocantis, *secundùm promissionem vitæ*, non præsentis, sed æternæ, *quæ est in Christo Iesu*, euangelizans, & promittens vitam, *quæ est*, habetur *in Christo Iesu*, per Christum Iesum: *Timotheo carissimo filio*, sit *gratia, misericordia*; cur hìc, & in præcedenti epistola cum solo Timotheo misericordia? non quòd Episcopus, quia & Titus Episcopus, fortè ob magnum amorem, quo eum prosequebatur, & zelum suæ salutis; at meliùs vt ad misericordiam in Ephesios illum moueret, eis euangelizando. Vel hoc euentuale, seù arbitrarium, ità vt non detur ratio; nàm & Pet. 1. in prin. & Io. in 2. 3. Iud. 1. 2. & Paulusmet Gal. 6. 16. hoc verbo vtũtur in eorum epist. vndè nihil singulare hìc cõsiderari poterit; *pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro*, à quibus solis hæc emanant. *Gratias ago Deo, cui seruio à progenitoribus*, à prima ætate, à principio ortus mei, prout Act. 26. 4. & qui me segregauit ab vtero matris meæ. Gal. 1. 15. *in conscientia pura*, in puritate, simplicitate, & cum intelligat de ministerio, non aptabitur *à progenitoribus* à quibus hac religione imbutus sum; nàm non illi ministri, etsi Iudæi: vndè ipse Gal. 2. 15. nos natura Hebræi. Philip. 3. 5. Hebræus ex Hebræis; non etiàm hìc progenitores Abraham, Isaac, Iacob, quia dixisset Patribus, vltrà rationem ministerij, & quia adeò postremus ab eis non posset de illis intelligere; dicit autèm à prima ætate, quia & dum sequebatur Iudaismum putabat benè seruire; & ideò misericordiam cõsequutus est, quia ignorans fecit; *quòd sinè intermissione*, frequentèr *habeam tui memoriam in orationibus meis noctè ac die desiderans te videre*, præsentialitèr, *memor lacrymarum tuarum, vt gaudio implear ex* præsentia tua, *recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te* radicata, *non ficta*, sed sincera, *quæ & habitauit* firmitèr, hæsit *primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice; certus sum autèm quòd & in te*, & sic à suis progenitoribus illum commendat, & à se. *Proptèr quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*; eccè hic declaratum quid intellexerit. 1. Timot. 4. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te est, intelligit, vt insistat verbo, prædicationi, vt & ex his, quæ subdit. *Non enìm dedit nobis* Apostolicis *Deus spiritum timoris*, vt ob timorem desistamus à verbo: *sed virtutis*, animositatis; dabo vobis os, & sapientiam, cui, &c. *dilectionis* in alios, quos ad Deum trahamus, *& sobrietatis*, prudentiæ. *Noli itaquè erubescere testimonium Domini nostri, nequè me vinctum eius* pro eo patientem, aliòqui videretur non rectè vinciri, aut pati. *testimonium*, non id, de quo. 1. Timot. 6. 13. sed de testimonio pro Christo dando; hinc: virtute magna testimonium reddebant Apostoli resurrectionis Domini nostri Iesu Christi; & Act. 1. testem resurrectionis fieri vnum ex his. Vel de vtroque intellige, quia vtrumque prædicandum, scilicèt testimonium, quod Iesus dedit, & quod dant euangelizantes quomodò mortuus, quomodò resurrexit, ascendit, & alia gessit: ideò subdit, *collabora Euangelio*, quòd vtrumque, & omnia capit, *secundùm virtutem*, spiritum *Dei*, tibi datam à Deo: *qui nos liberauit* à peccato, diabolo, *& vocauit vocatione sua sancta*, prædestinauit, *non secundùm opera nostra*, seù meritum nostrum, *sed secundùm propositum suum* liberale, *& gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu*, per Christum Iesum *antè tempora sæcularia*, ab æterno, quia antè illa sola æternitas, vt dixi Gen. 1. eadem verba habẽtur ad Tit. 1. 2. *Manifestata est autèm nùnc* gratia hæc *per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi* il-

sti illuminantis omnem hominem, & lucis veræ, *qui destruxit quidem mortem* morte sua, *illuminauit autem vitam*, quam amiseramus per peccatum, *& incorruptionem*, immortalitatem; & sic de immortalitate intellige verba, in incorruptione Ephes. 6. in fin. *per Euangelium*, quod promulgamus: oportet enim mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile hoc incorruptionem, vult dicere, apparere fecit vitam, & resurrectionem; hinc obligatio nostra ex tãto beneficio: veh enim mihi si non euangelizauero; &: non enim erubesco Euangelium: virtus est enim, &c. Rom. 1. & hinc colligitur prædestinationem fieri ex mera Dei gratia, non secundùm opera nostra, & excludi præuisionem operum: elegit enim nos. Eph. 1. 4. antè mundi constitutionem, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius, in charitate; non dixit Apostolus nos electos, & prædestinatos, quia futuri eramus Sancti, sed vt essemus Sancti: *in quo* Euangelio *positus sum ego prædicator, & Apostolus, & magister Gentium. Ob quam causam etiàm hæc patior, sed non confundor*, non erubesco, non timeo, non despero quasi frustratus, quasi nihil obtineam; de hac vocatione in omnibus epistolis. Galat. 1. 15. 1. Thess. 2. 12. & 5. 25. 2. Thess. 2. 13. *Scio enim cui credidi*, fidelissimo scilicèt, qui me non defraudabit, *& ei*, de quo *certus sum quia potens est depositum meum*, vitã meam, corpus meum, animam meam, cum pro eo patiar, & deliber, quæ hìc perdam, *seruare in illum diem*, quo hinc exibo, & Iudicij in resurrectione vniuersali, & me ad resurrectionem vitæ traducere, & glorificare: qui enim perdiderit animam suam, vitam suam proptèr me, inueniet eam, dicit Dominus; &, ego sum resurrectio, & vita, & qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet; &: venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: ideò præmisit aptè Christum illuminasse vitam, & incorruptionẽ per Euangelium; &, *ob quam causam etiàm hæc patior*; & cum hoc ad corpus, verisimile est & de illo subdere, & is mihi videtur intellectus aptior, qui confirmatur infrà cap. 4. 6. egò enim iàm delibor, &c. in quo de corona, quæ non est alia, nisi depositi conseruatio; sic infrà cap. 2. 11. Fidelis sermo: nàm si commortui sumus, &c. de eadem enim materia sunt verba; sic Apocalyp. 3. 10. quoniàm seruasti verbum patientiæ meæ, & hæc seruabo, si ab hora tentationis, &c. & Io. 17. 6. sermonem tuum seruauerunt, & 11. Serua eos, 12. ego seruabam eos, 15. sed vt serues à malo; & quia dicit *in illum diem*, in quo resurrectio corporum. Dicit *depositum*, quia omnia in Christum referebat, in Christo viuebat, omnia sua ipsi commendauerat, confixus cruci cum eo erat. Dicit *hoc*, vt inflammet magìs Timotheum ad passiones pro Christo perferendas, quæ ex Euangelij promulgatione sequebantur, quia vita hìc profundenda in cælo reparabatur; & totus scopus est supèr huiusmodi ministerio; propterea non aptantur intellectus de deposito bonorum operum, gratiæ, & similium, quia verba, *depositum meum seruare*, referuntur ad perdenda hìc, in futuro sæculo seruanda à Christo, & hoc non aliud, quàm depositio corporis pro Christo, & eius Euãgelio; & quod Paulus hic *depositum*, Petrus dixit (tabernaculum:) scio quòd velox est depositio tabernaculi mei. *Formam habe*, exemplar *sanorum verborum*, de quibus in prima epist. *quæ audisti à me*; & ne declines ad nouitates vocum, vt in 1. epist. cap. 6. 20. *quæ à me audisti in fide*, fidelitèr, *& in dilectione*, charitate *in Christo Iesu*, per Christum Iesum, vel quam ei habeo, & sic sempèr intelligit de sua doctrina, dum ait quæ assecutus es à me in 1. epist. & infrà cap. 2. 2. quæ audisti à me. *Bonum depositum custodi* doctrinæ Euangelicæ, dogmatum, quod apud te docendo dimisi; sic & 1. Timot. 6. 20. *per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis*, hæret nobis, non derelinquit, qui nos adiuuabit, suggeret, sinè quo nihil possemus; dabitur vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus &c. *Scis hoc, quòd auersi sunt à me omnes, qui in*, de *Asia sunt, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes*; fortè hi iudaizantes, de quibus Philip. 1. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia sæpè me refrigerauit, & catenam meam non erubuit*, & sic etsi vinctus, & desolatus essem, tamèn charitatem

Nn exer-

exercuit mecum: *Sed cùm Romam venisset, solicitè me quæsiuit, & inuenit*, is non finxit, facto exhibuit. *Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illa die*; sic illud Gen. 19. pluit Dominus ignem à Domino; & 2. Paralip. 7.2. nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quòd implesset maiestas Domini templum Domini; & 3. Reg. 13. 17. quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini. Hebraismus est, & de eodem capitur ibi, quia subdit de cælo, proût hìc, quia subdit *in illa die*, iudicij scilicèt. *Et quanta Ephesi ministrauit mihi, tu meliùs nosti*; quomodò beneficiorum memor; sic solent sancti, & probi viri, quibus meliùs benefacere, quàm iniquis.




CAPVT II.



1 *TV ergò fili mi confortare in gratia: quæ est in Christo Ie-*
2 *su: * & quæ audisti à me per multos testes, hæc commen-*
da fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.
3 ** Labora sicùt bonus miles Christi Iesu. * Nemo mili-*
4 *tans Deo implicat se negocijs sæcularibus: vt ei placeat,*
5 *cui se probauit: * Nàm & qui certat in agone, non coro-*
6 *natur nisi legitimè certauerit. * Laborantem agricolam*
7 *oportet primùm de fructibus percipere. * Intellige quæ dico: dabit enìm tibi Do-*
8 *minus in omnibus intellectum. * Memor esto Dominum IESVM CHRI-*
STVM resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundùm Euangelium meum,
9 ** in quo laboro vsquè ad vincula, quasi malè operans: sed verbum Dei non*
10 *est alligatum. * Ideò omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem conse-*
11 *quantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cælesti. * Fidelis sermo: Nàm si*
12 *commortui sumus, & conuiuemus: * si sustinebimus, & conregnabimus: si ne-*
13 *gauerimus, & ille negabit nos: * si non credimus, ille fidelis permanet, negare*
14 *seipsum non potest. * Hæc commone: testificans coràm Domino. Noli contende-*
15 *re verbis: ad nihil enìm vtile est, nisi ad subuersionem audientium. * Solici-*
tè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tra-
16 *ctantem verbum veritatis. * Profana autèm, & vaniloquia deuita: mul-*
17 *tum enìm proficiunt ad impietatem: * & sermo eorum vt cancer serpit: ex quibus*
18 *est Hymenæus, & Philetus, * qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem*
19 *esse iàm factam, & subuerterunt quorundam fidem. * Sed firmum fundamen-*
tum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus, qui sunt eius, & di-
20 *scedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. * In magna autèm*
domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: &
21 *quædam quidèm in honorem, quædam autèm in contumeliam. * Si quis ergò*
emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino
22 *ad omne opus bonum paratum. * Iuuenilia autèm desideria fuge, sectare verò*
iustitiam, fidem, spem, charitatem, & pacem cum ijs, qui inuocant Dominum

de

23 *de corde puro. * Stultas autèm, & sinè disciplina quæstiones deuita: sciens quia*
24 *generant lites. Seruum autèm Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse*
25 *ad omnes, docibilem, patientem, * cum modestia corripientem eos, qui resistunt*
26 *veritati: nequandò Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, * &*
resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.



V ergò Fili mi. in omnibus verbis demonstrat vehementem charitatem, qua eum prosequebatur. Dauid in amaritudine pro morte filij dicebat: fili mi Absalom, &c. *confortare*, potens fias erigere *in gratia, quæ est in Christo Iesu*, per Christum Iesum; idem quod suprà cap. 1. bonum depositum custodi per Spiritum sanctum: *& quæ audisti à me per multos testes*. suprà cap. 1. 14. & 1. epist. cap. 6. 12. *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*, vt magìs Euangelium dilatetur. *Labora sicùt bonus miles Christi Iesu* in Euangelij propagatione, non in sæcularibus. *Nemo militans Deo implicat se negocijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit*, vt ad militiam eligeretur: non enim possumus seruire Deo, & mammonæ: aut enìm vnum odio habebit, &c. *Nàm & qui certat in agone, non coronatur*, non recipit coronam, *nisi legitimè*, iuxtà leges *certauerit:* est hoc proùt illud: nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei; hìnc Christus. Luc. 13. quis me constituit iudicem, aut diuisorem intèr vos? & verbum, *Deo*, respondet præcedentibus, *labora sicùt bonus miles Christi Iesu*, & si illud demas, non erit verum in milite sæculi, *nemo implicat se negocijs secularibus*, cum in his versetur totus, & vt plurimum in omni fallacia, & circumuentione, contrà quæ eos instruxit interrogantes Ioannes Baptista. *Laborantem agricolam oportet esse primùm*, deindè *percipere de fructibus*, idem quod dixerat de milite, & agonista, & hic melior intellectus conformior præmissis: nequè hìc agitur de sustentatione euangelizantium, sed de distinctione ab officio, vel discessione ab eo, vel de non perseuerantibus, & ex epist. 1. ad eundem cap. 5. si alebantur viduæ, non deerat alenti cibus. *Intellige quæ dico*, erige aures, pondera verba mea. *dabit enìm tibi* hæc mea attendenti *Dominus in omnibus intellectum*, faciet, vt hæc percipias, & exequaris. *Memor esto* in tuis prædicationibus *Dominum IESVM CHRISTVM resurrexisse à mortuis*: hoc enim principale. Act. 1. & nos resurrecturos, quod ab aliquibus negabatur, vt infrà, *ex semine Dauid*. Rom. 1. 3. & in Apocal. ego sum radix Dauid; *secundùm Euangelium meum, in quo laboro vsquè ad vincula*, primùm hæc quandò à Iudæa Romam missus, *quasi male operans*, quasi vitiosus, non tamèn ex hoc patitur Euangelium: *sed verbum Dei non est alligatum*, sed liberum; licèt ergò ego sim in vinculis, illud non: sed dilatatur ex mea prædicatione. Philip. 1. *Ideò omnia* mala *sustineo proptèr electos* Gentiles, *vt & ipsi* ex prædicatione mea *salutem consequantur*; eccè quomodò adimplebat, quæ deerant passionum Christi, prædicatione scilicèt, vt in eo loco dixi, etiàm in vinculis existens. Philip. 1. 12. Act. vlt. sic & Ioannes in vinculis. Matth. 11. Luc. 7. *quæ* salus *est* data *in Christo Iesu*, per Christum Iesum simùl *cum gloria cælesti*, ad quam inuitamur, & trahimur. *Fidelis sermo: Nam si commortui sumus* cum Christo moriente peccatis nostris, quos deleuit, & mundo, *& conuiuemus* cum illo: *si sustinebimus* patientèr, *& conregnabimus* secum: *si negauerimus* illum, *& ille negabit nos* coràm Patre, & Angelis Dei, vt & ipse dixit. Ex his declarat, quid intelligat cap. 1. potens est depositum meum seruare, nempè se cum Christo conuicturum, & conregnaturum: *si non credimus, ille fidelis permanet*, verax, obseruans. Rom. 3. nunquid infidelitas illius fidem Dei euacuabit? absit; est autèm Deus


verax, nostra infidelitas illius fidelitatem non eneruat; *negare seipsum non potest*, si petatur, si faciamus eius voluntatem, adeò est misericors, & fidelis. *Hæc commone: testificans coràm Domino*, tutò, & securè, & infallibilitèr euentura. *Noli contendere verbis: ad nihil enìm vtile est, nisi ad subuersionem audientium:* sic plurìes iubet contentiones tolli. *Solicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo*, vt ab eo proberis, commenderis, quem enìm Deus commendat, ille probatus est; *operarium inconfusibilem*, qui non confundatur in opere Euangelij, non erubescat, *rectè*, vt decet, *tractantem verbum veritatis: Profana autèm*, illicita, *& vaniloqua*, verbosa *deuita: multum enim proficiunt ad impietatem* incurrendam: *& sermo eorum* illa sequentium *vt cancer* sensìm *serpit: ex quibus est Hymeneus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes*, fingentes *resurrectionem esse iàm factam*, quod absquè vlla ratione, vel fundamento ab eis dicebatur, ideò non refert eorum rationes hìc, aut 1. Cor. 15. quia nullę erant, *& subuerterunt quorumdam fidem* eorum falsis dictis. *Sed firmum fundamentum Dei* circà credenda *stat*; id subdit, quia *subuerterunt quorumdam fidem:* dictum est enìm portas inferi non præualituras contrà Ecclesiam, *habens signaculum hoc*, quod subdit: *cognouit Dominus qui sunt eius*, vult dicere, etiàm si hi nobiscum permixti, tamèn à Deo cognoscuntur, & suo tempore separabuntur, proùt Dathan, & Abiron, & proùt in parabola sagenæ: Deus enìm scrutator cordium, non decipitur Deus, *& discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini:* quasi velit dicere, sed & nùnc clarum est qui sint illi: cum enìm ipsi sint impurioris vitæ, non possunt rectè sentire de Domino, nàm requiritur puritas vitæ in talibus; Vel, *discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini*, quasi, existimet non dignosci ab eo; nàm imò suo tempore recipiet: agit hìc acribus verbis, seù minis Apostolus; similitèr Iesus ad Caipham: veruntamèn videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli, minis agens ex iudicio futuro; at non mirandum, si iniqui nunc intèr vos: *In magna autèm domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea*, pretiosa, *sed & lignea, & fictilia: & quædam quidèm in honorem, quædam autèm in contumeliam* iuxtà seruitia fabricata; facit parabola Sagenæ, Virginum, Zizaniorum. *Si quis ergò emundauerit se ab istis* vasibus in contumeliam, ab illis malis pseudoapostolis se subtraxerit, *erit vas in honorem;* non hìc in specie de Hymeneo, & Phileto, sed generalitèr de omnibus vasibus contumeliosis: & aduerte, Hymeneus iàm extrà Ecclesiam erat. 1. Timot. 1. in fin. ideò hìc non potuit se ingerere decepturus Apostolum, proùt quidam dicunt; & licèt is eiectus ab Ecclesia; non tamèn fit, quin de Ecclesia ex hoc solo non intelligat Apostolus in verbis, *in magna enim domo*, imò eò magìs de illa, in qua tùnc ille eiectus non erat, sed fuerat antè eiectionem; sic ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, dicit Ioannes, nàm si fuissent ex nobis, permansissent vtiquè nobiscum. 1. Ioan. 2. 19. *erit vas in honorem sanctificatum*, sanctum, *& vtile Domino ad omne opus bonum paratum*, ad alios electos saluandos, proùt Paulus suprà vers. 10. & de illo Iesus: est mihi vas electionis iste, vt portet nomen meum coràm Regibus, Gentibus, & filijs Israel, &c. *Iuuenilia autèm desideria fuge:* hæc enìm solent occupare, *sectare verò iustitiam, fidem, spem, charitatem, & pacem*, quod est vinculum perfectionis, *cum ijs, qui inuocant*, adorant *Dominum de corde puro*, sincerè. *Stultas autèm & sinè disciplina quæstiones deuita: sciens quia generant lites*, à quibus fugiendum. *Seruum autèm Domini non oportet litigare*, contendere; *sed mansuetum*, mitem *esse ad omnes, docibilem, patientem*, sustinentem immodestos, *cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati*, quam tenemur defendere: *ne quandò*, si fortè *Deus det illis* conuictis eo modo *pœnitentiam* à vitijs *ad cognoscendam veritatem, & resipiscant* liberati *à diaboli laqueis* eis illatis, *à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem*, diaboli, tùm quia benè currit phrasis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem, tùm quia satis dictum in superiori phrasi, *ne quandò Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam*

dam veritatem, & deindè (recedens) *resipiscant à diaboli laqueis*, & nimis distat verbum, *Deus*, cui adnecti vellent quidam. Sed pondera quomodò diabolus peccatoribus dominatur ad ipsius voluntatem.



CAPVT III.

1 HOC autèm scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tem-
2 pora periculosa: * erunt homines seipsos amantes, cupidi,
elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingra-
3 ti, scelesti, * sinè affectione, sinè pace, criminatores, in-
4 continentes, immites, sinè benignitate, * proditores, pro-
terui, tumidi, & voluptatum amatores magìs quàm
5 Dei: * habentes speciem quidem pietatis, virtutem au-
6 tèm eius abnegantes. Et hos deuita: * ex his enìm sunt, qui penetrant domos,
& captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducunt varijs desiderijs:
7 * semper discentes, & numquàm ad scientiam veritatis peruenientes. * Quem-
8 admodum autèm Iannes, & Mambres restiterunt Moysi: ità & hi resistunt
9 veritati, homines corrupti mente, reprobi circà fidem, * sed vltrà non proficient:
10 insipientia enìm eorum manifesta erit omnibus, sicùt & illorum fuit. * Tu au-
tèm assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimi-
11 tatem, dilectionem, patientiam, * persecutiones, passiones: qualia mihi facta
sunt Antiochiæ, Iconij, & Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omni-
12 bus eripuit me Dominus. * Et omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu
13 persecutionem patientur. * Mali autèm homines, & seductores proficient in pe-
14 ius, errantes, & in errorem mittentes. * Tu verò permane in ijs, quæ didicisti
15 & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris. * & quia ab infantia sacras litte-
ras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu.
16 * Omnis Scriptura diuinitùs inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum,
17 ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: * vt perfectus sit homo Dei, ad
omne opus bonum instructus.



HOC *autèm scito, quòd in nouissimis diebus instabūt tempora periculosa*, de quibus 1. Timot. 4. vbi dictum, & alibi; & aduerte, tēpora capiuntur ab aduentu Christi vsquè in finem mundi. Heb. 1. ibì: nouissimè diebus istis: *erunt homines seipsos amantes* sua quærentes, sibi complacentes; hos numerat vitiosos, quorum formam habes. Rom. 1. *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*; hipocritæ, hi sunt deceptores, & illusores, de quibus & Petrus, & Iudas. *Et hos*

deuita,& ad idem subdit: *ex his enim sunt, qui penetrant domos,& captiuas ducunt mulierculas*, quas dementant, *oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs desiderijs: semper discentes, & nunquàm ad scientiam veritatis peruenientes* sub his falsis magistris. *Quemadmodum autem Iannes, & Mambres* Magi Pharaonis *restiterunt Moysi* veritatem miraculis comprobanti cum eorum magijs falsis: *ità & hi resistunt veritati* ex proposito, *homines corrupti mente*, ni mirum, si alios corrumpunt, *reprobi circà fidem*, infideles, *sed vltrà non proficient* in malo, in alijs corrumpendis: *insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicùt & illorum* Magorum *fuit* à Moyse superatorum: nihil enim occultum, quod nō reueletur, & Deus reuelabit illos, & in errorem mittentes. *Tu autèm assecutus es meam doctrinam, institutionem*, instructionem, *propositum, fidem, longanimitatem*, præstolationem, *dilectionem* etiàm ergà persecutores, *patientiam*, in qua possessuri animas, *persecutiones* mihi factas, *passiones*, quas sustinui: *qualia mibi facta sunt Antiochiæ, Iconij, & Lystris*; non meminit Ephesi, vbi ad bestias pugnauit. 1. Cor. 15. 32. sed non fuit pugna talis, sed magna, & diuturna vexatio, vt ibi dixi, & fortè non fuit ibi Timotheus: *quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus*, erepturus & omnes, qui confidunt in illo: quasi, non ob ista ab eo recedendum. *Et omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu*, in quo vita, *persecutionem patientur*: quasi, & tu ad hanc te præpara. *Mali autèm homines, & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes* ex Dei permissione, quasi, sinè eis nunquàm eris. *Tu verò permane in ijs, quæ didicisti, & credita*, commissa *sunt tibi, sciens à quo didiceris*: quasi, scis illa recta, nosti te non habuisse magistrum deceptorem. *& quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu*. Ex his declara verba 1. Timot. 1. 18. secundùm præcedentes in te prophetias, non quibus Paulus motus illum promouerit, sed quas ipse ab infantia retinebat; & habe hoc pro regula epistolas Pauli ex eisdem epistolis interpretandas. *Omnis Scriptura diuinitùs inspirata*. 2. Petr. 1. *vtilis est ad docendum* alios, *ad arguendum* infideles, & vitiosos, *ad corripiendum* fratres, *ad erudiendum in iustitia*, in omnibus virtutibus: vt perfectus sit *homo Dei* Deum confitens, *ad omne opus* bonum peragendum *instructus*, & suprà cap. 2. 21. ad omne opus bonum paratum, & suprà vers. 15. *quæ te possunt instruere ad salutem*.




CAPVT IV.

1 *TESTIFICOR corâm Deo, & Iesu Christo, qui*
iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius,
2 *& regnum eius: * prædica verbum, insta opportunè,*
importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, &
3 *doctrina. * Erit enim tempus, cum sanam doctrinam*
non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi ma-
4 *gistros, prurientes auribus, * & à veritate quidèm au-*
5 *ditum auertent, ad fabulas autèm conuertentur. * Tu verò vigila, in omni-*
bus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto.
6 ** Ego enim iàm delibor, & tempus resolutionis meæ instat. * Bonum certamen*
7 *certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. * In reliquo reposita est mihi co-*

rona

8 *rona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solùm*
9 *autèm mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius. Festina ad me venire*
10 *citò. * Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abijt Thessalonicam:*
11 ** Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. * Lucas est mecum solus Mar-*
12 *cum assume, & adduc tecum: est enim mihi vtilis in ministerium. * Tychi-*
13 *cum autèm misi Ephesum. * Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum,*
14 *veniens affer tecum, & libros, maximè autèm membranas. * Alexander*
15 *ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera eius:*
16 ** quem & tu deuita: valdè enim restitit verbis nostris. * In prima mea de-*
17 *fensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. * Do-*
minus autèm mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur,
18 *& audiant omnes Gentes: & liberatus sum de ore Leonis. * Liberauit me Do-*
minus ab omni opere malo: & saluum faciet in regnum suum cæleste, cui glo-
19 *ria in sæcula sæculorum. Amen. * Saluta Priscam, & Aquilam, & Onesi-*
20 *phori domum. * Erastus remansit Corinthi. Trophimum autèm reliqui infir-*
21 *mum Mileti. * Festina antè hiemem venire. Salutant te Eubulus, & Pu-*
22 *dens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. * Dominus Iesus Christus cum*
spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

ESTIFICOR *coràm Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos; viuos* nùnc, & vsquè ad iudicium existentes, morituros tamē, nullo modo in aera viuos seruatos occurrendos Christo, vt dixi. 1. Thess. 4. cum omnes morituri: statutum est enim hominibus semèl mori, & si Christus mortuus, quomodò viuus aliquis reseruandus? & in Psal. quis est homo qui viuet, & nō videbit mortē, eruet animam suam de manu inferi? *per aduentum ipsius* formidabilem, *& regnum eius* desiderabile, & quod speramus: *prædica verbum*, Euangelium, *insta opportunè, importunè*, quouis modo. Phil. 1. *argue* peccantes, *obsecra, increpa in omni patientia* contrà renittentes, *& doctrina* ergà ignorantes, seù incapaces. *Erit enim tempus, cum sanam*, sinceram *doctrinam non sustinebunt*, reijcient, *sed ad sua desideria* adimplenda *coaceruabunt* in multitudine *sibi magistros* placentia eis dicentes, *prurientes auribus*, vt in Achab. 3. Reg. vlt. in Holoferne. Iudith. 5. in Asa. 2. Paralip. 16. 10. in Sedecia contrà Ieremiam. *& à veritate quidèm auditum auertent*, nolentes eam amplecti, *ad fabulas autèm conuertentur*, illis delectati. *Tu verò* in his angustijs positus *vigila, in omnibus labora*, fatigare, *opus fac Euangelistæ ministerium tuum imple* rationem de eo redditurus. *Sobrius*, prudens *esto. Ego enim iàm delibor, & tempus resolutionis*, mortis *meæ instat;* non tamèn tùnc occisus Paulus, quia subdit, *liberatus sum de ore leonis* in prima mea defensione, & Philip. 1. 25. prædixerat futurum; sic & ad Heb. & alibi, vndè intelligebat de alio tempore, quo mors successit. *Bonum certamen certaui* pro Domino, *cursum consummaui*, ad finem perueni, *fidem seruaui*, fidelis fui in ministerio meo; sic suprà epist. 1. ad Timot. certa bonum certamen fidei. *In reliquo*, quod restat *reposita est mihi corona*, merces *iustitiæ*, iusta, debita, *quam reddet mihi Dominus in illa die* iudicij *iustus iudex*, iudicans in æquitate; *non solùm autèm mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius*, hominibus bonæ voluntatis, de quibus. 2. Cor. 5. 2. & seq. hæc omnia, vt illum accendat ad passiones pro Christo, qui est scopus epistolæ. *Festina ad me venire citò;*


Demas

Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, me spreto, ***& abijt Thessalonicam: Crescens in Galatiam, Titus in*** Dalmatiã è Roma, quem Cretæ aliàs reliquerat. Tit. 1. 5. Collige hìc Timotheum fuisse Tito chariorem Apostolo, & ideò ni mirum, si iubeat festinare ad eum verſ. 8. & 21. si tanta sibi in litteris communicet quàm familiarissimè, si viscera charitatis illi ostẽdat. Vel voluit Romæ Timotheũ magis versatũ in Scripturis, quas ab infantia imbiberat, vel vt comitaretur eum in Iudæam rediturum. Heb. cap. fin. in fin. *Lucas est mecum solus;* hoc dicit, vt magis festinet. ***Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi vtilis in ministerium***, illo indigeo; quis hic, incertum. vide de Marco suprà. ***Tichycum autem misi Ephesum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas***, fortè à se scriptas. Penula erat vestis, non liber, quia de libris expressè. Si dicas, non vestis, quia inuerisimile Apostolum dimisisse vestes cõtentum quibus tegeretur; at fortè hyemalis. ***Alexander ærarius multa mala mihi ostendit***, fecit; quis, incertum, fortè æris fabricandi magister, postquàm Paulus aliud non exprimit, nisi quòd vilis esset: ***reddet illi Dominus secundùm opera eius: quem & tu deuita***, ne tibi officiat: ***valdè enim restitit verbis nostris***, contradixit nobis, prophetizat, non imprecatur, & infrà non illis imputetur in simili. ***In prima*** vel ordine, vel principali ***mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt;*** sic à Christo omnes fugerunt: ***non illis imputetur;*** more Christi, & Stephani rogat pro eis. ***Dominus autem astitit mihi, & confortauit***, roborauit me; sic: cum ipso sum in tribulatione; ***vt per me***, cum liber ero, ***prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes*** ad quod fuit assumptus à principio, quandò apparuit ei Dominus in via. Act. 9. & Act. 23. 11. oportet te & Romæ testificari; & 27. 24. Cæsari te oportet assistere: ***& liberatus sum de ore Leonis***, Neronis, proùt de Rege. Esther 14. 13. in prima illa defensione: quæ enim prima alias expectabat pòst se; at sperauit se liberandum penitùs, quod & posteà successit: ideò hic primus carcer, quia de secundo non fuit liberatus, & quia personæ hic nominatæ videntur omnes de primo tempore seu carcere. alia vide infrà. ***Liberauit me Dominus ab omni opere malo***, de omnibus machinis ab aduersarijs contrà me instructis: ***& saluum faciet in regnum suum cæleste*** vel præsumptiuè hoc, vt alibi obseruaui, vel certò, & si hoc vltimum verum est, quod dixi, cum nullo familiariùs loqui Apostolum, quàm cum Timotheo: nullibi enim ità clarè de salute sua, quod & suprà cap. 1. 12. & hoc cap. verſ. 7. At ex his intellige dictum suprà cap. 1. Scio cui credidi, &c. ex his enim firmatur intellectus ibi datus; vndè Christus: qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Io. 12. & hoc est depositum. Epistolarum verò Pauli Romæ scriptarum hic videtur ordo. Primam epistolam Pauli ex Vrbe in catena credo fuisse illam ad Ephesios, tùm quia non inscribitur nisi Paulus, & ex hoc conijcio Timotheum, qui erat secum in Iudæa. Act. 20. 4. non fuisse illum comitatum ad Vrbem, quia quandò in Vrbe est, in alijs epistolis illum inscribit cum ipso, tùm quia Eph. cap. 6. 21. dicit Tychicum omnia nota facturum, quæ circà illum erant, proùt & Coloss. 4. & 2. Timot. 4. 13. dicit: Tychicum autèm misi Ephesum. Secunda sit epistola secunda ad Timotheum, quia cap. fin. rogat eum, vt citò veniat, & antè hiemem, & suprà notum facit Tychicum Ephesum misisse. Tertia sit ad Hebræos, quia cap. fin. verſ. 21. orate, &c. quò celeriùs restituar vobis; & verſ. 24. cognoscite fratrem vestrum Timotheum dimissum, cum quo, si venerit, videbo vos, & sic nondum Timotheus venerat, innuit tamèn scripsisse vt veniret: ideò nequè inscribitur Timotheus cum Paulo. Ex his duo colliguntur. Primum, destinatio itineris in Iudæam appulso Timotheo. Secũdum, inuerisimilem profectionem Hispanicam pòst carceres, de qua alij neque ego intendo quidquam determinare, sed verisimilior reditus in Asiã, & Iudæam ad confirmandas titubantes Ecclesias, ad quas alios miserat, & scripserat, proùt fecit aliàs. Act. 15. 36. 41. & 18. 23. Quarta ad Philippenses, in qua inscribitur Paulus, & Timotheus, qui iàm venerat ad

Vrbem

Vrbem ab Apostolo vocatus, vt suprà; ideò cap. 2. 19. dicit se citò missum ad illos Timotheum. Quinta ad Colossenses, in qua Paulus inscriptus cum Timotheo, qui verisimilitèr Vrbem appulerat; Et licèt dicat cap. 4. omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, &c. quem misi ad vos cum Onesimo, &c. de quo Onesimo & in epist. ad Philemo. tamèn vel refert, quod præcesserat iuxtà scripta in epistola ad Ephesios, vel illa ad Ephesios situanda cum hac in ordine tanquàm eodem tempore data, etsi non sit inscriptus Timotheus, qui tamèn tùnc fuerit in Vrbe iuxtà hanc, & alias supradictas; & in hac illum non inscripserit, ne odium Ephesiorum in eum concitaret quasi ipsorum accusatorem apud Apostolum. Sexta ad Philemonem, in qua inscriptus Timotheus cum Paulo, & in qua de Onesimo, & quòd paret sibi hospitium. 11. 12. hinc cogitabat redire in partes illas, vt dixi, ad exclusionem profectionis Hispanicæ, quæ tamèn alio tempore contingere potuit. Et quia fit mentio Romæ, necesse est dicere Demam rediisse pòst reditum Timothei, proùt & in epist. ad Coloss. cap. 4. 15. ideò non duplicarem Demam. Et quòd verisimilitèr Demas rediisset cum Thimotheo, facit, quia in hac epistola ad Philem. Marcus nominatur, qui ille creditur, quem Paulus scribens secundam ad Timotheum iusserat, vt secum adduceret. 2. Timot. cap. fin. 11. Facit quia & scribens ad Timotheum secundam epistolam, dicit solum Lucam secum esse. cap. fin. 11. tamèn in hac epistola fit mentio vltrà Demam, & Marcum, de quibus dictum, & Aristarchi, qui comitatus erat Paulum. Act. 20. 4. de quo ad Coloss. 4. 10. & Epaphræ, de quo & in epist. ad Coloss. 4. 12. & vltimò Lucæ. Benè verum est, quòd dubium erit quæ præcedat inter illas ad Ephes. Philip. Coloss. Philem. quæ potiùs videntur eodem tempore datæ, & ferè eiusdem materiæ, & scopi. Et fortè motus Apostolus ad scribendum ad hos ex relatione Timothei, & quia Ephesijs Timotheus præfectus, tacet de illo, nec inscribit, ne odium illorum contrà eum acuat, vt dixi. Et fortè miserat Ephesum Tychicum, vt in partes Timothei indè discessuri, vel absentis ex iussione Pauli exequeretur in illa Ciuitate. Obstat, quia in epist. ad Timoth. dicit se liberatum ab ore leonis, & in alijs, quas dicimus posteà scriptas dicit se vinctū. Pro responsione, censeo illum dicere se liberatum ab ore leonis in prima illa defensione tantùm, quia non fuit condemnatus, sed euasit in illa, at adhùc liberum non fuisse, seù dimissum à custodia, & catena, etenìm cap. 1. 8. dicit, nequè me vinctum eius; & vers. 12. proptèr quam causam hæc patior; & 16. catenam meam non erubuit, & cap. 2. 8. in quo laboro vsquè ad vincula quasi malè operans; & ad Philem. dicit, Paulus vinctus. ad Coloss. cap. fin. in fin. memores estote vinculorum meorum. ad Philip. cap. 1. 7. ad Ephes. 3. 1. & in his sempèr inscriptus Timotheus cum Paulo, & sic sempèr se dicit vinctum adhùc alijs scribens. Quarè cum non fuerit verè liberatus, & ex carceribus eductus, vel in spe, vel in illa prima defensione strictè loquitur. Vel intelligit, *de ore leonis*, idest, diaboli, qui à Petro leo dicitur, & non est inuerisimilis expositio, quia interserit, *Dominus autèm astitit, &c.* ità vt videatur ad spiritualia respexisse, eò magis quia continuando de eisdem spiritualibus, subdit posteà: *Liberauit me Dominus ab omni opere malo: & saluum faciet in regnum suum cæleste.* Vltrà quòd satis est quod dixit in illis verbis, *in prima mea defensione*, vt ostenderet se non condemnatum; nàm si defensus, vtiquè non deiectus, & verè tùnc Leo non sæuiebat, ideò sic dici non poterat, vltrà quòd non credendum hanc causam coràm Nerone Imperatore discussam, cum non videatur tanta, dignaquè eius auribus, cum (vt dixit Agrippa) potuisset dimitti, si non appellasset. Act. 26. 32. & teneretur Paulus in libera custodia cum custodiente se milite. Act. 28. 16. Quò verò ad Tychicum aduertendum quòd is iunxit se Paulo ex Epheso euadenti. Act. 20. 4. & cum de illo tempore scripserit ad Titum, in ea epistola cap. 3. 12. dicit: cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, & is, vt ex prædictis patet, comitatus est Paulum vsquè ad Vrbem, vndè posteà illum remisit Ephesum. Quæ dicta sunt, non infirmantur, etsi dicat in hac secunda, hoc eodem

dem cap. ***Trophimum;*** qui fuit causa capturæ Pauli. Act.21.29. ***reliqui infirmum Mileti,*** quia vel intelligendum Miletæ, etsi non admodum probem, quia si donatæ Paulo 276. animæ, si Pater Publij curatus febribus, & dissenteria, non est verisimile socium infirmum tùnc remissum. Vel dicendum antequàm Romam nauigaret dimisisse illum infirmum, vt Miletum iret curandus ob aliquam commoditatem, nàm Asianus, & Ephesinus erat. Act.20.4. nec ob id solum, quæ dicta sunt superiùs, tolluntur; nam reddit rationem omnium, qui secum fuerant, vel esse poterant, vt nedum satis fuerit dixisse solum Lucam secum remansisse, vt voluerit etiàm ex enumeratione omnium id constare, id autèm fecit cum Timotheo dilectissimo, & quia ipse quoquè erat secum; quandò Trophimus factus illius comes. Act. 20.4. & certò non peruenit Romam Trophimus, quia in epistolis nulla mentio ipsius, proùt aliorum omnium, maximè quia. Act.27.2. non fit mentio nisi Aristarchi comitantis Paulum ad Vrbem. Aliæ verò octo epistolæ non sunt datæ ab Vrbe, sed hæ sex tantùm.



IN

IN EPISTOLAM AD TITVM.

CAPVT PRIMVM.

1 *PAVLVS seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi*
secundùm fidem electorum Dei, *& agnitionem verita-*
2 *tis, quæ secundùm pietatem est * in spem vitæ æternæ,*
quam promisit qui non mentitur, Deus, antè tempora sæ-
3 *cularia: * manifestauit autem temporibus suis verbum*
suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundùm
4 *præceptum Saluatoris nostri Dei: * Tito dilecto filio se-*
cundùm communem fidem, gratia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Sal-
5 *uatore nostro. * Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas,*
6 *& constituas per ciuitates presbyteros, sicùt & ego disposui tibi. * Si quis sinè cri-*
mine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ,
7 *aut non subditos. * Oportet enim episcopum sinè crimine esse, sicùt Dei dispensa-*
torem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non
8 *turpis lucri cupidum: * sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum,*
9 *continentem, * amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem ser-*
monem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, ar-
10 *guere. * Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores: maxi-*
11 *mè qui de circumcisione sunt: * quos oportet redargui: qui vniuersas domos sub-*
12 *uertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. * Dixit quidam ex illis,*
proprius ipsorum propheta: Cretenses sempèr mendaces, malæ bestiæ, ventres pi-
13 *gri. * Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, vt sa-*
14 *ni sint in fide, * non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, auer-*
15 *santium se à veritate. * Omnia munda mundis; coinquinatis autem, & in-*
fidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia.
16 ** Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, & in-*
credibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

PAV-

biectum ei, ergò & mundum, & Angelos; qui omne dicit, nihil excludit. *Nunc autèm necdum videmus omnia subiecta ei*, at fiet. 1. Cor. 15. Vel, *Minuisti eum paulominùs ab Angelis*, quia à principio carnem non decorasti gloria, at postmodum secuta passione, *gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum supèr opera manuum tuarum*, ità vt Angelos præcellat, & hoc modo ad tempus referetur diminutio. *Eum autèm, qui modico quàm Angeli minoratus est*, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem, (applicat auctoritatem) *videmus Iesum proptèr passionem mortis* eius, *gloria, & honore coronatum*. Philip. 2. (vide quomodò intelligas, propterea vnxit te Deus, &c. vt dixi cap. 1.) Dicit, *gratia Dei*, quia nullus hoc meruit; vndè Rom. 5. 8. commendat autèm charitatem suam Deus, &c. & Tit. 2. 11. & 3. 4. apparuit gratia Dei, &c. Dicit, *pro omnibus* sufficientèr, & sic explicat quomodò, & cur Angelis minor, vt iàm dixi. *Decebat enìm eum* Deum, *proptèr quem omnia*; proptèr semetipsum vniuersa creauit Dominus. Prouer. 16. 4. *& per quem omnia*, verbo Domini cæli firmati sunt, *qui multos filios in gloriam adduxerat* prędestinando, *auctorem* Iesum *salutis eorum* prædestinatorum (non est datum aliud nomen sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri) *per passionem consummare* perficere ad gloriam euehendo, vt vbi ipse foret, & filij adoptiui essent. Ioan. 17. quod consecutus est passione; nonnè oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam? ità vt Deus, proùt alia omnia & hoc ad gloriam suam perficeret; vndè infrà cap. 5. consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, & cap. 12. 2. respicientes, &c. auctorem fidei, & consummatorem Iesum, & 2. Cor. 5. 15. si vnus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, & vers. 21. eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. His verbis magis explicat causam mortis Christi. Hinc collige quòad præcedentes Patres quomodò Christus passus ab origine mundi, vt dixi alibì. Et si in verbis. *Decebat enim eum*, intelligis Deum Patrem, non video quomodò alia sequentia, *qui multos filios, &c.* ad filium trahas, cum relatiuum, *qui*, eundem Patrem, non Filium referat, quod clariùs reddit verbum, *eorum*, quod sequitur, & quia differre debet consummans, qui est Deus, à consummato, qui est Christus. *Qui enìm sanctificat*, id est saluat, Christus, *& qui sanctificantur*, nos *ex vno* Patre misericordiarum, & Domino, cui omnes subsunt, & in quo fratres sumus, qui sic voluit charitatem suam commendare, *omnes*; reddit causam cur sic fieri decuit, quia tàm Christus sanctificans, quàm sanctificati à Deo recipiunt totum, & ab eo pendent: sicùt enim Christus sanctificans per mortem suam coronatus, sic nos per eandem, hoc autèm à Deo sic ordinante, & sanctificante Christummet: dicit enìm ipse: quem Pater sanctificauit, & misit in mundum. Ioan. 10. 36. hæc autèm sanctificatio fuit missio, Incarnatio, & vnctio Spiritus sancti, & virtutis; eadem phrasis habetur. Malach. 2. 10. nunquid non pater vnus omnium nostrum? nunquid non Deus creauit nos? & Act. 17. 26. fecitquè ex vno omne genus hominum, nec placet, *ex vno omnes*, idest, ab Adamo, vel natura humana, quia nullam habet connexionem cum superioribus. *Proptèr quam causam* passionis pro illis assumptæ, sic conformius. Psalm. 21. cuius verba adducit passione instante, *non confunditur*, non erubescit *fratres eos vocare, dicens* Deo: *Nuntiabo nomen tuum*, gloriam tuam *fratribus meis* dilectis pòst resurrectionem, quam antè hæc verba expetebat: *in medio Ecclesiæ*, congregationis fidelium *laudabo te*; hac auctoritate probat fraternitatem. *Et iterum: Ego ero fidens in eum*, qui scilicèt saluet me, vt doceat à Deo Christum expectasse salutem, & sic probat quod dixerat, *ex vno omnes*; sic Psal. 21. vers. 20. 21. 22. & Apostolus. 2. Cor. 1. 9. vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos; & ipse Christus: Pater saluifica me ex hac hora. Io. 12. 27. *Et iterum: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus*. Isa. 8. quasi, simùl conuenimus, vt probet à Christo nos sanctificari, prout dixerat, *& qui sanctificantur*; vndè hoc sic interpretans Paulus, subdit. *Quia ergò pueri communicauerunt carni, & sanguini* Christi,

ſti, qui carnem noſtram aſſumpſit, cum Verbum caro factum eſt, *& ipſe* Chriſtus *ſimilitèr participauit eiſdem* pueris quod ſuũ erat, ſed quid? *vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium* per peccatum, *ideſt, diabolum: & liberaret eos* pueros, *qui timore mortis per totam vitam obnoxij* obligati *erant ſeruituti*, in qua à diabolo premebantur, & exire non dabatur; vndè alibì: conuiuificauit nos, & conſedere nos fecit in cæleſtibus; proptèr nos egenus factus, cum diues eſſet, vt illius inopia nos diuites eſſemus. 2. Cor. 8. 9. pro omnibus mortuus eſt; pro nobis peccatum fecit. 2. Cor. 5. 15. 21. Credo hæc verba ſic intelligenda, quia communicare præſupponit alium, cui communicetur, non ſibijpſi; at is, cui communio carnis facta, Chriſtus fuit, qui illam aſſumpſit, & iàm præſupponit pueros ineſſe, dum facit communicantes, non ergò ipſi ſibimetipſis communicarunt: videtur enim abſurdus intellectus. Similitèr participatio Chriſti cum eiſdem pueris non poteſt eſſe de carne aſſumpta, quam ipſe cœpit; nàm non participauit illam cum alijs, alia ergò participatio eſt illa & quæ ſequitur, *vt per mortẽ, &c.* ex communicatione enìm carnis ipſi facta ſequuta eſt participatio eiuſdem in nos, mors ſcilicèt in eadem carne aſſumpta, vt pro nobis pateretur, proùt ſequitur Apoſtolus, & de huiuſmodi participatione infrà cap. 3. 1. 14. participes enìm Chriſti effecti ſumus; & participatio eſt, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. *Nuſquàm enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Vndè debuit per omnia fratribus ſimilari.* Poterant dicere, cur ſic exinanitus ad mortem? reſpondet, non apprehendit naturam Angelicam immortalem, ſed mortalem, fragilem, debilem ex ſemine Abrahæ, & ſemini ſumpto ſimilis eſſe debuit, & mors eſt lex Adam, *vt miſericors fieret*, expertus miſereretur noſtri, *& fidelis* noſtram redemptionem fidelitèr gerens *pontifex ſe* in ſacrificium oblaturus *ad Deum*, in ſpectantibus ad Deum tùnc iratum ob delicta hominum, *vt repropitiaret delicta populi*, qui à Deo defecerat. *In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.* Poterant dicere, hoc ſibi ſoli ſeruiuit, non alijs. Non, dicit Paulus, ſed omnibus hominibus: omnes enìm peccauerunt, & egent gloria Dei, & hoc eſt, quod participauit pueris, vt ſuprà.



CAPVT III.

1 *VNDE fratres ſancti, vocationis cæleſtis participes, con-*
ſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Ie-
2 *ſum: * qui fidelis eſt ei, qui fecit illum ſicùt & Moyſes*
3 *in òmni domo eius. * Amplioris enìm gloriæ iſte præ Moy-*
ſe dignus eſt habitus, quantò ampliorem honorem habet
4 *domus, qui fabricauit illam. * Omnis namquè domus fa-*
bricatur ab aliquo: qui autèm omnia creauit, Deus eſt:
5 ** Et Moyſes quidèm fidelis erat in tota domo eius tamquàm famulus, in teſti-*
6 *monium eorum, quæ dicenda erant: * Chriſtus verò tamquàm filius in domo*
ſua: quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei vſque ad finem, fir-
7 *mam retineamus. * Quapropièr ſicùt dicit Spiritus ſanctus: Hodiè ſi vocem eius*
8 *audieritis, * nolite obdurare corda veſtra, ſicùt in exacerbatione ſecundùm diem*
9 *tentationis in deſerto, * vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerunt, & vi-*
derunt

10 *derunt opera mea * quadraginta annis: Propter quod infensus fui generationi*
huic, & dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognouerunt vias meas,
11 ** sicut iuraui in ira mea: Si introibunt in requiem meam. * Videte fratres, ne*
12 *forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi à Deo viuo:*
13 ** sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, vt*
14 *non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. * Participes enim Christi effecti*
sumus: si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.
15 ** Dum dicitur: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra,*
16 *quemadmodum in illa exacerbatione. * Quidam enim audientes exacerbaue-*
17 *runt: sed non vniuersi qui profecti sunt ex Aegypto per Moysen. * Quibus au-*
tem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui peccauerunt, quorum ca-
18 *dauera prostrata sunt in deserto? * Quibus autem iurauit non introire in requiem*
19 *ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? * Et videmus, quia non potuerunt in-*
troire propter incredulitatem.



NDE *fratres sancti, vocationis cælestis*, qua ad cælum vocamur, *participes* (hoc est, quod participauit pueris Christus supra cap. 2.14. & infra vers. 14. *participes enim Christi effecti*) *considerate* ex prædictis *Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ*, fidei nostræ, quam profitemur *Iesum*; sic 2. Cor. 9. in obedientia confessionis vestræ, & Rom. 10.8.9.10. sed clarius infra cap. 4.14. teneamus confessionem, idest, fidem. & 1. Timot. 6. 12. 13. *qui fidelis est ei*, Deo, *qui fecit illum* iuxta humanam naturam. Rom. 1. qui factus est ei ex semine Dauid, idest, iuxta mandatum paternum se gerens, *sicut & Moyses in omni domo eius*, Dei, in omni Iudæorum congregatione; & non est dubium hæc verba referenda ad Moysem, quia & infra vers. 5. eadem ad eundem refert; at verbum, *sicut*, non dicit totalem similitudinem, vt ex sequentibus, quibus Iesum præfert. *Amplioris enim gloriæ iste* Iesus fabricator *præ Moyse dignus est habitus* ab hominibus, *quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam*: magis enim is honoratur, & laudatur; vnde Moysem facit partem domus, cum esset de populo, Iesum autem fabricatorẽ Moysi præferendum. *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo*, à se ipsa non fit, ita vt maior gloria sit fabricantis: *qui autem omnia creauit*, etiam domum, Iesus, *Deus est*; vnde ipsi gloria maior; simile argumentum. 2. Cor. 3. 7. & seqq. *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius*, Dei, non sua, *tamquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant* per ipsum iussu Dei populo: (explicat quomodo intellexerit similitudinem) testificabatur enim ea recepisse à Domino, & fideliter referebat, & in hoc est testimonium, quod nescio quomodo inuertatur ab alijs: *Christus vero tanquam Filius*, Dominus, *in domo sua* propria ab ipso fabricata, suo sanguine acquisita: *quæ domus sumus nos*; vos templum Dei estis. 2. Cor. 6. 16. *si fiduciam, & gloriam spei*, si fidem, & spem *vsque ad finem, firmam*, stabilem *retineamus*, conseruemus; hinc ad perseuerantiam eos hortatur. *Quapropter sicut dicit spiritus sanctus*. Psalm. 94. *Hodie si vocem eius*, Dei, *audieritis*: semper enim vocat; ego sto ad ostium, & pulso; ideo Dauid dixit generaliter (hodie) omne tempus comprehendens, quam vocem vult dicere Apostolus, vos vocationis cælestis participes audistis, *nolite obdurare corda vestra*, ne mihi obediatis, *sicut in exacerbatione*, quam habui *secundum diem* in die *tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri*:

probauerunt, & viderunt opera mea magna contrà rebelles quadraginta annis, per annos quadraginta. Quadraginta annis iuxtà psalmum offensus fui, iuxtà Apostolum primò *probauerunt, & viderunt opera mea quadraginta annis*, quia subdit: *Proptèr quod infensus fui*, at secundò, quibus autèm infensus fuit quadraginta annis? vndè dices iuxtà durationem tentationis durasse infensionem Dei. *Proptèr quod infensus fui*, iratus fui *generationi huic:* ideò infrà, *in ira, & dixi: sempèr errant corde*, nunquàm ad cor reuertuntur, errabundi vagantur. *Ipsi autèm non cognouerunt* sic errãtes *vias meas*, quibus sic errabundis, & me exacerbantibus *iuraui in ira mea* eos punituros: *Si introibunt*, non introibunt *in requiem meam*, & terram promissionis, proùt nequè introierunt nisi duo, Iosue & Caleb fideles. *Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum* (respicit verba, *corda vestra*) *incredulitatis, discedendi à Deo viuo*, qui falli non potest, cor intuetur, flagellat: horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis; sic Deum viuum, & viuentem appellat infrà 9. 14. & 1. Timot. 4. 6. 10. 17. *sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies*, iugitèr, indesinentèr, *donèc hodiè cognominatur* vsquè in finem vitæ vestræ; qui enim perseuerauerit vsquè in finem, hic saluus erit, *vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*, à peccato deceptus, sua dulcedine falsa tractus, & allectus, ità vt resurgere non possit. *Participes enim*; sic suprà cap. 2. 14. & in princip. huius cap. participauit eisdem, & vide quid, vt ibi, *Christi effecti sumus*, & conregnabimus, & traducemur ad requiem cælestem: *si tamèn initium*, quod assumpsimus, *substantia eius* Christi respectu nostri substantia, quæ est fides in eum: dicitur enim basis, fundamentum religionis: *vsquè ad finem* vitæ *firmum*, stabile *retineamus. Dum dicitur* ad perpetuitatem: *Hodiè si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. Quidam enim audientes exacerbauerunt: sed non vniuersi qui profecti sunt ex Aegypto per Moysem* ducti: quasi, sequimini bonum exemplum, non exacerbantium; ideò suprà dixit, *malum incredulitatis*, & infrà incredulos tantùm à requie exclusos, & cap. 4. 7. & 11. non tamèn excluditur spes, & charitas, cum suprà dixerit, *si fiduciam & gloriam spei retineamus*; at hìc de initio, quod est fides. *Quibus autèm infensus est quadraginta annis? Nonnè illis, qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autèm iurauit nõ introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? Et videmus, quia non potuerunt introire proptèr incredulitatem*, & videntur omnes sub hac incredulitate comprehendi, prætèr Moysem, & Aaron, & Caleb, & Iosue: quasi dicat, cauete à peccato infidelitatis, ne in idem incurratis, quod illi.




CAPVT IV.

1 *TIMEAMVS ergò ne fortè relicta pollicitatione in-*
troeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis
2 *deesse. * Etenim & nobis nunciatum est, quemadmo-*
dum & illis. sed non profuit illis sermo auditus, non ad-
3 *mistus fidei ex ijs, quæ audierunt. * Ingrediemur enim*
in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: Si-
cùt iuraui in ira mea: Si introibunt in requiem meam:
4 *& quidem operibus ab institutione mundi perfectis. * Dixit enim in quodam lo-*


co

eo de die septima sic : Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus suis.
5 ** Et in isto rursùm : Si introibunt in requiem meam. * Quoniàm ergò superest*
6 *introire quosdam in illam, & ij, quibus prioribus annunciatum est, non intro-*
7 *ierunt proptèr incredulitatem : * iterùm terminat diem quendam, Hodiè, in*
Dauid dicendo, pòst tantum temporis, sicùt suprà dictum est : Hodiè si vocem
8 *eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. * Nàm si eis Iesus requiem præsti-*
9 *tisset, numquàm de alia loqueretur, posthac, die. * Itaquè relinquitur sabba-*
10 *tismus populo Dei. * Qui enìm ingressus est in requiem eius: etiàm ipse requieuit*
11 *ab operibus suis, sicùt à suis Deus. * Festinemus ergò ingredi in illam requiem:*
12 *vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. * Viuus est enìm sermo*
Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti : & pertingens vsquè ad
diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoquè ac medullarum, & discretor
13 *cogitationum, & intentionum cordis. * Et non est vlla creatura inuisibilis in*
conspectu eius : omnia autèm nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis
14 *sermo. * Habentes ergò Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum Fi-*
15 *lium Dei : teneamus confessionem. * Non enìm habemus Pontificem, qui non*
possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autèm per omnia pro similitudi-
16 *ne absquè peccàto. * Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ : vt miseri-*
cordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.



IMEAMVS ergò, &c. Capite præcedenti dixerat nos participes factos vocationis cælestis : nunc præmonet, ne illa frustremur. *Timeamus ergò ne fortè relicta pollicitatione*, promissione nobis à Deo facta *introeundi in requiem eius*, in cælum ; sic 2. Pet. 3. 13. vbi dixi, *existimetur aliquis ex vobis deesse*, aliquis ex vobis non vocari ab illa. *Etenim* (docet pollicitationem) *ex nobis nuntiatum est* de hac cælesti, *quemadmodum & illis* de terrena, scilicèt fideles ingressuros. *Sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex ijs, quæ audierunt*, quia auditis fidem non præstiterunt : quasi dicat, nos fidem præstemus exemplo eorum edocti, vt possimus ingredi. *Ingrediemur enìm in requiem qui credidimus ; quemadmodum dixit* de illis non credentibus : *sicùt iuraui in ira mea : Si, non introibunt in requiem meam: & quidèm operibus ab institutione mundi perfectis :* tùnc enim primùm de requie dictum, & hanc requiem assequemur laboribus nostris perfectis, sicuti requieuit Deus ab omni opere mundo condito ; probat hoc requisitum. *Dixit enim in quodam loco de die septima sic : Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto* exemplo, de quo suprà, *rursùm : Si*, idest, non, *introibunt in requiem meam*, quia scilicèt opera non perfecerunt, imò exacerbauerunt me mihi non credentes. *Quoniàm ergò superest introire quosdam in illam, & ij, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt proptèr incredulitatem : iterum* (à requie temporali ad æternam tendit) *terminat*, definit *diem quendam, Hodiè, in Dauid dicendo, pòst tantum temporis spatium, sicùt suprà dictum est : Hodiè si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra;* probat de alia requie agi, quàm temporali. *Nam si eis Iesus* Iosue *requiem præstitisset* in terra promissionis, ad quam Hebræos transtulit, *nunquàm de alia loqueretur* Dauid, *posthac, die*, quia semèl ingressi nunquàm deficiunt. *Itaquè*, ergò *relinquitur Sabbatismus* requiès *populo*

Dei, Deum vſquè in finem ſequenti. *Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius* Dei: *etiam ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicùt à ſuis* operibus *Deus* die ſeptima. Apocal. 14. 13. requieſcant à laboribus ſuis. *Feſtinemus ergò ingredi in illam requiem: vt ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum* pœnarum illatarum, & repulſæ acceptæ. *Viuus eſt enim ſermo, verbum Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vſquè ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoquè ac medullarũ, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et nõ eſt vlla creatura inuiſibilis in cõſpectu eius: omnia autèm nuda, & aperta sũt oculis eius:* vult dicere, non agimus cũ mortuo, aut cœco, vt euadere poſſimus, eueniet quod annunciatum eſt nobis, ſi increduli erimus, oculos, potentiam Dei non poterimus euadere, nequè ſcientiam; ideò non dicamus, apparuit peccatum illorum & contradictio, noſtra non apparebit incredulitas; nàm certò apparitura eſt, *ad quem nobis ſermo*, de quo loquimur; ſic infrà cap. 5. 11. de Chriſto, de quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis, &c. & cap. 6. 1. intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, & ſuprà cap. 1. & ad Angelos, ideſt, de Angelis; incongrùit ſi hæc ad iudicium referas; cum omnia ad diuinitatem: Deus enim ſcrutator cordium. *Habentes ergò Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Ieſum Filium Dei,* qui interpellat pro nobis, noſter eſt aduocatus, adhùc Pontificis partes agit: *teneamus confeſſionem*, fidem in eum. Si dicis; noſtra non curat, reſpondet. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit*, non ſit aptus, nolit *compati in infirmitatibus*, imbecillitatibus *noſtris: tentatum autèm*, imò *tentatum per omnia* in omnibus vexationibus, pœnis *pro ſimilitudine* vera noſtra; ſed *abſquè peccato*, quod non apprehendit. *Adeamus ergò cum fiducia*, confidentes *ad thronum*, ad tribunal *gratiæ*, gratioſum: *vt miſericordiam conſequamur* à miſericorde ſuprà cap. 2. 17. & *gratiam inueniamus*, placeamus ei, & ſubueniat nobis *in auxilio opportuno*, dum indigemus in hac vita, in qua peregrinamur.



CAPVT V.



1 *OMNIS namquè Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro*
hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt of-
2 *ferat dona, & ſacrificia pro peccatis:* * *qui condolere poſ-*
ſit ijs, qui ignorant, & errant: quoniàm & ipſe circum-
3 *datus eſt infirmitate:* * *& proptereà debet, quemadmo-*
dum pro populo, ità etiàm & pro ſemetipſo offerre pro pec-
4 *catis.* * *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vo-*
5 *catur à Deo, tamquàm Aaron.* * *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit*
vt Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodiè ge-
6 *nui te.* * *Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum ſe-*
7 *cundùm ordinem Melchiſedech.* * *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicatio-*
neſquè ad eum, qui poſsit illum ſaluum facere à morte cum clamore valido, &
8 *lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia:* * *Et quidèm cum eſſet Filius*
9 *Dei, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiam:* * *& conſummatus, factus eſt*
10 *omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ,* * *appellatus à* Deo *Pontifex*
11 *iuxtà ordinem Melchiſedech.* * *De quo nobis grandis ſermo, & ininterpreta-*
bilis

12 *bilis ad dicendum: quoniàm imbecilles facti estis ad audiendum. * Etenìm cum*
deberetis magistri esse proptèr tempus: rursùm indigetis, vt vos doceamini quæ
sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non so-
13 *lido cibo. * Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ:*
14 *paruulus enim est. * Perfectorum autèm est solidus cibus: eorum, qui pro consue-*
tudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.



MNIS namquè Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant: quoniàm & ipse circũdatus est infirmitate; sic de quolibet. Galat. 6. 1. *& proptereà debet, quemadmodum pro populo, ità etiàm & pro semetipso offerre pro peccatis;* videtur mihi Apostolum probare velle quod suprà dixit, Iesum Pontificem nostrum aptum, & promptum infirmitatibus nostris compati, & fiducialitèr ad ipsum adeundum, sicùt ad hęc eliguntur ex hominibus Pontifices; & quia dicendo, *ex hominibus assumptus,* tacitè innuit electionem, & vocationem, ne dicerent, at Iesus non sic electus; ideò subdit, tollendo obiectum. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret,* imò humiliauit, & exinaniuit se; & similis phrasis. Philip. 2. Qui cum in forma Dei esset, &c. & infrà; *Et quidèm cum esset Filius Dei; sed* Pater illum sanctificauit, & misit in mundum. Io. 10. 36. *qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodiè genui te,* ego te clarificabo in resurrectione. *Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu* fili mi *es Sacerdos in æternum* duraturus *secundùm ordinem Melchisedech,* à me constitutus, proùt ille, non de genere Aaronico. *Qui* Christus *in diebus carnis suæ,* dum intèr nos mortalis vixit, *preces, supplicationesquè ad eum* Deum, *qui possit illum saluum facere à morte,* resuscitando: dixit enim: saluifica me, clarifica nomen tuum. Ioan. 12. 27. 28. & in Cruce, *cum clamore valido,* de quo omnes Euangelistæ, in fine, expirando, *& lacrymis,* de quibus solus Paulus, *offerens, exauditus est pro sua reuerentia,* pro suo merito; proptèr quod & Deus exaltauit illum, &c. Philip. 2. non hìc pro reuerentia sua ergà Deum, quia satis illam expressit, *preces, supplicationesquè offerens: &, clamore valido, & lacrymis.* Sed quid sibi Paulus? credo velle docere sicùt Pontificem ex hominibus assumptum, infirmitate circundatum vtì pro populo, sic pro semetipso offerre pro peccatis, sic Christum Pontificem nostrum non pro peccatis, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, sed pro sua resurrectione Deum deprecatum esse, in hocquè Pontificis officium executum esse, & de oblatione pro populo subsequitur: *Et quidèm cum,* quamuis, (sic: quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum, etsi sit Dominus omnium) *esset Filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est* facto ipso, *obedientiam,* factus obediens vsquè ad mortem, mortem autèm Crucis: & consequentèr aptus est nobis compati, vt suprà dixit cap. 4. 15. Vel, *didicit,* idest, discere fecit; vndè Petrus, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, & hãc obedientiam requirit in volente saluari infrà vers. 9. *& consummatus,* mortuus, morte sua *factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ:* non est enìm aliud nomen sub cælo datum, in quo nos oporteat saluos fieri; *appellatus,* factus *à Deo,* non aliundè vsurpans *Pontifex iuxtà ordinem Melchisedech* tùnc in ara Crucis. Sed cur hìc Apostolus de precibus pro se oblatis? vt ostendat commiserationem, & misericordiam ex ijs, quæ passus est: ideò dicit, *qui in diebus carnis suæ;* & de se, *qui possit illum saluum facere à morte,* & resurrectionem secutam, *exauditus est* *pro*

pro sua reuerentia; Vndè non video quomodò verba clara distorqueantur à recentioribus ad preces pro crucifixoribus oblatas, quia nequè verba, nequè sensus Apostoli ad id pertingunt, & postquàm locutus est Paulus de spectantibus ad eum, subdit de alijs, *qui cum esset Filius Dei, &c. & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, &c. De quo* Christo iuxtà ordinem Melchisedech, vt in fin. cap. seq. & cap. 7. *nobis grandis,* excelsus *sermo, & ininterpretabilis,* difficilis *ad dicendum* est: (rationem subdit) *quoniàm imbecilles facti estis ad audiendum* hæc magna, & spiritualia, & in princip. cap. seq. intermittentes illa, quæ ad inchoationem fidei spectant. *Etenim cum deberetis magistri esse* in his *proptèr tempus* conuersionis vestræ: *rursùm indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei,* prima principia: *& facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo,* idest, pueri. *Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ,* perfectorum; nàm sub iustitia omnes virtutes: *paruulus enim est,* hæc non apprehendens. *Perfectorum autèm est solidus cibus: eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, ac mali,* quæ eis proponuntur.



CAPVT VI.

1 *QVAPROPTER intermittentes inchoationis* Christi
sermonem, ad perfectiora feramur, non rursùm iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fi-
2 *dei ad Deum * baptismatum doctrinæ, impositionis quo-*
què manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij
3 *æterni. * Et hoc faciemus, si quidèm permiserit Deus.*
4 ** Impossibile est enim eos, qui semèl sunt illuminati, gu-*
5 *stauerunt etiàm donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, * gusta-*
6 *uerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, * & pro-*
lapsi sunt, rursùs renouari ad pœnitentiam, rursùm crucifigentes sibimetipsis Fi-
7 *lium Dei, & ostentui habentes. * Terra enim sæpè venientem supèr se bibens*
imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur: accipit bene-
8 *dictionem à Deo. * Proferens autèm spinas, ac tribulos, reproba est, & ma-*
9 *ledicto proxima: cuius consummatio in combustionem. * Confidimus autèm de*
10 *vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti: tametsi ità loquimur. * Non*
enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam osten-
11 *distis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis. * Cupimus au-*
tèm vnumquemque vestrum eandem ostentare solicitudinem ad expletionem spei
12 *vsquè in finem: * vt non segens efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide,*
13 *& patientia hæreditabunt promissiones. * Abrahæ namquè promittens Deus,*
quoniàm neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iurauit per semetipsum,
14 ** dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. * Et sic*
15 *longanimitèr ferens, adeptus est repromissionem. * Homines enim per maiorem*
sui

16 *sui iurant: & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramen-*
17 *tum.* * *In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus im-*
18 *mobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum:* * *vt per duas res immobiles,*
quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui con-
19 *fugimus ad tenendam propositam spem,* * *quem sicùt anchoram habemus animæ*
20 *tutam, ac firmam, & incedentem vsquè ad interiora velaminis,* * *vbi præ-*
cursor pro nobis introiuit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus
in æternum.



VAPROPTER ***intermittentes incboationis Christi sermonem***, de quo dixerat acturum, ***ad perfectiora feramur***, & sic agit tanquàm cum tendentibus ad perfectionem; Vndè etsi in fine præcedentis.cap. dixerit eos lacte indigere, non tamèn cum eis tanquàm talibus agit, & sic alleuat eorum imbecillitatem; ***non rursùm iacientes fundamentum pœnitentiæ, ab operibus mortuis*** à peccatis, ***& fidei ad Deum:*** fides enim fundamentum, ***baptismatum doctrinæ***, Ioannis, Christi, Antiquorum, & supèr varijs baptismatibus dixit aliàs Apostolus, & hic, ***doctrinæ, impositionis quoquè manuum***, qua Spiritus sanctus infundebatur, ***ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni***, quasi hæc sint prima elementa, in quibus fit catechismus. ***Et hoc faciemus***, vt ad perfectiora feramur, de perfectioribus loquamur, ***si quidèm permiserit Deus. Impossibile est enim***, est admodum difficile ***eos, qui semèl sunt illuminati, gustauerunt etiàm donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti*** per Sacramenta sumpta, ***gustauerunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutesquè***, potentias ***sæculi venturi*** in iudicio, resurrectione, gloria, ***& prolapsi sunt***, & ceciderunt; ***rursùs renouari ad pœnitentiam***, pœnitere: fit enim ex pœnitentia in nobis renouatio, ***rursùm crucifigentes*** ex reincidentia in peccatum ***sibimetipsis Filium Dei***, quasi, dantes occasionem Filio Dei quantum in eis est ex eorum peccato, & recessu à via recta nouæ crucifixionis, & passionis, ***& ostentui habentes*** illum, irridentes, paruifacientes crucem pro eis sumptam. Vel cum peccatis suis de nouo Christum cruci affixerint: peccata enim nostra fuerũt causa crucifixionis Christi, & ostentui; seù illusioni habuerint, quasi velit dicere, si etiàm tales essetis, qui indigeretis edoceri de præmissis, tamèn tererem tempus: ***impossibile enim***, valdè enim difficile, &c. Nec placet hìc intelligere Paulum de renouatione per baptismum reiteratum; nàm vltrà quòd suis temporibus nullum dubium supèr hoc; vndè nec ipse id sensit, & ineptè in hoc absurdum se coniecisset, & inuerisimilitèr, quia iàm vtì rem notam definiuit: vna fides, vnus Deus, vnum baptisma. Obstat etiàm, quia non loquitur de baptizatis tantùm, sed alijs charismatibus ornatis prolapsis, & quia suprà dixit immediatè nolle agere de baptismi doctrina; Et trahere verba (***rursùm crucifigentes, &c.***) vt possint denuò in morte Christi baptizari, patitur difficultates: quomodò enim volunt beneficium ab eo, quem exasperant? & absquè difficultate intelliguntur de peccatis, vt dixi. At quòd intelligat de pœnitentia, primò verba sunt clara, à quibus non est discedendum, ***rursùs renouari ad pœnitentiam***. Secundò, quia pœnitentiam, seù renouationem dicit à Deo expectandam exemplo terræ, & eam desperandam, si terra, si anima pluuijs cælestibus, charismatibus totiès irrigata, quæ generare debuerat herbam opportunam, virtutes, & opera bona, generauerit spinas, ac tribulos, vitia, infidelitates, esseque combustione consummandam; si à Deo, ergò per pœnitentiam, non per iteratum baptismum. Dices, Paulus vtitur verbo (***impossibile***) & pœnitentiæ hoc non aptatur. Respondeo esse hyperbaton Paulo familiarissimum, quo vsus est & Christus

ſtus dicens difficile, deindè quaſi impoſſibile ab exemplo cameli, poſteà poſſibile eſſe Deo, diuiti intrare in regnum cælorum. Matth.19.24. Marc.10.25. Luc.18.25. ſic de peccato in Spiritum ſanctum non remitti in hoc, vel in futuro ſæculo. Matth.12.32. Marc.3.29. Luc.12.10. ſic & Ioannes de peccato ad mortem, de quo non orandum. 1.Ioan.1.5.15. & peccatum, de quo Paulus, quod eſt infidelitatis (dicit enim *prolapſi*, & ſuprà in præcedentibus cc. ſempèr de hac agit, & contemptus, qui deſignat peccatorem in profundum abijſſe. Prouer.18.) parum diſtat à peccato in Spiritum ſãctum, cum ſit magna ingratitudo illius, qui tot beneficia, & chariſmata receperit, recedere à Deo, crucifigere Chriſtum, & (quod peius eſt) oſtentui habere, & illudere, & benè ſeruit exemplum, quod ſubdit de terra ſæpiùs irrigata, cuius ſpinas, & tribulos generantis conſummatio in combuſtionem. Prætereà, nonnè impoſſibile vnumquemque peccatorem ſurgere, maximè infidelem, & illuſorem, qui perdidit fundamentum? niſi enìm adiuuetur à Deo, quomodò poterit? & Apoſtolus dicit, & hoc faciemus, ſi quidèm permiſerit Deus; & Eccleſ.1.15. peruerſi difficilè corriguntur. Etſi Deus id ſua miſericordia præſtet, eſt hoc tàm inſigne, vt dixerit Sanctus Auguſtinus maius miraculum eſſe conuerſionem peccatoris, quàm ſuſcitationem mortui, memores tamèn, quòd quotieſcunquè ingemuerit peccator, &c. at & id à Deo expetendum, & motiuum, & gratia eſt Dei animam præuenientis, quid quod impoſſibile dicimus à Principe impetrandum, cum ab eius voluntate dependeat facere, vel negare? ſed ſi dicimus nunc impoſſibile, ideſt, valdè difficile, quid obſtat? Nonnè dicitur Ier.13.23. ſi mutare poteſt Aethiops pellẽ ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum? Dices, renouari ad pœnitentiam, non aptatur Sacramento pœnitentiæ, ſed baptiſmi, imò & pœnitentiæ: hæc eſt enìm ſecunda tabula, qua ad portum ſalutis ducimur, niſi pœnitentiam habueritis omnes ſimùl peribitis. Luc.13.3. & dicitur laborioſus baptiſmus, & per characterem baptiſmalem datur ius recidenti ad pœnitentiæ Sacramentum. Vel *renouari ad pœnitentiam*, quia indiget primis elementis fidei, qui prolapſus eſt à fide; ideò fortè dicit *renouari*, & hunc puto veriorem intellectum: cum enìm Paulus dixiſſet in principio intermittere velle ſermonem inchoationis Chriſti, intèr alia dicit fidei ad Deum, ſubdit rationem, cur prima illa elementa omiſiſſet: *impoſſibile eſt enìm*, difficile eſt admodum naufragantem à fide *rursùs renouari ad pœnitentiam*. Non obſtat, ſuprà dixit de pœnitentia antè baptiſmum, ergò hic de eadem, quia potiùs dicam diuerſa, poſtquàm illa non eſt reiterabilis: verba enìm intelliguntur de valido, non de inualido, & inutili, & fruſtratorio. Et ni mirum, ſi ità per hyberbaton loquitur Paulus, vt quos adhùc credit firmos, magìs in fide retineat; hincquè nullam moderationem dicti affert, ſed tutus de eorum ſtabili fide ſic eos dimittit. Et ne putent de illis hæc mala præſumere, ſubdit. *Confidimus autèm de vobis dilectiſſimi meliora, & viciniora ſaluti: tametſi ità loquimur*, imò & auget vires eorum ſubdens. *Non enìm iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis:* quaſi, non permittet Deus vos in hanc infidelitatem, & pericula labi, & declinare ob opera veſtra bona præterita, & præſentia: dicit enìm, *miniſtraſtis, & miniſtratis*, & verſ. *cupimus*, vult perſeuerantiam, quæ præſupponit illos, dum loquitur, in bono ſtantes (quæ tollunt tot difficultates hìc ab alijs prætèr mentem, & verba Apoſtoli excitatas) à quibus vult eos capere fiduciam; ſic eripuit Ioſaphat. 2. Paralip. 19. 3. At vt vigilent, & in his non immorentur quaſi tuti, ſubdit: *Cupimus autèm vnumquemque veſtrum*, nullum omittit, ne quemquam videatur ſpernere, *eandem* primùm *oſtentare* facto *ſolicitudinem*, diligentiam, anxiam *ad expletionem ſpei vſquè in finem*, ad perſeuerantiam finalem vſquequò ad gloriam venturi ſæculi perueniatis: *vt non ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum*, (calcaria addit) *qui fide, & patientia*, expectando, *hæreditabunt* certò *promiſſiones* Dei; explicat vndè promiſſiones, & quàm ſtabiles ſint.

Abra-

Abrahæ namquè promittens Deus. Genes. 12. 15. 17. 22. *quoniàm neminem habuit, per quem iuraret, maiorem* se, *iurauit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te,* periurus ero, veritas peribit, & hic fides: credidit enìm Abraham Deo: *Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem* (eccè patientia.) *Homines enim* (explicat cur Deus iurauerit, & per semetipsum) qui alios habent superiores, *per maiorem sui iurant: & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum:* hoc enim lites dirimuntur. *In quo,* qua in re *abundantiùs,* firmiùs *volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus,* fidelibus, *immobilitatem* inconcussam *consilij sui, interposuit iusiurandum: vt per duas res immobiles* pollicitationem, & iuramentum, *quibus impossibile est mentiri Deum* numquàm mendacem, etiàm in simplici verbo, *fortissimum*, tutissimum *solatium*, gaudium *habeamus* nos, *qui confugimus ad tenendam*, possidendam *propositam spem, quam sicùt anchoram* (exemplo nauis ex anchora tutæ vtitur) *habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem,* penetrantem *vsquè ad interoria velaminis*, cælum, quò antè Christum nullus intrabat, *vbi præcursor* præcedens *pro nobis etiàm* intrò-mittendis *introiuit Iesus* secum ducens captiuam captiuitatem ex limbo, *secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum,* ibiquè interpellat pro nobis, & sic promissionem Abrahæ factam spiritualitèr, seù de terra cælesti declarat.



CAPVT VII.

1 *HIC enìm Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi,*
qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit
2 *ei: * cui & decimas omnium diuisit Abraham: primùm*
quidèm qui interpretatur rex iustitiæ: deindè autèm &
3 *rex Salem, quod est, rex pacis, * sinè patre, sinè matre,*
sinè genealogia, nequè initium dierum, nequè finem vitæ habens, assimilatus autèm Filio Dei, manet sacerdos
4 *in perpetuum. * Intuemini autèm quantus sit hic, cui & decimas dedit de præ-*
5 *cipuis Abraham patriarcha. * Et quidèm de filijs Leui sacerdotium accipientes,*
mandatum habent decimas sumere à populo secundùm legem, idest, à fratribus
6 *suis: quamquàm & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. * Cuius autèm generatio*
non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat re-
7 *promissiones, benedixit. * Sinè vlla autèm contradictione, quod minus èst, à*
8 *meliore benedicitur. * Et hic quidèm, decimas morientes homines accipiunt: ibi*
9 *autèm contestatur, quia viuit. * Et (vt ità dictum sit) per Abraham, & Le-*
10 *ui, qui decimas accepit, decimatus est: * adhùc enìm in lumbis patris erat, quan-*
11 *dò obuiauit ei Melchisedech. * Si ergò consummatio per sacerdotium Leuiticum*
erat (populus enìm sub ipso legem accepit) quid adhùc necessarium fuit secundùm
ordinem Melchisedech, alium surgere sacerdotem, & non secundùm ordinem
12 *Aaron dici? Translato enìm sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat.*
13 *** In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit.*

Mani-

14 * *Manifestum est enim quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster: in qua tribu ni-*
15 *hil de sacerdotibus Moyses locutus est.* * *Et ampliùs adhùc manifestum est: si*
16 *secundùm similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos,* * *qui non secun-*
dùm legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubi-
17 *lis.* * *Contestatur enim: Quoniàm tu es sacerdos in æternum, secundùm ordi-*
18 *nem Melchisedech.* * *Reprobatio quidèm fit præcedentis mandati, proptèr infir-*
19 *mitatem eius, & inutilitatem:* * *nihil enim ad perfectum adduxit lex: intro-*
20 *ductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum.* * *Et quantum est*
21 *non sinè iureiurando (alij quidèm sinè iureiurando sacerdotes facti sunt,* * *hic*
autèm cum iureiurando per eum, qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non
22 *pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum:)* * *in tantum melioris testamenti spon-*
23 *sor factus est Iesus.* * *Et alij quidèm plures facti sunt sacerdotes, idcircò quòd*
24 *morte prohiberentur permanere:* * *hic autèm eo quòd maneat in æternum, sempi-*
25 *ternum habet sacerdotium.* * *Vndè & saluare in perpetuum potest accedentes*
26 *per semetipsum ad Deum: sempèr viuens ad interpellandum pro nobis.* * *Talis*
enim decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à
27 *peccatoribus, & excelsior cælis factus:* * *qui non habet necessitatem quotidiè,*
quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro popu-
28 *li: hoc enim fecit semèl, seipsum offerendo.* * *Lex enim homines constituit sacer-*
dotes infirmitatem habentes: sermo autèm iurisiurandi, qui pòst legem est, Fi-
lium in æternum perfectum.



IC *enim Melchisedech.* Apostolus ex Melchisedech, & alijs probat excellentiã sacerdotij Christi præ Aaronico, quę omnia á recentioribus habes distincta hìc, & Gen. 14. *Melchisedech.* nomen proprium, tùm quia Gen. 14. sic ponitur, tùm quia non interpretaretur illud ad fauorem vnius tantùm Paulus, si esset commune. *Rex salem,* Ierusalem, *sacerdos Dei summi,* altissimi, in altis habitantis, *qui obuiauit,* occurrit *Abrahæ regresso* regredienti *à cæde Regum* quinque, *& benedixit ei.* Gen. 14. vti sacerdos: actus enim attribuuntur potentiæ, cui magis conuenit, & quia etiàm verba ipsa redolent sacerdotium: *cui & decimas omnium diuisit Abraham,* & infrà vers. 4. *intuemini autèm quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha,* & vers. 6. *decimas sumpsit;* explicat quod aliqui obscurum dicunt. Gen. 14. at & ibi clarum, si circunstantias consideres, prædam Abrahæ, sacerdotium Melchisedech, prolationem panis, & vini in Melchisedech, & benedictionem ex quibus oritur certa coniectura Melchisedech recepisse, non dedisse: ex præda enim, & oblatione, & benedictione permotus Abraham ad decimas Deo offerendas: *primùm quidèm qui interpretatur Rex iustitiæ: deindè autèm & rex salem, quod est, Rex pacis.* Credo hanc Ierusalem, & consequentèr Melchisedech Chananæum. Congruit, quia ibì colebatur verus Deus ab eo: dicitur enim *sacerdos Dei summi,* & in eadem Vrbe successiuè cultores Dei admissi, erectum templum, institutum sacramentum, crucifixus Dominus, & alia secutura. Apoc. 11. & Salem, iuxtà quã baptizabat Ioannes Baptista, erat locus obscurus, paruus, cui non aptatur sedes regalis, nunquàm à pace denominatur, seù pacem significat, proùt Ierusalem. *Sinè patre, sinè matre, sinè genealogia,*

logia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, non quòd hæc non habuerit, sed quia Scriptura horum nullam facit mentionem, *assimilatus autem Filio Dei* in æternitate: ideò subdit, *manet sacerdos in perpetuum*, vt & in fin. cap. præcedentis.

Sed cùm Paulus nihil dicat de pane, & vino in Melchisedech, quæritur hic à multis, an constet Melchisedech verè obtulisse tunc, cùm obuiauit Abrahæ, vel aliàs in sacrificium panem, & vinum tantùm. Et quia neminem vidi discutientem articulũ, referam quæ hinc indè occurrũt argumenta, nihil tamèn determinaturus ex propria sententia.

Negatiuam probare videtur textus. Genes. 14. Nam Reges victores spoliauerant Sodomitas, & Gomorrhæos omnibus bonis, & omnibus cibarijs, quæ etiam secum asportauerant. Gen. 14. 11. Tulerunt omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, & abierunt. ità vt non fiat mentio Regem Sodomorum, qui venit in occursum Abrahæ, quicquam cibariorum attulisse. vers. 17. At verò (subdit textus vers. 18.) aduersatiuè ad Regem Sodomorum, qui occurrerat absquè commeatu, non sic Melchisedech Rex Salem, nihil passus à Regibus illis, occurrit: non vacuus vt ille, aliòquin vana esset aduersatiua: sed proferens panem & vinum, commeatum, viaticum; vndè Scriptura vult docere quomodò Melchisedech Abrahæ obuiauerit, non quòd sacrificauerit. & declarauit clarè Paulus hic vers. 1. dicens: *qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde Regum*, quod repetit vers. 10. ideò verba diriguntur, & respiciunt Abraham, cui panis & vinum data; non Deum, quasi illi oblata. ità ex Epiphanio infrà adducto. si enim sacrificasset, verba dirigerentur in Deum, non in Abraham: sacrificia siquidèm Deo, non hominibus offeruntur. & si Melchisedech tùnc sacrificium obtulisset, dum protulit panem & vinum, non tacuisset Paulus hic, qui omnia numerat, & addit, glossat, explicat multa quæ ignoraremus, ad demonstrandam similitudinem Melchisedech & Christi, eò magis quia agens de sacerdotio, & sacrificio in tota epistola, nihil congruentius adducere poterat; & quia cap. 8. de vmbris, & exemplari; & cap. 9. meminit panum propositionis figurantium corpus & sanguinem Christi in sacramento. Cyrill. cath. 4. mistag. Hieron. Malach. 1. Damasc. dè fide orthodox. lib. 4. cap. 14. cùm autèm id non fecerit, sed tantùm dicat obuiasse, excludere videtur sacrificium obtulisse, præsertim quia Paulus loquitur iuxtà Scripturam antiquã, in qua continetur historia.

Dices, Paulus non egit de pane & vino, quia scribebat Hebræis incapacibus, & materia sanctissimi Sacramenti erat captu difficilis. At respondeo, cum niteretur eos ad fidem allicere, mentio panis & vini erat admodum opportuna, & spectans ad sacerdotium, de quo in tota epistola, vt ex ea inferret ad Christum, & explicaret hanc similitudinem, quam assumebat demonstrare; & de sanctissimo Sacramento agit Paulus in alijs epistolis, præsertim. 1. Cor. 11. 17. vsquè in finem. Quarè etsi non esset necessarium de sanctissimo Sacramento tùnc cum Hebræis agere, tamèn valdè opportunum, & congruum similitudinem hanc referre.

Confirmantur præmissa ex more excipiendi cum commeatu, & victualibus victores, vel alios à prælio redeuntes, vel transeuntes, seù iter facientes. Deut. 23. 3. in Gedeone Iudic. 8. in Abigail cum Dauide. 1. Reg. 25. Siba cum eodem. 2. Reg. 16. Berzellai. 2. Reg. 19. 32. Rege Israel cum Syris. 4. Reg. 6. 22. Moyse & Eleazaro cum exercitu victore Moab. Num. 31. Iethro cum Moyse. Exod. 18. non ergò sacrificauit: quid enim commune habet sacrificare, dum hospites excipiuntur, dum exercitui transeunti occurrendum? non enim fiunt exercitus sacrificiorum gratia, sed cibi & potus; imò ex hoc more Paulus dicens (*obuiauit*) comprehendit prolationem panis & vini: quasi, *obuiauit* cum commeatu.

Dices, non conueniebat Regi excipere cum pane & vino tantùm. Respondeo, ità videri sonare verba textus, à quo vel non recedendum; vel sub pane comprehendi omnia obsonia, & lauta conuiuia ex Scri-

ptura. Gen. 24. 33. 54. & 43. 16. 25. 29. Prouerb. 31. 27. Act. 20. 11. 1. Reg. 28. 22. & 24. 1. Reg. 14. 24. 27. 28. 4. Reg. 6. 22. 23. Luc. 14. 1. eò magis hìc, cum & vinum cum pane; & sic de conuiuio, & epulo intelligunt Philo, Iosephus, & alij. Vel dicendum de pane & vino fieri mentionē, quia hæc fuerunt principalia; præcipua, & in maiori quantitate ad reficiendum exercitum, cui non apponuntur multa obsonia; attenditur enim quod maius, & principale est, & ideò de conuiuio Abrahæ, & principibus parato nihil dicitur, cum esset minus principale, & paucis exhibitum; hinc remanet typus in pane & vino, quæ sunt principalia & expressa, etsi mixtum fuisset conuiuium. quæ omnia cum referantur ad munificentiam regalem: ideò antè Melchisedech Regem prædixerat. At verò Melchisedech Rex Salem panem & vinum proferens; nondum autèm sacerdotem, de quo posteà subdit, dum de sacerdotalibus munijs agit.

Dices, Abraham & exercitum non indiguisse commeatu, quia eripuerat omnia à Regibus, quos debellauerat. Respondeo primò, nullam fieri mentionem Abraham reportasse cibaria: nam Gen. 14. 11. dicitur: Tulerunt autèm omnem substantiam Sodomorum & Gomorrhæ, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, necnon & Lot & substantiam eius. sed vers. 16. dicitur: Deduxitquè Abraham omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoquè & populum; nihil autèm de cibarijs. his ergò indigebat Abraham, & exercitus. Secundò, vltrà Scripturam id est admodum verisimile, quia cibaria ab exercitibus de facili consumuntur, præsertìm finito bello, & à victoribus, qui expediti & palantes redeunt domum, nec curant cibaria, quæ hoste victo, & in pace in via per regiones amicas de facili occurrunt; & in eo casu præsumendum de facili consumpta fuisse spatio quinque dierum, tùm à primis militibus Regum, tùm à secundis Abraham & sociorum, & populo Sodomitico & Gomorrhæo: Vndè Abraham dixit (exceptis his quæ comederunt iuuenes. Gen. 14. 24.)

Dices, Regem Sodomorum verisimilitèr portasse cibaria, cum de eius interesse ageretur. Respondeo, clarum esse ex textu Regem Sodomorum, & eius ciuitatem omnibus cibarijs spoliatam. vers. 11. nihil attulisse vers. 17. eò magis quia subditur de Melchisedech afferente panem & vinum per aduersatiuam (At verò:) & non erat regnum Regis Sodomorum proùt Hispanicum, & Gallicum: nam in solis Sodomis regnabat. vers. 8. alius Gomorrhæ; & quælibet ciuitas habebat Regem. Vndè Iosu. 7. Rex Iericho. Rex Hai. 8. & per totum Iosue apparet in tota Chananæa fuisse quadraginta, vel quinquaginta Reges. & apportandus erat commeatus exercitui, & populo reducto in quantitate, non frusta panum: idcircò subuentio Melchisedech necessaria fuit. Vel dicam ignorasse Melchisedech occursum Regis Sodomorum, & annonam comportatam. Vel non in eodem loco vtriusque occursus. Vel non ob id cessare debuit ipse ab officio, & liberalitate: hinc consideranda persona Melchisedech, non Abrahæ. Vel (quod credo melius) sciuit Regem Sodomorum omnibus cibarijs spoliatum non potuisse commeatum deferre, & ipse suppleuit; vltrà quòd Abraham nihil voluit de suo. Gen. 14. 23.

At esto, erant in exercitu Abraham cibaria; dicam vel ignorasse Melchisedech, vel non ob id munificentiam regalem cessare debuisse à charitate, liberalitate, & officio, sicuti Magdalena, quæ nouerat vnctum Christum centum libris aromatum à Nicodemo; non cessauit ab officio illum vngendi; & videmus quotidiè id fieri, vt exercitibus, & Ducibus occurramus, hospitemur milites, subueniamus de recenti cōmeatu: gratiora enim sunt recentia obsonia, & conuiuia regalia militibus, & Ducibus, quàm per eos comportata parabilia.

Confirmatur intellectus textus. Gen. 14. habentis verbum (proferens) iuxtà vulgatam, ex concordantia aliarum versionum: Nam Hebræa habet (protulit panem & vinum.) Septuaginta (protulit panes & vinum.) Chaldæa (adduxit panem & vinum.) nulla versio (obtulit) proùt textus Gen. 4. 3. 4. Iudic. 18. 18.

Item,

Item, quia si dicis (proferens) id est, offerens Deo, poterit dici, ergò nihil dedit Abrahæ, vel exercitui, quia ex alijs verbis non probatur, & tamen omnes volunt Abrahæ dedisse, & exercitui, aliòquin ad quid panem, & vinum proferre?

Item posset dici verbum (proferens) ex verbi proprietate non importare sacrificium.

Dices verisimilitèr obuiasse oblaturus sacrificium, in eoquè gratias acturus Deo pro Abraham. At de hoc nihil habemus in textu. Prætereà, quis vocauit Melchisedech ad gratias agendas? fuisset hæc ingestio vltronea Rege, & Sacerdote inuerisimilis; sicut occursus, & prolatio panis fuerunt vltronea ex textu ad reficiendum exercitum, & Abrahamum tùm congrua, tùm opportuna; & verisimilitèr antea intèr Melchisedech, & Abraham intercedebat necessitudo aliqua, tùm quia ambo iusti, tùm quia vicini: vnde in diuisione à Lot visa est Regio Sodomæ. Genes. 13.10. quarè noscens iustitiam Abrahæ amici sui, tantò minus se ingesisset in spectantibus ad Abraham non vocatus. Prætereà, eratne is Abrahã, qui ignoraret Deo gratias agere, vt Melchisedech occurrerit hæc suppleturus? Et si Moyses, Debora, Iudith, Sãson, & alij pro victorijs gratias retulerunt, cur negamus in Abraham? imò dando decimas, facto reddidit gratias Deo, quod ad exemplum sumpsit Iacob nepos suus, illas Deo vouens. Gen. 28. 22. Nonne memor Dei tùnc Abraham, dicens Regi Sodomorum: Leuo manum meam ad Deum. Gen. 14.? Et si diceres Abraham rogasse Melchisedech, responderem preces has non præsumendas esse pratèr, vel contrà textum, qui nihil de his, imò innuit vltroneum occursum, & commeatum. Ad hæc, Duces, & milites solent reddere gratias Deo pro parta victoria, non in itinere, sed cum in patriam, vel locum tutum peruenerunt, & sistunt. Sed ad quid vltrà textum vagari? clarè enim habetur quid fecerit Melchisedech. Benedixit, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Non ergò id actum in sacrificio præsumpto, sed in benedictione, & sic ex textu id eliditur. & laus datur Deo à Melchisedech ex proprijs, seù in persona propria, quasi admirans Dei bonitatem in tanta victoria Abrahæ, non autèm facit pro Abraham, seù vice Abrahæ.

Confirmantur præmissa, quia in via vbì altare, in quo sacrificium locaretur? supèr altaria enim sacrificia offerebantur; sic præsumitur fecisse Cain, & Abel à patre Adamo edocti, sic fecit Noe. Gen. 8. Abraham sæpiùs. Gen. 12. 7. 8. & 13. 18. & hi antè Melchisedech: & posteà alij omnes; & nondum erant altaria portatilia, quorum vsus cœptus. Exod. 27. sed fabricabantur vbì volebant sacrificare. Et si danda erant panis, & vinum sanctificata exercitui, & multitudini redeunti, præparanda erat magna quantitas, multa altaria, multi ministri extraordinarij, & horum nihil habemus.

Prætereà, quodnàm fuisset hoc sacrificium Melchisedech ibi in pane, & vino tantùm? horum enim partem non legitur, cremasse, vt Leuit. 2. non totum, proùt in holocausto. Leuit. 1. & proùt in oblatis Abel iuxtà aliquos. Gen. 4. & contigit Iudic. 6. 21. & fortè 13. 19. & 3. Reg. 18. 38. 2. Machab. 2. aliòquin quomodò dedisset in potum, & cibum Abrahæ, & exercitui? non vt Leuit. 24. 7. & 1. Reg. 21. 6. de panibus calidis positis antè faciem Domini, quia nondum lex, vel vsus, nec ibì altare. non proùt Leuit. 7. in pane, & libaminibus: nam vbì altare in via, vbì victima simul? non fuit hostia pacifica: nam hæc non consistebat in pane, & vino, sed in victima. Leuït. 3. cognita antè legem. Exod. 18. 12. quomodò ergò sacrificauit dum obuius fuit Abrahæ? Fortè proùt de fermentato in lege, cuius offerebantur primitiæ, sed non in altari. Leuit. 2. 12. & hoc non fuisset sacrificium.

Insupèr, non videtur posse stare simul, quòd Melchisedech sacrificauerit, & panem, & vinum sanctificata Domino militibus ex præsumptione improbis, & populo Sodomitico improbo educto edenda, & bibenda porrexerit, cùm margaritæ antè porcos non sint proijciendæ; si enim pòst legem

gem non licebat edere de panibus propositionis antè faciem Domini in altare positis,nisi sacerdotibus. Exod.29.33.Leuit. 24. Matth. 12. 3. ita vt recusaret sacerdos illos dare laicis immundis. 1.Reg.21.quomodo id fecisset Melchisedech perfectior, vt per Paulum hic? & de sacrificio, quod plus est? Nec dicas, illud post legem, non antè: nam præsumendum sempèr viguisse vt sacrata Deo non tangerentur,aut comederentur à laicis: sancta enim fuerunt quocunque tempore. Non obstat. 1.Reg.9.13. quia non constat, an populus comederit ex hostia pacifica, cuius pars offerebatur Domino; reliqua comedi poterant à populo,vt ibì Lyranus, quod non erat in panibus propositionis, vt suprà: & in Melchisedech non possumus specificare sacrificium,vt dixi. Et certè non erat sacrificium pacificum, quia in eo interueniebat victima. Leuit. 3. qua ipse non vtebatur iuxtà tenentes contrariam opinionem.

Dices, verba (proferens panem & vinum) importare sacrificium,quia immediatè subditur pro ratione (erat enim sacerdos Dei altissimi) sacerdotum enim est offerre sacrificia. Respondeo,verbum(enim) capi aliquandò pro (autem) prout Num.3. 4. & Ios. 10. 16. & sic vertunt septuaginta (erat autem sacerdos) & Pagninus vertit (& ipse erat sacerdos Dei altissimi.) Chaldæus (& ipse erat minister coram Deo excelso.) & hoc modo non seruiret pro ratione præcedentium,quibus satisfecerat nuncupando eum Regem, qui commeatum præparasset. Sed cùm esset dicturus alia, quæ ad sacerdotem pertinent, nempè benedictionem, & decimarum receptionem, explicat qualitatem hanc sacerdotij in viro,prout hìc Paulus (*Sacerdos Dei summi*) etsi nihil agat de sacrificio oblato; & hic est mos scripturæ, vt non sempèr in vna phrasi qualitates personarum referat, sed iuxtà opportunitates factorum narrandorum distinguat, & diuidat. patet Io.1.vers. 19. vbì missi dicuntur leuitæ & sacerdotes, & vers. 25. Pharisæi; & sic verba (erat enim sacerdos) seruiunt ad sequentia (benedixit ei) prout ex Paulo hic colligitur. Vel vrgeret argumentum, si verba prima (proferens panem & vinum) importarent sacrificium. At de hoc quæritur: ideò verba sequentia (erat enim sacerdos Dei altissimi) nihil immutant, vel important ad sacrificium pertinens, sed stant de per se; & nostri sacerdotes non sempèr sacrificant dum panem & vinum tractant; vndè quomodocunque dicas, vel (enim) vel (&) vel (autèm) nihil facis, dum non probas verba illa importare sacrificium. Vel (proferens panem & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi,benedixit ei)& sic phrasis huc usquè protendatur. Vel verba (erat enim sacerdos Dei altissimi)apponuntur,vt ostendatur cur motus ad hanc munificentiam Melchisedech ergà Abraham, cur gratulabundus, & pacem ac bona precaturus occurrerit, cùm nullum haberet interesse in bello: vltrà enim quòd erat Rex, cui illa suppetebant, vt præmisit, dicit etiam motum (quia erat sacerdos Dei altissimi) vt in Abraham excipiendo Deo suo altissimo obsequium præstaret,& gloriam daret,præsertim quia intellexerat manum Domini cum Abraham paucis copijs munito in cæde tot Regum fuisse. Vel ad demonstrandum vnde viro tanta charitas, & liberalitas in excipiendo Abraham: quasi, hæc in eo charismata (quia erat sacerdos Dei altissimi) & sic in hoc commendatur, prout Abraham, & Lót expectantes, & excipientes peregrinos, pro quibus & Angelos recipere meruerunt.

Dices, habetur Gen. 14. & Heb.7. Melchisedech esse sacerdotem, & nullibi mentio de eius sacrificio; ergò ex dictis verbis (proferens panem & vinum) enunciatur sacrificium. Respondeo, habemus in scriptura alios fuisse sacerdotes, & de multis non enunciatur quid sacrificauerint; sed credimus verisimiliter eos sacrificasse quæ alij communitèr sacrificabant; vnde sufficit scripturam enunciasse Melchisedech esse sacerdotem: nàm consequentèr possumus dicere sacrificasse victimas,& alia iuxtà ritum aliorum: etenim ab Adam, siuè Abel vsquè ad mortem Christi sacrificia omnia consistebant in occisione pecudum, & armentorum, quorum sanguis effundebatur ad representandam mortem Christi,

quod

quod erat principale & præcipuum in quolibet sacrificio; sic Abel Gen. 4. Noe Gen. 8.20. Abraham Gen. 12. 8. & 13. 4. 18. & 15. iubente Deo. Iob.c.1.5. tentato Abraham offertur aries in holocaustum Gen. 22. Exod. 10. 26. instatur pro eductione omnium gregum pro sacrificio. Exod. 12. iubetur occidi agnus, & fieri phase, & liniri postes, & superliminaria illius sanguine, ad denotandum omnes liberandos esse in sanguine Agni immaculati Christi: hincque dicitur (Agnus occisus est ab origine mundi.) & iuxtà Paulum sine sanguinis effusione non fit remissio, etiam in hominibus ex circumcisione. Gen. 17. De pane & vino solis non habemus exemplum præcedens, vel iussum Dei; scimus munera herbarum Cain ingrata, tùm ratione illarum, tùm malitiæ ipsius, sed fortè etiam, quia in primogenitis gregis oblatis ab Abel mors Christi præfigurabatur, Domino grata, quę non in herbis Cain; vndè si tollimus victimas à Melchisedech, simul tollimus ab eo principalissimum in sacrificijs antiquis: nam panis & vinum representabant sacrificium incruentum, quod est consecutiuum, non principale; & hæc etiam post legem, & fortè antè interueniebant in quolibet ferè sacrificio; & sic illum alijs sacrificantibus minorem, & suum sacrificium imperfectum absque victimis, & sanguine reddimus, quod non referret nisi incruentum, non cruentum sacrificium Christi. quarè dum putamus illum extollere, satis deprimimus: & dum volumus Christo assimilari, tollimus maiorem similitudinem, quæ est representatio mortis: & ex Paulo infrà cap. 8. 3. Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur: & nos sacrificantes incruentum sacrificium, nonne facimus in memoriā mortis Domini nostri Iesu Christi, iuxtà eius iussionem: Hæc quotiescunquè feceritis, in mei memoriam facietis? hoc autèm non representasset Melchisedech offerendo panem & vinum tantùm: hinc offerebantur victimæ, & vna panis & vinum ad designandum cruentum, & incruentum. Hæc omnia versantur circà intellectum textus Gen. 14. patientem difficultates, quas tetigi.

Sed dices, si tunc non sacrificauit in via, sacrificauerat domi, & panem sanctificatum protulit. At videtur tolli hoc vnico verbo, quia nullibi de hoc in scriptura.

Confirmantur aliundè præmissa, quia si sacrificasset Melchisedech in pane & vino tantùm, relatum esset vel in lege Moysis, vel in alia parte scripturæ, in quam omnia ferè magni ponderis translata: & Abraham, & sancti Patriarchæ facto imitati essent, & ex eorum imitatione nihil derogatum esset Melchisedech primo inuentori, sed magis auctum; & Malachias cap. 11. refert ad tempus Messiæ oblationem mundam, quæ ortum, & effectum habuit ex morte & sanguine fuso in cruce per eum.

Confirmantur ex Paulo hoc cap. & per tot. epis. & Dauid psal. 109. dicentibus Christum sacerdotem æternum secundùm ordinem Melchisedech, non ratione sacrificij oblati, sed ratione æternitatis: si enim ratione sacrificij oblati à Melchisedech hoc diceretur, non omisisset Paulus, qui omnia, in quibus assimilati Christus & Melchisedech, enumerat; propterea hanc similitudinem omittendo, videtur excludere sacrificium de illo tempore, dicturus si fuisset, eò magis quia cap. 8. dum loquitur de vmbris & exemplari, ad propositum suum valdè conferebat; similitudo ergò ex Paulo & Dauide est in æternitate, non in panis & vini oblatione, quæ ad æternitatem nihil faciebat, cùm sacrificium incruentum non sit duraturum in æternum, sed cessaturum quandò concremabitur mundus; quarè illius ratione Christus non diceretur sacerdos in æternum: & quia oblatio panis & vini erat communis omnibus sacrificijs antiquis, nihil particulare, seù speciale dixisset, & cùm non dixerit, præsumendum est Melchisedech obtulisse quod alij sacerdotes offerebant: & hanc æternitatem vtì Messiæ propriam Isa. 40. Ezech. 37. Dan. 7. 14. turbæ quoquè nouerunt. Io. 12. 34. Nos audiuimus ex lege quia Christus manet in æternum: vndè nullibi consideratur oblatio; sic Ecclesia in officio: sacerdos in æternum Christus Dominus secundùm ordinem Melchisedech (hucusquè Dauid, & hìc coma) panem & vinum obtulit, Chri-

ſtus, non Melchiſedech: nihil enim de oblatione in Melchiſedech. Sed quomodò Melchiſedech æternus? declarat Paulus. quia *ſinè patre, ſinè matre, ſinè genealogia, nequè initium dierum, nequè finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum*. Sola ergò æternitas obſeruata in eo, non aliud; ſed legenti hanc epiſtolam hoc clarè apparebit; *Tu es* ergò *ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, id eſt, ſtatum, qualitatem, prout fuit, & eſt Melchiſedech æternus, vt ſuprà: ſic verbum ordinem, ſumitur verſ. 11. & Iudic. 5. 20. & Iob. 38. 33. non prout obtulit Melchiſedech, quia hoc non congrueret cum antecedentibus. Et ſi Paulus conſideraſſet ordinem Melchiſedech quòad oblationem, quomodò Paulus nullam feciſſet mentionem oblationis, in qua ſe fundabat? Prætereà, neceſſe eſſet probare Melchiſedech obtuliſſe azyma, vt daretur ſimilitudo cum ſacrificio noſtro incruento, & interim præſumptio eſt, cùm fiat mentio panis, panem fuiſſe fermentatum: & nihil fermentatum volebat Deus in ſacrificijs. Exod. 23. 18. Nihil eſt, Melchiſedech à Deo prout Chriſtus vocatus, non Aaron: nàm & Aaron à Deo vocatus. Heb. 5. 8. vel quia vnctus Aaron, non ille: nàm & ille à Deo. de Chriſto quidem Petrus: Quem Deus vnxit Spiritu ſancto, & virtute. etſi de hoc nihil per Paulum omnia tangentem. de Melchiſedech illud tantùm: *ſacerdos Dei ſummi*. imò ſeclusâ æternitate, potius aſſimilabitur Chriſtus Aaroni, quàm Melchiſedech, & è contrà in ſacrificio: Nam cùm in vnaquaque re attendatur quod principalitèr agitur, & principale in Chriſto fuerit ſacrificium cruentum ſui ipſius in cruce conſummatum, (nàm aliud incruentum in memoriam illius fit) & ex cruento ſacerdotis nomen acceperit; profectò cùm Aaron immolauerit victimas primum cruentum figurantes maius & principalius, ita præferendus Melchiſedech, qui offerendo panem & vinum, incruentum tantùm iuxta aliam opinionem ſecundarium & minus principale figurauit. & non eſt nouum ſimilem dicere Chriſtum Aaroni: nàm Aaroni aſſimilat eum Paulus hac eadem epiſt. cap. 5. 4. in ſuſceptione ſacerdotij, dicens: Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquàm Aaron; ſic & Chriſtus: Non ſemetipſum clarificauit vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: filius meus es tu, ego hodiè genui te pſal. 2. 7. quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech. pſal. 109. 4. Vndè ad propoſitum, quando diſſimilem facit eum ab Aarone, ſed ſimilem Melchiſedech. cap. 7. 11. ponderat tantùm æternitatem, quæ in Aarone non potuit conſiderari, quia habuit alios ſucceſſores, quos non Melchiſedech, & ſic verificatur in Melchiſedech pro ſimilitudine conſiderari æternitatem, vt proſequitur Paulus hic.

Si dicis, quomodò ad demonſtrandum, Chriſtum ſeipſum clarificaſſe vt Pontifex fieret, Paulus intendit probare ex præmiſſis auctoritatibus? Reſpondeo, vel quia hæc prædicta antequàm Verbum incarnatum: vel meliùs, quia cùm mandatum paternum accepiſſet animam ſuam ponendi vſquè ad crucem, & ex morte, quam conſecutura erat reſurrectio, ſacerdotium orietur, & ſtabiliretur: tunc enim factus ſacerdos quandò in cruce litauit ſemèl in ſanguine ſuo, vt obſeruat in epiſtola Paulus; ſic & Aaron conſecratus cum animalium occiſione, prout in ritu conſecrationis. Exod. 29. proptereà cùm illa caro aſſumenda à verbo electa eſſet à Deo ad hoc, nempè ad mortem, & conſequentèr ad ſacerdotium, benè dicit Paulus, non ſeipſum clarificaſſe vt Pontifex fieret, ſed Deum clarificaſſe illum, vocaſſe illum prout Aaronem in ſacerdotem. At quia æternitas ſacerdotij à reſurrectione expectabatur, proptereà ad eam denotandam dixit Deus: Filius meus es tu, ego hodiè genui te, reſuſcitaui te; ſic: *Tu es ſacerdos in æternum*, quia ſurrexit ad vitam immortalem non amplius moriturus. Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur: quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemèl: quod autem viuit, viuit Deo. proptereà *ſecundùm ordinem Melchiſedech* æterni; hincquè

què firmatur, sacerdotium considerari post mortem & resurrectionem, & æternum verè & propriè, non autem habito respectu ad durationem mundi tantùm. Ex Paulo habentur quæ dixi: nam cap. 5.9. dicit de Christo: Consummatus per mortem crucis, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxtà ordinem Melchisedech. ex quibus verbis tria colligo ad propositum. Primum, ex cruce natam appellationem sacerdotis. Secundum, causam salutis æternæ omnibus fuisse; hinc si alijs verè æternitas ab ipso data, ergò ipse eò magis æternus consideratur, non ad durationem mundi tantùm. Tertium, verba, *secundùm ordinem Melchisedec*, importare æternitatem, vt dixi, quia in his non præcedunt verba, *tu es sacerdos in æternum*, prout & suprà consideraui in Melchisedech: sed tantùm (iuxta ordinem Melchisedech:) vndè idem est dicere, *tu es sacerdos in æternum*, ac, *secundùm ordinem Melchisedech*. Ad idem faciunt verba cap. 6. in fin. & hoc cap. in fin. & cap. 9.13. æterna redemptione inuenta, per proprium sanguinem semèl introeundo in sancta. & cap. 10. 12. hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei. & vers. 14. vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos. Ad idem pondero verba, *tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*. duo hìc dicit propheta. vnum, qualis sit, in verbis, *tu es sacerdos in æternum*. alterum, cui similis, in sequentibus, *secundùm ordinem Melchisedech*. cùm autem verba, *tu es sacerdos in æternum*, importent æternitatem, ita verba, *secundùm ordinem Melchisedech*, non possunt referre nisi id quod continetur in assimilato, quod est æternitas. Quarè si dicis, prout sacrificauit Melchisedech, à dissimili erit argumentum, quia primum agit de æternitate, secundum de sacrificio, quæ sunt diuersa; sed de his infrà latiùs.

At pro affirmatiua primò faciunt verba Gen. 14. (proferens) id est, offerens, obtulit scilicèt in sacrificium Deo panem & vinum gratias acturus pro Abraham victoria potito; & est interpretatio multorum Patrum; sic verbum (offerret, & obtulit) Gen. 4. 3. 4. & Iudic. 18. 18. (offerens) ad sacrificium aptatur. Vel protulit vt offerret, ita Vatablus.

Secundò, quia datur ratio cur obtulerit (erat enim sacerdos Dei altissimi) quasi hoc ei proprium: vndè verba hæc subiuncta declarant præcedentia, vt intelligantur de sacrificio.

Tertiò, quia Abraham dedit ei decimas, quasi recognoscens quæ pro illo vti sacerdos fecerat, & obtulerat.

Quartò, quia & aliud munus sacerdotale exercuit, dum Abraham benedixit.

Quintò, quia nullum aliud sibi erat negocium cum Abraham.

Sextò, quia dicitur sacerdos Melchisedech, & nullibi scriptura aperit quid offerret, nisi d. cap. 14. Gen.

Septimò, quia nisi sic dicamus, non verificabitur dictum Dauidis de Christo (Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech) ita Abulen. d. cap. 14. & alij.

Octauò, non potest dici obuiasse commeatū exercitui daturus, tùm quia non fuisset regalis munificentię panem & vinum tantùm absquè alio obsonio afferre, & de pane & vino strictè hìc videtur intelligendum, prout. 1. Reg. 21. 6. tùm quia exercitus reportabat cibaria ab hostibus erepta. Gen. 14. 11. 16. 24. vndè non indigebat: tùm quia id ad regem Sodomorum victum & spoliatum, cuius spolia reportabantur, spectabat, qui præsumitur fecisse, non ad ipsum.

Nonò, non contrariatur Paulus hìc, nullam faciens mentionem panis & vini, quia scopus suus erat de cruento, & vnico sacrificio Christi agere, non de incruento: & de æterno Christi sacerdotio, non de sacrificio cessaturo post iudicium: & noluit tractare cum Hebræis rudibus de augustissimi sacramenti materia difficili.

Decimò, quia hoc posteà est traductum in lege Mosaica, vt cum quibuscunque sacrificijs cruentis azyma, simila, seù flos farinæ,

rinæ, placentæ, vinum, seù libamina miscerentur: aliud enim non habemus præcedens exemplum.

Vndecimò, habemus simile in Dauide, qui recepit à sacerdote pro se & pueris sanctificatum panem 1. Reg. 21. 6.

Duodecimò, etsi tunc non obtulit dum obuiauit Abrahæ, certè priùs obtulerat domi, quod deindè protulit; vel saltèm solebat sic offerre.

Decimotertiò, in canone Missæ habemus (& quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.)

Decimoquartò, dicit Ecclesia (sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech, panem & vinum obtulit.)

Hæc sunt, quæ pro vtraque parte mihi occurrerunt. Prima opinio tenetur à Chaldæo dicente adduxit panem, & vinum. Pagnino, & Septuaginta interpretantibus, protulit; à Damasceno de fid. orthod. lib. 4. cap. 14. dicente, pane, & vino eum excepit. Epiphanio lib. 2. to. 1. hæres. 55. quandò enim Abraham, &c. Melchisedech ipsi obuiàm fuit, & proposuit ipsi panes, & vinum, mysterium præfigurans, & exemplaria, &c. Caiet. Gen. 14. clarè his verbis. Nihil scribitur hic de sacrificio, seù oblatione sed de prolatione, seu extractione, quam Iosephus dicit factam ad reficiendum victores. Quod autèm in vulgata editione subditur, vt causa oblationis, erat enim sacerdos Dei altissimi, in Hebræo non habetur vt causa oblationis, & ipse sacerdos el excelso, adiungit siquidèm Regiæ dignitati, ac liberalitati dignitatem sacerdotalem non dij, gentium, sed Deo excelso, & nominatur Deus el, & est datiui casus. Eupolemone apud Eusebium de præp. Euang. lib. 9. cap. 4. Theodoreto in Gen. q. 63. dicente, Abrahæ panes, vinum, & massam farinæ vicissim dedit, proùt moris vnicuique Deo omnium talia offerre: animaduertebat enim & in hoc typum patefieri. Philone de Abraham dicente: mactatis victimis splendidum epulum socijs omnibus præbuit. Iosepho lib. 1. antiq. cap. 11. num. 40. Rabbi Salomone. Gen. 14. Clario. Gen. 14. & Psal. 108. Melchisedech panem, & vinum lassis ex itinere protulit. Et Lipomanus in catena refert Hebræos, & alios tenere hanc opinionem, quam ipse non reprobat, sed dicit, rectiùs tamèn dici, &c. Vgo Card. in d. cap. 14. refert, & non reprobat opinionem Iosephi.

At postrema Affirmatiua est multorum Patrum, & antiquorum, & recentiorum interpretum, tàm hìc, quàm Gen. 14. & alibì, & communior, ideò ab ea non est discedendum.

Sed posset factum hoc Melchisedech obuiuantis Abrahæ cum pane, & vino, vel eius sacerdotium deseruire etiàm non obstante prima opinione negatiua; aut enìm volumus Melchisedech obtulisse, & immolasse victimas, proùt alij sacerdotes, seù alij immolantes, & vnà cum illis panem, & vinum, vt de libaminibus in Iacob sacrificante. Gen. 35. & credendum alios sic fecisse; & sensisse videtur Theodoretus hìc in illis verbis (proùt mos erat vnicuique Deo omnium talia offerre, & typum patefieri) nàm nemo obtulisse legitur absquè victimis, & certi sumus factum esse pòst legem Moysis, incipiendo ab agno immolato in primo phase; cuius immolatio fuit primum, & principale sacrificium, quo tempore comestum est azyma cum vino, dico cum vino, quia non prohibitum, & fuit in cœna Christi, & quia nullum sacrificium erat absquè pane, aut simila, idest, flore farinæ, seù placentis & libaminibus. Num. 15. & 28. Exod. 29. & habebimus figuram sacrificij cruenti, & incruenti simùl. Et cum Deus posteà iusserit Moysi victimas, & libamina simùl, non videtur inepta præsumptio in Melchisedech. Aut quia non constat vnà cum victimis Melchisedech obtulisse panem, & vinum, nisi præsumptiuè, vt suprà, saltèm panis, & vinum, quæ protulit Abrahæ, seruient pro typo sanctissimi Sacramenti, quod multi Patres dixerunt, & præsertim Damasc. de fid. orhod. lib. 4. cap. 14. Epiph. d. hæres. 55. Clemen. Alexand. lib. 4. stromat.

mat. ad finem, sicùt pro eodem typo seruit manna, farina ex Aegypto exportata, panis Eliæ, panes propositionis, & primitiarum, vt per Cyrill. Hieron. Damasc. triticea, & libamina. Oseæ 9. 4. Malach. 1. 7. quæ libamina sempèr oblata fuerunt vnà cum alijs: non enim necessarium ad typum, & figuram sacrificij nostri incruenti etiàm sacrificium materiæ in Melchisedech, proùt nequè in omnibus enumeratis illud figurantibus, præsertìm quia sacrificium offertur in memoriam passionis, quæ fuit sacrificium cruentum principale, & primum, & ex typo habemus idem intentum absquè vlla difficultate, & contradictione, & absquè necessitate probandi tùnc, vel antè, vel aliàs sacrificatum in pane, & vino tantùm à Melchisedech; & hæc opinio nihil, vel parùm discordat ab alia, quia esto, sacrificauit, quid illud tandèm? nonnè figura incruenti sacrificij? sic cruenti victima, & etiàm pro typo modo, quo dixi, quod in idem recidit ferè, capi potest, & sic videntur concordari posse opiniones. At belluarum occisio, panes, & libamina vini, quæ certi sumus oblata, & in sacrificium litata Deo vnà cum victimis pòst legem Moysis, præsertìm in iugi sacrificio agni mane, & vespere. Exod. 29. 2. 23. 32. 40. & farina, & panes cum oleo & thure. Leuit. 2. magis stringunt, & potiora sunt, cum in lege iussa sint, quàm Melchisedech sacrificium præsumptum in pane, & vino, nàm panis, & vinum Melchisedech incruentum tantùm sacrificium designassent; at belluarum occisio, & vnà panis oblatio, & vini libamina vterque tàm cruentum, quàm incruentum, & sic habes sacrificium, quod in Melchisedech quærebas in pane, & vino, imò & victimæ illæ, & singularitèr agnus iuxtà Augustinum etiàm incruentum sacrificium nostrum repræsentabant. Vndè Dauid respicens hæc tempora pòst aduentum Messiæ, & significans hoc sacrificium pinguium, & medullatorum sub nomine vitulorum. Psal. 50. postquàm præmisit de Messia: Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, mittendo Messiam, subdit: Tùnc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, tùnc imponent supèr altare tuum vitulos.

Nec dicas, miscebatur & oleum in sacrificijs illis, quia id nedum non officit, sed auget: ex oleo enim misericordia Dei significatur; S. Bernardus Cant. 1. qua sola motus ad tradendum Filium pro nobis peccatoribus, quod in sacrificijs illis figurabatur. Vel, ad litteram ex Abulensi Leuit. 2. miscebatur oleum vt esset magis sapida farina, vel quod ex ea conficiebatur. Aut vt in his concurrerent omnia inanimata ad vsum hominis quotidiana, nempè triticum, vinum, oleum: iuxtà illud: A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. Prætereà attendendum quod principale est in qualibet materia, non mixtum, quod cum principali confunditur, proùt sic cum farina linitio olei. Ad hæc, in repræsentationibus non sunt singula obseruanda ad diuersificandum, sed quæ concurrunt ad repræsentationem, & significationem conformia alijs omissis. Vltimò, si sic esset, differret sacrificium Melchisedech, & Christi, quia vino miscetur aqua; eò magis si panis Melchisedech cum frumento, quod in sacrificijs nolebat Deus regularitèr. Vndè concludendum has mixtiones non attendi. Sed & habetur sacrificium vnum similæ absquè oleo, & thure purum pro peccato. Leuit. 5. 11. Atque hæc dicta sint, salua sempèr Affirmatiua sententia, vtpotè magis communi.

Sed interpretemur Psalmum 109. & referamus sententiam Pauli vltrà iàm dicta. Dixit Dominus, &c. Iste Psalmus agit de regno, sacerdotio, gloria, resurrectione, sessione ad dexteram Dei, & triumpho Christi Incarnati pòst crucem. Dixit Dominus, Pater, Domino, Filio Incarnato pòst crucem, Resurrectionem, Ascensionem ad cælos, meo, qui me redemit iuxtà Paulum, Redemptori meo. Vel, meo, quia ille constitutus hæres, Dominus vniuersorum. Heb. 1. sede à dextris meis in gloria, ad quam exaltatus es per crucem. qui

cum

cum in forma Dei esset. Phil. 2. supèr omne nomen, supèr omnem principatum. Ephes. 1. in fin.

Donèc ponam inimicos tuos, tibi, & Ecclesiæ aduersantes, scabellum pedum tuorum, donèc sensìm vsquè ad iudicium hi omnes tibi subijciantur, & conterantur sub pedibus tuis; tu interim regna. 1. Cor. 15.25. oportet autèm illum regnare donèc ponat omnes inimicos sub pedibus eius.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. docet modum, quo id fiet, non bello, non armis, sed emittentur ex Sion, Ierusalem Apostoli, qui in virga virtutis tuæ prædicationis vnà cum signis, miraculis hoc operabuntur; hæc virga: euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ: illi autèm profecti prædicauerunt vbiquè Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Et hi subiugabunt omnes inimicos tuos: vel enìm tibi adhærebunt, & ad te conuertentur, vel ad inferos detrahentur; qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur; Vndè Psal. 2. Et nùnc Reges intelligite, &c. non expectetis iram in die Iudicij: hac ergò potentia dominare, dominaberis in medio inimicorum tuorum, Gentilium, ad quos Apostoli (recusantibus Hebræis) transferentur: Gentiles enìm non populus meus, non plebs mea. Rom. 8.10. Si enìm cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius, &c. fietquè vnum ouile, & vnus pastor. Hìnc; Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, vsquè ad fines totius terræ. Hic intellectus conformat se Psal. 2. Quarè fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius, dicentes quasi euasuri. Dirumpamus vincula eorum; & proijciamus à nobis iugum ipsorum: carnalibus enìm, & potentibus iugum Domini suaue fit graue. Qui habitat in cælis irredebit eos, & Dominus subsannabit eos.

Ego autèm, Christus, constitutus sum Rex ab eo supèr Sion montem sanctum eius, Ecclesiam primò congregatam in Ierusalem, prædicans præceptum eius, per meos Apostolos, quorum opera, & prædicatione omnes vincam, & debellabo.

Tecum, ò Fili, principium, principatus in die virtutis tuæ, quandò potentia tua diuina teipsum excitasti, seù excitabis, in splendoribus, cum splendoribus, glorijs Sanctorum, gloriosis corporibus Sanctorum, captiuitate, quam tùnc eduxisti, educes ab inferis: non enim ab inferis detineberis, vel corruptionem patieris. Psal. 29. sed potentia diuina mihi tecum coæquali ex vtero terræ, ex ventre terræ. ad Psalm. 21. qui extraxisti me de ventre. Eccl. 51. de altitudine ventris inferi. Ionæ 2. de ventre inferi clamaui, & exaudisti me. Domine eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum. Psal. 29. antè Luciferum, hora matutina, celeritèr, genui te, resuscitaui te. is intellectus conformis eidem Psal. 2. nàm quoàd principatum: Ego autèm constitutus sum Rex. quoàd Resurrectionem: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodiè, & antè Luciferum, vt hic, quasi moræ impatiens per resurrectionem, genui te: ibì enim agi de resurrectione, non de generatione diuina, vel humana ostendi. Act. 13. is intellectus magis conuenit contextui totius Psalmi agentis de Filio Dei, Messia Incarnato, non de Filio Dei quà Deo, & quia refert ad potentiam Filij, vel vtriusque actum resurrectionis. Vndè non videtur aptari generationi diuinæ à Patre solo procedenti, & quia causa exaltationis assignata in fine Psalmi, mors scilicèt, non aptatur diuinitati. Si tamèn communis intellectus attendendus de generatione æterna, verba (antè Luciferum) denotabunt æternitatem, si capiantur pro prima luce facta in prima die, antè quam nil extabat creatum, & distinctum à Chaos. Gen. 1. Vndè sola antè eam æternitas: nàm coæua Chaos, seù informis materia, & lux, & si aliqua moru-

morula, id ad nostram capacitatem, & satis est assignari id, quod antè omnia creatum in prima die, quod fuit lux; sed magis congruit intellectus, quem dixi.

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; Iuro ego, & non me pœnitebit, Hebraismus est. Tu, Fili, es sacerdos in æternum coràm me astiturus in cælo sempèr, secundùm ordinem, qualitatem, statum Melchisedech, qui similitèr æternus quodammodo dicitur, quia sinè patre, matre, genealogia, initium non habens, nequè finem, vt hoc eodem capite quasi, alteri non dabitur is honor, is gradus, non succedet alius, non præripiet alius, prout nec Melchisedech successorem habuit; sic Paulus in hac epistola agit de personis, non de sacrificio, agit de æternitate vera, nunquàm cessatura, nunquàm finem habitura, de Christo sacerdote in cælis sedente, ibiquè officium sacerdotis interpellantis Patrem exercente, agit de cælestibus, non de terrenis, de successuris in cælo, non in terra etiàm pòst iudicium, non vsquè ad illud; at sacrificium in terra offertur, hoc cessaturum pòst iudicium. Melchisedech non daretur pro simili in eo, quia sacrificium suum non fuit æternum, sed cessauit cum ipso (quatenùs panem, & vinum obtulisset.) & quia Messias non recipit hæc à sacrificio, sed à morte, & quia verba hæc proferuntur ad Christum sedentem à dextris Dei, in quo tùnc non potest considerari sacerdotium ratione oblationis incruentæ respectu Melchisedech, qui iàm obtulerat, dum viueret; vndè id non videtur aptari. Sed, quæso, cur iurat Dominus? ad maiorem stabilitatem demonstrandam; sic Paulus; & vt à cordibus Hebræorum euelleret legem illorum, & ceremonias suas nunquàm auferendas, seù delendas, & non confiderent in illis, sed ad sacerdotem æternum in cælis degentem recurrerét, prout Paulus monet, nec cogitarent de alio sacerdote, Messia venturo, quia ille æternus, & hùc respicit & Psalmus, & Paulus, non ad sacrificium cessaturum. Dominus à dextris tuis, vt non commouearis, & vincas: quis enim contrà Dominum? confregit in die iræ suæ Reges, verte, quia idem Hebraismus: Ego Dominus à dextris tuis confringam finalitèr in die iræ meæ, in iudicio, & antè, Reges, potentes.

Iudicabit, iudicabo tandèm, postquàm suauitate legis ab Apostolis promulgandæ non conuertentur, in nationibus, id est, nationes omnes, Gentiles, implebit, implebo ruinas, omnia sus deque versã, igne omnia conflagrabo, conquassabit, conquassabo capita, superbos, in terra multorum, omnium: vel capita multorum in terra. sic Psal. 2. Postula à me; & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tamquàm vas figuli confringes eos. Et nùnc Reges, potentes intelligite, erudimini qui iudicatis terram; Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quandò irascatur Dominus, prout in die Iudicij, quod veniet, & pereatis de via iusta, recta, ad gloriam ducente, ne damnemini; ideò non præstolemini conuerti vsq. ad illud tempus iræ. Cum exarxerit in breui ira eius in iudicio, beati tùnc omnes, qui confidunt in eo, quia transferentur cum eo ad gloriam.

De torrente in via bibet, propterà exaltabit caput. Poterat dici, cur hæc tanta, tàm magnalia Christo, Messiæ? respondet, quia de torrente huius mundi in via, dum in mundo erit, bibet ærumnas, mortem, mortem Crucis; hanc phrasim seruauit Christus: numquid potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? & Patri: aufer à me calicem istum, &c. Vel, de torrente iniquitatum, prout Psal. 17. circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me, quas ipse non fecit, sed hominum, pro quibus patitur in via hac mortali per crucem, bibet, propterea exaltabit caput, erigetur supèr omne nomen, suprà omnem principatum. Ephes. 1. in fin. Philipp. 2. Hinc quia à cruce, à passione hæc omnia recipit, non à sacrificio incruento, nonnè oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam? semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens,

piens; humiliauit semetipsum factus obediens vsquè ad mortem, mortem autem crucis, proptèr quod & Deus exaltauit illum, &c. Philip. 2. ideò non videtur posse dici, secundùm ordinẽ Melchisedech, idest, sacrificium Melchisedech, sed secundùm æternitatem Melchisedech.

Sententia verò Pauli est hæc. Nàm dicit cap. 6. in fin. vbi, in cælum, præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum; Vndè non considerat sacrificium, sed æternitatem personæ Christi. Et quia poterat dici Paulo: esto, sit sacerdos in æternum Christus, at quomodò Melchisedech? sequitur hoc cap. 7. ostendens quomodò Melchisedech æternus, & assimilatus Filio Dei, quia de illius natiuitate, & obitu nullibi in Scriptura: si enim in similitudine considerandum fuisset sacrificium, de illo egisset. Hoc eod. cap. 7. 11. probat quomodò Christus sit sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, quia sicùt de successore Melchisedech in sacerdotio nullibi apparet, sic neque Christo alius dabitur, quia per eum facta consummatio. vers. 15. *Si secundùm similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos, qui non secundùm legem peccati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim: Quoniàm tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*. & vers. 21. *tu es sacerdos in æternum*, non referens verba (secundùm ordinem.) & vers. 24. *Hic autèm eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vndè & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum; sempèr viuens ad interpellandum pro nobis*. & vers. 28. *Filium in æternum perfectum*, Vndè sempèr respicit æternitatem non sacrificij, sed personę. & cap. 9. 24. non enim in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, vt appareat nùnc vultui Dei pro nobis; sed excludens sacrificia alia vers. 25. neque vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodùm Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno, aliòquin oportebat eum frequentèr pati ab origine mundi: nùnc autèm semèl in consummatione sæculorum ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit; & vers. 28. Christus semèl oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, ex quibus etiàm apparet, Apostolum sempèr agere de cruento, non de incruento sacrificio in tota epistola. & cap. 10. apparet clarè loqui de cruento. & vers. 12. Hic autèm vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, non ergò æternitas ratione hostiæ, sed personæ; de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius: vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos, & 18. vbi autèm horum remissio, iàm non est oblatio pro peccato. Vide quomodò non consideret sacrificium, sed æternitatem, quod & clarè demonstrat, tùm quia sempèr dirigit verba in personam Christi nulla habita mentione sacrificij, tùm quia sempèr loquitur de illo nùnc ad dexteram Patris sedente, vt in locis notatis; & cap. 10. vers. 21. & cap. 12. 22. 24. Sed accessistis, &c. & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinem aspersionis meliùs loquentem quàm Abel. Ecce quomodò intelligit, & loquitur de Christo in cælis interpellante, cap. 7. 25. & loquente per sanguinem. Et quia in sola oblationis similitudine Christus, & Melchisedech non poterant esse similes: nàm vna tantùm fuit Christi in cruce, Melchisedech plures; oblatio Melchisedech finiuit cum ipso, pòst enim cessationem eius nullus legitur sic obtulisse, nisi eo modo à lege præscripto, vt dixi; at oblatio Christi, & sacrificium duraturum est vsquè ad finem mundi inclusiuè; ergò de hac specie similitudinis, quæ respectu Melchisedech fuisset temporalis, & dissimilis, non agitur, sed personæ. Vltrà quòd æternitas non esset vsquè ad finem mundi tantùm protensa in Filio Dei iàm glorificato: de hoc enim Psalmus, & Paulus, non ergò æternitas intelligitur ratione oblationis, sed personæ. Ad hæc, in similitudine Melchisedech ad Christum non consideratur oblatio, sed æternitas personæ, nec apponuntur verba, *secundùm ordinem*

nem. cap.7.3. *aſsimilatus Filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum*, ergò nequè in Chriſto id faciendum, quia ſimilium debet eſſe ratio eadem, & conſideratio. Non obſtant verba (*ſecundùm ordinem Melchiſedech*) quia intelliguntur non ſecũdùm ſacrificium Melchiſedech, ſed ſecundùm conditionem, ſtatum, qualitatem, diſpoſitionem, ad inſtar perſonæ Melchiſedech æterni: ſic enìm capitur verbũ (ordo) & ſic interpretatur Paulus, à cuius interpretatione non eſt fas recedere. Probatur: nàm ſi è conuersò dicas, ſecundùm ordinem Aaron, non rectè declarabis ſecundùm ſacrificium Aaron, ſed ſecundùm ſtatum ſacerdotij Aaron: & qualis hic? non æternus, ideſt, non qui non habuerit ſucceſſorem, ſed qui ſucceſſores plures habuerit, vt colligitur hic in epiſt. hoc c. 7. verſ. 11. & ideò verſ. 16. conſiderat in Chriſto virtutem vitæ inſolubilis. Item, quandò dicit ſuprà verſ. 3. Melchiſedech *aſsimilatus Filio Dei*, non apponit verba, ſecundùm ordinem Chriſti, ſed ſimplicitèr loquitur abſquè mentione ordinis, quia de æternitate non poterat dubitari, proùt de illa Melchiſedech; idem ergò dicendum è conuersò, etſi ordo alius quàm æternitas dari non poteſt, aut conſideratur in epiſtola. *Manet ſacerdos in perpetuum*, ſacerdos in æternum. ſuprà cap. 6. in fin. hinc collige ſacrificium miſſæ vſquè ad finem mundi duraturum, vt dixi in Apocal. & habetur in Conc. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. *Intuemini autèm quantus ſit hic* Melchiſedech, *cui & decimas dedit* vltrò *de præcipuis*, de meliori præda, proùt Abel de pinguibus; hincquè commendatur Abraham, *Abraham Patriarcha* primus patrum omnium noſtrum. Vult probare Melchiſedech maiorem eſſe Abrahamo ex hoc, & ſeqq. & conſequentèr Chriſtum, cuius typum gerit Melchiſedech. *Et quidèm de filijs Leui ſacerdotium accipientes:* nàm non omnes ex illis ſacerdotes, ſed alij Leuitæ ſacerdotibus ſeruientes, *mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundùm legem* Moyſis, *ideſt, à fratribus ſuis: quamquàm & ipſi exierint de lumbis Abrahæ*; Vndè ipſi recipientes maiores ſunt, quàm dantes decimas, etſi fratres ſint. *Cuius autèm generatio non annumeratur in eis*, ideſt, Melchiſedech, qui eſt ſinè genealogia, *decimas ſumpſit ab Abraham*, *&* ille Melchiſedech *hunc* Abraham, *qui* antè *habebat repromiſsiones* à Deo. Gen. 12. *benedixit* vti ſacerdos. *Sinè vlla autèm contradictione*, dubio, *quod minus eſt, à meliore benedicitur*. ex prædictis fit Melchiſedech maior Abraham, quia recepit ab Abraham decimas, & ei benedixit; præcedit ex alio, quia *& hìc* in Iudaiſmo *quidèm decimas morientes*, mortales *homines accipiunt: ibì autèm conteſtatur, quia viuit* Melchiſedech; hoc dicit, quia nullibì Scriptura de eius morte; ſi ex hoc maior Melchiſedech, maior Chriſtus ſacerdos æternus. *Et (vtità dictum ſit)* vt ità loquar, *per Abraham* decimas Melchiſedech ſoluentem, *& Leui*, *qui decimas* à populo, & patribus *accepit decimatus eſt: adhùc enìm in lumbis patris* Abrahæ *erat*, ex Abraham naſciturus, *quandò obuiauit ei* Abrahæ *Melchiſedech* cum comeatu. Sicùt ergò Abraham pater principalis minor illo, ſic omnes ſacerdotes à Leui cum Abraham decimato minores, & hoc pro quarto argumento. Poſtquàm probauit Abraham, & Leui Melchiſedech inferiores ex decimis, & benedictione, ſubdit: *Si ergò conſummatio*, perfectio, iuſtificatio, ductio ad ſalutem, ad vitam æternam, quæ eſt finis optatus, *per ſacerdotium Leuiticum erat* (*populus enìm* perficiendus, & ad conſummationem, ſeù perfectionem ducendus *ſub ipſo* ſacerdotio Leuitico *legem accepit*, quod eſt clariſſimũ) *quid adhùc neceſſarium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech, alium ſurgere ſacerdotem*, ſub quo danda eſſet noua lex iuſtificans, & ad perfectum adducens, quæ eſt Euangelica? (eccè cur de lege dixerit) *& non ſecundùm ordinem Aaron dici*, vt alia lex non daretur? infirma ergò erat lex illa Moyſis, debile ſacerdotium Aaronicum, cui neceſſe fuit ſubrogari aliud ad perfectum deducens; ſi ergò illud non perficiebat, & ſubrogatum perficit, maius hoc illo, quod eſt quintum argumentum, & deindè circa legem in pluribus verſatur. *Tranſlato enìm ſacerdotio* (eccè neceſſitas alterius legis) *neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat*; vndè prima abolita, non ampliùs eadem cum noua iungenda, in quo peccabant con-

uersi ex circuncisione. Quòd autèm translatum sit sacerdotium, clarum est, inquit Apostolus. *In quo enim hæc dicuntur*, qui est Christus, *de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit*, nullus altari seruiuit; si is de alia Tribu non sacerdotali, ergò traslatio facta; deindè sequitur probare quòd de alia Tribu sit, inquiens. *Manifestum est enim quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses loquutus est*, ergò, vult dicere, translatio facta sacerdotij. *Et ampliùs adhùc manifestum est* quod dixi: *si secundùm similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos* habens hanc qualitatem, *qui non secundùm legem mandati carnalis*, proùt lex Mosaica, *factus est, sed secundùm virtutem*, potentiam *vitæ insolubilis*, æternæ, nunquàm soluendæ, immortalis. *Contestatur enim: Quoniàm tu* Christe *es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*, cuius mors nō enunciatur; probauit translationem à diuersitate tribuum, hic à spiritualitate, seù ab æternitate. *Reprobatio quidèm fit præcedentis mandati*, legis, *proptèr infirmitatem*, imbecillitatem *eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*, adeò infirma, & inutilis fuit; facta *verò introductio* nouæ legis, quæ est *melioris spei, per quam proximamus ad Deum:* Saluatorem enim expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Philip. 3. 21. & diuinæ consortes naturæ efficimur. 2. Pet. 1. 4. dixerat sacerdotem Iesum non factum secundùm legem mandati carnalis, dicit hic cur reprobatum primum mandatum, seù lex, & cur introductio facta nouæ legis. Vt autèm hoc sacerdotium Christi ostendat, à iureiurando arguit, quo Aaronicum defecit. *Et quantum est*, & in quantum est, *non sinè iureiurando (alij quidèm* Aaronicì *sinè iureiurando sacerdotes facti sunt, hic autèm* Iesus *cum iureiurando per eum, qui dixit ad illum* Deus: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum:* dona enim Dei sunt sinè pœnitentia: *tu es sacerdos in æternum*, pòst te alius non surget:) *in tantùm melioris testamenti*, pacti *sponsor*, & promissor *factus est Iesus* pro cælestibus, non terrenis. *Et alij quidèm plures facti sunt sacerdotes, idcircò quod morte prohiberentur permanere*, mortales essent, non possent esse æterni: *hic autèm* Iesus, *eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vndè & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum* Iesum absquè alterius adiutorio *ad Deum*, in Deum credentes, fideles, quasi velit dicere, cum is talis, alius non dabitur, alij suppressi: *sempèr viuens ad interpellandum pro nobis* quà homo, & sacerdos, vt hìc, & cap. 8. & quà homo mittetur ad iudicandum. Act. 3. *Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus* (respicit legalia) *segregatus à peccatoribus* (hæc omnia dum in terris versaretur) *& excelsior cælis factus*, idest, superans cælestes ciues, Angelos: *qui non habet necessitatem quotidiè*, (septiès enim in die peccat iustus) *quemadmodum sacerdotes* ab hominibus constituti, *priùs pro suis delictis hostias offerre* placabiles Deo, *deindè pro populi* peccatis. suprà cap. 5. *hoc enim fecit semèl* Iesus, *seipsum offerendo* pro peccatis populi, quæ suprà se innocens sumpsit. *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes.* suprà cap. 5. *sermo autèm iurisiurandi*, de quo suprà vers. 21. *qui pòst legem est*, & fuit iàm completus in Iesu, *Filium* summ sacerdotem constituit *in æternum perfectum*, nullo indigentem; hòc non potuit lex, sed Deus solus.

CA-



CAPVT VIII.


1 *CAPITVLVM autèm supèr ea, quæ dicuntur: Ta-*
lem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis
2 *magnitudinis in cælis, * sanctorum minister & taber-*
3 *naculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. * Om-*
nis enim pontifex ad offerendum munera, & hostias
constituitur: vndè necesse est & hunc habere aliquid,
4 *quod offerat: * si ergò esset supèr terram, nec esset sacerdos.*
5 *cum essent qui offerrent secundùm legem munera, * qui exemplari, & vmbræ*
deseruiunt cælestium. Sicùt responsum est Moysi, cum consummaret taberna-
culum: Vide (inquit) omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum
6 *est in monte. * Nùnc autèm meliùs sortitus est ministerium, quanto & me-*
lioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.
7 ** Nàm si illud priùs culpa vacasset: non vtiquè secundi locus inquireretur.*
8 ** Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & consum-*
9 *mabo supèr domum Israel, & supèr domum Iuda testamentum nouum, * non*
secundùm testamentum, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum
eorum vt educerem illos de Terra Aegypti: quoniàm ipsi non permanserunt in
10 *testamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus. * quia hoc est testamentum*
quod disponam domui Israel pòst dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas
in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in Deum, &
11 *ipsi erunt mihi in populum: * & non docebit vnusquisque proximum suum, &*
vnusquisque fratrem suum dicens: Cognosce Dominum: quoniàm omnes scient
12 *me à minore vsquè ad maiorem eorum: * quia propitius ero iniquitatibus eo-*
13 *rum, & peccatorum eorum iàm non memorabor. * Dicendo autèm nouum:*
veterauit priùs. Quod autèm antiquatur, & senescit, propè interitum est.



CAPITVLVM autèm supèr ea, quæ dicuntur; summa, breue, compendium dictorum hoc est: *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis*, maiestatis, *in cælis*, qui primò in terra sacerdos fuit, *sanctorum*, sacrorum, sanctuarij *minister, & tabernaculi veri*, & gratiarum, elargitionum, beatitudinis, gloriæ, quæ sicùt à tabernaculo materiali fluere dicebantur, illudquè ea representare, sic à tabernaculo vero fluunt, & emanant verè: non enim cælum, quia iàm de illo, in quo sedet, & quia de spiritualibus agit, non materialibus, etsi stet in metaphora tabernaculi, *quod fixit Dominus*, à quo directè emanant, & quæ præparauit diligentibus se. 1. Cor. 2. 9. & stabiliuit, *& non homo*, proùt illud tabernaculum Moyses, & sic concludit, Christum adhùc sacerdotis officio fungi in cælis; sed quid offert? vt appareat

vultui Dei pro nobis. infrà cap. 9. in quo. cap. 9. eò magìs apparet hoc non intelligendum de cælo. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur:* cùm ergò ille sit Pontifex, sequitur: *vndè necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat* more aliorum: *Si ergò esset supèr terram,* adhùc morte sua genus humanum non redemisset, *nec esset sacerdos* actu, proùt est, quia cruentum primum sacrificium in cruce obtulit: *cum essent* adhùc *qui offerrent secundùm legem munera:* non enim esset abrogata lex, neque sacrificia legalia, quæ in morte sua cessare debuerunt, & cessarunt, nec translatum sacerdotium; vndè adhùc illis vtendum esset, *qui* sacerdotes, seù offerētes *exemplari, & vmbræ,* typo *deseruiunt,* seruirent, vel seruiebāt *cælestium,* veri Christi sacerdotij, de quo nùnc scribo: hæc enim illa repræsentabant, & ad hæc respiciebant. Vndè vult dicere, morte sua in terris obtinuit, quòd nùnc offerat in cælis, & cessauerunt vmbræ corpore apparente, Christo iàm consummato, & in cælos translato; hunc puto sensum verum. *Sicùt responsum,* dictum *est Moysi, cum consummaret,* faceret *tabernaculum. Vide* (*inquit* Deus) *omnia facito secundùm exemplar,* typum, *quod tibi ostensum est in monte,* exemplar verò cæleste, ni mirum, si cælestibus sacerdotes legales Aaronici deseruiebant, & famulabantur. *Nùnc autèm* morte sua *melius sortitus est ministerium* (dixerat autèm *minister sanctorū, &c.* suprà vers. 2.) quàm lex daret, *quantò & melioris testamenti,* pacti *mediator est* cum Deo agens. suprà cap. 7. 22. (nùnc ad testamentum transit.) *quod* testamentum, fœdus *in melioribus repromissionibus sancitum est,* stabilitum est: primum enim pactum terrena, secundum cælestia promittit, & exhibet; ideoquè præferēdum. suprà cap. 7. 22. *Nàm si illud prius* testamentum *culpa vacasset,* fuisset perfectum: *non vtiquè secundi locus inquireretur:* superfluum enim fuisset, at proptèr eius infirmitatem, & inutilitatem reprobatum est, & melior spes introducta suprà. cap. 7. 18. *Vituperans enìm eos* transgressores testamenti; ideò ad eos directus sermo, non ad testamentum, quod pro pædagogo seruiebat ad illud nouum recipiendum. Galat. 3. 23. 24. *dicit: Eccè dies venient* (cum autèm venit plenitudo temporis) *dicit Dominus: & consummabo,* perficiam actu *supèr domum Israel, & supèr domum Iuda,* populo Hebræo, quibus promissiones factæ, & textus est clarus, & nihil hìc ad Gentes dicitur, *testamentum nouum, non secundùm testamentum, quod feci patribus eorum in die,* tempore, *qua apprehendi manum eorū vt educerem illos de terra Aegypti* quasi violentèr, illis commiserans, illos eduxi; sic cum Lot Angeli. Gen. 19. 16. dissimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duorum filiorum eius, eò quòd parceret Dominus illi; violentèr verò eduxit tàm respectu Pharaonis nolentis dimittere, & hic rememorat mirabilia pro eis gesta, quàm respectu ipsorum, quorum aliqui fortè ægrè discedebant, proùt solent incolæ locorum, & apparuit, dum sæpiùs cogitarunt de reditu ad cæpas, & allia, & pepones, &c. *Quoniàm ipsi non permanserant in testamento meo* primo; eccè cur dixit, *vituperans eos: & ego neglexi eos, dicit Dominus,* & Paulus Act. 13. 46. vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniàm repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, eccè conuertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus, &c. *Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel* (eccè quòd sub Israel non possunt Gentes intelligi) *pòst dies illos dicit Dominus,* quos dixi venturos, seù in diebus illis venturis: *dando,* dabo enim *leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas,* ità vt oblitterari non possint: Deus enim solus hoc operatur; vndè Paulus plantauit, Apollo rigauit, Deus autèm incrementum dedit; lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est: est enìm hæc lex gratiæ diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; & ego *ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum,* quasi fungemur hinc indè officio nostro, in pace versabimur: *& non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniàm omnes scient me à minore vsquè ad maiorem eorum;* sic 1. Ioan. 2. 20. vsquè ad finem capi-

capite, quia non ampliùs figuræ, non mysteria abscondita, sed omnia plana, facilia, impleta, clara, absquè velo, quod probatur. cap. 9. 8. & ego ipse, qui loquebar, eccè adsum; &: pòst hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Habac. 3. 38. erit maior copia scientiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: *quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum* iàm *non memorabor*, oblitteratorum per mortem Christi, & quia gratia facta est per eum: ità enim puri magis percipient leges meas, & quia si deliquerint, visitabo in virga iniquitates eorum, & non ampliùs despiciam, vel deseram. *Dicendo autèm nouum* testamentum: *veterauit prius. Quod autèm antiquatur, & senescit, propè interitum est*, non ergò seruandum, non cum nouo iungendum, ad quod anhelabant Hebræi.




CAPVT IX.



1 *ABVIT quidèm & priùs, iustificationes culturæ, &*
2 *Sanctum sæculare. * Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio*
3 *panum, quæ dicitur Sancta. * Pòst velamentum autèm secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sancto-*
4 *rum: * aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea*
5 *habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, * su-*
perquè eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non
6 *est modo dicendum per singula. * His verò ità compositis: in priori quidèm ta-*
bernaculo sempèr introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes:
7 ** in secundo autèm semèl in anno solus Pontifex non sinè sanguine, quem offert*
8 *pro sua, & populi ignorantia: * hoc significante Spiritu sancto, nondum propa-*
9 *latam esse sanctorum viam, adhùc priore tabernaculo habente statum. * Quæ*
parabola est temporis instantis: iuxtà quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ
non possunt iuxtà conscientiam perfectum facere seruientem, solummodò in cibis,
10 *& in potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis vsquè ad tempus*
11 *correctionis impositis. * Christus autèm assistens Pontifex futurorum bonorum,*
per ampliùs & perfectiùs tabernaculum non manufactum, idest, non huius crea-
12 *tionis: * nequè per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium san-*
13 *guinem introiuit semèl in Sancta, æterna redemptione inuenta. * Si enim san-*
guis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad
14 *emundationem carnis: * quantò magìs sanguis Christi, qui per Spiritum san-*
ctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram
15 *ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? * Et ideò noui testamenti me-*
diator est: vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ
erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ he-

16 *reditatis. * Vbi enim testamentum est: mors necesse est intercedat testatoris.*
17 ** Testamentum enim in mortuis confirmatum est: aliòquin nondum valet, dum*
18 *viuit qui testatus est. * Vndè nec primum quidèm sinè sanguine dedicatum est.*
19 ** Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo: accipiens sanguinem*
vitulorum, & hircorum cum aqua & lana coccinea, & hyssopo: ipsum quo-
20 *què librum, & omnem populum aspersit, * dicens: Hìc sanguis testamenti,*
21 *quod mandauit ad vos Deus. * Etiàm tabernaculum, & omnia vasa mini-*
22 *sterij sanguine similitèr aspersit: * Et omnia penè in sanguine secundum legem*
23 *mundantur: & sinè sanguinis effusione non fit remissio. * Necesse est ergò exem-*
plaria quidèm cælestium his mundari: ipsa autèm cælestia melioribus hostijs
24 *quàm istis. * Non enim in manufacta Sancta Iesus introiuit exemplaria vero-*
25 *rum: sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis: * Neque vt*
sæpè offerat semetipsum, quemadmodùm Pontifex intrat in Sancta per singulos
26 *annos in sanguine alieno: * aliòquin oportebat eum frequentèr pati ab origine*
mundi: nunc autèm semèl in consummatione sæculorum, ad destitutionem pec-
27 *cati, per hostiam suam apparuit. * Et quemadmodum statutum est hominibus*
28 *semèl mori, pòst hoc autèm iudicium: * sic & Christus semèl oblatus est ad mul-*
torum exhaurienda peccata: secundo sinè peccato apparebit expectantibus se, in
salutem.



ABVIT quidèm & priùs nouum testamentum, de quo in fin. cap. præcedentis, *iustificationes cultus*, cultus Dei liberantes inquinatos, vt possent tutò ministrare, *& sanctum sæculare,* & tabernaculum huius sæculi, huius creationis vers. 12. per manus hominum iubente Deo factum. Suprà cap. 8. 5. ideò de illo subdit *tabernaculum enim, &c.* Vel, *Sanctum sæculare,* mundanum ad differentiam cælestis, de quo aget; at vult dicere sanctum illud, quod in mundo dari, vel reperiri tùnc poterat, & illicò sancti sæcularis magnitudines incipit à tabernaculo, & sic non intelligit per sanctum sæculare de tabernaculo, sed in abstracto, & simplicitèr: *tabernaculum enim factum est primum* tempore Moysis, *in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum*, qui ponebantur calidi antè faciem Domini; si hic de panibus repræsentantibus sanctissimum Sacramentum, vtiquè dicturus & in Melchisedech, si in pane, & vino sacrificasset, *quæ dicitur Sancta*, in quam non ingrediebatur populus. Luc. 1. 10. *Post velamentum autèm secundum, tabernaculum,* idest, alia pars tabernaculi, *quæ dicitur Sancta Sanctorum: aureum habens thuribulum* ad eius obsequium, vsum ministerium, seruitium, non quòd intùs staret: intelligendus enim Paulus iuxtà Leu. 16. 12. ibì enim apparet, quòd non intùs, sed alibi seruabatur thuribulum: dicitur enim, assumptoquè thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu impositum thimiama in incensum, vltrà velum intrabit in Sancta, ergò foris erat thuribulum; sic Num. 16. 46. iubet Moyses Aaroni: tolle thuribulum, & hausto igne, &c. non ergò accepturus thuribulum introiuit in Sancta Sanctorum, cum semèl in anno tantùm ibi introiret. *Et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro; in qua* arca *vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti*; in tanta verborum perspicuitate non potest negari, quin hæc intrà arcam seruarentur, nec aptatur (*in qua*) pro

(in

(in quo) quia impropriãda essent alia verba, *superquè eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium*, & quia duæ tabulæ certò inerant, ergò de hac vrna, & virga idem dicendum, cum stent in eadem oratione, & phrasi; & de manna constat. Exod. 16.33. mandatur enim reponi vas coràm Domino, posuitque illud Aaron in tabernaculo reseruandum: ponderanda verba (coràm Domino) & (in tabernaculo) & quòd in prima parte manna non conseruabatur, sed in Sancta Sanctorum, & iungenda quæ hic per Paulum. De virga verò Aaron. Num. 17.10. dixitquè Dominus ad Moysem: refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, &c. pondera (in) quod non potest importare (coràm) sed (intrà.) Nec est verum de capsella arcæ, quia in ea conseruabantur vasa aurea. 1.Reg.6.8.15. Nec contrariantur Paulo verba. 3.Reg.8.9. 2.Paralip.5.10. in arca autèm non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quia ibi de illo tempore, quo Salomon arcam posuit intrà templum. Paulus de toto tempore, quo arca viguit, & in alijs temporibus apparet manna, & virgam ibi extitisse, vt probaui: voluit enim Paulus omnium memorari, nec quidquam ad gloriam Hebræorum omittere, etiàmsi in illa esse desijssent, nec ampliùs in arca extarent, proùt & Deuteronomium extrà arcam inuentum tempore Iosiæ. 2. Paralip.34. 14. quod iussit Moyses poni à latere arcæ. Deut.31.26. & proptereà etiam in verbis non se restringit ad tempus præsens dum loquitur, sed per verba de præterito, *erant candelabra: erant Cherubim*, hæc insinuat; Quæ omnia eò magis procedunt, cum neque dum hoc diceret Paulus, arca esset in templo: nàm dum abducerentur Iudæi captiui in Babylonem, Ieremias arcam vnà cum tabernaculo, & altari thimiamatis asportari fecit in montem Nebo, omniaquè in spelunca abdidit, & ostium obstruxit. 2. Machab. 2. quod est conforme. Ierem.52. nàm Nabuzardam mense quinto pòst captam Ierusalem incendit templum, in quo si fuisset arca, & illa absumpta fuisset, & fit mentio de multis asportatis, intèr quæ nulla mentio arcæ, cuius verisimilitèr vti præcipuæ facta esset, & non liquet inuentam fuisse, & in templum reportatam (etsi constet tempore Iosiæ fuisse in templo. 2. Paralip.35.3. quod ipse instaurauit, vt ibidem vers. 20.) & tempore Machabæorum. 2. Machab. 2. & Ezechielis, qui in Sancta Sanctorum nihil de arca. cap. 41. & Ioseph. de bell. Iudai. lib. 6. cap. 6. & si ibi fuisset, vel esset igne absumpta, cum templum Zelotæ incenderunt, vel miles, vel in triumphum ducta esset Romam, quod nón apparet, & si hæc contigissent, innotuissent omnia, proùt aliàs, quandò contrà Philistæos ducta, capta, transmissa, reducta per Dauid, & per Salomonem in templum situata, præsertim si tempore reædificationis templi factæ. Esdræ.1.3. & 2.6. fuisset arca reportata, fieret aliqua mentio, & lætitia describeretur, proùt in fundatione, & perfectione templi. 1. Esdr.3. in fin. & 2. Esdr. 6. At in contrarium videntur sonare verba Ieremiæ ibi: ignotus erit locus, donèc congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, & tùnc Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, &c. sed hæc non fuerunt verificata, dum dimissi sunt à captiuitate Babylonica, & habetur. 2. Machab. 2.13. vbi etiàm fit mentio Nehemiæ, dum hæc de arca dicuntur, & non video quomodò erit ampliùs locus verificationi: non enim possunt trahi ad tempus Antichristi acceptandi à Iudæis templum reædificaturi, quia tùnc potiùs prouocaretur Deus, & tùnc saluabuntur reliquiæ Israel; vndè non erit tempus arcæ nisi quoquo modo iuuet Hebræos ad conuersionem arcæ inuentio, quamuis si non obstaret. 2. Machab.2. dicerem potiùs diabolum inuenturum arcam ex Dei permissione in aduentu Antichristi in decipulam Iudæorum illum secuturorum. Fortè venturo Christo arca vera cælesti arca illa materialis dimissa, vt ad Christum omnes respicerent. Ier. 3. 16. sed vbiquè altum silentium, & verisimilitèr in fine inuenietur: tùnc enim Dominus congregabit populum, & reliquiæ Israel saluæ fient, & si inuenta fuisset in reditu à captiuitate Babylonica, sub Romanis naufragium passa esset, ideò differtur ad extrema tempora, quo erit vera congregatio, non à captiuitate, quo reprobi permanserunt, & creuit malitia, ità vt in plenitudine temporum,

quo

quo missus Christus abundaret delictum; & fouetur hæc opinio verisimilitudine, quia Deus trahit vnumquemque iuxta eius inclinationem. Pastores Hebræos per Angelos: Reges Magos per Stellam: tùnc Hebræos per arcam. At si non extabat arca, eò magis verba Apostoli intelligenda, vt suprà dixi. Et vt vt res se habeat, captiuandus intellectus, & standum verbis Apostoli, qui errare non potuit, neque eà deflectenda, vel corrumpenda, si ad tempus, de quo loquitur, verba sua referre velis, quod non placet, nec aptatur; *de quibus modo non est dicendum per singula*; ideò ni mirum, si Paulus simpliciter loquitur, & nó exprimit qualitates dictorum. Aduerte autem, quòd altare thimiamatis erat extrà Sancta Sanctorum, non intrà, quia Sacerdotes quotidiè in eo ministrabant. *His verò ità compositis: in priori quidem tabernaculo sempèr* quacunque hora *introibant Sacerdotes, sacrificiorum* offerendorum *officia*, munera *consummantes*, exequentes, & præsertim hora incensi apponendi. Luc. 1. 10. 11. *In secundo autem* tabernaculo *semèl in anno solus Pontifex* introibat, non ergò ibi thimiamatis altare, quia quotidiè oportuisset ingredi: *non sine sanguine, quem offert*, quia in victimis sacrificia consistebant, *pro sua, & populi ignorantia*, peccatis, de quibus suprà cap. 7. 72. *hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam* ad cælum, sed clausam, *adhùc priore tabernaculo* manufacto *habente statum* consistente, durante, idest, adhùc lege, & legalibus sacrificijs durantibus, *quæ parabola*, figura *est temporis instantis*, præcurrentis mortis Christi: *iuxtà quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxtà conscientiam*, animam *perfectum facere seruientem*, offerentem, suprà cap. 7. 19. consistentia *solum modo in cibis* vitandis, *& in potibus* obseruandis, *& varijs baptismatibus*, lotionibus, *& iustitijs*, iustificationibus *carnis vsquè ad tempus correctionis*, quòd nunc est, Christi scilicèt hæc corrigentis, & in melius reducentis, *impositis*; non enim venit soluere legem, sed adimplere, & dixit Ioanni Baptistæ: decet nos implere omnem iustitiam. *Christus autèm assistens* nobis in mundo *Pontifex futurorum bonorum* cælestium, *per ampliùs & perfectius tabernaculum*, quàm Mosaycum, *non manufactum, idest, non huius creationis*, non sæculare, non mundanum, sed spirituale, per oblationem suam ad mortem, per acceptationem mandati primi, mortis Crucis, per obedientiam vult dicere Paulus alio vsus est tabernaculo, quàm materiali, spirituali scilicèt, proùt & suprà cap. 8. dixi in verbo tabernaculi veri: fuit enim Christo ad tabernaculi interioris ingressum, idest, cælum via, acceptatio mortis, introductio, effusio sanguinis, sicuti Sacerdoti Aaronico ingressus in Sancta, via erat ad Sancta Sanctorum per sanguinem alienum, acceptatio verò fuit facta in ingressu mundi, vt infrà cap. seq. per Apostolum; in eius verò potestate erat ponere animam suam, & nemo poterat ab eo illam tollere; *neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum*, proùt Sacerdos Aaronicus, *sed per proprium sanguinem*, quem pro nobis abundè effudit, *introiuit semèl in Sancta*, in Cælum postquàm resurrexit, propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Philip. 2. *æterna redemptione* per mortem suam *inuenta*, facta, quæ à Sacerdotibus in Sancta Sanctorum per sanguinem hircorum, & vitulorum ingredientibus inueniri non poterat, cum omnia essent temporalia, sed hanc inueniri debere per Christum figurabatur. Quòd autèm oblatio sit pro tabernaculo, patet, quia subdit Apostolus, *qui semetipsum obtulit*, sed & cap. 7. vers. 1. & seqq. clariùs. Et spiritualis hic intellectus cógruit, & alios excludit: dandus est enim actus, seù modus, quo à prima parte tabernaculi ad interiorem possit ingredi, nec datur alius, quàm hic spiritualis, & omnia hæc spiritualitèr intelligenda, quia certum est non agi hic de tabernaculis materialibus respectu Christi, cum id clarè explicet Apostolus; Non mundus ergò, quia materialis, & quia iàm in mundo erat; non humana natura, quia iàm assistebat; non Ecclesia, quia pro illa passus, non per eam gradiens; non virgo, quia confunditur cum natura humana; non Cælum Empyreum, quia ad illud peruenit, non per illum; non alij cæli, quia materiales, & extranei ab hoc discursu, non corpus suum,

quia

quia ex illo sanguis, de quo subdit, nec potest duo importare. Vel si tandèm velis per corpus suum, quod est tabernaculum, à quo sanguinem hausit, *introiuit, &c.* & sustinetur intellectus hic; nàm infrà cap. 10. 2. dicitur, per velamen, idest, carnem suam. *Si enim* (probat quod dixit de redemptione nostra ęterna inuenta) *sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus*, quæ sunt quædam per se immunda, *inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*, idest, carnalium immunditiarum, irregularitatum, *quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum*, impulsore Spiritu sancto, sicùt dicimus Deum illum tradidisse, ei non pepercisse, *semetipsum obtulit immaculatum*, quod oppone immundis illis, *Deo* ad mortem pro nobis subeundam, *emundabit conscientiam nostram*, animam nostram *ab operibus mortuis*, à peccatis, *ad seruiendum Deo viuenti* in sanctitate, & iustitia? iuxtà Zachariam, sicùt illi ad effectum ministrandi in templo mundabantur ab impedimentis, & immunditijs illis legalibus? *Et ideò noui testamenti*, de quo suprà cap. 8. 10. *mediator est*. suprà cap. 7. 23. dixit: sponsor factus est Iesus, sed quomodò egit causam? *vt morte* sua *intercedente*, *in redemptionem earum prauaricationum, quæ erant sub priori testamento*, sub quo non erat redemptio, nec deleri à quoquam poterant, nec enìm prius testamentum ad perfectum deducebat, *repromissionem accipiant* Abrahæ factam, omnes, *qui vocati sunt*, prædestinati, siuè viui, siuè antè mortui, quia passio capit omnes ab origine mundi, *æternæ hæreditatis*, & in Cælum introducantur ad beatitudinem. Declarat, cur mors intercessit. *Vbi enim testamentum est*, proùt hic: *mors necesse est intercedat testatoris*, aliòqui non potest viuentis adiri hæreditas. *Testamentum enim in mortuis*, testatore mortuo, *confirmatum est: alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est*, cum ambulatoria sit eius voluntas; quasi, ni mirum, si Christus mortuus est. *Vndè nec primum quidèm* testamentum *sinè sanguine* animalium *dedicatum est*, in quo significabatur mors testatoris. *Lecto enim omni mandato legis à Moyse populo vniuerso: accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo: ipsum quoquè librum* mandatorum, quod tùnc legit: vt quid enìm extraneum intelligere? *& omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti*, pacti, *quod mandauit ad vos Deus:* confirmauit enìm ea aspersione pactum cum Deo initum, proùt Deus cum Abraham per sacrificia. Genes. 15. *Etiàm tabernaculum, & omnia vasa ministerij sanguine similitèr aspersit: Et omnia penè in sanguine secundùm legem*, iuxtà ritus legales *mundantur* ab immunditijs carnalibus contractis: *& sinè sanguinis effusione non fit remissio* immunditiarum illarum, repete *penè*, nàm aliqua remittebantur absquè illa. *Necesse est*, fuit *ergò* iuxtà legem *exemplaria quidèm cælestium*, hæc terrena, & egena, & à priore testamento descendentia, repręsentantia, & figurantia cælestia in nouo testamento, & vero tabernaculo existentia *his* scilicèt effusionibus sanguinis, seù hostijs mundari: *Ipsa autèm cælestia* repræsentata in veteri, at ex nouo testamento firmata *melioribus hostijs*, nempè morte Christi hostia immaculata Deo oblata, plurale pro singulari, vt opponat hostias hostijs antiquis, quæ multæ sunt, & figurabant hostiam vnicam Christi, *quàm istis* hostijs animalium: ratio, quia illis hostijs antiquis inquinati sanctificabantur ad emundationem carnis: his verò emundatur conscientia ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti suprà vers. 13. Exemplaria ergò cælestium dicit omnia, quæ fiebant ex veteri lege, & testamento, quia terrena erant; cælestia verò, quæ ex nouo, quia spiritualia sunt in animam occultè agentia; terrena illa, quia terrena promittebantur in priori testamento; cælestia hæc, quia cælum, beatitudo, gloria promittitur, & exhibetur. Vide suprà cap. 6. 12. & 20. cap. 7. 16. 19. 22. 25. cap. 8. 1. 5. qui exemplari, & vmbræ seruiunt cælestium; clariùs dici nō poterat. suprà hoc cap. 9. vers. 10. 11. 15. & sic sublatæ multæ ambages per alios excitatæ. *Non enim* (docet diuersitatem Iesus Pontificis, & Aaronicorum Pontificum) *in manu facta Sancta*, qualia erant antiqua, seù tabernaculum, de quo suprà egit *Iesus* moriens *introiuit exemplaria verorum*

rum

rum Sanctorum spiritualium, idest, repræsentantia hæc vera, & spiritualia, & cælestia, proùt faciebant Aaronici Sacerdotes: *sed in ipsum cælum*, in gloriam, beatitudinem: sub illo enìm tabernaculo materiali, & pro illis manu factis repræsentantibus hęc vera, & solida, *vt appareat nunc vultui Dei pro nobis* interpellans, & aduocans, & sic firmat quod præcessit esse Sacerdotem æternum, in cæloquè offitio suo fungi apud Patrem, quod non contigit Sacerdotibus Aaronicis, hæc vna differentia; alia subditur, ne putarent Christum sæpè mori. *Nequè vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta* Sãctorum *per singulos annos in sanguine alieno*, animalium: *aliòquin oportebat eum* (si sic esset) *frequentèr pati ab origine mundi*, proùt Pontifices illi quolibet anno ingredientes, cum illius mors profuerit omnibus hominibus ab origine mundi citrà, nimirum ab Abel citrà figurata, imò à Deo cum serpente agente aperta: Inimicitias ponam, &c. Genes. 3. *nunc autem*, sed nunc *semèl* tantùm *in consummatione sæculorum*, quandò venit plenitudo temporis, quo Deus prædestinauerat filium suum mittere *ad destitutionem peccati*, quod ipse deleuit, delens quod contrà nos omnes erat chirographum, & affigens illud cruci, in qua mortuus est; ideò subdit, *per hostiam suam* proprij corporis Deo oblatam *apparuit*, sacrificans, litans; nequè hæc prætèr rationem. *Et quemadmodum statutum est hominibus semèl mori:* semèl enim effusa anima omnia soluta sunt, nec est quod ampliùs effundi possit *pòst hoc autem*, pòst mortem autèm certò *iudicium:* omnes enìm nos repræsentari oportet antè tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque proùt gessit in corpore: *sic & Christus* quà homo morti subiectus *semèl oblatus est* ad mortem *ad multorum*, omnium, non sui, qui peccatum non fecit, &c. *exhaurienda*, tollenda *peccata: secundò sinè peccato* exhauriendo *apparebit*, manifestabitur *expectantibus se* in iudicio ijs, qui diligunt aduentum eius, *in salutem*, quæ est hæreditas, repromissio testamentaria noua, & cælestis, & gloriosa.



CAPVT X.



1 *MBRAM enìm habens lex futurorum bonorum, non*
ipsam imaginem rerum: per singulos annos eisdem ipsis
hostijs, quas offerunt indesinentèr, numquàm potest acce-
2 *dentes perfectos facere: * aliòquin cessassent offerri: ideò*
quòd nullam haberent vltrà conscientiam peccati, culto-
3 *res semèl mundati: * sed in ipsis commemoratio peccato-*
4 *rum per singulos annos fit. * Impossibile enìm est sangui-*
5 *ne taurorum & hircorum auferri peccata. * Ideò ingrediens mundum dicit: Ho-*
6 *stiam, & oblationem noluisti: corpus autèm aptasti mihi: * holocautomata pro*
7 *peccato non tibi placuerunt. * Tùnc dixi: Eccè venio: in capite libri scriptum*
8 *est de me: Vt faciam, Deus, voluntatem tuam. * Superiùs dicens: Quia ho-*
stias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi,
9 *quæ secundùm legem offeruntur, * tùnc dixi: Eccè venio, vt faciam, Deus,*
10 *voluntatem tuam: aufert primum, vt sequens statuat. * In quâ voluntate*
11 *sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semèl. * Et omnis quidem*

Sacerdos

Sacerdos præsto est quotidiè ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, quæ
12 *numquàm possunt auferre peccata: * hìc autèm vnam pro peccatis offerens ho-*
13 *stiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, * de cætero expectans, donèc ponan-*
14 *tur inimici eius scabellum pedum eius. * Vna enim oblatione, consummauit in*
15 *sempiternum sanctificatos. * Contestatur autèm nos & Spiritus sanctus. Post-*
16 *quàm enim dixit: * Hoc autèm testamentum, quod testabor ad illos pòst dies*
illos, dicit Dominus, Dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eo-
17 *rum superscribam eas: * & peccatorum, & iniquitatum eorum iàm non re-*
18 *cordabor ampliùs. * Vbi autèm horum remissio: iàm non est oblatio pro pecca-*
19 *to. * Habentes itaquè fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Chri-*
20 *sti, * quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, idest,*
21 *carnem suam, * & Sacerdotem magnum supèr domum Dei: * accedamus cum*
22 *vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti cor-*
23 *pus aqua munda, * teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, (fidelis*
24 *enim est qui repromisit) * & consideremus inuicèm in prouocationem charitatis*
25 *& bonorum operum: * non deserentes collectionem nostram, sicùt consuetudinis*
est quibusdam, sed consolantes, & tantò magìs quantò videritis appropinquan-
26 *tem diem. * Voluntariè enìm peccantibus nobis pòst acceptam notitiam verita-*
27 *tis, iàm non relinquitur pro peccatis hostia, * terribilis autèm quædam expecta-*
28 *tio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. * Irritam*
quis faciens legem Moysi, sinè vlla miseratione duobus vel tribus testibus mo-
29 *ritur: * quantò magìs putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei concul-*
cauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, &
30 *spiritui gratiæ contumeliam fecerit: * Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta,*
31 *& ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum. * Hor-*
32 *rendum est incidere in manus Dei viuentis. * Rememoramini autèm pristinos*
33 *dies, in quibus illuminati, magnum certamèn sustinuistis passionum: * & in*
altero quidèm opprobrijs, & tribulationibus spectaculum facti: in altero autèm
34 *socij talitèr conuersantium effecti. * Nàm & vinctis compassi estis, & ra-*
pinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis cognoscentes vos habere me-
35 *liorem & manentem substantiam. * Nolite itaquè amittere confidentiam ve-*
36 *stram, quæ magnam habet remunerationem. * Patientia enim vobis necessa-*
37 *ria est: vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. * Adhùc*
enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit.
38 ** Iustus autèm meus ex fide viuit, quod si subtraxerit se, non placebit ani-*
39 *mæ meæ. * Nos autèm non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fi-*
dei in acquisitionem animæ.

VM-


MBRAM enim, repræsentationem obscuram *habens lex futurorum bonorum* cælestium, de quibus suprà gloriæ, beatitudinis, regni, hæreditatis, cum in ea hæc promitterentur obscurè sub typo carnalium, *non ipsam imaginem rerum*, idest, veram repræsentationem,& formam, seù potiùs effectum, & veritatem remissionis delictorum, & bonorum clarè promissorum in nouo testamento: ex seqq. enìm apparet loqui de effectu, maximè remissionis peccatorum. Sub imagine non credo posse Christum intelligi, sed clarè ab eo promissa in nouo testamento: agit enìm de rebus, & bonis, & quia insipidè diceretur legem non habuisse Christum: quis enìm poterat de hoc dubitare? & suprà cap. 9. dicitur: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, sic sponsor melioris testamenti. suprà cap. 7. 23. Mediator vbiquè, præcursor. cap. 6. 20. *per singulos annos eisdem ipsis hostijs* cruentis animalium, vel alijs: *quas offerunt indesinentèr*, iugitèr, *nunquàm potest accedentes* ad illas immolandas, & in illis participantes *perfectos*, consummatos, immaculatos à peccatis *facere*, reddere: *aliòquin cessassent offerri* vt superfluæ, & non necessariæ: *ideò quòd nullam haberent vltrà* pòst semèl oblata *conscientiam*, remorsum *peccati* remanentis, *cultores semèl* pro illa *mundati* à peccato: *sed* è contrariò, quia non mundantur *in ipsis* hostijs *commemoratio peccatorum per singulos annos fit*, repetitur. *Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum*, & quorumcunque animalium, quibus nulla vis, à Deo *auferri peccata* animam grauantia; negat igitur Apostolus ablata peccata per hostias legis etiàm repetitas, maximè ex ratione vniuersali: *impossibile enim, &c.* Vndè non poterant dicere Hebræi, eas repetimus pro denuò inuentis pòst oblatam annuam hostiam. Dices, si hoc sciebant, cur offerebant? quia lege cogebantur, & quia iuncta contritione, & fide in Christum, quem in oblatione protestabantur, mundabantur, non ex sacrificio. Similitèr clarum est non intendere Apostolum, quòd non expiaretur illis sacrificijs totus mundus, sed in particulari quòad Hebræos, imò & quòad offerentes, cultores, seruientes: quomodò enìm Hebræi pro Gentibus eis exosis? vndè dicebant: quò hic iturus, num in dispersionem Gentium, & docturus Gentes? qui reputabant se populum Dei nullos admittentes in societatem, ac etiàm prohibentes eas admitti ad fidem Christi. 1. Thessal. 2. 16. prohibentes nos Gentibus loqui, quod tamèn futurum prophetiam Caiphæ extendens dixit Ioannes: expedit,&c. & non tantùm pro gente, sed vt Filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ioan. 11. 52. nullam enìm probabilitatem habet hęc opinio. *Ideò* Filius Dei *ingrediens mundum*, sciens quę dixi suprà, *dicit: Hostiam, & oblationem* animalium antè, & pòst legem facta ad peccata hominum expianda non sufficientia *noluisti: corpus autèm* in hostiam pro peccatis hominum offerendum in ara Crucis *aptasti*, accommodasti, composuisti *mihi*, & iussisti: *holocautomata*, sacrificia *pro peccato* emundando *non tibi placuerunt: impossibile enim est sanguine hircorum, & taurorum auferri peccata, &c.* vers. 4. *Tùnc dixi: Eccè venio*; qui obtulit semetipsum, &c. suprà cap. 9. 14. *in capite libri scriptum est de me*, quasi, hoc principale est in tota Scriptura: concernit enìm hanc missionem meam, & redemptionem in carne assumpta fiendam: *Vt faciam, Deus, voluntatem tuam*, qua decreuisti ab æterno mundum per mortem meam redimere. Sic in horto: veruntamèn non mea, sed tua voluntas fiat. Luc. 22. 42. meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. Ioan. 4. 34. non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Ioan. 5. 30. quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.
Ioan.

Ioan. 6. 38. *Superiùs dicens* (explicat:) *Quia hostias, & oblationes, & holocautomata* pro peccato *noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur, tùnc dixi* promptè: *Eccè venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam*, vt moriar, & hostia fiam tibi placens; vndè Pater, in quo mihi complacui: *aufert primum* testamentum, primam legem, primas oblationes, *vt sequens*, testamentum nouum, hostiam nouam *statuat*, stabiliat. *In qua voluntate* Dei Patris *sanctificati sumus*, mundati à peccato *per oblationem corporis Iesu Christi semèl* in ara Crucis, & ad Rom. 5. 8. commendat autèm charitatem suam Deus, &c. & proprio Filio non pepercit, &c. Rom. 8. 32. cum enìm suprà de voluntate Patris bis dixerit, relatiuum (*in qua*) illam solam refert, & verba (*eccè venio*) hìc non considerantur nisi pro oblatione Christi incarnati; at præcessit voluntas paterna, quæ ab æterno fuit; ideò illam hìc considerat Apostolus, non tamèn excludit aliam Christi, sed illam tacet, vel non refert in his verbis. Ex his vide, quàm congruat intellectus tabernaculi, de quo suprà cap. 9. 11. relatus ad oblationem spontaneam Christi, ad mortem. *Et omnis quidèm Sacerdos* Aaronicus *præsto est quotidiè ministrans* in templo, *& easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquàm possunt auferre peccata: hic autèm* Iesus *vnam pro peccatis* totius mundi *offerens hostiam*, seipsum in illa, exaltatus proptèr hanc humiliationem *in sempiternum sedet*, manet, non ampliùs cruentè litaturus, *in dextera Dei*, in throno gloriæ altissimi, *de cætero*, imposterum *expectans* ad nos reuersurus ad Iudicium, *donèc ponantur inimici eius scabellum pedum eius*. 1. Corint. 15. potuisset id statìm, sed differt proptèr electos generandos, nascituros. Chrysost. Hebr. 1. August. serm. 11. de Sanct. *Vna enim oblatione* (nota ad intellectum tabernaculi, sui corporis in Cruce) *consummauit*, perfecit, impleuit *in sempiternum*, sempèr, *sanctificatos*, mundatos, electos, prædestinatos. *Contestatur autèm nos & Spiritus sanctus* loquens per Prophetas; hinc verba (per Spiritum sanctum. cap. 9. 14.) meliùs de Spiritu sancto, quàm de alio intelliguntur. *Postquàm enim dixit*: (suprà cap. 8. retulit hæc verba integra.) *Hoc autèm testamentum* nouum, *quod testabor ad illos* Hebræos *pòst dies illos* mihi beneplacitos, & notos, *dicit Dominus, dando leges meas* nouas *in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: & peccatorum, & iniquitatum eorum iàm non recordabor ampliùs. Vbi autèm horum* peccatorum *remissio*, quæ non erat in legalibus: *iàm non est oblatio* cruenta *pro peccato*, iàm non est necesse Christum denuò mori, præsertìm quia ex hac morte surrexere remedia ad peccata delenda, ideò remissio capit omnia, & omne tempus. *Habentes itaquè fratres fiduciam in introitu sanctorum* gloriæ, beatitudinis cælestis, regni nobis promissi (stat in metaphora tabernaculi; sic & 2. Pet. 2. 1. introitus in æternum regnum) *in sanguine Christi*, non hircorum, aut vitulorum, & habentes *quam initiauit*, cœpit nobis *viam*, ego sum via, veritas, & vita ad salutem, gloriam, regnum, *nouam*, ex nouo testamento orientem, per alium non tritam antè eum, *& viuentem*, ad vitam ducentem, viuificantem *per velamen, idest, carnem suam* (stat in metaphora arcæ) qua abscondebatur in mundo diuinitas, proùt velamine Sancta Sanctorum; & sic sustinetur intellectus: per amplius, & perfectius tabernaculum, idest, per carnem suam; sed quodomò? via Christi fuit charitas magna in morte, maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis; via ergò initiata est charitas, hanc nos sequi debemus, vt infrà vers. 24. *& Sacerdotem magnum*, vt & suprà cap. 4. 14. potentem *supèr domum Dei*, quæ estis vos, vt de templo alibì; vel, *supèr domum Dei*, suprà cælos, suprà quam præpositus Iesus pro nobis interpellans: *accedamus* humilitèr ad thronum eius *cum vero*, non ficto *corde*, quia omnia sunt aperta oculis eius, *in plenitudine fidei*, vt non titubemus, *aspersi corda à conscientia mala*, nihil nobis conscij, *& abluti corpus aqua munda*, puri à fornicatione, & impuritate alieni in anima: spiritualitèr enìm hæc intelligenda; nequè hìc de baptismo, quia agit cum baptizatis,

prouì & de aspersione à conscientia mala; nec potest corrumpi verbum (*accedamus*) positum ad exhortationem pro (accedimus) quod illam non importat, quæ omnia ex sequentibus probantur, quia subdit: *teneamus spei nostræ confessionem, &c.* non acquiramus; stat in ceremonijs antiquis aspersionis cum hyssopo, & lana coccinea, & hinc cognoscitur sempèr spiritualitèr loqui, vt dixi; *teneamus spei nostræ*, qua erigimur ad cælestia expectanda, *confessionem* Christi *indeclinabilem*, firmam, stabilem, in nullam partem diuertentem, rectam, (*fidelis enim est qui repromisit*. suprà cap. 6. 10. non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri) *& consideremus*, studium, curam adhibeamus *inuicèm in prouocationem charitatis*; prouocatio hic ad bonum; at Gal. 5. 27. ad malum; studiosè ad charitatis opera nos inuitantes: alter alterius onera portate, *& bonorum* aliorum *operum*, quia iuxtà illa recipiemus: *non deserentes collectionem*, congregationem *nostram*, proximum in tribulationibus (suprà dixit de bono faciendo, nunc de malo cauendo) *sicùt consuetudinis est quibusdam*, quidam solent, & malè, nihil hic de recessu à fide, prouì Iudæ. 19. præsertim quia infrà in fin. cap. dicit, *non sumus subtractionis filij*, & quia subdit, *sed consolantes* verbis, & facto; non diligamus verbo, & lingua tantùm, sed opere, & veritate; *& tantò magis quantò videritis appropinquantem diem* cælestium recipiendorum, mortis, seù iudicij; vt & infrà vers. 37. non videtur hic agere de alia congregatione, nisi spectante ad charitatem ex ijs, quæ subijcit, *consolantes, &c.* & primò dictis, in prouocatione charitatis. Hoc verbum (*consolantes*) non potest capi de per se, sed *consolantes* collectionem, cum adsit aduersatiua, *sed*, referenda ad proxima, quibus aduersatur. *Voluntariè enim peccantibus nobis* (non enim peccatum nisi voluntarium) *pòst acceptam notitiam veritatis*, Christi, Euangelij, *iàm non relinquitur pro peccatis hostia* more legali, quæ iteretur, prouì in lege, sed sufficit semèl oblata à Christo cum pœnitentia: *vna enim oblatione* Christus omnia *consummauit*. suprà vers. 14. *Vbi autèm horum remissio: iàm non est oblatio pro peccato*. vers. 18. quæ sinè pœnitentia deleantur peccata, prouì in baptismo, qui non potest reiterari, seù cum difficultate resurgimus, vt suprà cap. 6. 4. de simili enim peccato desertionis, seù infidelitatis, de quo & suprà vers. 23. 25. & infrà 38. 39. à quo nititur eos auocare; at hæc & alijs peccatis accommodari possunt. Hinc Petrus: melius erat illis viam iustitiæ non cognoscere, quàm pòst agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. 2. Pet. 2. 21. Stat Paulus in suo proposito, in Christo hostias non multiplicari, prouì in Aaronicis Sacerdotibus, non quòd non detur pœnitentibus remissio, at ex modo loquendi ostendit difficultatem pœnitentiæ, cum auxilium Dei sit necessarium ad resurgendum, ideò subdit de pœna in impœnitentes: *terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio æterna, quæ consumptura est aduersarios*, sempèr tamèn permansuros, vt in æternum crucientur; hoc subdit ad illos retinendos in semèl suscepta fide, & sic ad pœnitentiam, quæ est secunda tabula, reuocentur, si peccauerint. *Irritam quis faciens legem Moysi, sinè vlla miseratione duobus vel tribus testibus* contrauentionem probantibus *moritur*, *quantò magis putatis deteriora mereri supplicia* æterna hæc, vt dixit, *qui Filium Dei conculcauerit* in eum peccandò, illum non æstimando, *& sanguinem* per eum fusum gratis in illius redemptionem *testamenti*, pacti noui, *pollutum*, maculatum, impotentem ad saluandum *duxerit*, *in quo* iàm per baptismum *sanctificatus*, purificatus, redemptus *est*, *& spiritui gratiæ* in eum effusæ *contumeliam fecit?* spernendo illam, & in illam peccando; & intellige hæc maximè considerari in peccato infidelitatis, de quo suprà; at subde, nisi pœniteat. *Scimus enim qui dixit*: (probat pœnas non euasuros illos.) *Mihi vindicta, & ego retribuam*; ergò si pro alijs hoc facturus Deus, quid pro se? vndè si peccauerit vir in virum, &c. Si autèm in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo? 1. Reg. 2. 25. hinc Susanna

vole-

volebat potiùs in manus hominum incidere, quàm peccare in conspectu Dei. Dan. 13.23. at Dauid. 2.Reg. 24. 14. puniendus, potiùs in manus Dei, quàm hominum elegit incidere ob eius misericordiam in hoc sæculo. ***Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum***, nihil intactum dimissurus. Ideò ***horrendum est incidere in manus***, in potentiam ***Dei viuentis***, cui omnia patent, quem nullum latet secretum, cui resisti non potest, præsertim tempore iræ, de qua agit. vers. 27.29. vndè Exod. 32. 34. Ego autèm in die vltionis visitabo, & hoc peccatum eorum. ***Rememoramini autèm pristinos dies, in quibus illuminati*** à Deo ***magnum certamen sustinuistis passionum: & in altero*** partìm ***quidèm opprobrijs, & tribulationibus spectaculum facti***, sic: spectaculum facti sumus. 1.Cor.4.9. ***in altero***, partim ***autèm socij taliter conuersantium***, sic patientium ***effecti***. ***Nàm & vinctis compassi estis;*** non hic de se Paulus, sed in genere, ***& rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis***, quod est magnæ perfectionis, ***cognoscentes*** ex his ærumnis ***vos habere***, lucrari ***meliorem, & manentem***, firmam ***substantiam*** in cælo repositam. ***Nolite itaquè ammittere confidentiam vestram*** in Deo, quam ex supradictis ostendistis, ***quæ*** adeò ***magnam habet remunerationem***, cælestem scilicèt, æternam, regalem (***fidelis est enim qui repromisit***. suprà vers. 24.) hoc argumento vult eos ab infidelitate diuertere; eodem modo egit cum Galatis. cap. 3. 4. hincquè ad patientiam eos hortatur. ***Patientia enim vobis necessaria est*** vsquè in finem, in qua possidebitis animas vestras: ***vt interim voluntatem Dei facientes*** perseuerantèr ***reportetis promissionem*** regni cælestis, gloriæ: Simili argumento vtitur Iacobus. 5. 8. ***Adhùc enim modicum aliquantulum***, citò, ***qui venturus est*** soluturus operarijs mercedem, opera recogniturus, ***veniet*** in morte, aut iudicio, ***& non tardabit***. ***Iustus autèm meus ex fide*** operibus vestita ***viuit***, dum sic manet, ***quòd si subtraxerit se*** à fide, ***non placebit animæ meæ***, reijciam illum. Habac.2.3. Ezechiel. 18.21. ***Nos autèm non sumus***, vel esse debemus ***subtractionis filij***, filij nos subtrahentes à pristina obedientia ***in perditionem***, ruinam nostram, in ignem destinandi, ***sed fidei***, fideles filij ***in acquisitionem animæ*** nostræ, quam procurare tenemur.



CAPVT XI.

1 *EST autèm fides sperandarum substantia rerum, argu-*
2 *mentum non apparentium. * In hac enim testimonium*
3 *consecuti sunt senes. * Fide intelligimus aptata esse sæ-*
cula verbo Dei: vt ex inuisibilibus visibilia fierent.
4 ** Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo,*
per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimo-
nium perhibente muneribus eius Deo, & per illam de-
5 *functus adhùc loquitur. * Fide Enoch translatus est ne videret mortem, & non*
inueniebatur: quia transtulit illum Deus: antè translationem enim testimo-
6 *nium habuit placuisse Deo. * Sinè fide autèm impossibile est placere Deo. Cre-*
dere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunera-
7 *tor sit. * Fide Noe responso accepto de ijs, quæ adhùc non videbantur, metuens*
aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum: & iusti-


8 *tiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.* * *Fide qui vocatur Abraham obe-*
diuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exijt, nesciens quò
9 *iret.* * *Fide demoratus est in Terra repromissionis, tamquàm in aliena, in casu-*
10 *lis habitando cum Isaac, & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem.* * *Expe-*
ctabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex, & conditor Deus.
11 * *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiàm præ-*
12 *tèr tempus ætatis: quoniàm fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.* * *Proptèr*
quod & ab vno orti sunt (& hoc emortuo) tamquàm sidera cæli in multitudi-
13 *nem, & sicùt arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis.* * *Iuxtà fidem de-*
functi sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes,
& salutantes, & confitentes quia peregrini, & hospites sunt super terram.
14 * *Qui enìm hæc dicunt, significant se patriam inquirere.* * *Et si quidèm ipsius*
15 *meminissent de qua exierunt, habebant vtiquè tempus reuertendi.* * *Nunc au-*
16 *tèm meliorem appetunt, idest, cælestem. Ideò non confunditur Deus vocari*
17 *Deus eorum: parauit enìm illis Ciuitatem.* * *Fide obtulit Abraham Isaac, cum*
18 *tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones:* * *ad quem*
19 *dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen:* * *Arbitrans quia & à mor-*
20 *tuis suscitare potens est Deus: vndè eum & in parabolam accepit.* * *Fide & de*
21 *futuris benedixit Isaac Iacob, & Esau.* * *Fide Iacob, moriens, singulos filio-*
22 *rum Ioseph benedixit: & adorauit fastigium virgæ eius.* * *Fide Ioseph moriens,*
23 *de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandauit.* * *Fi-*
de Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quòd vi-
24 *dissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum.* * *Fide Moyses*
25 *grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis,* * *magis eligens affligi cum*
26 *populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem,* * *maiores diuitias*
æstimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remu-
27 *nerationem.* * *Fide reliquit Aegyptum, non veritus animositatem regis: inui-*
28 *sibilem enim tamquàm videns sustinuit.* * *Fide celebrauit Pascha, & sangui-*
29 *nis effusionem: ne qui vastabat primitiua, tangeret eos.* * *Fide transierunt Ma-*
re rubrum tamquàm per aridam terram: quod experti Aegyptij, deuorati sunt.
30 * *Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum septem.* * *Fide Rahab mere-*
31 *trix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.* * *Et quid ad-*
32 *hùc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson,*
33 *Iephte, Dauid, Samuel, & prophetis:* * *qui per fidem vicerunt regna, opera-*
34 *ti sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora Leonum,* * *ex-*
tinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmita-
35 *te, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum:* * *acceperunt mulieres*
de resurrectione mortuos suos: alij autèm distenti sunt non suscipientes redem-
36 *ptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem.* * *Alij verò ludibria,*
37 *& verbera experti, insupèr & vincula, & carceres:* * *lapidati sunt, secti*
sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis,

in

rum ſubmerſione, proût ſuprà etiàm ſic dixit de Noe, & infrà de Rahab eodem argumento. *Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierum ſeptem* cum tubis: ſic enim crediderunt euẽturum, eaquè Hebræi potiti ſunt, & omnes in ore gladij peremerunt. Ioſue.6.20. *Fide Rahab meretrix non perijt cum incredulis* Ierichuntinis, *excipiens exploratores* Hebræos *cum pace*, illos abſcondens, & ſaluans. *Et quid adhùc dicam?* Omnia quæ ſequuntur vſquè ad fin. cap. pertinent ad antiquos Patres, non ad Chriſtianos, tùm ex littera, tùm quia nondum contrà eos hæc inſurrexerant. *Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per fidem*, fiduciam in Deo, *vicerunt*, ſuperarunt, acquiſierunt *regna*, & vincendo, non iniuſtè ſe geſſerunt, ſed *operati ſunt iuſtitiam:* illa enim eis debebantur; ideò ſubdit, *adepti ſunt repromiſsiones* multiplicatas Patribus à Deo factas, *obturauerunt* in eadem fiducia *ora Leonum* Dauid, Samſon, Daniel, *extinxerunt impetum ignis* Aaron, & Moyſes, & tres pueri in fornace, *effugerunt aciem gladij*, hoſtes in fugam verterunt pluriès, *conualuerunt de infirmitate*, imbecillitate; vndè Domina: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles; *Fortes facti ſunt in bello* ad hoſtes debellandos, *caſtra verterunt*, ſubuerterunt *exterorum: acceperunt & mulieres de reſurrectione mortuos ſuos* filios ab Elia, & Eliſeo: *alij autèm diſtenti ſunt* tribulationibus, tormentis, *non ſuſcipientes redemptionem*, redimi ab illis malis temporalitèr, proût in Eleazaro Machabæo, *vt meliorem inuenirent reſurrectionem*, vel meliorem conditionem; vel *meliorem reſurrectionem*, quæ eſt bonorum ad vitam reſpectu malæ, quæ eſt iniquorum ad iudicium. *Alij verò ludibria, & verbera experti, inſupèr & vincula, & carceres* proptèr Deum, Ieremias, Micheas: *lapidati ſunt*, Naboth, Ieremias, Zacharias, *ſecti ſunt*, Iſaias, *tentati ſunt* ad malum in vanum, *in occiſione gladij mortui ſunt*, horum magnus numerus, *circuierunt in melotis* (genus veſtis) *in pellibus caprinis, egentes*, vt in filijs prophetarum cum Eliſeo, *anguſtiati* ad mortem, vt in Elia, Dauide, *afflicti* in omnibus: *quibus dignus* non erat mundus in maligno poſitus: *in ſolitudinibus errantes, in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ*, vt in Elia, & Prophetis, quos Abdias pauit. *Et hi omnes teſtimonio fidei* in Deum *probati*, commendati *non acceperunt repromiſsionem* gloriæ, regni pòſt paſſiones has, dilati ſunt, *Deo pro nobis* qui reſidui fuimus, *meliùs aliquid* interim *prouidente*, diſponente, mittente filium ſuum tempore noſtro, in quos fines ſæculorum deuenerunt. 1.Cor.10.12. quem multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & audire, nec datum, & qui cælum clauſum aperuit fuſo pro nobis ſanguine, in quod ingrediemur illicò pòſt mortem, quod illis datum non fuit; *vt non ſinè nobis conſummarentur*, perficerentur, ad gloriam ducerentur. Conſummatio pro gloria, quæ eſt vltimum: ſic Epheſ.4.12. ad conſummationem Sanctorum; & 2.Cor. vltim. conſummationem veſtram. Ioan.17.23. vt ſint conſummati in vnum, in gloria ſcilicèt; ſic Sancti. Apocal. 6.10. monentur expectare donèc compleantur conſerui eorum ad recipiendam beatitudinem in corpore, ſed neceſſe fuit illis nos expectare, & interim vacare gloria in Limbo, & ſic ſimùl antiqui, & noui ingreſſi ſunt, & adepti repromiſſiones æternas: impoſſibile enim fuit illis ingredi in cælum antè apertionem illius; ideò fruſtrà quæritur quid noſtra intererat, ſi ipſi primò admiſſi, cum non daretur. Dices, ergò nihil actũ pro nobis in præiudicium illorum fateor, ſed dico ex hoc modo loquendi Apoſtolũ reſpexiſſe ad tempus, quo cælum apertum, quod ſub nobis, nõ ſub illis factum: nihil enim fuiſſet, ſi qui interim mortui fuiſſent beati, proût parùm refert, ſi S. Stephanus in cælum introiuit, cum nos nondum nati nihil prætenderemus, & ſatis cuiquè foret pòſt mortem ingredi, proùt nunc, ſicùt dilati illi, quia cælum occluſum, clauè retinente eo in manibus, cui ſoli datum aperire, vt in Apocal. Similis phraſis. 1.Pet.1.12. quibus reuelatum eſt, quia non ſibimet ipſis, vobis autèm miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis, &c. Similis. 1. Cor.10.11. hæc autèm omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autèm ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deue-

vultui Dei pro nobis. infrà cap. 9. in quo. cap. 9. eò magìs apparet hoc non intelligendum de cælo. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur:* cùm ergò ille sit Pontifex, sequitur: *vndè necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat* more aliorum: *Si ergò esset supèr terram,* adhùc morte sua genus humanum non redemisset, *nec esset sacerdos* actu, proùt est, quia cruentum primum sacrificium in cruce obtulit: *cum essent* adhùc *qui offerrent secundùm legem munera:* non enim esset abrogata lex, neque sacrificia legalia, quæ in morte sua cessare debuerunt, & cessarunt, nec translatum sacerdotium; vndè adhùc illis vtendum esset, *qui* sacerdotes, seù offerẽtes *exemplari, & vmbræ*, typo *deseruiunt,* seruirent, vel seruiebãt *cælestium*, veri Christi sacerdotij, de quo nùnc scribo: hæc enim illa representabant, & ad hæc respiciebant. Vndè vult dicere, morte sua in terris obtinuit, quòd nùnc offerat in cælis, & cessauerunt vmbræ corpore apparente, Christo iàm consummato, & in cælos translato; hunc puto sensum verum. *Sicùt responsum,* dictum *est Moysi, cum consummaret,* faceret *tabernaculum. Vide* (*inquit* Deus) *omnia facito secundùm exemplar,* typum, *quod tibi ostensum est in monte,* exemplar verò cæleste, ni mirum, si cælestibus sacerdotes legales Aaronici deseruiebant, & famulabantur. *Nùnc autèm* morte sua *melius sortitus est ministerium* (dixerat autèm *minister sanctorũ, &c.* suprà vers. 2.) quàm lex daret, *quantò & melioris testamenti*, pacti *mediator est* cum Deo agens. suprà cap. 7. 22. (nùnc ad testamentum transit.) *quod* testamentum, fœdus *in melioribus repromissionibus sancitum est,* stabilitum est: primum enim pactum terrena, secundum cælestia promittit, & exhibet; ideoque præferẽdum. suprà cap. 7. 22. *Nàm si illud prius* testamentum *culpa vacasset*, fuisset perfectum: *non vtiquè secundi locus inquireretur:* superfluum enim fuisset, at proptèr eius infirmitatem, & inutilitatem reprobatum est, & melior spes introducta suprà. cap. 7. 18. *Vituperans enim eos* transgressores testamenti; ideò ad eos directus sermo, non ad testamentum, quod pro pædagogo seruiebat ad illud nouum recipiendum. Galat. 3. 23. 24. *dicit: Eccè dies venient* (cum autèm venit plenitudo temporis) *dicit Dominus: & consummabo*, perficiam actu *supèr domum Israel, & supèr domum Iuda*, populo Hebræo, quibus promissiones factæ, & textus est clarus, & nihil hìc ad Gentes dicitur, *testamentum nouum*, *non secundùm testamentum*, *quod feci patribus eorum in die,* tempore, *qua apprehendi manum eorũ vt educerem illos de terra Aegypti* quasi violentèr, illis commiserans, illos eduxi; sic cum Lot Angeli. Gen. 19. 16. dissimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duorum filiorum eius, eò quòd parceret Dominus illi; violentèr verò eduxit tàm respectu Pharaonis nolentis dimittere, & hic rememorat mirabilia pro eis gesta, quàm respectu ipsorum, quorum aliqui fortè ægrè discedebant, proùt solent incolæ locorum, & apparuit, dum sæpiùs cogitarunt de reditu ad cæpas, & allia, & pepones, &c. *Quoniàm ipsi non permanserant in testamento meo* primo; eccè cur dixit, *vituperans eos: & ego neglexi eos, dicit Dominus,* & Paulus Act. 13. 46. vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniàm repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, eccè conuertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus, &c. *Quia hoc est testamentum*, *quod disponam domui Israel* (eccè quòd sub Israel non possunt Gentes intelligi) *pòst dies illos dicit Dominus*, quos dixi venturos, seù in diebus illis venturis: *dando*, dabo enim *leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas*, ità vt oblitterari non possint: Deus enim solus hoc operatur; vndè Paulus plantauit, Apollo rigauit, Deus autèm incrementum dedit; lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est: est enìm hæc lex gratiæ diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; & ego *ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*, quasi fungemur hinc indè officio nostro, in pace versabimur: *& non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniàm omnes scient me à minore vsquè ad maiorem eorum*; sic 1. Ioan. 2. 20. vsquè ad finem capi-


capite, quia non ampliùs figuræ, non mysteria abscondita, sed omnia plana, facilia, impleta, clara, absquè velo, quod probatur. cap. 9. 8. & ego ipse, qui loquebar, eccè adsum; &: pòst hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Habac. 3. 38. erit maior copia scientiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: *quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum* iàm non *memorabor*, oblitteratorum per mortem Christi, & quia gratia facta est per eum: ità enim puri magis percipient leges meas, & quia si deliquerint, visitabo in virga iniquitates eorum, & non ampliùs despiciam, vel deseram. *Dicendo autèm nouum* testamentum: *veterauit prius. Quod autèm antiquatur, & senescit, propè interitum est*, non ergò seruandum, non cum nouo iungendum, ad quod anhelabant Hebræi.



CAPVT IX.

1 *HABVIT quidèm & priùs, iustificationes culturæ, &*
2 *Sanctum sæculare. * Tabernaculum enìm factum est pri-*
mum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio
3 *panum, quæ dicitur Sancta. * Pòst velamentum autèm*
secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sancto-
4 *rum: * aureum habens thuribulum, & arcam testamen-*
ti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea
5 *habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, * su-*
perquè eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non
6 *est modo dicendum per singula. * His verò ità compositis: in priori quidèm ta-*
bernaculo sempèr introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes:
7 ** in secundo autèm semèl in anno solus Pontifex non sinè sanguine, quem offert*
8 *pro sua, & populi ignorantia: * hoc significante Spiritu sancto, nondum propa-*
9 *latam esse sanctorum viam, adhùc priore tabernaculo habente statum. * Quæ*
parabola est temporis instantis: iuxtà quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ
non possunt iuxtà conscientiam perfectum facere seruientem, solummodò in cibis,
10 *& in potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis vsquè ad tempus*
11 *correctionis impositis. * Christus autèm assistens Pontifex futurorum bonorum,*
per ampliùs & perfectiùs tabernaculum non manufactum, idest, non huius crea-
12 *tionis: * nequè per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium san-*
13 *guinem introiuit semèl in Sancta, æterna redemptione inuenta. * Si enìm san-*
guis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad
14 *emundationem carnis: * quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum san-*
ctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram
15 *ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? * Et ideò noui testamenti me-*
diator est: vt morte intercedente in redemptionem earum prauaricationum, quæ
erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ he-

16 *reditatis. * Vbi enim testamentum est: mors necesse est intercedat testatoris.*
17 ** Testamentum enim in mortuis confirmatum est: aliòquin nondum valet, dum*
18 *viuit qui testatus est. * Vndè nec primum quidem sinè sanguine dedicatum est.*
19 ** Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo: accipiens sanguinem*
vitulorum, & hircorum cum aqua & lana coccinea, & hyssopo: ipsum quo-
20 *què librum, & omnem populum aspersit, * dicens: Hìc sanguis testamenti,*
21 *quod mandauit ad vos Deus. * Etiàm tabernaculum, & omnia vasa mini-*
22 *sterij sanguine similitèr aspersit: * Et omnia penè in sanguine secundum legem*
23 *mundantur: & sinè sanguinis effusione non fit remissio. * Necesse est ergò exem-*
plaria quidèm cælestium his mundari: ipsa autèm cælestia melioribus hostijs
24 *quàm istis. * Non enim in manufacta Sancta Iesus introiuit exemplaria vero-*
25 *rum: sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis: * Nequè vt*
sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos
26 *annos in sanguine alieno: * aliòquin oportebat eum frequentèr pati ab origine*
mundi: nunc autèm semèl in consummatione sæculorum, ad destitutionem pec-
27 *cati, per hostiam suam apparuit. * Et quemadmodum statutum est hominibus*
28 *semèl mori, pòst hoc autèm iudicium: * sic & Christus semèl oblatus est ad mul-*
torum exhaurienda peccata: secundo sinè peccato apparebit expectantibus se, in
salutem.



ABVIT quidèm & priùs nouum testamentum, de quo in fin.cap.præcedentis, *iustificationes cultura*, cultus Dei liberantes inquinatos, vt possent tutò ministrare, *& sanctum sæculare*, & tabernaculum huius sæculi, huius creationis vers. 12. per manus hominum iubente Deo factum. Suprà cap.8.5.ideò de illo subdit *tabernaculum enim,&c.* Vel, *Sanctum sæculare*, mundanum ad differentiam cælestis, de quo aget;at vult dicere sanctum illud, quod in mundo dari, vel reperiri tùnc poterat, & illicò sancti sæcularis magnitudines incipit à tabernaculo, & sic non intelligit per sanctum sæculare de tabernaculo, sed in abstracto, & simplicitèr: *tabernaculum enim factum est primum* tempore Moysis, *in quo erant candelabra,& mensa, & propositio panum*, qui ponebantur calidi antè faciem Domini; si hìc de panibus repræsentantibus sanctissimum Sacramentum,vtiquè dicturus & in Melchisedech, si in pane, & vino sacrificasset, *quæ dicitur Sancta*, in quam non ingrediebatur populus. Luc.1.10. *Post velamentum autèm secundum, tabernaculum*, idest, alia pars tabernaculi,*quæ dicitur Sancta Sanctorum: aureum habens thuribulum* ad eius obsequium, vsum ministerium, seruitium, non quòd intùs staret: intelligendus enim Paulus iuxtà Leu.16.12. ibi enim apparet, quòd non intùs, sed alibi seruabatur thuribulum: dicitur enim, assumptoquè thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu impositum thimiama in incensum, vltrà velum intrabit in Sancta, ergò foris erat thuribulum;sic Num.16.46. iubet Moyses Aaroni: tolle thuribulum, & hausto igne,&c.non ergò accepturus thuribulum introiuit in Sancta Sanctorum, cum semèl in anno tantùm ibi introiret. *Et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro;in qua* arca *vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti*; in tanta verborum perspicuitate non potest negari,quin hæc intrà arcam seruarentur, nec aptatur (*in qua*) pro

(in

(in quo) quia impropriandа essent alia verba, *superquè eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium*, & quia duæ tabulæ certò inerant, ergò de hac vrna, & virga idem dicendum, cum stent in eadem oratione, & phrasi; & de manna constat. Exod. 16.33. mandatur enim reponi vas coràm Domino, posuitque illud Aaron in tabernaculo reseruandum: ponderanda verba (coràm Domino) & (in tabernaculo) & quòd in prima parte manna non conseruabatur, sed in Sancta Sanctorum, & iungenda quæ hic per Paulum. De virga verò Aaron. Num. 17.10. dixitquè Dominus ad Moysem: refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, &c. pondera (in) quod non potest importare (coràm) sed (intrà.) Nec est verum de capsella arcæ, quia in ea conseruabantur vasa aurea. 1.Reg.6.8.15. Nec contrariantur Paulo verba. 3.Reg.8.9. 2.Paralip.5.10. in arca autèm non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quia ibi de illo tempore, quo Salomon arcam posuit intrà templum. Paulus de toto tempore, quo arca viguit, & in alijs temporibus apparet manna, & virgam ibi extitisse, vt probaui: voluit enim Paulus omnium memorari, nec quidquam ad gloriam Hebræorum omittere, etiàmsi in illa esse desijssent, nec ampliùs in arca extarent, proùt & Deuteronomium extrà arcam inuentum tempore Iosiæ. 2. Paralip.34. 14. quod iussit Moyses poni à latere arcæ. Deut.31.26. & propterea etiàm in verbis non se restringit ad tempus præsens dum loquitur, sed per verba de præterito, *erant candelabra: erant Cherubim*, hæc insinuat; Quæ omnia eò magis procedunt, cum neque dum hoc diceret Paulus, arca esset in templo: nàm dum abducerentur Iudæi captiui in Babylonem, Ieremias arcam vnà cum tabernaculo, & altari thimiamatis asportari fecit in montem Nebo, omniaquè in spelunca abdidit, & ostium obstruxit. 2.Machab.2. quod est conforme. Ierem.52. nàm Nabuzardam mense quinto pòst captam Ierusalem incendit templum, in quo si fuisset arca, & illa absumpta fuisset, & fit mentio de multis asportatis, intèr quæ nulla mentio arcæ, cuius verisimilitèr vti præcipuæ facta esset, & non liquet inuentam fuisse, & in templum reportatam (etsi constet tempore Iosiæ fuisse in templo. 2.Paralip.35.3. quod ipse instaurauit, vt ibidem vers. 20.) & tempore Machabæorum. 2. Machab. 2. & Ezechielis, qui in Sancta Sanctorum nihil de arca. cap. 41. & Ioseph. de bell. Iudai. lib. 6. cap. 6. & si ibi fuisset, vel esset igne absumpta, cum templum Zelotæ incenderunt, vel miles, vel in triumphum ducta esset Romam, quod nón apparet, & si hæc contigissent, innotuissent omnia, proùt aliàs, quandò contrà Philistæos ducta, capta, transmissa, reducta per Dauid, & per Salomonem in templum situata, præsertim si tempore reædificationis templi factæ. Esdræ.1.3. & 2.6. fuisset arca reportata, fieret aliqua mentio, & lætitia describeretur, proùt in fundatione, & perfectione templi. 1.Esdr.3. in fin. & 2. Esdr. 6. At in contrarium videntur sonare verba Ieremiæ ibi: ignotus erit locus, donèc congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, & tùnc Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, &c. sed hæc non fuerunt verificata, dum dimissi sunt à captiuitate Babylonica, & habetur. 2. Machab. 2. 13. vbi etiàm fit mentio Nehemiæ, dum hæc de arca dicuntur, & non video quomodò erit ampliùs locus verificationi: non enim possunt trahi ad tempus Antichristi acceptandi à Iudæis templum reædificaturi, quia tùnc potiùs prouocaretur Deus, & tùnc saluabuntur reliquiæ Israel; vndè non erit tempus arcæ nisi quoquo modo iuuet Hebræos ad conuersionem arcæ inuentio, quamuis si non obstaret. 2. Machab.2. dicerem potiùs diabolum inuenturum arcam ex Dei permissione in aduentu Antichristi in decipulam Iudæorum illum secuturorum. Fortè venturo Christo arca vera cælesti arca illa materialis dimissa, vt ad Christum omnes respicerent. Ier. 3. 16. sed vbiquè altum silentium, & verisimilitèr in fine inuenietur: tùnc enim Dominus congregabit populum, & reliquiæ Israel saluæ fient, & si inuenta fuisset in reditu à captiuitate Babylonica, sub Romanis naufragium passa esset, ideò differtur ad extrema tempora, quo erit vera congregatio, non à captiuitate, quo reprobi permanserunt, & creuit malitia, ità vt in plenitudine temporum,

quo

quo missus Christus abundaret delictum; & fouetur hæc opinio verisimilitudine, quia Deus trahit vnumquemque iuxtà eius inclinationem. Pastores Hebræos per Angelos: Reges Magos per Stellam: tunc Hebræos per arcam. At si non extabat arca, eò magis verba Apostoli intelligenda, vt suprà dixi. Et vt vt res se habeat, captiuandus intellectus, & standum verbis Apostoli, qui errare non potuit, neque eà deflectenda, vel corrumpenda, si ad tempus, de quo loquitur, verba sua referre velis, quod non placet, nec aptatur; *de quibus modo non est dicendum per singula*; ideò ni mirum, si Paulus simplicitèr loquitur, & nō exprimit qualitates dictorum. Aduerte autèm, quòd altare thimiamatis erat extrà Sancta Sanctorum, non intrà, quia Sacerdotes quotidiè in eo ministrabant. *His verò ità compositis: in priori quidem tabernaculo sempèr* quacunque hora *introibant Sacerdotes, sacrificiorum* offerendorum *officia*, munera *consummantes*, exequentes, & præsertìm hora incensi apponendi. Luc. 1. 10. 11. *In secundo autèm* tabernaculo *semèl in anno solus Pontifex* introibat, non ergò ibi thimiamatis altare, quia quotidiè oportuisset ingredi: *non sine sanguine, quem offert*, quia in victimis sacrificia consistebant, *pro sua, & populi ignorantia*, peccatis, de quibus suprà cap. 7. 72. *hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam* ad cælum, sed clausam, *adhùc priore tabernaculo* manufacto *habente statum* consistente, durante, idest, adhùc lege, & legalibus sacrificijs durantibus, *quæ parabola*, figura *est temporis instantis*, præcurrentis mortis Christi: *iuxtà quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxtà conscientiam*, animam *perfectum facere seruientem*, offerentem, suprà cap. 7. 19. consistentia *solum modo in cibis* vitandis, *& in potibus* obseruandis, *& varijs baptismatibus*, lotionibus, *& iustitijs*, iustificationibus *carnis vsquè ad tempus correctionis*, quod nunc est, Christi scilicèt hæc corrigentis, & in melius reducentis, *impositis*; non enim venit soluere legem, sed adimplere, & dixit Ioanni Baptistæ: decet nos implere omnem iustitiam. *Christus autèm assistens* nobis in mundo *Pontifex futurorum bonorum* cælestium, *per ampliùs & perfectiùs tabernaculum*, quàm Mosaycum, *non manufactum, idest, non huius creationis*, non sæculare, non mundanum, sed spirituale, per oblationem suam ad mortem, per acceptationem mandati primi, mortis Crucis, per obedientiam vult dicere Paulus alio vsus est tabernaculo, quàm materiali, spirituali scilicèt, prout & suprà cap. 8. dixi in verbo tabernaculi veri: fuit enim Christo ad tabernaculi interioris ingressum, idest, cælum via, acceptatio mortis, introductio, effusio sanguinis, sicuti Sacerdoti Aaronico ingressus in Sancta, via erat ad Sancta Sanctorum per sanguinem alienum, acceptatio verò fuit facta in ingressu mundi, vt infrà cap. seq. per Apostolum; in eius verò potestate erat ponere animam suam, & nemo poterat ab eo illam tollere; *neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum*, prout Sacerdos Aaronicus, *sed per proprium sanguinem*, quem pro nobis abundè effudit, *introiuit semèl in Sancta*, in Cælum postquàm resurrexit, proptèr quod & Deus exaltauit illum, &c. Philip. 2. *æterna redemptione* per mortem suam *inuenta*, facta, quæ à Sacerdotibus in Sancta Sanctorum per sanguinem hircorum, & vitulorum ingredientibus inueniri non poterat, cum omnia essent temporalia, sed hanc inueniri debere per Christum figurabatur. Quòd autèm oblatio sit pro tabernaculo, patet, quia subdit Apostolus, *qui semetipsum obtulit*, sed & cap. 7. vers. 1. & seqq. clariùs. Et spiritualis hic intellectus cōgruit, & alios excludit: dandus est enim actus, seù modus, quo à prima parte tabernaculi ad interiorem possit ingredi, nec datur alius, quàm hic spiritualis, & omnia hæc spiritualitèr intelligenda, quia certum est non agi hic de tabernaculis materialibus respectu Christi, cum id clarè explicet Apostolus; Non mundus ergò, quia materialis, & quia iàm in mundo erat; non humana natura, quia iàm assistebat; non Ecclesia, quia pro illa passus, non per eam gradiens; non virgo, quia confunditur cum natura humana; non Cælum Empyreum, quia ad illud peruenit, non per illum; non alij cæli, quia materiales, & extranei ab hoc discursu, non corpus suum,

quia

quia ex illo ſanguis, de quo ſubdit, nec poteſt duo importare. Vel ſi tandèm velis per corpus ſuum, quod eſt tabernaculum, à quo ſanguinem hauſit, *introiuit, &c.* & ſuſtinetur intellectus hic; nàm infrà cap. 10. 2. dicitur, per velamen, ideſt, carnem ſuam. *Si enim* (probat quod dixit de redemptione noſtra ęterna inuenta) *ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus*, quæ ſunt quædam per ſe immunda, *inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis*, ideſt, carnalium immunditiarum, irregularitatum, *quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum*, impulſore Spiritu ſancto, ſicùt dicimus Deum illum tradidiſſe, ei non peperciſſe, *ſemetipſum obtulit immaculatum*, quod oppone immundis illis, *Deo* ad mortem pro nobis ſubeundam, *emundabit conſcientiam noſtram*, animam noſtram *ab operibus mortuis*, à peccatis, *ad ſeruiendum Deo viuenti* in ſanctitate, & iuſtitia? iuxtà Zachariam, ſicùt illi ad effectum miniſtrandi in templo mundabantur ab impedimentis, & immunditijs illis legalibus? *Et ideò noui teſtamenti*, de quo ſuprà cap. 8. 10. *mediator eſt*. ſuprà cap. 7. 23. dixit: ſponſor factus eſt Ieſus, ſed quomodò egit cauſam? *vt morte* ſua *intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento*, ſub quo non erat redemptio, nec deleri à quoquam poterant, nec enìm prius teſtamentum ad perfectum deducebat, *repromiſſionem accipiant* Abrahæ factam, omnes, *qui vocati ſunt*, prædeſtinati, ſiuè viui, ſiuè antè mortui, quia paſſio capit omnes ab origine mundi, *æternæ hæreditatis*, & in Cælum introducantur ad beatitudinem. Declarat, cur mors interceſſit. *Vbi enim teſtamentum eſt*, proùt hìc: *mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris*, aliòqui non poteſt viuentis adiri hæreditas. *Teſtamentum enim in mortuis*, teſtatore mortuo, *confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt*, cum ambulatoria ſit eius voluntas; quaſi, ni mirum, ſi Chriſtus mortuus eſt. *Vndè nec primum quidèm* teſtamentum *ſinè ſanguine* animalium *dedicatum eſt*, in quo ſignificabatur mors teſtatoris. *Lecto enim omni mandato legis à Moyſe populo vniuerſo: accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo: ipſum quoquè librum* mandatorum, quod tùnc legit: vt quid enìm extraneum intelligere? *& omnem populum aſperſit, dicens: Hic ſanguis teſtamenti*, pacti, *quod mandauit ad vos Deus:* confirmauit enìm ea aſperſione pactum cum Deo initum, proùt Deus cum Abraham per ſacrificia. Geneſ. 15. *Etiàm tabernaculum, & omnia vaſa miniſterij ſanguine ſimilitèr aſperſit: Et omnia penè in ſanguine ſecundùm legem*, iuxtà ritus legales *mundantur* ab immunditijs carnalibus contractis: *& ſinè ſanguinis effuſione non fit remiſſio* immunditiarum illarum, repete *penè*, nàm aliqua remittebantur abſquè illa. *Neceſſe eſt*, fuit *ergò* iuxtà legem *exemplaria quidèm cæleſtium*, hæc terrena, & egena, & à priore teſtamento deſcendentia, repreſentantia, & figurantia cæleſtia in nouo teſtamento, & vero tabernaculo exiſtentia *his* ſcilicèt effuſionibus ſanguinis, ſeù hoſtijs mundari: *Ipſa autèm cæleſtia* repreſentata in veteri, at ex nouo teſtamento firmata *melioribus hoſtijs*, nempè morte Chriſti hoſtia immaculata Deo oblata, plurale pro ſingulari, vt opponat hoſtias hoſtijs antiquis, quæ multæ ſunt, & figurabant hoſtiam vnicam Chriſti, *quàm iſtis* hoſtijs animalium: ratio, quia illis hoſtijs antiquis inquinati ſanctificabantur ad emundationem carnis: his verò emundatur conſcientia ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti ſuprà verſ. 13. Exemplaria ergò cæleſtium dicit omnia, quæ fiebant ex veteri lege, & teſtamento, quia terrena erant; cæleſtia verò, quæ ex nouo, quia ſpiritualia ſunt in animam occultè agentia; terrena illa, quia terrena promittebantur in priori teſtamento; cæleſtia hæc, quia cælum, beatitudo, gloria promittitur, & exhibetur. Vide ſuprà cap. 6. 12. & 20. cap. 7. 16. 19. 22. 25. cap. 8. 1. 5. qui exemplari, & vmbræ ſeruiunt cæleſtium; clariùs dici nō poterat. ſuprà hoc cap. 9. verſ. 10. 11. 15. & ſic ſublatæ multæ ambages per alios excitatæ. *Non enìm* (docet diuerſitatem Ieſus Pontificis, & Aaronicorum Pontificum) *in manu facta Sancta*, qualia erant antiqua, ſeù tabernaculum, de quo ſuprà egit *Ieſus* moriens *introiuit exemplaria verorum*

rum

rum Sanctorum spiritualium, idest, repræsentantia hæc vera, & spiritualia, & cælestia, proùt faciebant Aaronici Sacerdotes: *sed in ipsum cælum*, in gloriam, beatitudinem: sub illo enìm tabernaculo materiali, & pro illis manu factis repræsentantibus hęc vera, & solida, *vt appareat nunc vultui Dei pro nobis* interpellans, & aduocans, & sic firmat quod præcessit esse Sacerdotem æternum, in cæloquè officio suo fungi apud Patrem, quod non contigit Sacerdotibus Aaronicis, hæc vna differentia; alia subditur, ne putarent Christum sæpè mori. *Nequè vt sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta* Sãctorum *per singulos annos in sanguine alieno*, animalium: *alioquin oportebat eum* (si sic esset) *frequentèr pati ab origine mundi*, proùt Pontifices illi quolibet anno ingredientes, cum illius mors profuerit omnibus hominibus ab origine mundi citrà, nimirum ab Abel citrà figurata, imò à Deo cum serpente agente aperta: Inimicitias ponam, &c. Genes. 3. *nunc autem*, sed nunc *semèl* tantùm *in consummatione sæculorum*, quandò venit plenitudo temporis, quo Deus prædestinauerat filium suum mittere *ad destitutionem peccati*, quod ipse deleuit, delens quod contrà nos omnes erat chirographum, & affigens illud cruci, in qua mortuus est; ideò subdit, *per hostiam suam* proprij corporis Deo oblatam *apparuit*, sacrificans, litans; nequè hæc pratèr rationem. *Et quemadmodum statutum est hominibus semèl mori*: semèl enim effusa anima omnia soluta sunt, nec est quod ampliùs effundi possit *post hoc autem*, pòst mortem autèm certò *iudicium*: omnes enim nos repræsentari oportet antè tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque proùt gessit in corpore: *sic & Christus* quà homo morti subiectus *semèl oblatus est* ad mortem *ad multorum*, omnium, non sui, qui peccatum non fecit, &c. *exhaurienda*, tollenda *peccata*: *secundò sinè peccato* exhauriendo *apparebit*, manifestabitur *expectantibus se* in iudicio ijs, qui diligunt aduentum eius, *in salutem*, quæ est hæreditas, repromissio testamentaria noua, & cælestis, & gloriosa.



CAPVT X.



1 *VMBRAM enìm habens lex futurorum bonorum, non*
ipsam imaginem rerum: per singulos annos eisdem ipsis
hostijs, quas offerunt indesinentèr, numquàm potest acce-
2 *dentes perfectos facere: * alioquin cessassent offerri: ideò*
quòd nullam haberent vltrà conscientiam peccati, culto-
3 *res semèl mundati: * sed in ipsis commemoratio peccato-*
4 *rum per singulos annos fit. * Impossibile enìm est sangui-*
5 *ne taurorum & hircorum auferri peccata. * Ideò ingrediens mundum dicit: Ho-*
6 *stiam, & oblationem noluisti: corpus autèm aptasti mihi: * holocautomata pro*
7 *peccato non tibi placuerunt. * Tùnc dixi: Eccè venio: in capite libri scriptum*
8 *est de me: Vt faciam, Deus, voluntatem tuam. * Superiùs dicens: Quia ho-*
stias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi,
9 *quæ secundùm legem offeruntur, * tùnc dixi: Eccè venio, vt faciam, Deus,*
10 *voluntatem tuam: aufert primum, vt sequens statuat. * In qua voluntate*
11 *sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semèl. * Et omnis quidèm*

Sacerdos

Sacerdos præsto est quotidiè ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, quæ
12 *numquàm possunt auferre peccata: * hìc autèm vnam pro peccatis offerens ho-*
13 *stiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, * de cætero expectans, donèc ponan-*
14 *tur inimici eius scabellum pedum eius. * Vna enim oblatione, consummauit in*
15 *sempiternum sanctificatos. * Contestatur autèm nos & Spiritus sanctus. Post-*
16 *quàm enim dixit: * Hoc autèm testamentum, quod testabor ad illos pòst dies*
illos, dicit Dominus, Dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eo-
17 *rum superscribam eas: * & peccatorum, & iniquitatum eorum iàm non re-*
18 *cordabor ampliùs. * Vbi autèm horum remissio: iàm non est oblatio pro pecca-*
19 *to. * Habentes itaquè fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Chri-*
20 *sti, * quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, idest,*
21 *carnem suam, * & Sacerdotem magnum supèr domum Dei: * accedamus cum*
22 *vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti cor-*
23 *pus aqua munda, * teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, (fidelis*
24 *enim est qui repromisit) * & consideremus inuicèm in prouocationem charitatis*
25 *& bonorum operum: * non deserentes collectionem nostram, sicùt consuetudinis*
est quibusdam, sed consolantes, & tantò magìs quantò videritis appropinquan-
26 *tem diem. * Voluntariè enìm peccantibus nobis pòst acceptam notitiam verita-*
27 *tis, iàm non relinquitur pro peccatis hostia, * terribilis autèm quædam expecta-*
28 *tio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. * Irritam*
quis faciens legem Moysi, sinè vlla miseratione duobus vel tribus testibus mo-
29 *ritur: * quantò magìs putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei concul-*
cauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, &
30 *spiritui gratiæ contumeliam fecerit: * Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta,*
31 *& ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum. * Hor-*
32 *rendum est incidere in manus Dei viuentis. * Rememoramini autèm pristinos*
33 *dies, in quibus illuminati, magnum certamèn sustinuistis passionum: * & in*
altero quidèm opprobrijs, & tribulationibus spectaculum facti: in altero autèm
34 *socij talitèr conuersantium effecti. * Nàm & vinctis compassi estis, & ra-*
pinam bonorùm vestrorum cum gaudio suscepistis cognoscentes vos habere me-
35 *liorem & manentem substantiam. * Nolite itaquè amittere confidentiam ve-*
36 *stram, quæ magnam habet remunerationem. * Patientia enim vobis necessa-*
37 *ria est: vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. * Adhùc*
enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit.
38 * *Iustus autèm meus ex fide viuit, quod si subtraxerit se, non placebit ani-*
39 *mæ meæ. * Nos autèm non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fi-*
dei in acquisitionem animæ.

VM-



MBRAM enim, repreſentationem obſcuram *habens lex futurorum bonorum* cæleſtium, de quibus ſuprà gloriæ, beatitudinis, regni, hæreditatis, cum in ea hæc promitterentur obſcurè ſub typo carnalium, *non ipſam imaginem rerum*, ideſt, veram repreſentationem,& formam, ſeù potiùs effectum, & veritatem remiſſionis delictorum, & bonorum clarè promiſſorum in nouo teſtamento: ex ſeqq. enìm apparet loqui de effectu, maximè remiſſionis peccatorum. Sub imagine non credo poſſe Chriſtum intelligi, ſed clarè ab eo promiſſa in nouo teſtamento: agit enìm de rebus, & bonis, & quia inſipidè diceretur legem non habuiſſe Chriſtum: quis enìm poterat de hoc dubitare? & ſuprà cap. 9. dicitur: Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, ſic ſponſor melioris teſtamenti. ſuprà cap. 7. 23. Mediator vbiquè, præcurſor. cap. 6. 20. *per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtijs* cruentis animalium, vel alijs, *quas offerunt indeſinentèr*, iugitèr, *nunquàm poteſt accedentes* ad illas immolandas, & in illis participantes *perfectos*, conſummatos, immaculatos à peccatis *facere*, reddere: *aliòquin ceſſaſſent offerri* vt ſuperfluæ, & non neceſſariæ: *ideò quòd nullam haberent vltrà* pòſtj ſemèl oblata *conſcientiam*, remorſum *peccati* remanentis, *cultores ſemèl* pro illa *mundati* à peccato: *ſed* è contrariò, quia non mundantur *in ipſis* hoſtijs *commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit*, repetitur. *Impoſsibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum*, & quorumcunque animalium, quibus nulla vis, à Deo *auferri peccata* animam grauantia; negat igitur Apoſtolus ablata peccata per hoſtias legis etiàm repetitas, maximè ex ratione vniuerſali: *impoſsibile enim, &c.* Vndè non poterant dicere Hebræi, eas repetimus pro denuò inuentis pòſt oblatam annuam hoſtiam. Dices, ſi hoc ſciebant, cur offerebant? quia lege cogebantur, & quia iuncta contritione, & fide in Chriſtum, quem in oblatione proteſtabantur, mundabantur, non ex ſacrificio. Similitèr clarum eſt non intendere Apoſtolum, quòd non expiaretur illis ſacrificijs totus mundus, ſed in particulari quòad Hebræos, imò & quòad offerentes, cultores, ſeruientes: quomodò enìm Hebræi pro Gentibus eis exoſis? vndè dicebant: quò hic iturus, num in diſperſionem Gentium, & docturus Gentes? qui reputabant ſe populum Dei nullos admittentes in ſocietatem, ac etiàm prohibentes eas admitti ad fidem Chriſti. 1. Theſſal. 2. 16. prohibentes nos Gentibus loqui, quod tamèn futurum prophetiam Caiphæ extendens dixit Ioannes: expedit, &c. & non tantùm pro gente, ſed vt Filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Ioan. 11. 52. nullam enìm probabilitatem habet hęc opinio. *Ideò* Filius Dei *ingrediens mundum*, ſciens quę dixi ſuprà, *dicit: Hoſtiam, & oblationem* animalium antè, & pòſt legem facta ad peccata hominum expianda non ſufficientia *noluiſti: corpus autèm* in hoſtiam pro peccatis hominum offerendum in ara Crucis *aptaſti*, accommodaſti, compoſuiſti *mihi*, & iuſſiſti: *holocautomata*, ſacrificia *pro peccato* emundando *non tibi placuerunt: impoſsibile enim eſt ſanguine hircorum, & taurorum auferri peccata, &c.* verſ. 4. *Tunc dixi: Eccè venio;* qui obtulit ſemetipſum, &c. ſuprà cap. 9. 14. *in capite libri ſcriptum eſt de me*, quaſi, hoc principale eſt in tota Scriptura: concernit enìm hanc miſſionem meam, & redemptionem in carne aſſumpta fiendam: *Vt faciam, Deus, voluntatem tuam*, qua decreuiſti ab æterno mundum per mortem meam redimere. Sic in horto: veruntamèn non mea, ſed tua voluntas fiat. Luc. 22. 42. meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius. Ioan. 4. 34. non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. Ioan. 5. 30. quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.

Ioan.

Ioan. 6. 38. *Superiùs dicens* (explicat:) *Quia hostias, & oblationes, & holocautomata* pro peccato *noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur, tùnc dixi* promptè: *Eccè venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam*, vt moriar, & hostia fiam tibi placens; vndè Pater, in quo mihi complacui: *aufert primum* testamentum, primam legem, primas oblationes, *vt sequens*, testamentum nouum, hostiam nouam *statuat*, stabiliat. *In qua voluntate* Dei Patris *sanctificati sumus*, mundati à peccato *per oblationem corporis Iesu Christi semèl* in ara Crucis, & ad Rom. 5. 8. commendat autèm charitatem suam Deus, &c. & proprio Filio non pepercit, &c. Rom. 8. 32. cum enìm suprà de voluntate Patris bis dixerit, relatiuum (*in qua*) illam solam refert, & verba (*eccè venio*) hìc non considerantur nisi pro oblatione Christi incarnati; at præcessit voluntas paterna, quæ ab æterno fuit; ideò illam hic considerat Apostolus, non tamèn excludit aliam Christi, sed illam tacet, vel non refert in his verbis. Ex his vide, quàm congruat intellectus tabernaculi, de quo suprà cap. 9. 11. relatus ad oblationem spontaneam Christi, ad mortem. *Et omnis quidèm Sacerdos* Aaronicus *præsto est quotidiè ministrans* in templo, *& easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquàm possunt auferre peccata: hic autèm* Iesus *vnam pro peccatis* totius mundi *offerens hostiam*, seipsum in illa, exaltatus proptèr hanc humiliationem *in sempiternum sedet*, manet, non ampliùs cruentè litaturus, *in dextera Dei*, in throno gloriæ altissimi, *de cætero*, imposterum *expectans* ad nos reuersurus ad Iudicium, *donèc ponantur inimici eius scabellum pedum eius*. 1. Corint. 15. potuisset id statìm, sed differt proptèr electos generandos, nascituros. Chrysost. Hebr. 1. August. serm. 11. de Sanct. *Vna enim oblatione* (nota ad intellectum tabernaculi, sui corporis in Cruce) *consummauit*, perfecit, impleuit *in sempiternum*, sempèr, *sanctificatos*, mundatos, electos, prædestinatos. *Contestatur autèm nos & Spiritus sanctus* loquens per Prophetas; hinc verba (per Spiritum sanctum. cap. 9. 14.) meliùs de Spiritu sancto, quàm de alio intelliguntur. *Postquàm enim dixit*: (suprà cap. 8. retulit hæc verba integra.) *Hoc autèm testamentum* nouum, *quod testabor ad illos* Hebræos *post dies illos* mihi beneplacitos, & notos, *dicit Dominus, dando leges meas* nouas *in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: & peccatorum, & iniquitatum eorum iàm non recordabor ampliùs. Vbi autèm horum* peccatorum *remissio*, quæ non erat in legalibus: *iàm non est oblatio* cruenta *pro peccato*, iàm non est necesse Christum denuò mori, præsertìm quia ex hac morte surrexere remedia ad peccata delenda, ideò remissio capit omnia, & omne tempus. *Habentes itaquè fratres fiduciam in introitu sanctorum* gloriæ, beatitudinis cælestis, regni nobis promissi (stat in metaphora tabernaculi; sic & 2. Pet. 2. 1. introitus in æternum regnum) *in sanguine Christi*, non hircorum, aut vitulorum, & habentes *quam initiauit*, cœpit nobis *viam*, ego sum via, veritas, & vita ad salutem, gloriam, regnum, *nouam*, ex nouo testamento orientem, per alium non tritam antè eum, *& viuentem*, ad vitam ducentem, viuificantem *per velamen, idest, carnem suam* (stat in metaphora arcæ) qua abscondebatur in mundo diuinitas, proùt velamine Sancta Sanctorum; & sic sustinetur intellectus: per amplius, & perfectius tabernaculum, idest, per carnem suam; sed quodomò? via Christi fuit charitas magna in morte, maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis; via ergò initiata est charitas, hanc nos sequi debemus, vt infrà vers. 24. *& Sacerdotem magnum*, vt & suprà cap. 4. 14. potentem *supèr domum Dei*, quæ estis vos, vt de templo alibì; vel, *supèr domum Dei*, suprà cælos, suprà quam præpositus Iesus pro nobis interpellans: *accedamus* humilitèr ad thronum eius *cum vero*, non ficto *corde*, quia omnia sunt aperta oculis eius, *in plenitudine fidei*, vt non titubemus, *aspersi corda à conscientia mala*, nihil nobis conscij, *& abluti corpus aqua munda*, puri à fornicatione, & impuritate alieni in anima: spiritualitèr enìm hæc intelligenda; nequè hic de baptismo, quia agit cum baptizatis,

Ss proùt

proùt & de aſperſione à conſcientia mala; nec poteſt corrumpi verbum (*accedamus*) poſitum ad exhortationem pro (accedimus) quod illam non importat, quæ omnia ex ſequentibus probantur, quia ſubdit: *teneamus ſpei noſtræ confeſsionem,&c.* non acquiramus; ſtat in ceremonijs antiquis aſperſionis cum hyſſopo, & lana coccinea, & hinc cognoſcitur ſempèr ſpiritualitèr loqui, vt dixi; *teneamus ſpei noſtræ*, qua erigimur ad cæleſtia expectanda, *confeſsionem* Chriſti *indeclinabilem*, firmam, ſtabilem, in nullam partem diuertentem, rectam, (*fidelis enim eſt qui repromiſit*. ſuprà cap. 6. 10. non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri) *& conſideremus*, ſtudium, curam adhibeamus *inuicèm in prouocationem charitatis*; prouocatio hic ad bonum; at Gal. 5. 27. ad malum; ſtudioſè ad charitatis opera nos inuitantes: alter alterius onera portate, *& bonorum* aliorum *operum*, quia iuxtà illa recipiemus: *non deſerentes collectionem*, congregationem *noſtram*, proximum in tribulationibus (ſuprà dixit de bono faciendo, nunc de malo cauendo) *ſicùt conſuetudinis eſt quibuſdam*, quidam ſolent, & malè, nihil hìc de receſſu à fide, proùt Iudæ. 19. præſertim quia infrà in fin. cap. dicit, *non ſumus ſubtractionis filij*, & quia ſubdit, *ſed conſolantes* verbis, & facto; non diligamus verbo, & lingua tantùm, ſed opere, & veritate; *& tantò magis quantò videritis appropinquantem diem* cæleſtium recipiendorum, mortis, ſeù iudicij; vt & infrà verſ. 37. non videtur hìc agere de alia congregatione, niſi ſpectante ad charitatem ex ijs, quæ ſubijcit, *conſolantes,&c.* & primò dictis, in prouocatione charitatis. Hoc verbum (*conſolantes*) non poteſt capi de per ſe, ſed *conſolantes* collectionem, cum adſit aduerſatiua, *ſed*, referenda ad proxima, quibus aduerſatur. *Voluntariè enim peccantibus nobis* (non enim peccatum niſi voluntarium) *poſt acceptam notitiam veritatis*, Chriſti, Euangelij, *iàm non relinquitur pro peccatis hoſtia* more legali, quæ iteretur, proùt in lege, ſed ſufficit ſemèl oblata à Chriſto cum pœnitentia: *vna enim oblatione* Chriſtus omnia *conſummauit*. ſuprà verſ. 14. *Vbi autèm horum remiſsio: iàm non eſt oblatio pro peccato*. verſ. 18. quæ ſinè pœnitentia deleantur peccata, proùt in baptiſmo, qui non poteſt reiterari, ſeù cum difficultate reſurgimus, vt ſuprà cap. 6. 4. de ſimili enim peccato deſertionis, ſeù infidelitatis, de quo & ſuprà verſ. 23. 25. & infrà 38. 39. à quo nititur eos auocare; at hæc & alijs peccatis accommodari poſſunt. Hinc Petrus: melius erat illis viam iuſtitiæ non cognoſcere, quàm pòſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato. 2. Pet. 2. 21. Stat Paulus in ſuo propoſito, in Chriſto hoſtias non multiplicari, proùt in Aaronicis Sacerdotibus, non quòd non detur pœnitentibus remiſſio, at ex modo loquendi oſtendit difficultatem pœnitentiæ, cum auxilium Dei ſit neceſſarium ad reſurgendum, ideò ſubdit de pœna in impœnitentes: *terribilis autem quædam expectatio Iudicij, & ignis æmulatio æterna, quæ conſumptura eſt aduerſarios*, ſempèr tamèn permanſuros, vt in æternum crucientur; hoc ſubdit ad illos retinendos in ſemèl ſuſcepta fide, & ſic ad pœnitentiam, quæ eſt ſecunda tabula, reuocentur, ſi peccauerint. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſinè vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus* contrauentionem probantibus *moritur, quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia* æterna hæc, vt dixit, *qui Filium Dei conculcauerit* in eum peccandò, illum non æſtimando, *& ſanguinem* per eum fuſum gratis in illius redemptionem *teſtamenti*, pacti noui, *pollutum*, maculatum, impotentem ad ſaluandum *duxerit, in quo* iàm per baptiſmum *ſanctificatus*, purificatus, redemptus *eſt, & ſpiritui gratiæ* in eum effuſæ *contumeliam fecit?* ſpernendo illam, & in illam peccando; & intellige hæc maximè conſiderari in peccato infidelitatis, de quo ſuprà; at ſubde, niſi pœniteat. *Scimus enim qui dixit:* (probat pœnas non euaſuros illos.) *Mihi vindicta, & ego retribuam*; ergò ſi pro alijs hoc facturus Deus, quid pro ſe? vndè ſi peccauerit vir in virum,&c. Si autèm in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo? 1. Reg. 2. 25. hinc Suſanna

vole-

volebat potiùs in manus hominum incidere, quàm peccare in conspectu Dei. Dan. 13.23. at Dauid. 2.Reg.24.14. puniendus, potiùs in manus Dei, quàm hominum elegit incidere ob eius misericordiam in hoc sæculo. *Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum suum*, nihil intactum dimissurus. Ideò *horrendum est incidere in manus*, in potentiam *Dei viuentis*, cui omnia patent, quem nullum latet secretum, cui resisti non potest, præsertim tempore iræ, de qua agit. vers. 27.29. vndè Exod. 32.34. Ego autèm in die vltionis visitabo, & hoc peccatum eorum. *Rememoramini autèm pristinos dies, in quibus illuminati* à Deo *magnum certamen sustinuistis passionum: & in altero* partim *quidèm opprobrijs, & tribulationibus spectaculum facti*, sic: spectaculum facti sumus. 1.Cor.4.9. *in altero*, partim *autèm socij taliter conuersantium*, sic patientium *effecti*. *Nàm & vinctis compassi estis*; non hìc de se Paulus, sed in genere, *& rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*, quod est magnæ perfectionis, *cognoscentes* ex his ærumnis *vos habere*, lucrari *meliorem*, *& manentem*, firmam *substantiam* in cælo repositam. *Nolite itaquè ammittere confidentiam vestram* in Deo, quam ex supradictis ostendistis, *quæ* adeò *magnam habet remunerationem*, cælestem scilicèt, æternam, regalem (*fidelis est enim qui repromisit*. suprà vers. 24.) hoc argumento vult eos ab infidelitate diuertere; eodem modo egit cum Galatis. cap. 3.4. hincquè ad patientiam eos hortatur. *Patientia enim vobis necessaria est* vsquè in finem, in qua possidebitis animas vestras: *vt* interim *voluntatem Dei facientes* perseueranter *reportetis promissionem* regni cælestis, gloriæ: Simili argumento vtitur Iacobus. 5.8. *Adhùc enim modicum aliquantulum*. citò, *qui venturus est* soluturus operarijs mercedem, opera recogniturus, *veniet* in morte, aut iudicio, *& non tardabit*. *Iustus autèm meus ex fide* operibus vestita *viuit*, dum sic manet, *quòd si subtraxerit se* à fide, *non placebit animæ meæ*, reijciam illum. Habac.2.3. Ezechiel.18.21. *Nos autèm non sumus*, vel esse debemus *subtractionis filij*, filij nos subtrahentes à pristina obedientia *in perditionem*, ruinam nostram, in ignem destinandi, *sed fidei*, fideles filij *in acquisitionem animæ* nostræ, quam procurare tenemur.




CAPVT XI.

1 *EST autèm fides sperandarum substantia rerum, argu-*
2 *mentum non apparentium. * In hac enim testimonium*
3 *consecuti sunt senes. * Fide intelligimus aptata esse sæ-*
cula verbo Dei: vt ex inuisibilibus visibilia fierent.
4 ** Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo,*
per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimo-
nium perhibente muneribus eius Deo, & per illam de-
5 *functus adhùc loquitur. * Fide Enoch translatus est ne videret mortem, & non*
inueniebatur: quia transtulit illum Deus: antè translationem enim testimo-
6 *nium habuit placuisse Deo. * Sinè fide autèm impossibile est placere Deo. Cre-*
dere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunera-
7 *tor sit. * Fide Noe responso accepto de ijs, quæ adhùc non videbantur, metuens*
aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum: & iusti-

rum ſubmerſione, proùt ſuprà etiàm ſic dixit de Noe, & infrà de Rahab eodem argumento. *Fide muri Ierichò corruerunt circuitu dierum ſeptem* cum tubis: ſic enim crediderunt euẽturum, eaquè Hebræi potiti ſunt, & omnes in ore gladij peremerunt. Ioſue.6. 20. *Fide Rahab meretrix non perijt cum incredulis* Ierichuntinis, *excipiens exploratores* Hebræos *cum pace*, illos abſcondens, & ſaluans. *Et quid adhùc dicam?* Omnia quæ ſequuntur vſquè ad fin. cap. pertinent ad antiquos Patres, non ad Chriſtianos, tùm ex littera, tùm quia nondum contrà eos hæc inſurrexerant. *Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per fidem*, fiduciam in Deo, *vicerunt*, ſuperarunt, acquiſierunt *regna*, & vincendo, non iniuſtè ſe geſſerunt, ſed *operati ſunt iuſtitiam*: illa enim eis debebantur; ideò ſubdit, *adepti ſunt repromiſſiones* multiplicatas Patribus à Deo factas, *obturauerunt* in eadem fiducia *ora Leonum* Dauid, Samſon, Daniel, *extinxerunt impetum ignis* Aaron, & Moyſes, & tres pueri in fornace, *effugerunt aciem gladij*, hoſtes in fugam verterunt pluriès, *conualuerunt de infirmitate*, imbecillitate; vndè Domina: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles; *Fortes facti ſunt in bello* ad hoſtes debellandos, *caſtra verterunt*, ſubuerterunt *exterorum: acceperunt & mulieres de reſurrectione mortuos ſuos* filios ab Elia, & Eliſeo: *alij autèm diſtenti ſunt* tribulationibus, tormentis, *non ſuſcipientes redemptionem*, redimi ab illis malis temporalitèr, proùt in Eleazaro Machabæo, *vt meliorem inuenirent reſurrectionem*, vel meliorem conditionem; vel *meliorem reſurrectionem*, quæ eſt bonorum ad vitam reſpectu malæ, quæ eſt iniquorum ad iudicium. *Alij verò ludibria, & verbera experti, inſupèr & vincula, & carceres* proptèr Deum, Ieremias, Micheas: *lapidati ſunt*, Naboth, Ieremias, Zacharias, *ſecti ſunt*, Iſaias, *tentati ſunt* ad malum inuanum, *in occiſione gladij mortui ſunt*, horum magnus numerus, *circuierunt in melotis* (genus veſtis) *in pellibus caprinis, egentes*, vt in filijs prophetarum cum Eliſeo, *anguſtiati* ad mortem, vt in Elia, Dauide, *afflicti* in omnibus: *quibus dignus* non erat mundus in maligno poſitus: *in ſolitudinibus errantes, in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ*, vt in Elia, & Prophetis, quos Abdias pauit. *Et hi omnes teſtimonio fidei* in Deum *probati*, commendati *non acceperunt repromiſſionem* gloriæ, regni pòſt paſſiones has, dilati ſunt, *Deo pro nobis* qui reſidui fuimus, *melius aliquid* interim *prouidente*, diſponente, mittente filium ſuum tempore noſtro, in quos fines ſæculorum deuenerunt. 1.Cor.10.12. quem multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & audire, nec datum, & qui cælum clauſum aperuit fuſo pro nobis ſanguine, in quod ingrediemur illicò pòſt mortem, quod illis datum non fuit; *vt non ſinè nobis conſummarentur*, perficerentur, ad gloriam ducerentur. Conſummatio pro gloria, quæ eſt vltimum: ſic Epheſ.4. 12. ad conſummationem Sanctorum; & 2.Cor.vltim. conſummationem veſtram. Ioan.17. 23. vt ſint conſummati in vnum, in gloria ſcilicèt; ſic Sancti. Apocal. 6.10. monentur expectare donèc compleantur conſerui eorum ad recipiendam beatitudinem in corpore, ſed neceſſe fuit illis nos expectare, & interim vacare gloria in Limbo, & ſic ſimùl antiqui, & noui ingreſſi ſunt, & adepti repromiſſiones æternas: impoſſibile enim fuit illis ingredi in cælum antè apertionem illius; ideò fruſtrà quæritur quid noſtra intererat, ſi ipſi primò admiſſi, cum non daretur. Dices, ergò nihil actũ pro nobis in præiudicium illorum fateor, ſed dico ex hoc modo loquendi Apoſtolũ reſpexiſſe ad tempus, quo cælum apertum, quod ſub nobis, nõ ſub illis factum: nihil enim fuiſſet, ſi qui interim mortui fuiſſent beati, proùt parùm refert, ſi S.Stephanus in cælum introiuit, cum nos nondum nati nihil prætenderemus, & ſatis cuiquè foret pòſt mortem ingredi, proùt nunc, ſicùt dilati illi, quia cælum occluſum, clauẽ retinente eo in manibus, cui ſoli datum aperire, vt in Apocal. Similis phraſis. 1.Pet.1.12. quibus reuelatum eſt, quia non ſibimet ipſis, vobis autèm miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis, &c. Similis. 1. Cor.10.11. hæc autèm omnia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autèm ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deue-

deuenerunt. Similis. Act.3.22. vbi de prædictione horum temporum; & ideò de gloria animæ hæc intelligenda, non corporis, nàm quòad corpus omnes homines æqualitèr tractantur à morte Abel vſquè ad vltimos igne conflagrandos antè diem Iudicij, quo fiet generalis reſurrectio, & ſic non expectarunt, vel expectant nos quòad gloriam corporis: & propterea fruſtrà quæritur ratio, quomodò circà hoc Deus pro nobis quid melius prouiderit, eò magis quia proùt illos in corpore beaſſet, ità & pòſt ipſum certantes poterat beare: non enim iniuſtus Deus. Sed poteſt quæri, cur ſingulorum reſurrectio ad vniuerſalem dilata? & videtur quia aliàs æqualitas ſeruari non poterat intèr homines antè Chriſtum, & pòſt defunctos; primi non poterant reſurgere, quia primogenitus mortuorum, primitiæ dormiêtium Chriſtus, hoc ſuum priuilegium illi reſeruatum; ſecundi etſi potuiſſent pòſt Chriſtum, non dabatur æqualitas, quia mortuis in primis ſæculis non poterat reſarciri tempus, quo in terram, & puluerem manſerunt; at non eſt bona, quia eadem ratio in animabus viguiſſet, nec attendit illam Deus, ſed pòſt Chriſtum morientibus dedit, & dat gloriam. Ratio vera ergò eſt, quia Deus diſtulit renouationem omnium in fine mundi, nedum hominum ex elementis conſtantium, ſed & elementorum eorundem: corpora enim humana in cinerem redacta, & redigenda (memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Geneſ.3.) reſurgent, & immutabuntur; hinc omnis creatura expectat hanc innouationem. Rom.8. fient enim noui cæli, & noua terra, idcircò non ad partes, non ſingillatim fit corporum reſurrectio, ſed vniuerſalis, & vnico contextu, & propterea cum in fine mundi omnium ſit reſurrectio, non poteſt intelligi Paulus de reſurrectione corporum, in qua nihil melius pro nobis prouidit Deus, quàm antiquis Patribus. Differri etiàm dici poteſt rationabilitèr reſurrectio, vt interim ex cadaueribus, & eorum fœtore cognoſcamus ad oculum miſerias humanas, & humiliemur, ſcientes nos quoquè in cinerem conuertendos. Item, quia ſi illicò pòſt mortem reſurgeremus, & non apparerent corpora noſtra (& ſic eſſet inuiſibilis reſurrectio) minùs crederentur dicta de alio ſæculo, imò omnia euaneſcere; Si viſibilis, concuteremur, terreremur, ſciremus iuxtà qualitatem reſurgendorũ præmia, vel pœnas aſſignatas: hincquè turbaremur, confunderemur, ad iudicia ducere mur inania. Item, iudicium generale fiet, & magìs videtur conuenire, ſi illicò pòſt reſurrectionem ad illud vocemur nouitèr induti corpora, quàm pòſt diuturnum corporis indumentum. Item, alia corpora minori, alia maiori ſpatio corrumpuntur, & in cinerem rediguntur (in cinerem enìm omnia conuertenda) & ſic varia eſſet ſingulorum reſurrectio in tempore, & hæc diuerſitas inconueniret. Item non haberemus beneficium venerandarum reliquiarũ Sanctorum, à quibus tantas gratias recipimus, nec confirmaremur eos eſſe glorioſos, quod ex beneficijs nobis collatis intelligimus occaſione reliquiarum. Item, deficeret fides reſurrectionis, & meritum illam credentium: nàm fides non haberet meritum, vbi humana ratio haberet experimentum. Vndè ratio dilationis ob dignitatem noſtrarum actionum non aptatur ad hæc, nequè quidquam commune habet cum dilatione reſurrectionis, cum quouis tempore reſurgeremus, præmio ſuo actiones noſtrę non defraudarentur, & ratio ab abſurdo pro corpore adducta in animabus vigeret, & abſurdum faceret.






CAPVT XII.



1 DEOQVE & nos tantam habentes impositam nu-
bem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos
peccatum, per patientiam curramus ad propositum no-
2 bis certamen: * aspicientes in Auctorem fidei, & consum-
matorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem,
confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.
3 * Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatori-
bus aduersùm semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris
4 deficientes. * Nondum enim vsquè ad sanguinem restitistis, aduersùs peccatum
5 repugnantes: * & obliti estis consolationis, quæ vobis tamquàm filijs loquitur,
dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo
6 argueris. * Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem fi-
7 lium, quem recipit. * In disciplina perseuerate. Tamquam filijs vobis offert se
Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? * Quòd si extrà disciplinam
8 estis, cuius participes facti sunt omnes: ergò adulteri, & non filij estis. * Dein-
9 dè patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non
10 multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus? * Et illi quidem
in tempore paucorum dierum, secundùm voluntatem suam erudiebant nos: hic
11 autem ad id, quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. * Omnis autem
disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: posteà autem
12 fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ. * Proptèr quod re-
13 missas manus, & soluta genua erigite, * & gressus rectos facite pedibus vestris:
14 vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur. * Pacem sequimini cum
15 omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: * contemplantes
nequis desit gratiæ Dei: nequa radix amaritudinis sursùm germinans impediat,
16 & per illam inquinentur multi. * Ne quis fornicator, aut profanus vt Esau:
17 qui proptèr vnam escam vendidit primitiua sua: * scitote enim quoniam & po-
steà cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœniten-
18 tiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. * Non enim accessistis ad
tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, &
19 procellam, * & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excu-
20 sauerunt se, ne eis fieret verbum. * Non enim portabant quod dicebatur: Et si
21 bestia tetigerit montem lapidabitur. * Et ità terribile erat quod videbatur.
22 Moyses dixit: Exterritus sum, & tremebundus. * Sed accessistis ad Sion mon-
tem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium an-
23 gelorum frequentiam, * & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis,

& iu-

24 *(t) iudicem omnium Deum, (t) spiritus iustorum perfectorum,* * *(t) testamenti*
noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm
25 *Abel.* * *Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes*
eum, qui super terram loquebatur: multò magìs nos, qui de cælis loquentem no-
26 *bis auertimus.* * *cuius vox mouit terram tunc: nunc autèm repromittit, dicens:*
27 *Adhùc semèl. & ego mouebo non solùm terram, sed (t) cælum.* * *Quòd autèm,*
Adhùc semel, dicit: declarat mobilium translationem tanquàm factorum, vt
28 *maneant ea, quæ sunt immobilia.* * *Itaque regnum immobile suscipientes, ha-*
bemus gratiam: per quam seruiamus placentes Deo, cum metu (t) reuerentia.
29 * *Etenim Deus noster ignis consumens est.*



I*DEOQVE & nos,* quibus à Deo meliùs prouisum, qui illicò pòst mortem ad beatitudinem animæ ducimur, *tantam habentes impositam nubem testium*, tantum numerum testium, quos adduxi, in fide coronatorum, *deponentes omne pondus* carnis, mundi in diuersa nos trahentium, & deprimentium, *& circumstans nos peccatum* concupiscentiæ, vel infidelitatis, ad quod vos ducimini (de hoc enim in epist.) in quod labamur; vtitur hoc modo loquendi, quia solent pondus, & turbæ circunstantes impedire cursum athletis (hinc vide quomodò intelligenda dicta cap. 6. & 10. circà pœnitentiam, quam hìc clarè includit) *per patientiam*, de qua suprà cap. 10. *curramus ad propositum nobis certamen* tribulationum, passionum, in quo Sancti suprà nominati se exercuerunt, & superarunt: *aspicientes* ad mala toleranda, & superanda *in auctorem fidei* (hæc enim est à Deo) *& consummatorem Iesum:* ipse enim in nobis consummat gloriam, perficit gloriam, & de eius plenitudine accipimus. Io. 1. innuit ad verbum (consummarentur) vltimum. cap. præcedentis, & ad gloriam, ad quam illicò pòst mortem traducimur, & vult patientiam nostram extendi vsquè ad passionem mortis inclusiuè, *qui proposito sibi gaudio* recipiendo, proptèr quod & Deus exaltauit illum, &c. Phil. 2. cum exaltaueritis, &c. Ego si exaltatus fuero à terra; *sustinuit crucem, confusione*, ignominia crucis *contempta* ob gaudium sibi propositū gloriæ; nonnè oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam? *atquè in dextera sedis Dei sedet* gloriosus, ad tantum fastigium per tolerantiam crucis assumptus. Phil. 2. *Recogitate enim* in animis vestris, nedum aspicite *eum*, cuius explicari non potest maiestas, *qui talem*, incredibilem *sustinuit à peccatoribus*, pro ipsis moriens, *aduersùs semetipsum* illis benefacientem *contradictionem*, persecutionem vsquè ad mortem turpissimam; commendat autèm charitatem suam Deus in nobis, quia cum adhùc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est. Rom. 5. 8. *vt ne fatigemini* quasi oppressi à tribulationibus, *animis vestris deficientes* à fide, à bonis operibus, huius nimia charitas, huius opus magnum exemplum ad persistendum vos stabiliat. *Nondum enim vsquè ad sanguinem*, proùt ille, *restitistis, aduersùs peccatum repugnantes*, ne ab illo inficeremini: *&*, quod peius est, *obliti estis consolationis* verborum, quæ in miserijs vos consolari possunt, *quæ vobis tanquàm filijs* (& sic docet hæc emanare à Patre, à quo bona expectanda) *loquitur, dicens: Fili mi noli negligere*, parùm curare, spernere *disciplinam*, ferulam *Domini* in angustijs consistentem, *nequè fatigeris* impatiens *dum ab eo argueris* per malas immissiones. *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autèm omnem filium, quem recipit* in filium: vult dicere, omnia hæc benignitate amantissimi Patris fiunt. *In disciplina*, exercitatione bonorum operum, in obedientia *perseuerate,*

seuerate, estote fideles. *Tanquàm filijs vobis offert se Deus*, dum à tribulationibus, & angustijs opprimimini: *quis enim filius* etiã benè incedens, *quem non corripit pater*, vt perseueret? *Quòd si extrà disciplinam*, fidem, regulam *estis*, *cuius* disciplinæ dum dedistis nomina Christo in baptismo, *participes facti sunt omnes*, vos: *ergò adulteri*, qui fornicati estis, & recessistis à Deo, *&* *non filij estis*: si enim filij essetis, perseuerassetis: adulter enim dimittit thorum, & vas suum; sic idòlolatra, infidelis Deum suum. *Deindè Patres quidèm carnis nostræ, eruditores habuimus*, docentes nos, *& reuerebamur eos*, vt decet. *non multò magìs obtemperabimus patri spirituum* bonorum in vos infusorum, vel animarum, Deo, non stabimus in disciplina eius perseuerantes, *& viuemus* vita spirituali, & æterna, quam à patribus carnis recipere non possumus? *Et illi quidèm* Patres carnis nostræ *in tempore paucorum dierum*, quasi, non multùm laborarunt, *secundùm voluntatem suam*, quasi uana, & inutilia, temporalia ad eorum profectum *erudiebant nos* filios suos: *hic autèm* Pater spirituum erudit nos in tribulationibus, maximè *ad id, quod vtile est* nobis, non ipsi bonorum nostrorum non egenti, *in recipiendo sanctificationem eius*, vndè sanctificemur, sancti euadamus, ipse sanctificator, hunc ergò magìs æstimare debemus. *Omnis autem disciplina* corripiens *in præsenti quidèm* tempore, in hoc sæculo, dum sumus in hac vita, *videtur non esse gaudij*, etsi deberet esse, proùt est, *sed mœroris: posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam* disciplinam, *reddet iustitiæ* diligentibus aduentum Domini. 2. Timot. 4. 8. in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quã reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex, non solùm autèm mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius, & sic interpretare verba hæc. *Proptèr quod* (scientes scilicèt remunerationem operum vestrorum, & patientiæ in tribulationibus) *remissas manus*, *& soluta genua*; sic Eccl. 25. 32. sic solent timidi, & vacillantes, exemplum in Baltassare. Dan. 4. in Dauide. 1. Reg. 21. 12. *erigite* spe bona ducti, *& gressus rectos facite pedibus vestris*, in actionibus vestris; sic Ioannes dicebat: rectas facite semitas vestras: *vt non claudicans*, more claudicantis *quis erret, magìs autèm sanetur*, stabiliatur viua spe; eccè pœnitentia, quã & aduertit Theophilactus, ad intelligentiam cap. 6. & 10. *Pacem sequimini cum omnibus*: ex pace enim omne bonum, *& sanctimoniam*, vitæ sanctitatem, puritatẽ, *sinè qua nemo videbit Deum*: oculus enim macula infectus illum videre non potest: *contemplantes* magna diligentia *ne quis desit gratiæ Dei*, quam Deus cuique impartitur ad hæc bona adipiscenda: *ne qua radix amaritudinis*, amara ex peccato *sursum germinans*, pullulans *impediat* gratiam Dei, seù à consecutione virtutum, vel bonorum illorum, *& per illam* infectam *inquinentur multi*. *Ne quis fornicator* sit, idòlolatrando, *aut profanus*, gulosus, *vt Esau: qui proptèr vnam escam* lentis *vendidit primitiua sua*, primogenituram: *scitote enim quoniàm & posteà* facti pœnitens, *cupiens hæreditare benedictionem*, bona paterna, *reprobatus est*, matre Iacob supponente: *non enim inuenit pœnitentiæ locum*, *quam quàm cum lacrymis inquisisset eam*. Gen. 27. Pater enim repulit eiulantem, cum iam benedixisset Iacob emptori. Vel *profanus Esau*, qui postquàm cum iuramento vendiderat primogenita, contrà iuramentum voluit hæreditare, nec auditus fuit à Patre, sic profanus Sedecias dicitur deficiens à Rege, cui iuramento se adstrinxerat. Ezechiel. 21. 25. vult dicere, cauete à casu, quia difficilis resurrectio; & hoc confirmat intellectus datos ad cap. 6. vers. impossibile. & 10. vers. voluntariè. vt enim inquit hic Chrysostomus, cuius dictum seruit pro locis illis, non excludit pœnitentiam, sed de ea sic loquitur, vt eò magìs auertat eos à peccando. Aduerte hic agi de pœnitentia venditionis, vel Isaac, non peccatorum, & Paulus suprà cap. 11. 20. obseruat benedictionem Isaac tàm in Iacob, quàm in Esau; sic intellige: Iacob dilexi, Esau odio habui, quòad prælationem. Malach. 1. Rom. 9. 13. sic Samuel lugebat Saul pro regno, non pro salute animæ. 1. Reg. 16. 1. Sed an peccauerit Esau vendens primogenita? nullibi in Scriptura sacra cauetur, tantùm patitur oppositionem, quòd pro leui cibo id fecerit:

ſi enim commiſiſſet vitium ſimoniæ, non excuſaretur Iacob, qui ad primogenita nullum ius habebat: ſi enim habuiſſet, non dixiſſet: vende mihi primogenita tua. Geneſ. 25. 31. & non eſt veriſimile, ſi ſimoniaca fuiſſet emptio, Iacob virum probum continuaſſe in iure malè quæſito, & Paulus hic nil aliud dicit, niſi quòd proptèr vnam eſcam vendidit primitiua ſua. Et aduertendum quia ius huiuſmodi dependebat à paterna benedictione, non conſiſtebat in filio patre viuente: ideò Iſaac benedictionem ab Eſau ad Iacob tranſtulit, & ſicùt teſtamentum non eſt ratum donèc viuit teſtator, ſic primogenitura, ità vt vendiderit ius in ſpe, non in re, & propterea neuter peccauit. Vide ſcripta in Gen. Item aduerte, quòd ex primogenitura non erat ſacerdotium, vt alibi dixi. *Non enim acceſsiſtis ad tractabilem*, pro intractabilem *montem* Sinai, iuxtà Dei edictum, in quo data lex, *& accenſibilem*, accenſum *ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam*. Exod. 19. 20. *& tubæ ſonum*, *& vocem verborum* tremendorum, *quam qui audierunt* de populo, *excuſauerunt ſe*, timentes audire, *ne eis fieret verbum*; non loquatur nobis Dominus. *Non enim portabant*, ſuſtinere poterant *quod dicebatur*, adeò erant territi: *Et ſi beſtia tetigerit montem* illum, in quo dabatur lex per Dominum, *lapidabitur* à Domino. *Et ità terribile erat*, *quod videbatur* oculis carneis. *Moyſes* dux, legislator *dixit: Exterritus ſum, & tremebundus*; non poteſt autèm hoc deſumi. Exod. 2. quia extranea non ſubintelligenda, & Paulus ex traditione hoc habuit, & eſt admodum veriſimile ex prodigijs tùnc à Deo factis id ei contigiſſe. *Sed acceſsiſtis* ſaluandi ſpiritualitèr per baptiſmum, & tanquàm lapides viui ſuperædificandi *ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis*, ad Eccleſiam. Ego autèm conſtitutus ſum Rex ab eo ſupèr Sion montem ſanctum eius. Pſal. 2. ideſt, Eccleſiam; *Ieruſalem cæleſtem*, magnam, *& multorum millium Angelorum frequentiam* vos adiuuantium, *& Eccleſiam primitiuorum*, congregatam primitiarum ſpirituum, *qui conſcripti ſunt in cælis*, prædeſtinati, *& Iudicem omnium Deum* incorruptum, *& ſpiritus*, & ad ſpiritus, animas *iuſtorum perfectorum* in cælum translatorum; hinc verbum (conſummare) cap. 11. in fin. meliùs ad animas, vt dixi; *& teſtamenti*, pacti *noui mediatorem Ieſum*, *& ſanguinis aſperſionem* eiuſdem Ieſu *meliùs loquentem*, interpellantem, *quàm Abel*, & ſic firmatur intellectus de voce Abelis ſuprà cap. 11. is enim loquitur ad veniam, non ad vindictam, & apparet modus vnus, quo Chriſtus interpellat pro nobis ad declarationem præcedentium capitum. Vult dicere Paulus, nùnc nullus timor proùt in lege veteri, omnia pacata, ſuauia, dulcia. *Videte ne recuſetis loquentem*. ſuprà cap. 10. irritam quis faciens, &c. proùt illi, quia hunc portare poteſtis, proùt illi non poterant. *Si enim illi non effugerunt*, non euaſerunt pœnam, quandò peccarunt in vituli adoratione. Exod. 32. Act. 7. 38. *recuſantes eum* Deum (accipit nùnc in malam partem recuſationem hanc, quę timoris cauſa videbatur facta) *qui ſupèr terram loquebatur*, ſcilicèt in monte Sinai: *multò magìs nos* non effugiemus, *qui de cælis loquentem* (vndè maior potentia oſtenditur: quis enim ſicùt Dominus Deus noſter, qui in altis habitat?) *nobis auertimus*, aures occludentes, audire nolentes, non obedientes. Dixi, *recuſantes* Deum, non autèm Moyſen, quia Deo conueniunt verba, *qui ſupèr terram loquebatur*; nàm infert ſupèr cælum loqui potuiſſe, quod de Moyſe dici non poteſt, & quia ſuprà dixerat de voce, & prodigijs Dei à verſ. 18. vſquè hùc, & quia ſubdit. *cuius vox*, vox Dei intelligitur. Item, verificantur verba in Deo recuſato, cui ſuffectus vitulus, non in Moyſe: populus enim dixit Aaron: ſurge, fac nobis Deos, qui nos præcedant, & hoc fuit principale in illis; deindè ſubdunt: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit, hoc autèm minùs principale. Exod. 32. 1. *Cuius vox*, Dei ſcilicèt, nobis de cælo loquentis, *mouit terram tùnc* tot prodigijs in dando legem: *nùnc autèm*, quod ad nouum teſtamentum ſpectat, *repromittit*, *dicens: Adhùc ſemèl: & ego mouebo non ſolùm terram*, proùt tùnc, *ſed & cælum* in aduentu Chriſti; à ſummo cælo egreſsio eius; exiui à Patre, & veni in mundum,

dum, & sic commotio ad cælum quatenùs de cælo venit: ad terram verò in promulgatione Euangelij; ignem veni mittere in terram. *Quod autem, adhùc semel,* de lege Euangelica, *dicit: declarat mobilium* legalium *translationem*, mutationem *tanquam factorum* (in his enim consistebat lex. Rom. 3.31.) *vt maneant ea, quæ sunt immobilia,* lex Euangelica duratura vsquè ad finē mundi, regnum immobile, æternum, de quo statim subdit, promissum. Aduerte, hæc non possunt intelligi de Iudicio, & sic de secundo aduentu, sed de primo, quia Aggæus cap. 2. de hoc loquitur. Nec dicas, *tanquàm factorum*, idest, quæ habuerunt suum cursum, verificata sunt, quia non hic de his, sed de natura veteris legis, quasi dans rationem cur mobilis, cur abroganda. *Itaquè regnum immobile* nobis paratum *suscipientes*, accincti ad illud suscipiendū, & capiendum, suscipere satagentes, *habemus gratiam*, quæ nos ducit ad illud: *per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia*, vt in regnum suscipiamur. Debetur autèm timor, & reuerentia Deo. *Etenim Deus noster ignis consummens est*. Deut. 4.24. ideò valdè timendus: ignis enim accensus in nobis agens horrori est, & formidini.



CAPVT XIII.

1 *CHARITAS fraternitatis maneat in vobis. * Et*
2 *hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt*
3 *quidam, Angelis hospitio receptis. * Mementote vincto-*
rum, tamquàm simul vincti: & laborantium, tam-
4 *quàm & ipsi in corpore morantes. * Honorabile connu-*
bium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores
5 *enim, & adulteros iudicabit Deus. * Sint mores sinè*
auaritia, contenti præsentibus: ipse enim dixit. Non te deseram, nequè dere-
6 *linquam. * ità vt confidentèr dicamus: Dominus mihi adiutor: non timebo*
7 *quid faciat mihi homo. * Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti*
sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem.
8 ** Iesus Christus heri, & hodiè: ipse & in sæcula. * Doctrinis varijs, & pere-*
9 *grinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis: quæ non*
10 *profuerunt ambulantibus in eis. * Habemus altare, de quo edere non habent po-*
11 *testatem, qui tabernaculo deseruiunt. * Quorum enim animalium infertur san-*
guis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extrà ca-
12 *stra. * Proptèr quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, ex-*
13 *trà portam passus est. Exeamus igitur ad eum extrà castra, improperium eius*
14 *portantes. * Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inqui-*
15 *rimus. * Per ipsum ergò offeramus hostiam laudis sempèr Deo, idest, fructum*
16 *labiorum confitentium nomini eius. * Beneficentiæ autèm, & communionis no-*
17 *lite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. * Obedite præpositis vestris,*
& subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris red-
dituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vo-

18 *bis.* * *Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conscientiam habemus in*
19 *omnibus bene volentes conuersari.* * *Ampliùs autèm deprecor vos hoc facere,*
20 *quò celeriùs restituar vobis.* * *Deus autèm pacis, qui eduxit de mortuis pastorem*
magnum ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum
21 *Christum,* * *aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem: faciens in*
vobis quod placeat coràm se per Iesum Christum: cui est gloria in sæcula sæculo-
22 *rum. Amen.* * *Rogo autèm vos fratres, vt sufferatis verbum solatij. Ete-*
23 *nim perpaucis scripsi vobis.* * *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum:*
24 *cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos.* * *Salutate omnes præpositos ve-*
25 *stros, & omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres.* * *Gratia cum omni-*
bus vobis. Amen.




HARITAS *fraternitatis*, fidelium, qui fratres dicuntur, *maneat in vobis:* hanc sæpè inculcat suprà cap. 12. 14. pacem sequimini contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei: cum alijs verò *Et hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam*, euaserunt flagella, vt Lot, *Angelis hospitio receptis.* Tobias cap. 1. alij alia beneficia: Abdias prophetiam: vidua Sareptana oleum, panem, filium: Sunamitis filium: ambæ eosdem resuscitatos: Abraham Isaac: discipuli Emaus euntes Domini notionem: Raab suam, & suorum salutem. Alij latuerunt, non cognouerunt Angelos, sed quid hoc beneficij Angelos primò non cognouisse, maximè dum apud illos hospitarentur, posteà cognouisse? vndè meliùs recepisse beneficia ex eorum hospitio, vt suprà: latentes enim saluantur ab insidijs. Nisi dicas pro secundo intellectu à principio illos non cognouisse, posteà cognouisse, prout Lot, & Abraham; sed primus magis placet. *Mementote vinctorum* pro fide *tanquàm simul vincti:* causa enim communis: *& laborantium* patientium *tanquàm & ipsi in corpore morantes*, quasi homines compatientes illis. *Honorabile connubium* sit *in omnibus, & thorus immaculatus* absquè peccato; hoc præcipit: ideò dicit. *Fornicatores enim, & adulteros* illicitis concupiscentijs deditos *iudicabit Deus*, condemnabit, & puniet; Sempèr de castitate Paulus in omnibus epistolis. *Sint mores sinè auaritia*, sinè timore quòd vobis desit: quasi, mores ob id non corrumpantur, *contenti præsentibus* absquè solicitudine diei crastinæ, non thesaurizantes in terra: *ipse enim* Deus *dixit: Non te deseram, nequè derelinquam, ità vt confidentèr dicamus: Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo*; hæc dicit vt confidentes sint in Deo, qui pauit aues cæli, & vestit lilia agri. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei*, Euangelium, etenìm illis multùm debetis: *quorum intuentes exitum conuersationis* bonæ *imitamini fidem*, quam habuerunt, nec sunt delusi; de fide sempèr solicitus Apostolus in hac epistola, & quia fortè aliqui dicebant alium venturum à Christo. Vel patres illos Christum vidisse, non eos; vt eos stabiliat, subdit: *Iesus Christus heri, & hodiè: ipse & in sæcula*, idem est hodiè, qui heri, & erit in æternum, vobisquè sempèr aderit. *Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci:* tùnc enim multi erant pseudoapostoli seminantes contrarias doctrinas ad lucrum captandum, de quibus in alijs epistolis, & præsertìm circà cibos: ideò subdit. *Optimum est enim gratia* Dei *stabilire cor* nostrum, in eo permanere, non abduci, *non escis* vitandis, vel sumendis: *quæ non profuerunt ambulantibus in eis;* erant enim hæc legalia, quæ ad perfectum non deducebant, nec purgabant, nec sanctificabant. Et vt eos à legalibus illis ad Christum abducat.


Habe-

Habemus altare, in quo fiunt ſacrificia, & immolantur hoſtiæ, *de quo*, ſeù quibus *edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt. Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta* Sanctorum *per Pontificem* ſummum ſemèl in anno. Leuit. 16. *horum* animalium *corpora cremantur extrà caſtra* abſquè comeſtione. *Propter quod & Ieſus* Saluator, *vt ſanctificaret* à peccato mundans *populum* ſuum, genus humanum *per ſuum ſanguinem, extrà portam* Ieruſalem *paſſus eſt* in cruce, ibì crematus: ad hunc igitur attendamus legalibus dimiſſis. Credo hoc modo velle dicere Apoſtolum, non eſſe cibis inſiſtendum, quia ſumus redacti ad terminum ſacrificij illius, quo eſus vetatur, & omnia cremantur, illamquè ceremoniam fuiſſe typum legalium ciborum ceſſandorum, non ſumendorum, ità vt dicat: ſicùt antiquitùs de hoſtia pro peccato per ſacerdotem magnum oblata nihil edebatur, ſed ſanguis inferebatur in Sancta Sanctorum, reliquum comburebatur extrà caſtra, ità nùnc cum hoſtiæ omnes antiquæ ceſſauerint, & more antiqui ſacrificij illum figurantis extrà portam Ieruſalem mortuus ſit Chriſtus, ceſſauit eſus, & potus, & ciborum diſcretio. Hìnc nihil hìc de miſſa, cum referat prototypũ ceremoniæ illius ad eſcas excludendas, & quia inducit Chriſtum morem illum ſeruaſſe, ibì, *propter quod, &c.* & quia loquitur de incomeſtibilibus: dãs enìm rationem dicti, ſubdit: *quorum enim animalium, &c.* Sacrificium verò miſſæ conſummatur per comeſtionem, & quia ſubdit nos ſequi debere Chriſtum, hoſtiamquè laudis offerendam: ſi enìm de miſſa priùs, ſubiunxiſſet de eadem, non de hoſtia laudis, & fructu labiorum. Prætereà, quæ connexio eſcarum curam prohibere, deindè ſubiungere prohibitũ eſum ſanctiſſimi Sacramenti, quæ congruentia dicere, *habemus altare, de quo, &c.* quis enìm ſeruientium tabernaculo hæc expectabat? ab his igitur deſumpſit argumentum Paulus ad ſuum propoſitum, vt excluderet ciborum obſeruantiam in eſu, non aliud: vult dicere: regnum Dei non eſt eſca, vel potus, in his ampliùs non inſiſtendum. Qui intellectus eò magis procedit, cum ſcribat ad laicos, vt omnes tenent, ex quo monet eos obedire præpoſitis, & eos ſalutari iubet, & nos vult ſequi Chriſtum illis omiſſis, & laudes offerre, ideoquè ſubdit. *Exeamus igitur ad eum* Ieſum *extrà caſtra*, extrà portam, extrà mundi terminos, ſpiritu in eum intendentes, aſpirantes ad cæleſtem Ieruſalem. ſuprà cap. 12. 22. vt Moyſes ſuprà. cap. 11. 26. *improperium eius*, crucem eius in nobis *portantes* vſquè ad mortem; qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, nõ eſt me dignus. Matth. 10. & ſic procuremus inuenire locum, vbì ſiſtamus cum eo. *Non enim habemus hìc manentem ciuitatem*, ità vt graue nobis eſſe debeat hìnc exire, *ſed futuram inquirimus*, cæleſtem omni bono plenam. ſuprà cap. 12. 22. *Per ipſum ergò* Ieſum *offeramus* non legalia, ſed *hoſtiam laudis ſempèr* (ſempèr enìm orandum) *Deo, ideſt, fructum labiorum confitentium*, laudantium, *nomini eius*, magnitudini eius; fructus labiorum bonus dicitur, quia ex labijs procedit laus vocalis, & ſic procuremus gratia cor noſtrum ſtabilire, non eſcis legalibus, potiùs hìc quoquo modo de miſſa ſub verbis (*hoſtiam laudis*) etſi ſequentia (*fructum labiorum*) videantur contrariari, & quia ſcribit laicis. *Beneficentiæ autèm*, eleemoſynæ, *& communionis*, in qua ſitis cor vnum, & anima vna, *nolite obliuiſci: talibus enìm hoſtijs*, non ampliùs illis legalibus, *promeretur Deus*, à quo gratiam recipimus: docet enìm quomodò gratia ſtabiliantur. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*, & non videatur vobis hoc graue. *Ipſi enim* è contrà *peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*; hanc duram prouinciam pro vobis aſſumunt, *vt cum gaudio*, libentèr *hoc* arduum opus *faciant, & non gementes: hoc enìm non expedit vobis*, quia ſic minùs facient; ab eorum vtilitate monet illos. *Orate pro nobis*; ſciebat eos non benè ſentire de ſe. Act. 21. 20. *Confidimus enim quia bonam conſcientiam habemus in omnibus benè volentes conuerſari*; de hac bona conuerſatione ſuprà verſ. 7. vult dicere, ex hoc confidimus vos id libentèr pro nobis facturos. *Ampliùs autèm deprecor vos hoc facere*, vt oretis pro me, *quò celeriùs reſtituar vobis*, ad vos liber à vinculis redeam; hìnc appa-

ret non fuisse liberum quando scripsit Timotheo, liberatus sum de ore leonis. ***Deus autèm pacis***, quam vobis exoptaui, ***qui eduxit de mortuis***, suscitauit à morte ***pastorem*** magnum ouium suprà omnes pastores: ego sum pastor bonus. & 1. Pet. 5. 4. princeps pastorum; ***in sanguine testamenti æterni***, ab æterno præordinati propter sanguinem fusum ab eo; proptèr quod & Deus exaltauit illum. Philip. 2. ***Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono***, gratia sua, ***vt faciatis eius voluntatem: faciens in vobis*** opus, ex vobis nasci opus, ***quod placeat coràm se*** Deo ***per Iesum Christum*** aduocatum nostrum, ***cui est gloria in sæcula sæculorum***, sempèr. ***Amen. Rogo autèm vos fratres, vt sufferatis*** patienter ***verbum solatij***, hanc epistolam meam consolatione, & gaudio plenam. ***Etenim perpaucis scripsi vobis***, scripsi breuibus; ideò dicit (***verbum***) ***Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum*** à me, ***cum quo*** (***si celeriùs venerit***, proùt ad eum scripsit epistolam secũdam) ***videbo vos*** personalitèr; putabat se citò liberum, non ergò erat liber. ***Salutate omnes præpositos vestros, & omnes sanctos***, Christianos, fideles. ex hac salutatione indicat quanti illos faciat; vt magis inducat illos ad idem. ***Salutant vos de Italia fratres*** conuersi. ***Gratia*** Dei ***cum omnibus vobis. Amen.***



IN




IN EPISTOLAM
BEATI IACOBI
APOSTOLI.

CAPVT PRIMVM.

1 *IACOBVS Dei, & Domini nostri Iesu Christi seruus*
duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.
2 ** Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tenta-*
3 *tiones varias incideritis: * scientes quòd probatio fidei ve-*
4 *stræ patientiam operatur. * Patientia autèm opus perfe-*
ctum habet: vt sitis perfecti & integri in nullo deficien-
5 *tes. * Si quis autèm vestrum indiget sapientia, postulet*
6 *à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Postu-*
let autèm in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui
7 *à vento mouetur & circumfertur. * non ergò æstimet homo ille quòd accipiat ali-*
8 *quid à Domino. * Vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis.*
9 ** Glorietur autèm frater humilis in exaltatione sua: * diues autèm in humilita-*
10 *te sua, quoniàm sicùt flos fœni transibit: * exortus est enim sol cum ardore, &*
11 *arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt: ità & diues*
12 *in itineribus suis marcescet. * Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniàm cum*
probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.
13 ** Nemo cum tentatur, dicat quoniàm à Deo tentatur: Deus enim intentator*
14 *malorum est: ipse autèm neminem tentat. * Vnusquisque verò tentatur à con-*
15 *cupiscentia sua abstractus, & illectus. * Deindè concupiscentia cum conceperit,*
16 *parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem. * No-*
17 *lite itaquè errare fratres mei dilectißimi. * Omne datum optimum, & omne do-*
num perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est
18 *transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. * Voluntarie enim genuit nos*
19 *verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. * Scitis fratres mei*
dilectissimi. Sit autèm omnis homo velox ad audiendum: tardus autèm ad
20 *loquendum, & tardus ad iram. * Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur.*

Proptèr

21 * *Proptèr quod abijcientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in*
mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.
22 * *Estote autèm factores verbi, & non auditores tantùm: fallentes vosmetip-*
23 *sos.* * *Quia si quis auditor est verbi, & non factor: hic comparabitur viro con-*
24 *sideranti vultum natiuitatis suæ in speculo:* * *considerauit enim se, & abijt, &*
25 *statìm oblitus est qualis fuerit.* * *qui autèm perspexerit in legem perfectam liber-*
tatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic
26 *beatus in facto suo erit.* * *Si quis autèm putat se religiosum esse, non refrenans*
27 *linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* * *Religio munda,*
& immaculata apud Deum, *&* Patrem, *hæc est: Visitare pupillos, & viduas*
in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.



ACOBVS Dei, & Domini nostri Iesu Christi seruus, minister; quomodò is intraret in Sancta Sanctorum, cum non liceret id nisi semèl in anno summo sacerdoti sacrificaturo, patitur difficultatem non paruam; *duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione*, dispersis, *salutem*; ex hoc videtur ex singulis aliquos saluos; & tamèn Apoc.7. tribus Dan non ponitur. Vide ibì. Hi ex conuersis ad fidem, nàm infidelibus, seù nondum conuersis alia perscribenda, quàm moralia, & consolatoria pro tentationibus. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis:* tùnc enim verisimilitèr sumus Filij Dei, non adulterini. Heb.12. at nullum maius gaudium, quàm nomina nostra in cælo scripta esse: *scientes quòd probatio fidei vestræ* per tentationem facta *patientiam operatur*, in patientia vestra possessuri estis animas vestras. Quòd probatio per tentationem, seù tribulationem facta patientiam operetur, idem est quod dicitur Rom. 5.6. tribulatio patientiam operatur, patientia autèm probationem: vtrobiquè enìm intelligitur ex tentatione, quam patientèr toleramus, & quæ est occasio patientiæ, probari fidem nostram, & spem, de quibus infrà. cap.5. & infrà vers. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniàm cum probatus fuerit, &c. Patientia autèm* vsquè ad finem perseuerans *opus perfectum habet*, nàm oritur spes, quæ non confundit. Rom.5.5. ideò dicit: *vt sitis perfecti, & integri in nullo deficientes. Si quis autèm vestrum indiget sapientia* ad tentationes supportandas, *postulet à Deo*, à quo omne bonum, &c. *qui dat omnibus* petentibus *affluentèr*, largè, *& non improperat*, gratis: *& dabitur ei*; petite, & accipietis. *Postulet autèm* vt accipiat *in fide*, fiducia *nihil hæsitans*. Habete fidem Dei, quicunque dixerit monti huic tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Marc.11.23. *Qui enim hæsitat*, non confidit, reijcitur à petitis, *similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. non ergò æstimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino* ob suam mobilitatem, & inconstantiam. *Vir duplex animo*, qui non seruit puro corde Deo, *inconstãs est in omnibus vijs*, actionibus *suis:* dum enìm vni quærit placere, timet displicere alteri; non possumus Deo seruire, & mammonæ; Arca, & Dagon non stant simùl; docet hæsitantem, animo duplicem: is enim sincerè non confidit. *Glorietur autèm frater humilis* in tentatione, seù tribulatione factus, *in exaltatione sua* apud Deum futura: suprà enìm dixerat, *omne gaudium existimate, &c. diues autèm in humilitate sua* illi instante malè gloriabitur, *quoniàm sicùt flos fœni transibit: exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt: ità & diues in itineribus suis marcescet:* ædificauit enim

enim fœnum, ligna, stipulam. 1. Cor. 3. 13. hanc contrapositionem facit de humili, & diuite, quia solent diuites insidiari pauperibus, & deuorare eos in abscondito, & diuites difficilè conuertuntur, vel ad bonam frugem reducuntur: ideò mutatur status, natura humilis exaltatur, diues deijcitur. exemplum in Lazaro, & Epulone; at vide infrà. cap. 5. a princ. vsquè ad vers. 7. *Beatus vir, qui suffert tentationem* immissam, *quoniàm cum probatus fuerit* per eam, *accipiet coronam vitæ* æternæ pro præmio, *quam repromisit Deus diligentibus se*. suffert enim amore Dei tribulationes; hinc dilectio, & sic benè concordat cum vers. 13. & Paulo. Rom. 5. 5. Hæc est corona iustitiæ, de qua Paulus. 2. Timot. 4. & alibi sæpè. De hac subdit ad confirmandos animos humilium in tribulatione, quos dixerat exultare debere. *Nemo cum tentatur*, (prosequitur tentationis materiam) *dicat quoniam à Deo tentatur*, nàm fallitur: *Deus enim intentator malorum est*, non excludit quin bonorum, & ad bona: *ipse autèm neminem tentat* ad malum, sed tantùm ad bonum, vt in Abraham. *Vnusquisque verò tentatur* ad malum inclinando *à concupiscentia sua*, fomite *abstractus, & illectus* apparenti bono. *Deindè concupiscentia cum conceperit*, in se retinendo conceptum, *parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit* quouis modo, *generat mortem* animæ. *Nolite itaquè errare fratres mei dilectissimi*, existimando Deum tentatorem ad malum. imò *omne datum optimum, & omne donum perfectum* (perfecta enim sunt opera Dei:) quidquid boni, quidquid gratiæ (non hìc de gloria) habemus, *desursum est*, de cælo, à Deo; qui desursum venit, suprà omnes est. Io. 3. 31. *descendens à Patre luminum*; erat lux vera, quæ illuminat, &c. ego sum lux mundi; *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, cuius dona sunt sinè pœnitentia, vel qui nunquàm cessat illuminare, & illustrare. *Voluntariè enim genuit nos*, absquè nostro merito, fecit nos sibi filios *verbo veritatis*, Euangelij, nos efformans; apparuit gratia Dei, &c. Tit. 2. 11. commendat charitatem suam Deus, &c. Rom. 5. 8. *vt simus initium aliquod* magnum *creaturæ eius* rationalis, etenim primitias spiritus ex eo habemus. Si ergo (vult inferre) his nos decorauit, si in filios adoptauit, quomodò ille tentator ad malum? *Scitis*, scire debetis, *fratres mei dilectissimi* (docet quomodò segerât in apprehensione veritatis, postquàm de tentatione dixit.) *Sit autem omnis homo uelox ad audiendum* veritatem, salutaria monita: *tardus autèm ad loquendum*. Vide Paulum 1. Cor. 14. 28. 30. & hinc apparebit humilis; *& tardus ad iram*, qua nihil apprehendet, & confundet omnia, & nascentur rixæ, & discordiæ, vt etiàm ex Paulo. *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur:* iracundus enim non rectè incedit secundùm iusta Dei iudicia, mandata, hanc igitur à vestro consortio eliminate discordiam parientem. *Proptèr quod abÿcientes omnem immunditiam* carnalem (hæc in illis diebus superabat, vt ex omnibus epistolis Pauli. & aliorum) *& abundantiam malitiæ* excludentes, *in mansuetudine*, in pace, absquè ira; beati mites, &c. *suscipite insitum* à Deo, vt suprà vers. 18. *verbum* veritatis, quod edocemini, *quod potest saluare*, aptum est saluare *animas vestras*; qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Marc. 16. *Estote autèm factores uerbi, & non auditores tantùm:* vult enim opera Deus, iuxtà quæ iudicat, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: *fallentes vosmetipsos*, quasi in solo auditu sit salus. Obserua quomodò ordinatè procedat ab auditu ad factum ad errorem tollendum. *Quia si quis auditor est uerbi* tantùm, *& non factor:* (eccè quomodò error) *hic comparabitur uiro consideranti uultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abÿt, & statim oblitus est qualis fuerit*, quasi, in vanitates decidit. *Qui autèm perspexerit*, obtutum fixerit *in legem perfectam libertatis*, quæ est Euangelica, *& permanserit in ea* perseuerantèr, *non auditor obliuiosus factus*. (obliuio est insigne auditoris tantùm) *sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. Si quis autèm putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam*, (hinc suprà dixerat, vt essemus tardi ad loquendum, & iram: in multiloquio enim non deest peccatum) *sed seducens cor suum* in detractionibus, *huius uana est*

na est religio, decipitur. Aliqui dicunt, dicens se tutum si tantùm audiat, non faciat, át non benè, quia subdit diuersum ab hoc. *Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem* nostrum, *hæc est*, quam sequi debemus: *Visitare pupillos, & uiduas in tribulatione eorum*, subueniendo eis in veritate, non fictè, *& immaculatum* absquè vitio *se custodire ab hoc sæculo*, quod à Deo expetendum, & sic residet in operibus esse insistendum.



CAPVT II.



1 RATRES mei, nolite in personarum acceptione habe-
2 re fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. * Etenìm si
introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum
habens in veste candida, introierit autèm & pauper in
3 sordido habitu, * & intendatis in eum, qui indutus est
veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hìc benè: pauperi
autèm dicatis: Tu sta illìc, aut sede sub scabello pedum
4 meorum: * nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum
5 iniquarum? * Audite fratres mei dilectissimi, nonnè Deus elegit pauperes in
hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?
6 * Vos autèm exhonorastis pauperem. Nonnè diuites per potentiam opprimunt
7 vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia? * Nonnè ipsi blasphemant bonum nomen
8 quod inuocatum est supèr vos? * Si tamèn legem perficitis regalem secundùm
9 Scripturas: Diliges proximum tuum sicùt teipsum: benè facitis: * si autèm
personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores:
10 * Quicumque autèm totam legem seruauerit, offendat autèm in vno, factus est
11 omnium reus. * Qui enìm dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides.
12 Quod si non mœchaberis, occides autèm, factus es transgressor legis. * Sic loqui-
13 mini, & sic facite sicùt per legem libertatis incipientes iudicari. * Iudicium enìm
sinè misericordia illi, qui non fecit misericordiam: superexaltat autèm misericor-
14 dia iudicium. * Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera au-
15 tèm non habeat? Numquid poterit fides saluare eum? * Si autèm frater, & so-
16 ror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, * dicat autèm aliquis ex vobis il-
lis: Ite in pace, calefacimini & saturamini: non dederitis autèm eis, quæ ne-
17 cessaria sunt corpori, quid proderit? * Sic & fides, si non habeat opera, mortua est
18 in semetipsa. * Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo, ostende mihi
19 fidem tuam sinè operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. * Tu
credis quoniàm vnus est Deus: Benè facis: & dæmones credunt, & contremi-
20 scunt. * Vis autèm scire ò homo inanis, quoniàm fides sinè operibus mortua est?
21 * Abraham pater noster nonnè ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium
22 suum supèr altare? * Vides quoniàm fides cooperabatur operibus illius & ex ope-
ribus

23 *ribus fides conſummata eſt. * Et ſuppleta eſt Scriptura, dicens: Credidit Abra-*
24 *ham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. * Vi-*
25 *detis quoniàm ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm? * Similitèr*
& Rahab meretrix, nonnè ex operibus iuſtificata eſt ſuſcipiens nuncios, & alia
26 *via eijciens? * Sicùt enìm corpus ſinè ſpiritu mortuum eſt, ità & fides ſinè ope-*
ribus mortua eſt.




RATRES *mei nolite in perſonarum, &c.* Dixerat in fine cap. præcedētis religionem mundam, & immaculatam eſſe viſitare pupillos, & viduas, vt autèm hoc magìs firmet, dicit nullam habendam perſonarum acceptionem hoc modo: *nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti,* Domini *gloriæ,* vel glorioſi, ità vt fidem chriſtianam, chriſtianiſmum ſic tractetis vnam perſonam acceptando, aliam reijciendo; nàm vnuſquiſque in hac fide eſt proximus, quiſque acceptandus, nō vnus tantùm, & alius reſpuendus. Vel, *nolite habere fidem.* exiſtimare, confidere *gloriæ eſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti in perſonarū acceptione,* in ea glorificari Ieſum Chriſtum, placere illi perſonarum acceptionem: aliqui enìm fortè præſumebant quò ditiores, quò nobiliores, potentiores in chriſtianiſmum, vel in aliud aſſumerentur, cedere in maiorem Ieſu Chriſti gloriam, & honorem; & ſpiritualia, proùt temporalia tractabant, & fortè is melior intellectus. Etenim ſi hoc ſequeremini, erraretis (probat exemplo claro propoſito diuitis, & pauperis.) *Etenìm ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida, introierit autèm & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hìc benè: pauperi autèm dicatis. Tu ſta illic; aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nonnè iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationū iniquarum?* ideſt, iudicatis temerariè apud voſmetipſos ex argumētis inanibus veſtium externarum, quæ non mutant, vel differre faciunt interna, *& facti eſtis iudices cogitationum iniquarum.* ideſt, ex cogitationibus iniquis iudicatis: hæc autèm iniquitas iudiciorum à fideli abeſſe debet, ideoquè nulla perſonarum acceptio admittenda, proùt nec Deus, quem ſequi debetis, illam admittit. *Audite fratres mei dilectiſsimi* (ſtat in exēplo, in quo fortè errabatur, de quo & ſuprà cap. 1. 9.) *nonnè Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide;* vndè Chriſtus, pauperes euangelizantur; *&* conſequentèr *hæredes regni;* nolite timere puſillus grex, quia cōplacuit Patri veſtro dare vobis regnū, &c. *quod repromiſit Deus diligentibus ſe?* amicis ſuis, credentibus in eum? quaſi dicat, ſi pauperes tales fideles, regni hæredes, amici, nonnè iudicium veſtrum poſtponens eos diuitibus huius ſæculi eſt vanum, & iniquum? Deus pro illis iudicat, vos contrà Dei iudicium perſiſtitis; ſic Paulus 1. Cor. 2. quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. *Vos autem* ſic iudicando iniquè *exhonoraſtis pauperem,* non admittendo illum proùt diuitem. *Nonnè diuites per potentiam opprimunt vos* nullo iure ſuffulti, *& ipſi trahunt vos ad iudicia* calumniosè? (loquitur à ſolitis.) reſpondet tacitæ obiectioni; poterant dicere, diuites ſunt probi, proùt pauperes; ideò malos eorum mores cōmemorat, & ſequitur. *Nonnè ipſi blaſphemant,* & perſequuntur *bonum nomen, quod inuocatum eſt ſupèr vos?* Chriſti, vel chriſtianiſmi, quod abhorrent, quia cōtrariatur eorum delitijs? *Si tamèn* (temperat quod dixerat) *legem perficitis regalem,* excelſam *ſecundùm Scripturas: Diliges proximum tuum ſicùt teipſum: benè facitis: ſi autèm perſonas accipitis,* pauperem quia talis reijciendo, diuitem quia talis aſſumendo, *peccatum operamini, redarguti à lege* Dei *quaſi tranſgreſſores,* quæ reijcit acceptionem perſonarum: *Quicunque autèm totam legem ſeruauerit,* ſeruiens Domino, *offendat autèm in vno* tā-

tùm


tùm *factus est omnium reus*, quia lex quoàd obseruantiam indiuisibilis est. *Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit &, Non occides*, & vtrunque voluit obseruari. *Quòd si non mœchaberis, occides autèm* fratrem tuũ, *factus es transgressor legis*, quia in vno violasti eam, proùt si vestem in minima parte excideres, diceretis vestem excidisse. *Sic loquimini, & sic facite*, ore, & facto, non ore tantùm, vos duplices. vers. 8. 22. cap. 1. sic operamini *sicùt per legem libertatis* Euangelicam *incipientes iudicari:* si enim in dictis, & factis vestris reputabitis vos iudicandos, & per legem Euangelicã etiàm verba otiosa punientem, vtiquè perpendetis dicta, & facta vestra, nec errabitis: sanctissimum documentũ: recordare nouissima tua, & in æternum non peccabis. *Iudicium enim sinè misericordia illi, qui non fecit misericordiam* proximo suo, condemnabitur in illo iudicio immisericors, qui non fuit factor: *Superexaltat autèm misericordia iudicium*, at misericordia superat iudicium, vincit, præfertur: ideò hanc amplectimini; consilium meum tibi placeat ò Rex, dixit Daniel, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates misericordijs pauperùm, forsitàn ignoscet delictis tuis. Daniel. 4. 24. *Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere*, iactet se sic verbis, *opera autèm non habeat?* subdit: *Nunquid poterit fides* sola *saluare eum* in iudicio? non, vult dicere. *Si autèm frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autèm aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini: non dederitis autèm eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit* sic dicenti? nàm totum consistit in verbis; Vndè Ioannes: non diligamus verbo, nequè lingua, sed opere, & veritate; Vel, *quid proderit* audienti? nihil; *Sic & fides, si non habeat* iuncta *opera, mortua est in semetipsa* sola. *Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo;* at nequè id sufficit: nàm in vno debent hæc duo concurrere: nequè enim opera sinè fide, nec fides sinè operibus proderunt. *Ostende mihi fidem tuam sinè operibus*, quasi, non poteris, quia mortuam non potes producere: *& ego ostendam tibi ex operibus fidem meam* viuam, claram. *Tu credis quoniàm vnus est Deus: Benè facis: & dæmones credunt, & contremiscunt;* at sicùt id solùm illis non operantibus secundùm eam non prodest, nec tibi operibus destituto. *Vis autèm scire ò homo inanis*, operibus vacuus, ventosus, *quoniàm fides sinè operibus mortua est?* nec quidquam prodest? *Abraham pater noster nonnè ex operibus iustificatus est*, iustior factus: iàm enim iustus erat, & sic de secunda iustificatione loquitur, non de prima, *offerens* (hoc opus) *Isaac filium suum supèr altare* ad immolandum? *Vides quoniàm fides cooperabatur operibus illius*, associabat opera, vt sola non esset: *& ex operibus fides consummata est?* perfecta est? ità vt meruerit à Deo commendari. *Et suppleta est Scriptura, dicens*, eò magis per hoc opus apparuit veritas Scripturæ dicentis: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, quia eò magis enituit fides eius ex oblatione Isaac, & meruit quod sibi Deus promiserat, & in quo se volens obligauerat, & sic ex augumento operum apparuit aucta fides, *& amicus Dei appellatus est*. Isa. 41. 8. Iudith. 8. 22. in quo Deus se complaceret, cui Deus benefaceret, cui confideret, ideò eidem communicauit exitium ciuitatum. *Videte quoniàm ex operibus iustificatur homo* ad augumentum in secunda iustificatione, non prima, *& non ex fide tantùm*, quæ ad actum non deducitur? *Similitèr & Rahab meretrix*. Iosl. 2. à vers. 9. vsquè ad 12. Heb. 11. 31. credens auditis priùs, *nonnè ex operibus iustificata est* eò magis *suscipiens nuncios*, (eccè opus) *& alia via eijciens?* vt saluos, & tutos redderet, proùt euenit. *Sicùt enim corpus sinè spiritu* (concludit) *mortuum est*, quia non informatur, *ità & fides sinè operibus mortua est*, torpens, marcida, inutilis, vana. Dum Paulus dicit opera non requiri, intelligit de prima iustificatione, quæ gratìs datur, vt dixi Rom. 5. vbì de interpretatione verborum: Credidit Abraham Deo, &c. His duobus exemplis fidei Abrahæ, & Rahab cum alijs vtitur Apostolus. Heb. 11. vbì vide.

CA-




CAPVT III.

1 N*OLITE plures magistri fieri fratres mei, scientes quo-*
2 *niàm maius iudicium sumitis. * in multis enim offen-*
dimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfe-
ctus est vir. potest etiàm freno circumducere totum cor-
3 *pus. * Si autèm equis frena in ora mittimus ad consen-*
tiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.
4 ** Eccè & naues, cum magnæ sint, & à ventis validis*
minentur, circumferuntur à modico gubernaculo vbi impetus dirigentis volue-
5 *rit. * Ità & lingua modicum quidèm membrum est, & magna exaltat. Ec-*
6 *cè quantus ignis quàm magnam siluam incedit! * Et lingua ignis est, vniuer-*
sitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum
7 *corpus & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna. * Omnis*
enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum doman-
8 *tur, & domita sunt à natura humana: * linguam autèm nullus hominum do-*
9 *mare potest: inquietum malum: plena veneno mortifero: * In ipsa benedicimus*
Deum & Patrem: & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem
10 *Dei facti sunt. * ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet,*
11 *fratres mei, hæc ità fieri. * Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem,*
12 *& amaram aquam? * Numquid potest, fratres mei, ficus vuas facere, aut*
13 *vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. * Quis sapiens, & di-*
sciplinatus intèr vos? Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in man-
14 *suetudine sapientiæ. * Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sint in*
15 *cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse aduersùs veritatem. * non est*
16 *enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. * Vbi*
17 *enim zelus & contentio: ibi inconstantia, & omne opus prauum. * Quæ autèm*
desursum est sapientia, primum quidèm pudica est, deindè pacifica, modesta, sua-
dibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans,
18 *sinè simulatione. * Fructus autèm iustitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem.*




OLITE plures magistri fieri fratres mei, sed expectate vocari ad munus tāquàm Aaron, *scientes quoniam maius iudicium* contrà vos fiendum *sumitis,* maiori periculo condemnationis vos exponitis: ad maiora enim tenemini magistri, quàm hoc munere priuati. *In multis enim offendimus omnes* absquè eo, quod simus magistri aliorum, ne dicant ipsos non offensuros. *Si quis in verbo non offendit: hic perfectus est vir,* quia maius superat; hinc diabolus reliquit linguam liberam Iobo, pu

tans illa ad peccatum trahere; sic solemus dicere: magnus vir, qui hoc facit, *potest etiàm freno circumducere totũ corpus*, quod est facilius; deindè prosequitur narrare mala linguæ. *Si autèm equis frena in ora mittimus ad consentiendum*, obediendum *nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Eccè & naues, cum magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, vbì impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Eccè quantus ignis quàm magnam siluam incendit? Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus* spiritualitèr, *& inflammat rotam natiuitatis nostræ*, omnem vitæ nostræ cursum, & ordinem, & finem, *inflammata* ipsa *à gehenna*, ab igne infernali. *Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum* similium *domantur, & domita sunt à natura humana*, ab hominibus: *linguam autèm nullus hominum domare potest*, difficultèr domat, sed cum gratia Dei confortante omnia potest, prout Heb. 6. 4. impossibile, idest, difficile. & cap. 10. 26. voluntariè, &c. & Christus de diuite: faciliùs est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Marc. 10. 25. & tamèn vers. 23. dixerat, quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt. & 24. quàm difficile confidentes in pecunijs in regnum Dei introire. & suprà dixerat cap. 1. 26. si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, ergò loquitur de possibili: *inquietum malum, plena veneno mortifero*, quod effundit in perniciem nostram. *In ipsa benedicimus Deum & Patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ità fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam? Nunquid potest, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus?* quasi, non. simili phrasi Christus. *Sic nequè salsa dulcem potest facere aquam;* duplicitatem linguæ damnat, proùt suprà. cap. 1. 8. virum duplicem animo damnauit; & infrà cap. 4. 8. *Quis sapiens, &c.* requirit sapientiam, & doctrinam pacificam, mansuetam, contrarias damnat vsquè ad fin. cap. de hac mansuetudine suprà. cap. 1. 21. dicit ergò: *Quis sapiens, & disciplinatus intèr vos?* qui possit esse magister? *Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ* (est is epilogus præcedentium.) *Quòd si zelum amarum* ex peccato procedens *habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari* in hoc malo, *& mendaces esse aduersùs veritatem* ob illa vitia. *non est enim ista sapientia desursum descendens*, diuina: *sed terrena, animalis*, à carne procedens, *diabolica*, à diabolo suggesta. *Vbi enim zelus* malus *& contentio: ibi inconstantia*, quia de facili fit deflexio ad mala, *& omne opus prauum. Quæ autèm desursum est sapientia*, à Deo, *primùm quidèm pudica est*, verecunda, timens alios offendere, *deindè pacifica*, pacem procurans, *modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia* ergà proximum, *& fructibus bonis*, ex bona arbore boni fructus, *non iudicans* alios, *sinè simulatione*, fictione. *Fructus autèm iustitiæ*, qua debetur merces, *in pace seminatur, facientibus pacem*, in discordia verò nullo modo.



CA-



CAPVT IV.

1 *V N D E bella, & lites in vobis? Nonnè hinc? ex concu-*
2 *piscentijs vestris, quæ militant in membris vestris? * Con-*
cupiscitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non po-
testis adipisci: litigatis, & belligeratis; & non habetis,
3 *proptèr quod non postulatis. * Petitis, & non accipitis: eo*
quòd malè petatis: vt in concupiscentijs vestris insuma-
4 *tis. * Adulteri nescitis quia amicitia huius mundi, ini-*
mica est Dei? Quicunque ergò voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei
5 *constituitur. * An putatis quia inanitèr Scriptura dicat: Ad inuidiam concu-*
6 *piscit spiritus, qui habitat in vobis? * Maiorem autèm dat gratiam. Proptèr*
7 *quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autèm dat gratiam. * Subditi ergò*
8 *estote Deo, resistite autèm diabolo, & fugiet à vobis. * Appropinquate Deo,*
& appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores, & purificate corda,
9 *duplices animo. * Miseri estote, & lugete, & plorate: risus vester in luctum*
10 *conuertatur, & gaudium in mærorem. * Humiliamini in conspectu Domini,*
11 *& exaltabit vos. * Nolite detrahere alterutrum fratres, Qui detrahit fratri,*
aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autèm iudi-
12 *cas legem: non es factor legis, sed iudex. * Vnus est legislator, & iudex, qui*
13 *potest perdere, & liberare. * Tu autèm quis es, qui iudicas proximum? Eccè*
nùnc qui dicitis: Hodiè aut crastinò ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi
14 *quidèm annum, & mercabimur & lucrum faciemus: * qui ignoratis quid erit*
15 *in crastino. * Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, &*
deinceps exterminabitur; pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit. Et: Si vi-
16 *xerimus, faciemus hoc, aut illud. * Nùnc autèm exultatis in superbijs vestris:*
17 *Omnis exultatio talis, maligna est. * Scienti igitur bonum facere, & non fa-*
cienti, peccatum est illi.



N D E bella, & lites in vobis? Nonnè hinc? ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis, & non habetis, quia ex sola concupiscentia non acquiruntur: *Occiditis, & zelatis: & non potestis adipisci: litigatis, & belligeratis, & non habetis, proptèr quod non postulatis*, id à Deo, à quo hæc emanant, non à vestris iuribus, etsi *petitis, & non accipitis: eò quòd malè petatis*, nempè *vt in concupiscentijs vestris insumatis*, & & sic ex vitio vestro. *Adulteri*, malè vtentes diuinis, *nescitis quia amicitia huius mũdi, inimica est Dei?* non enim concordat. *Quicunque ergò voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur. An putatis quia inanitèr Scriptura dicat: Ad inuidiam concupiscit Spiritus, qui habitat in vobis?*


bis? quasi, charismata bona, animi virtutes vobis à Deo datas, & in vobis insitas, quas ad proximi dilectionem insumere deberetis, ad inuidiam proximi conuertitis? at is, qui spiritum bonum in vobis creauit, ***maiorem dat gratiam*** ijs, quibus inuidetis, maioribus fauoribus eos cumulat, iuxtà illud Dauidis. 2. Reg. 18. 11. dimitte eum, vt maledicat iuxtà præceptum Domini, si fortè respiciat Deus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonū pro maledictione hac hodierna; & Deus nunquàm adeò laudauit Moysen, quantùm dum Aaron, & Maria illi detraxerunt. Num. 12. ***Proptèr quod dicit*** Scriptura: ***Deus superbis resistit:*** ex superbia enim inuidia, quia putatis vos illis, quibus inuidetis, præferendos, ***humilibus autèm dat gratiam***, se communicat, infundit, & hoc modò videntur hæc benè conuerti. Non videtur hìc agi de spiritu sancto: nàm quomodò is ad inuidiam? nec zelotipia, cum illa, & inuidia sint diuersa. Prætereà cum in correctis Biblijs legantur hæc cum interrogatione, & cum reprehensione, quomodò hæc in Deum cadunt? Non etiàm aptatur Scriptura, *Deus superbis resistit:* hoc enim primum dictum percuteret Deum, quem faciunt zelotipum; at non idem resistens, & cui resistitur, & absit à nobis Deum superbum dicere, & quomodò qui humilibus dat gratiam, ipse superbus? Insupèr verba (*maiorem autèm dat gratiā*) non possunt applicari inuidis, quatenùs sic esse persistunt; vndè ad alios respicit versiculus ille, & sic ad eos, in quos fertur inuidia. *subditi ergò estote Deo*, timere Deum, non diabolum, sed *resistite* illi *diabolo*, *& fugiet à vobis*. Et quod ait hìc Carthusianus diabolum redire ad tentandum, etiàmsi aliàs victus fuerit, credo verum, vt tenui in Euangelijs in tentatione Christi cōtrà Origenem. ***Appropinquate Deo*** vocanti, & præstolanti, & ad ostium stanti cum dilectione, ***& appropinquabit vobis***, ad vos intrabit; Ego sto ad ostium, & pulso, si quis mihi aperuerit, intrabo, & cœnabo cum illo; &: siquis diligit, &c. ad eum veniemus, &c. vel magìs ad litteram. Cum dixisset, *resistite diabolo:* quasi, cum illo ne commisceamini, *& fugiet à vobis*, quia superbus ægrè fert despici, sed ***appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus*** pollutas peccatis, ***peccatores: & purificate corda, duplices animo:*** hæc enim duplicitas Deo displicet. *Miseri estote*, considerate vos miseros, & more eorum ***lugete, & plorate: risus vester in luctum conuertatur, & gaudium*** malum ***in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos:*** sic enim solet Deus. *Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem* improbantem, quod vos detrahendo facitis. *Si autèm iudicas legem: non es factor legis, sed iudex:* quasi, arrogas tibi quod non est tuum; ideò subdit. *Vnus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare*, qui est Deus. *Tu autèm quis es qui iudicas proximum?* sic & Paulus: tu quis es, qui iudicas alienum seruum? quasi, nihil es. probat. ***Eccè nùnc qui dicitis: Hodiè, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidèm annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur***; transiui, & eccè non erat; *pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit. Et: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. Nùnc autèm* alios iudicando ***exultatis in superbijs vestris. Omnis exultatio talis maligna est:*** quasi, incerti de vita vestra, quid vultis iudicare? loquitur hìc de peccatis, & de legibus spiritualibus, seù ad spiritualia spectantibus; Ideò verba (*vnus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare*) intelligenda de Deo, non de homine: homo enim, & hominis lex non versatur circà spiritualia non apparentia, neque iudicia in animo cōsistentia; sic de his & Paulus Rom. 14. non de iudicialibus, seù forensibus, ***Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi:*** is enim seruus vapulabit multis, dicit Dominus.

CA-



CAPVT V.

1 AGITE nùnc diuites, plorate vlulantes in miserijs ve-
2 stris, quæ aduenient vobis. * Diuitiæ vestræ putrefactæ
3 sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. * Au-
rum, & argentum vestrum æruginauit: & ærugo eo-
rum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes
vestras sicùt ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouis-
4 simis diebus. * Eccè merces operariorum, qui messuerunt
regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures
5 Domini sabbaoth introiuit. * Epulati estis supèr terram, & in luxurijs enutri-
6 stis corda vestra in die occisionis. * Addixistis, & occidistis iustum, & non
7 restitit vobis. * Patientes igitur estote fratres vsquè ad aduentum Domini. Ec-
cè agricola expectat pretiosum fructum terræ, patientèr ferens donèc accipiat
8 temporaneum, & serotinum. * Patientes igitur estote & vos, & confirmate
9 corda vestra: quoniàm aduentus Domini appropinquauit. * Nolite ingemi-
scere fratres in alterutrum, vt non iudicemini. Eccè iudex antè ianuam as-
10 sistit. * Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Pro-
11 phetas qui locuti sunt in nomine Domini. * Eccè beatificamus eos, qui sustinue-
runt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniàm mise-
12 ricors Dominus est, & miserator. * Antè omnia autèm fratres mei nolite iura-
re, nequè per cælum, nequè per terram, nequè aliud quodcumque iuramentum.
Sit autèm sermo vester: Est, est: Non, non: vt non sub iudicio decidatis.
13 * Tristatur aliquis vestrum? oret: Aequo animo est? psallat. * Infirma-
14 tur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent supèr eum, vngen-
15 tes eum oleo in nomine Domini: * & oratio fidei saluabit infirmum, & al-
16 leuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. * Confitemini er-
gò alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicèm vt saluemini: multum
17 enìm valet deprecatio iusti assidua. * Elias homo erat similis nobis passibilis:
& oratione orauit vt non plueret supèr terram, & non pluit annos tres, & men-
18 ses sex. * Et rursum orauit: & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum
19 suum. * Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit
20 quis eum: * scire debet quoniàm qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ
suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

GITE, eia *nùnc diuites, plorate vlulantes* ex animo *in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestra putrefacta sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum, & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit* in iudicio, *& manducabit carnes vestras sicùt ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus* vestris, vel communibus. *Eccè merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit.* his diuitum vitia, & pœnas commemorat, vt conuertantur ad meliorem frugem. *Epulati estis supèr terram, & in luxurijs*, delitijs *enutristis corda vestra in die occisionis*, dum iusti occidebantur. infert ad illud fratrum in Ioseph, de quibus Propheta: & non patiebantur supèr contritione Ioseph. Amos 6. 6. Vel, *in die occisionis*. idest, epuli, quo solent mactari animalia, vt in tonsione pecorum Absalon. 2. Reg. 13. 24. & Nabal. vel vt Iob. 1. *Addixistis, & occidistis iustum, & non restitit vobis;* hìc de iusto in genere oppresso, & occiso, proùt suprà. cap. 2. 6. & propterea infert ad oppressos. *Patientes igitur estote fratres vsquè ad aduentum Domini*, & quamuis prima locutio aptetur Christo, tamèn non videtur hìc agere de illo, præsertim quia de aduentu illius subdit vers. 7. 8. 10. *Patientes igitur estote fratres*, qui à diuitibus opprimimini, *vsquè ad aduentum Domini* ad iudicium. (mouet exemplo) *Eccè agricola expectat pretiosum*, gratum *fructum terræ, patientèr ferens donèc accipiat temporaneum, & serotinum. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniàm aduentus Domini appropinquauit*, instat, non multùm expectabitis. *Nolite ingemiscere fratres in alterutrum*, conquerentes supèr oppressionibus vestris, *vt non iudicemini*, damnemini. *Eccè* enìm *iudex* vindicans *antè ianuam assistit*, adest; ex hoc consolemini. *Exemplum accipite, fratres, exitus mali*, impiorum, *laboris, & patientiæ, Prophetas, qui loquuti sunt in nomine Domini. Eccè beatificamus eos, qui sustinuerunt*, & si quæ à Domino, imperabant, & vti serui eius illa publicarent. *Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini*, qui illi duplicauit omnia Iob cap. fin. *vidistis*. Non potest dici *finem Domini*, idest, Christi, nàm sermo est supèr Iob, quia subdit rationem ei accommodatam, *quoniàm misericors Dominus est, & miserator:* ideò sicùt illius, sic vestri miserebitur: *Antè omnia autèm fratres mei nolite iurare, nequè per cælum, nequè per terram, nequè aliud quodcunque iuramentum. Sit autèm sermo vester: Est, est: Non, non: ut non sub iudicio*, condemnatione peccati *decidatis;* sic aduertit & Christus. *Tristatur aliquis uestrum? oret*, vt à tristitia liberetur: *Aequo animo est? psallat* in lætitia Domino. *Infirmatur quis in uobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent supèr eum, ungentes eum oleo in nomine* Domini, *& oratio fidei*, fidelis, credens *saluabit infirmum, & alleuiabit eum* Dominus ab infirmitate, si expedierit: *& si in peccatis sit, remittentur ei*, venialia, & mortalia oblita; hìc sacramentum extremæ vnctionis, tamèn Marc. 6. tenui Apostolos missos ad prædicandum tùnc illo vsos non esse. *Confitemini ergò alterutrum peccata uestra;* eccè confessio auricularis audienda à sacerdotibus; *& orate pro inuicèm ut saluemini;* prosequitur quod dixerat, *& orent, & oratio fidei saluabit infirmum;* & ne hæsitent, subdit: *multùm enìm ualet deprecatio iusti assidua*. Confirmat exemplo Eliæ, dicens: *Elias homo erat similis nobis passibilis* (hoc dicit, ne putemus & nos non exaudiendos etsi tales) *& oratione orauit ut non plueret supèr terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit: & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum:* Deus enìm facit voluntatem timentium eum; sic & Iosue orante stetit Sol, & Luna, obediente Deo voci hominis. Et facit exemplum amici, & viduæ

viduæ cum iudice in Euang. Luc. & vt acuat ad laborandum pro proximo, subdit præmium. *Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à ueritate, & conuerterit quis eum: scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*. declarat conuertentem errantem à via saluare animam à morte, & operire multitudinem peccatorum, quod persuasibile, proùt verum est: si enim eleemosyna corporalis id facit, vt in Daniele, & Tobia, & Euangelijs, veruntamèn quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis; multò magis eleemosyna spiritualis versans circà animam corpore nobiliorem.





IN EPISTOLAM PETRI PRIMAM.

CAPVT PRIMVM.

1 PETRVS Apostolus Iesu Christi, electis aduenis disper-
sionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ
2 * secundùm præscientiam Dei Patris, in sanctificatio-
nem Spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis
3 Iesu Christi: Gratia vobis, & pax multiplicetur. * Be-
nedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui
secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos
4 in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, * in hæredita-
tem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam
5 in cælis in vobis. * qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, pa-
6 ratam reuelari in tempore nouissimo. * In quo exultabitis, modicum nùnc si
7 oportet contristari in varijs tentationibus: * vt probatio vestræ fidei multo pre-
tiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam, &
8 honorem in reuelatione Iesu Christi: * quem cum non videritis, diligitis: in
quem nùnc quoquè non videntes creditis: credentes autèm exultabitis lætitia in-
9 enarrabili, & glorificata: * reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.
10 * De qua salute exquisierunt, atquè scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vo-
11 bis gratia prophetauerunt: * scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in
eis Spiritus Christi: prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones, & posterio-
12 res glorias: * quibus reuelatum est quia non sibimetipsis, vobis autèm mini-
strabant ea, quæ nùnc nunciata sunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis,
13 Spiritu sancto misso de cælo, in quem desiderant angeli prospicere. * Proptèr quod
succincti lumbos mentis vestræ, sobrij perfectè sperate in eam, quæ offertur
14 vobis, gratiam, in reuelationem Iesu Christi: * quasi filij obedientiæ, non con-
15 figurati prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs: * sed secundùm eum, qui voca-
16 uit vos, Sanctum: & ipsi in omni conuersatione sancti sitis: * quoniàm scri-
17 ptum est: Sancti eritis, quoniàm ego sanctus sum. * Et si patrem inuocatis eum,
qui sinè acceptione personarum iudicat secundùm vniuscuiusque opus, in timore

inco-

18 *incolatus vestri tempore conuersamini. * Scientes quòd non corruptibilibus auro*
vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis:
19 ** sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati: * præ-*
20 *cogniti quidèm antè mundi constitutionem, manifestati autèm nouissimis tem-*
21 *poribus proptèr vos, * qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitauit eum à*
22 *mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra, & spes esset in Deo: * Animas*
vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici
23 *ex corde inuicèm diligite attentiùs: * renati non ex semine corruptibili, sed incor-*
24 *ruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum: * quia omnis caro*
vt fœnum: & omnis gloria eius tamquàm flos fœni: exaruit fœnum, & flos
25 *eius decidit. * Verbum autèm Domini manet in æternum. hoc est autèm ver-*
bum, quod euangelizatum est in vos.



ETRVS *Apostolus Iesu Christi*, ab ipso vocatus, *electis*, fidelibus, proùt Paulus sæpè sanctis, *aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*, proùt Iacob. 1. & sic strictè ad hos Iudæos scribit: verba enim (*dispersionis*, &, *aduenis*) sunt restricta, quæ non conueniunt Gentilibus, qui dispersi dici nõ possunt, nequè aduenæ in eorum patria, secùs in Iudæis. *Secundùm præscientiam Dei Patris*, qui vos elegit, *in sanctificationem spiritus*, electis *in*, per *sanctificationem spiritus, in*, per *obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi*, qui factus obediens vsquè ad mortem, &c. Phil. 2. per resurrectionem verò in spem viuam, in hæreditatem, &c. *Gratia uobis, & pax multiplicetur. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam*, non opera nostra, *regenerauit nos* per baptismum *in spem uiuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis*, quia si Christus resurrexit, & nos resurgemus, & ducemur *in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem*, æternam, *conseruatam in cælis in uobis*, pro vobis: venite benedicti, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; *qui in uirtute*, potentia *Dei custodimini*, nàm sinè Deo nihil possetis; *per fidem*, quæ est donum Dei, *in salutem paratam reuelari in tempore nouissimo* nedum animæ, sed & corporis, quia subdit: *In quo* tempore nouissimo, nempè in reuelatione Iesu Christi, quæ ad iudicium refertur, & quia infrà vers. 21. de resurrectione, & quia generalis est locutio, quæ videtur omnia comprehendere: ideò meliùs aptatur ad resurrectionem corporum vniuersalem: *exultabitis* ex magno gaudio in beatitudine recipiendo, *modicum nùnc si oportet contristari in uarijs tentationibus*: quasi, id nihil est respectu præmij, & gloriæ, quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. 1. Cor. 2. vndè Paulus: non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in vobis: *ut probatio uestræ fidei multò pretiosior auro (quod per ignem probatur)* firma, & stabilis *inueniatur*, sit *in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi* ad iudicium, quo præmia distribuentur: *Quem cum non uideritis* præsentia corporali, *diligitis*, de quo Ioannes: si fratrem, quem vides, non diligis, quomodò Deum diliges, quem non vides? intellige præuia fide; ideò subdit de illa: *in quem nùnc quoquè non uidentes creditis*, iuxtà illud: beati qui non viderunt, & crediderunt; nihil autèm de Eucharistia, de qua solet Paulus clarè loqui, vt ad Corinthios: *credentes autèm*, & iuxtà fidem operantes *exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata*, qua nulla maior, diuturnior,

secu-

securior: *reportantes finem* optatum, & ad quem tendebatis, *fidei vestræ*, *salutem* æternam *animarum*, vitarum vestrarum. *De qua salute exquisierunt*, *atquè scrutati sunt* à Domino *Prophetæ*, *qui de futura in vobis gratia prophetauerunt*: *scrutantes* diligentèr *in quod*, *uel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi*, iuxtà quem loquebantur: *prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones*, *& posteriores glorias* quà homine: *Quibus reuelatum est quia non sibimetipsis* vsquè ad tempus Messiæ non peruenturis, *vobis autèm ministrabant ea*, *quæ nùnc nunciata sunt vobis per eos*, *qui euangelizauerunt vobis*, per Apostolos, & Apostolicos viros, *Spiritu sancto misso de cælo*, quo doctore euangelizabant; his verbis expone verba Pauli. Heb. 11. 40. Deo pro nobis meliùs aliquid prouidente, vt non sinè nobis consummarentur, vt ibì latè dixi: *in quem desiderant Angeli prospicere*; ne putarent Spiritum sanctum alium à Deo, hæc addit, & intendit dicere maiestatem Spiritus sancti, vt rem hanc maximam apprehenderent, & æstimarent ex reuelante, qui fuit Spiritus sanctus: desiderare autèm dicuntur Angeli prospicere in Spiritum sanctum, quia faciem declinare in visione figurantur, non quòd verè desiderent, quia ibì omne bonum vnitum, nec desiderare quidquam licet, sed hoc desiderandum remanere, si fieri posset, cum nullus eorum comprehendat, vel comprehendere possit maiestatem illam, vt in Apoc. cap.4. dixi; & hinc maior celsitudo Spiritus sancti, maior maiestas, & maiora redduntut alia, quæ intendere diximus Apostolum, & hunc puto verum intellectum. *Proptèr quod succincti lumbos* spirituales *mentis vestræ*, *sobrij perfectè sperate in eam*, *quæ offertur uobis* à Deo, *gratiam*, qua ad gloriam ducimini, datam *in reuelationem Iesu Christi* in die Iudicij, vt suprà vers.5. *in salutem*, *paratam reuelari in tempore nouissimo*. & vers.7. *in reuelatione Iesu Christi*; nihil hìc de Eucharistia, proùt nequè Heb.12.28. vt ibi: *quasi filij obedientiæ*, prompti ad credendum, & exequendum, *non configurati*, assimilati *prioribus ignorantiæ uestræ desiderijs*, quibus non eleuabamini ad hæc cælestia, & magna: *sed secundùm eum* sic volentem, sic præcipientem, *qui uocauit uos*, qui elegit vos, vt suprà, *sanctum*: *& ipsi in omni conuersatione*, negotio *sancti sitis*: *quoniàm scriptum est*: *sancti eritis*, *quoniàm ego sanctus sum*; & Christus: Estote perfecti, sicùt & Pater vester cælestis perfectus est. Addit duo motiua ad illos inducendos. Primum ex iudicio stricto. *Et si patrem inuocatis eum* Deum, *qui sinè acceptione personarum iudicat secundùm uniuscuiusque opus*, & non potest falli, aut decipi, *in timore incolatus uestri* in hoc mundo *tempore conuersamini*: quasi dicat, timete formidabile illud iudicium. Secundum, ex magno pretio pro eis dato. *Scientes quòd non corruptibilibus auro*, *uel argento redempti estis de uana uestra conuersatione*, dum eratis tenebræ, *paternæ traditionis*, quam imbiberatis, & à qua difficillimè abstrahebamini, & quæ vos non saluabat: *sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi*, *& incontaminati*. Dicit, *quasi agni*, quia sicùt agnus ductus est ad occisionem, & non aperuit os eius. Dicit, *immaculati*, *& incontaminati*, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: ideò non pro suis, sed pro nostris peccatis mortuus est: *Præcogniti*, præordinati, prædestinati *quidèm antè mundi constitutionem*. Vidè scripta. Rom. 1. *manifestati autèm nouissimis* his *temporibus* durationis vsquè ad iudicium, quia non alia lex, vel Euangelium succedet, de qua manifestatione Paulus in omnibus epistolis; & plura dixi in Euangelijs; *proptèr uos*, *qui per ipsum fideles estis in Deo*, vt vos fide imbueremini, *qui* Deus *suscitauit eum à mortuis*, *& dedit ei gloriam*, sessionem à dextris suis, *ut fides uestra*, fiducia, *& spes esset in Deo* suprà vers.13. vos ducendos, proùt ipse resurrexit, & ad gloriam euectus. *Animas uestras castificantes in obedientia charitatis* vobis sub præcepto impositæ, *in fraternitatis amore*, *simplici*, non ficto, *ex corde inuicèm diligite attentiùs* ob ea, quæ dixi: *renati non ex semine corruptibili*, *sed incorruptibili*, *per uerbum* Dei *uiui*, *& permanentis in æternum*: quasi, cum sitis incorruptibiles, opera etiàm non vana, sed solida, & incorruptibilia facite: *quia omnis caro*, *ut fœnum*: *& om-*

& omnis gloria eius tanquàm flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit. Verbum autèm Domini manet in æternum: quasi, non amplius vt carnales, sed spirituales effecti per verbum Dei operamini æterna, *hoc est autèm verbum, quod euangelizatum est in vos* per Apostolos, non à Deo immediatè, quia Deũ nemo vidit vnquàm. Io. 6. 45. 46.



CAPVT II.

1 *DEPONENTES igitur omnem malitiam, & om-*
nem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes
2 *detractiones, * sicùt modò geniti infantes, rationabile,*
sinè dolo lac concupiscite: vt in eo crescatis in salutem:
3 ** si tamèn gustastis quoniàm dulcis est Dominus. * Ad*
4 *quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidèm*
reprobatum, à Deo autèm electum, & honorificatum:
5 ** & ipsi tamquàm lapides viui superædificamini, do-*
mus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles
6 *Deo per Iesum Christum: * Proptèr quod continet Scriptura: Eccè pono in Sion*
lapidem summum angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum,
7 *non confundetur. * Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autèm lapis,*
8 *quem reprobauerunt ædificantes, hìc factus est in caput anguli: * & lapis offen-*
sionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi
9 *sunt. * Vos autèm genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus*
acquisitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in ad-
10 *mirabile lumen suum. * Qui aliquandò non populus, nunc autèm populus Dei:*
11 *qui non consecuti misericordiam, nunc autèm misericordiam consecuti. * Cha-*
rissimi, obsecro vos tamquàm aduenas & peregrinos abstinere vos à carnali-
12 *bus desiderijs, quæ militant aduersùs animam, * conuersationem vestram in-*
tèr Gentes habentes bonam: vt in eo, quod detrectant de vobis, tamquàm de
malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die vi-
13 *sitationis. * Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ proptèr Deum: siuè re-*
14 *gi quasi præcellenti: * siuè ducibus tamquàm ab eo missis ad vindictam male-*
15 *factorum, laudem verò bonorum: * quia sic est voluntas Dei, vt benefacien-*
16 *tes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: * quasi liberi, &*
17 *non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicùt serui Dei. * Omnes*
18 *honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate. * Serui*
subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiàm
19 *dyscolis. * Hæc est enim gratia, si proptèr Dei conscientiam sustinet quis tristi-*
20 *tias, patiens iniustè. * Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffer-*
21 *tis? Sed si benè facientes patientèr sustinetis: hæc est gratia apud Deum. * In*

hoc

hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens
22 *exemplum vt sequamini vestigia eius. * Qui peccatum non fecit, nec inuen-*
23 *tus est dolus in ore eius: * qui cum malediceretur, non maledicebat: cum patere-*
24 *tur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè: * qui peccata no-*
stra ipse pertulit in corpore suo supèr lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viua-
25 *mus: cuius liuore sanati estis. * Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis*
nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.

DEPONENTES *igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes,* fictiones, *& inuidias, & omnes detractiones*, quæ omnia hominem inficiunt, & contrariantur dictis in fin. cap. præcedentis, *sicùt modò geniti infantes,* puri, *rationabile,* prudens, *sinè dolo,* fraude *lac concupiscite,* purè, & sincerè agite: *vt in eo* lacte sic sumpto *crescatis in salutem* animarum vestrarum: *Si tamèn gustastis quoniàm dulcis est Dominus*, à quo facilè hæc impetrabitis. *Ad quem accedentes* cum fiducia *lapidem viuum,* ad differentiam lapidum inanimatorum, *ab hominibus quidèm reprobatum* coràm Pilato, vt & in Act. Apostol. *à Deo autèm electum* ab æterno, *& honorificatum;* gloria, & honore coronasti eum Domine, & in gloria sedentem ad dexteram Patris. Non videntur hæc cum sequentibus ad Eucharistiam trahenda, quia prosequitur loqui de Verbo Dei, de quo in fin. cap. & de fide, qua superædificamur, & sub nomine (lactis) sempèr Paulus intelligit de verbo Euangelico. *Et ipsi tanquàm lapides viui* ad fabricam destinati *superædificamini*, & Paulus: superædificati suprà fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu; *domus spiritualis* Dei, in qua ipse dignatur inhabitare; templum Dei estis vos, dicit Paulus; *Sacerdotium sanctum* à Sacerdote æterno, & magno Iesu constitutum, *offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum:* per illum enim solum accepti sumus Deo; cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, Psalm. 50. *Proptèr quod continet Scriptura: Eccè pono in Sion lapidem summum angularem,* duos angulos capientem, *electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur,* non erubescet. *Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autèm,* infidelibus *lapis, quem reprobauerunt ædificantes*, non ponentes eum in ædificio, *hic factus est* à Deo sic volente *in caput anguli,* populum Hebræum, & Gentilem vnientis in ædificio spirituali: *& lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo*, impingunt in verbum salutis euangelizatum, illud audire non curantes, seù spernentes: auditus enim fidem præcedit, nec credunt posteà, quia fides ex auditu, auditus autèm per verbum Dei; *nec credunt in quo & positi sunt:* lapis enim angularis muros duos connectens illos capit, & sic in Christo, in quo sunt, non dicuntur credere: nàm spreto auditu verbi, spernunt & fidem. Nec dicuntur positi in sermone, in quem impegerunt, sed in eo, qui prædicatur, qui est Christus lapis angularis: non enim possunt dici positi in verbo, at benè in lapide, qui est Christus, proùt suprà, *ponam in Sion lapidem, &c.* & de Christo clarè suprà cap. 1. 8. in quem nunc quoquè non videntes creditis, &c. & suprà, *& ipsi tanquàm lapides viui superædificamini,* nempè supèr lapidem primarium Christum. *Vos autèm genus electum* à Deo ad fidem, *regale*, sublime *Sacerdotium*, principatus, *gens sancta:* Sancti enim dicebantur omnes fideles, *populus acquisitionis,* acquisitus à Christo per mortem: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Psalm. 2. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: *vt virtutes*, potentias *annuncietis* aliis non credentibus *eius, qui de tenebris* ignorantiæ *vos*

voca-

vocauit in admirabile lumen suum, tenebras effugans; Hæc subdit, ne putent eos comprehendere velle intèr illos, quibus lapis angularis est offensionis, & scandali, de quo & ad Rom. 9. 32. *Qui aliquandò non populus* Dei, dum infideles, *nunc autèm populus Dei: qui non consecuti misericordiam*, dum in tenebris permaneretis: *nunc autèm misericordiam* ex mera Dei gratia, non vestro merito *consecuti*; ex his verbis videtur hæc Epistola scripta ad conuersos ex gentilitate, quia hæc prophetia hos respicit, & sic erit scripta pòst admissum Centurionem ad fidem. Act. 10. nisi dicas aliquos ex gentilitate priùs conuersos, proùt nitebar. Act. 2. probare. At quia hi non possunt dici dispersi: dispersio enim respicit conuersos ex circuncisione, vt dixi in princ. 1. cap. & dispersio non applicatur his pòst mortem Stephani, quia adhùc Centurio non intrauerat, nequè aptatur his verbum (aduenis) in eorum patria permanentibus: ideò dicendum Petrum vti hac prophetia respiciente Gentiles pro Hebræis, qui cessauerant esse de populo Dei in infidelitate persistentes, at conuersi de illo effecti sunt. Imò si ad vtrosque scriberet Petrus, distingueret sermonem; proùt Paulus scribens ad Romanos; verisimiliùs ergò scribere ipsum ad conuersos ex circuncisione tantùm. Vel saltèm est danda conuersio Gentilium antè Centurionem, quod erit probatu difficile. At quòd ad conuersos ex circuncione tantùm scribat, patet. vers. 12. dum eos hortatur, vt tanquàm peregrini, & aduenæ bonam conuersationem habeant intèr Gentes: si enim ad conuersos ex gentilitate scriberet, non faceret hanc distinctionem. *Charissimi, obsecro vos tanquàm aduenas, & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant*, bellum faciunt *aduersùs animam*; sempèr de his Paulus, quia frequentia intèr Gentiles; *conuersationem vestram intèr Gentes habentes bonam: vt* viso bono exemplo ex operibus bonis *in eo, quòd detrectant*, murmurant *de vobis tanquàm de malefactoribus*: hæc enìm in Christianos effuciebantur, *ex bonis operibus vos considerantes*: hæc enim præualent alijs, & ostendūt facto qualis sit internus animus, *glorificent Deum in die visitationis*, quandò resipiscent ab illo errore; ideò dicit, *ex bonis operibus vos considerantes*: &, *glorificent Deum*, & conuertantur, non in die Iudicij, quia tùnc damnati Deum non glorificarent, sed blasphemarent, nec daretur consideratio bonorum operū, vel conuersionis. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ* iurisdictionem in vos habenti, *proptèr Deum*, iuxtà Paulum. Rom. 13. 1. omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; proptereà se declarat: *siuè Regi quasi præcellenti*, supremo: *siuè ducibus tanquàm ab eo* duce *missis ad vindictam*, pœnam *malefactorum*, *laudem verò bonorum* operum, & præmium: *quia sic est voluntas Dei* hos eligentis, proptèr Deum, ad quem omnia referenda: ex Paulo enim. Rom. 13. 1. non est potestas nisi à Deo; *vt benefacientes obtumescere faciatis*, obturetis *imprudentium hominum* de vobis detrahentium *ignorantiam: quasi liberi* à Deo facti *& non quasi velamen habentes malitiæ libertatem*, quam malè agentes sibi assumunt ex Euangelio, & fide in Christum, *sed sicùt serui Dei* translati à seruitute dæmonis, & sub illo suppositi: imputabatur Neophytis quòd eximerent se à magistratibus: ideò Paulus sæpiùs hoc inculcat in Epistolis, in quibus loca obseruaui, & hìc Petrus. Non ergò dicas, *omni humanæ creaturæ*, idest, omnibus hominibus simplicitèr, sed superioribus, nisi dicas, vt infrà, *omnes honorate, &c.* proùt illud Pauli; honore inuicèm præuenientes. Rom. 12. vel ex charitate, quæ ad omnes diffunditur, vel in seruis, de quibus in specie ergà eorum dominos, etsi non exercentes iurisdictionem publicam. vers. 18. quæ tamèn non applicantur textui præsenti. Hinc tollitur, quòd in primitiua Ecclesia essent iudices constituti ad res sæculares intèr Christianos, & firmatur, quod tenuimus. 1. Cor. 6. & alibi in Epistolis Pauli. Nec dicas Paulum ibi velle constitui Iudices in ijs causis, quæ necessariò nō tenebantur deferre ad Gentilium tribunalia, nàm quæ illæ intèr laicos prætèr Ecclesiasticas? *Omnes honorate*, honore præuenite: *fraternitatem*, credentes *diligite: Deum timete: Regem honorificate*: sic enim decet. *Serui subditi estote in omni timore* Sancto *dominis, non tantùm bonis & modestis, sed*

etiàm discolis: nàm hæc differentia non aufert debitum timorem. *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam*, ideſt, puram, à Deo innatam, à quo omne bonum, &c. *Sustinet quis tristitias*, amaritudines, *patiens iniustè. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati* ob peccatum *suffertis?* quaſi, nulla, quia ob delictum ſic meremini. *Sed si benefacientes* patimini, & *patientèr sustinetis: hæc est gratia apud Deum*, hoc reddit vos Deo gratos; ſic infrà cap. 3. 14. ſed ſi quid patimini proptèr iuſtitiam, beati, & cap. 4. 14. Beati, qui perſecutionem, &c. &, Beati eritis, &c. & dicit, *Dei conscientiam*, ſicùt dicuntur res Dei, bona Dei proptèr excellentiam talium. Vel meliùs, *propter Dei conscientiam*, ideſt, proptèr Deum: ſic enim congruunt meliùs: Beati, qui perſecutionem. Beati eritis; ſi infrà cap. 4. 14. *In hoc enim vocati estis* à Deo ad perſecutiones, & ad patientiam, Fili accedens ad ſeruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem: *quia & Christus* (exemplo Chriſti hoc ſuadet, quod tamèn in omnibus exuberat) non pro ſe, vt nos, ſed *pro nobis*, ſcilicèt omnibus *passus est*, *vobis relinquens exemplum*; dicit, *vobis*, cum de illis eſſet ſermo, non de ſe ſcribente; *vt sequamini vestigia eius* in tolerantia paſſionum, quia ipſe ſic vult, & iuſſit exemplo ſuo fieri, quia nos peccatores hæc meritò patientes, at ille impeccabilis: *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, nedum in facto; hoc dicit, ne obijceretur Chriſtum pro ſuis delictis paſſum, quia ſic tulit: *qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur*, etſi poſſet vtrumque; vndè Petro: nonnè poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum? imò, *tradebat autèm* vltrò *iudicanti se iniustè*, quod ipſe Pilatus ex lotione manuum, & verbis (innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius) docuit, quia non pro nobis benè agentibus, ſed peccatoribus: *qui peccata nostra ipse pertulit*; commendat autèm, &c. ad Rom. 5. 8. non in ſpiritu tantùm, triſtis eſt anima mea, &c. ſed *in corpore suo*, non morte ordinaria, ſed crucis, *super lignum*, non vanè, ſed ſufficientèr pro omnibus: *vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus* benè operantes: *cuius liuore* ex percuſſionibus contracto, & morte *sanati estis*, vndè non debemus non illi obſequi, ne ingratitudine notemur. S. Matthæus. cap. 8. 17. refert verba Iſaiæ. cap. 53. 4. ad infirmitates corporales, quas ſanabat; nec poteſt quæſtio referri, quin Iſaias de illis etiàm intelligatur, vel litteralitèr, vel tranſumptiuè à ſpiritualibus infirmitatibus ad corporales; vel quia & illæ ex peccatis, & non curabat has ſolas, ſed & ſimùl peccata, quod & in Malcho, vt in Euangelijs tenui. Vel verba. verſ. 41. (Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit) referuntur ad miracula ſanitatum, iuxtà Matthæum illa adducentem; alia verò verſ. 10. ſi poſuerit pro peccato animam ſuam. 11. iniquitates eorum ipſe portabit. & 12. ipſe peccata multorum tulit, ad ſpiritualia, & peccata, proùt & 1. Ioan. 3. 5. & Coloſſ. 2. 14. iuxtà Petrum, qui illa præciſè adducit. Et vltimò, quia profeſſionem mutaſtis, in eum credendo, & ei nomen dando. *Eratis enim sicùt oues errantes* à via veritatis, *sed conuersi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*, ideò illum ſequi debetis.



CA-




CAPVT III.



1 IMILITER & mulieres subditæ sint viris suis:
vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersa-
2 tionem sinè verbo lucrifiant, * considerantes in timore
3 castam conuersationem vestram. * Quarum non sit ex-
trinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indu-
4 menti vestimentorum cultus: * sed qui absconditus est cor-
dis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiri-
5 ritus, qui est in conspectu Dei locuples. * Sic enim aliquandò & sanctæ mulie-
6 res, sperantes in Deo, ornabant se, subiectæ proprijs viris. * Sicut Sara obedie-
bat Abrahæ, dominum eum vocans: cuius estis filiæ benefacientes, & non per-
7 timentes vllam perturbationem. * Viri similitèr cohabitantes secundùm scien-
tiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquàm &
8 cohæredibus gratiæ vitæ: vt non impediantur orationes vestræ. * In fine au-
tèm omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, mo-
9 desti, humiles: * non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledi-
cto, sed econtrariò benedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæ-
10 reditate possideatis. * Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos,
11 coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. * Declinet à
12 malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam: * Quia oculi Do-
mini supèr iustos, & aures eius in preces eorum: Vultus autèm Domini supèr
13 facientes mala. * Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?
14 * Sed & si quid patimini proptèr iustitiam, beati. Timorem autèm eorum ne ti-
15 mueritis, & non conturbemini. * Dominum autèm Christum sanctificate in cor-
dibus vestris, parati sempèr ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de
16 ea, quæ in vobis est, spe. * Sed cum modestia, & timore, conscientiam ha-
bentes bonam: vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumnian-
17 tur vestram bonam in Christo conuersationem. * Meliùs est enim benefacientes
18 (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes. * Quia & Christus semèl
pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, morti-
19 ficatus quidèm carne, viuificatus autèm spiritu. * In quo & his, qui in car-
20 cere erant, spiritibus veniens prædicauit: * qui increduli fuerant aliquandò,
quandò expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in
21 qua pauci, idest, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. * Quod & vos nunc
similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscien-
21 tiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi, * qui est in dexte-

etiàm discolis: nàm hæc differentia non aufert debitum timorem. *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam,* idest, puram, à Deo innatam, à quo omne bonum, &c. *Sustinet quis tristitias,* amaritudines, *patiens iniustè. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati* ob peccatum *suffertis?* quasi, nulla, quia ob delictum sic meremini. *Sed si benefacientes* patimini, & *patientèr sustinetis: hæc est gratia apud Deum,* hoc reddit vos Deo gratos; sic infrà cap. 3. 14. sed si quid patimini proptèr iustitiam, beati, & cap. 4. 14. Beati, qui persecutionem, &c. &, Beati eritis, &c. & dicit, *Dei conscientiam,* sicùt dicuntur res Dei, bona Dei proptèr excellentiam talium. Vel meliùs, *propter Dei conscientiam,* idest, proptèr Deum: sic enim congruunt meliùs: Beati, qui persecutionem. Beati eritis; si infrà cap. 4. 14. *In hoc enim vocati estis* à Deo ad persecutiones, & ad patientiam, Fili accedens ad seruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem: *quia & Christus* (exemplo Christi hoc suadet, quod tamèn in omnibus exuberat) non pro se, vt nos, sed *pro nobis,* scilicèt omnibus *passus est, vobis relinquens exemplum;* dicit, *vobis,* cum de illis esset sermo, non de se scribente; *vt sequamini vestigia eius* in tolerantia passionum, quia ipse sic vult, & iussit exemplo suo fieri, quia nos peccatores hæc meritò patientes, at ille impeccabilis: *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius,* nedum in facto; hoc dicit, ne obijceretur Christum pro suis delictis passum, quia sic tulit: *qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur,* etsi posset vtrumque; vndè Petro: nonnè possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum? imò, *tradebat autèm* vltrò *iudicanti se iniustè,* quod ipse Pilatus ex lotione manuum, & verbis (innocens ego sum à sanguine iusti huius) docuit, quia non pro nobis benè agentibus, sed peccatoribus: *qui peccata nostra ipse pertulit;* commendat autèm, &c. ad Rom. 5. 8. non in spiritu tantùm, tristis est anima mea, &c. sed *in corpore suo,* non morte ordinaria, sed crucis, *supèr lignum,* non vanè, sed sufficientèr pro omnibus: *vt peccatis mortui, iustitia viuamus* benè operantes: *cuius liuore* ex percussionibus contracto, & morte *sanati estis,* vndè non debemus non illi obsequi, ne ingratitudine notemur. S. Matthæus. cap. 8. 17. refert verba Isaiæ. cap. 53. 4. ad infirmitates corporales, quas sanabat; nec potest quæstio referri, quin Isaias de illis etiàm intelligatur, vel litteralitèr, vel transumptiuè à spiritualibus infirmitatibus ad corporales; vel quia & illæ ex peccatis, & non curabat has solas, sed & simùl peccata, quod & in Malcho, vt in Euangelijs tenui. Vel verba. vers. 41. (Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit) referuntur ad miracula sanitatum iuxtà Matthæum illa adducentem; alia verò vers. 10. si posuerit pro peccato animam suam. 11. iniquitates eorum ipse portabit. & 12. ipse peccata multorum tulit, ad spiritualia, & peccata, proùt & 1. Ioan. 3. 5. & Coloss. 2. 14. iuxtà Petrum, qui illa præcisè adducit. Et vltimò, quia professionem mutastis, in eum credendo, & ei nomen dando. *Eratis enim sicùt oues errantes* à via veritatis, *sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum,* ideò illum sequi debetis.



CA-



CAPVT III.



1 SIMILITER & mulieres subditæ sint viris suis:
vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersa-
2 tionem sine verbo lucrifiant, * considerantes in timore
3 castam conuersationem vestram. * Quarum non sit ex-
trinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indu-
4 menti vestimentorum cultus: * sed qui absconditus est cor-
dis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiri-
5 ritus, qui est in conspectu Dei locuples. * Sic enim aliquandò & sanctæ mulie-
6 res, sperantes in Deo, ornabant se, subiectæ proprijs viris. * Sicut Sara obedie-
bat Abrahæ, dominum eum vocans: cuius estis filiæ benefacientes, & non per-
7 timentes vllam perturbationem. * Viri similitèr cohabitantes secundùm scien-
tiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquàm &
8 cohæredibus gratiæ vitæ: vt non impediantur orationes vestræ. * In fine au-
tèm omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, mo-
9 desti, humiles: * non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledi-
cto, sed econtrariò benedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæ-
10 reditate possideatis. * Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos,
11 coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. * Declinet à
12 malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam: * Quia oculi Do-
mini supèr iustos, & aures eius in preces eorum: Vultus autèm Domini supèr
13 facientes mala. * Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?
14 * Sed & si quid patimini proptèr iustitiam, beati. Timorem autèm eorum ne ti-
15 mueritis, & non conturbemini. * Dominum autèm Christum sanctificate in cor-
dibus vestris, parati sempèr ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de
16 ea, quæ in vobis est, spe. * Sed cum modestia, & timore, conscientiam ha-
bentes bonam: vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumnian-
17 tur vestram bonam in Christo conuersationem. * Meliùs est enim benefacientes
18 (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes. * Quia & Christus semèl
pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, morti-
19 ficatus quidèm carne, viuificatus autèm spiritu. * In quo & his, qui in car-
20 cere erant, spiritibus veniens prædicauit: * qui increduli fuerant aliquandò,
quandò expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in
21 qua pauci, idest, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. * Quod & vos nunc
similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscien-
21 tiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi, * qui est in dexte-

ra Dei, deglutiens mortem: vt vita æternæ hæredes efficeremur: profectus in cælum subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus.



IMILITER & mulieres subditæ sint viris suis ethnicis. Cur hoc circà mulieres tractet, explicat se: *vt & si qui* virorum *non credunt verbo* euangelico, *Per mulierum conuersationem sinè verbo* publicè, sed priuatim, vel exemplo *lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem vestram*; sic. 1. Cor. 7. & docet quomodò id succedere possit ibi. *Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus*, aliòqui (vult dicere) non esset Sancta conuersatio vestra, nec fieret quod intendo; sic & 1. Timot. 2. 9. non ergò quia Gentes calumniarentur Christianos à viris suis mulieres auertere: potiùs enim ad pacem intèr eos seruandam suadebant, vt etiàm dixi in Epistolis Pauli. *Sed* ornatus earum sit, non externus, sed internus, *qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate* versans, *quieti*, firmi contrà inconstantiam mulierum, *& modesti*, mites contrà iracundiam earundem, ad quæ sunt procliuiores, *spiritus*, & sic vult earum ornatum spiritualem, *qui* talis *est in conspectu Dei locuples* magis, quàm in conspectu hominum ornatus externus. *Sic enim aliquandò & sanctæ mulieres*, quas ipsæ debent imitari, *sperantes in Deo*, spem suam, & omnia in Deo ponentes, non in his ornatibus externis, *ornabant se*, actus virtuosos facientes, *subiectæ* tamèn *proprijs viris*, sicùt decet, & tenebantur. Genes. 3. *Sicùt Sara obediebat Abrahæ* viro suo, *Dominum eum vocans*, pro Domino habens: *Cuius* Saræ *estis filiæ* descendentes (eccè quomodò ad Hebræos scribit) *benefacientes*, dum benefaciendo eam imitamini, *& non pertimentes vllam perturbationem* in benefactis, proùt Sara pluriès ob Abraham peregrinantem vexata. *Viri similitèr cohabitantes* cum mulieribus *secũdùm scientiam*; intellige proùt se declarat sequentibus verbis, & iuxtà Paulum. Ephes. 5. Col. 3. 1. Cor. 11. *quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem*: sic enim subleuantur, & fouentur, *tanquàm & cohæredibus gratiæ vitæ*, eccè confutata opinio, fœmineum sexum in cælo non futurum, *vt non impediantur orationes vestræ*, vel ex discordia, vel parua charitate. *In fine autèm*, in summa *omnes vnanimes*, concordes, *compatientes* inuicèm, *fraternitatis*, fidelium *amatores*, *misericordes* in proximos, *modesti*, sinè ira, *humiles*; sic Christus: discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: *non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes*; sic & Christus; *quia in hoc vocati estis* ad patientiam, *vt* in ea *benedictionem*, abundantiam gloriæ *hæreditate* firma, & æterna *possideatis*. *Qui enim vult vitam* æternam *diligere, & dies* æternos *videre bonos, coerceat linguam suam a malo* contrà proximum, *& labia eius ne loquantur dolum*, mendacium. *Declinet a malo, & faciat bonum: inquirat pacem, &* sempèr *sequatur eam: Quia oculi Domini supèr iustos*, eos protegentes, *& aures eius in preces eorum*, audientes eorum preces. *Vultus autèm* iratus *Domini supèr facientes mala* ad puniendum. *Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores* prædictorum *fueritis?* si sic ambulaueritis? *Sed & si quid patimini proptèr iustitiam, beati* estis. *Timorem autèm eorum* vos persequentium *ne timueritis, & non conturbemini* ob eorum persequutiones. *Dominum autèm Christum sanctificate*, extollite, laudate *in cordibus vestris*, non in ore tantùm, *parati sempèr ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe* æternorum per Iesum Christum. *Sed cum modestia, & timore*, quia nemo scit an odio, vel amore sit dignus, *conscientiam habentes bonam*, interior homo sit bonus, rectus: *vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur*, erubescant, *qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem*, videntes

dentes

dentes facta contraria eorum dictis. *Meliùs est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes*, quia omninò pateremini; at primo modo benefaciendo cum fructu, secundo, sinè. Vt autèm illos moueat ad patiendum benefaciendo, subdit exemplum Christi: *quia & Christus semèl*, proùt & vos semèl morituri, *pro peccatis nostris mortuus est*. cap. 2. 21. nedum passus, & ipse *iustus pro* nobis *iniustis*, qui cum malediceretur, non maledicebat. suprà cap. 2. 23. immò pro crucifixoribus rogans, *vt nos* peccatores à peccato mundatos *offerret Deo* pretio sanguinis sui redemptos, Christus (dico) *mortificatus quidèm carne*, in qua passus est, *viuificatus autèm spiritu*, siuè anima, in qua liber euasit, & sic dicendum, quia subdit de gestis in spiritu, seù anima, nempè descensu ad inferos: vndè nunc non potest applicari resurrectio carnis, & declaratur. cap. 4. 1. Christo igitur passo in carne, vult dicere: quid erit, si vos patiemini in carne vestra? certè in spiritu, in anima non patiemini, vt ea tollatur, sed glorificabimini, proùt Christus: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. & pòst hęc non habent quid faciant: timete autèm eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. *In quo* (probat Christum spiritu viuificatum, idest, intactum) spiritu, anima (carne in sepulchro dimissa) *& his, qui in carcere* infernali *erant*, indè nunquàm exituris, *spiritibus*, animabus damnatis *veniēs* ad illos *prædicauit*, seù innotescere fecit exprobrando; *qui increduli fuerant aliquando* Noe prædicanti submersionem mundi, *quandò expectabant Dei patientiam* diuturniorem *in diebus Noe, cum fabricaretur arca*, hac eorum falsa, & temeraria opinione confisi Deum totum mundum non submersurũ, sed patientèr laturum; Hinc idē Petrus quasi de re mirabili agens. 2. Epist. cap. 2. 5. & originali mundo non pepercit: edebant enìm, bibebant, &c. nequè à peccatis recedebant, aut pœnitentiam agebant, ac si nihil foret eis prædictum. Matth. 24. 37. Luc. 17. 26. etsi verbis Noe, & fabricatione arcæ ab hoc eorum sensu deduci debuissent; sic exprobrauit Angelus Hebræis in loco flentium super transgressionibus, ob quæ Deus dimisit hostes. Iudi. 2. sic Abraham Epuloni: Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, &c. Luc. 16. *in qua* arca *pauci, idest, octo animæ saluæ factæ sunt* per aquā ductæ, vel supèr aquam. Vult dicere Petrus. Sicùt Christus viuificatur spiritu, ità & vos spiritu viuificabimini, & sicùt illis morituris omninò (quia iàm decretum diluuium vniuersale à Deo, quod effugere non poterant) meliùs fuisset Noè credere, à peccatis recedere, pati benefacientes mortem comminatam; sic & vobis expedit (postquàm passuri estis) benefacientes potiùs passiones excipere, quàm malefacientes, ne damnemini, proùt illi; sed saluemini, proùt octo alij; & expedit vobis nunc bona prouidere, quia ille, qui tùnc spiritu viuificatus prædicauit, nunc resurrexit, & sedet in cælis gloriosus suprà omnes, vt in fine cap. venturus iudicare viuos, & mortuos, vt in princip. seq. cap. & exprobrabit infidelibus, & peccatoribus. At cur hoc exemplum? quia satis congruit ad voluntarias passiones excipiendas, & benefaciendum, quia octo salui, & terrorem assumendum, si contrarium agatur, postquàm Deus toti mundo originali non pepercit, vt dicit idem Petrus. 2. 2. 6. exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens: Prætereà non poterat dare exemplum magis cognitum, & vniuersale: particularia enìm ignoramus, nec ad omnium notitiam deducuntur, nequè quod magis malos, & bonos mores vniuersalitèr tangeret, & quòad baptisma inferret, ni mirum, si hic nec Sodomæ, nec Angelorum. Sed cur Christus his prædicauit? quia fortè in inferno conquerebantur se in patientia Dei confisos, & in fide, ipsum totum orbem non deleturum frustratos esse: ideò misericordia dignos, indequè è pœnis eruendos. Sed non placet: nàm anima separata cognoscit statum suum, iudicatur in instanti; impij in inferno cognognoscunt errores eorum. Sapien. 5. vsquè ad vers. 15. vltrà quòd fictæ excusationes quibusuis non defuissent. Vndè meliùs dicas, omnibus in inferno existentibus factam à Christo exprobrationem ratione suorum malorum operum, seù infidelitatis; sic exprobrauit Abraham diuiti. Luc. 16. 25. Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua,

& Lazarus similitèr mala: nunc autèm hic consolatur, tu verò cruciaris: Sed Petrus de his solis agere ad propositum suum facientibus. At cur Christus ad inferos damnatorum? vt reipsa omnes cognoscerent, eum, in quo saluari poterant, omnia adimpleuisse, vt & Lucifero iàm in catena ligato exprobraret; & quia in infernis erat, verisimile est cum captiuitate captiua, quam eruerat è Limbo, visitasse etiàm in Purgatorio existentes, cummonefaciens eos ad patientiam, cum scirent certum præmium euolandi ad gloriam iàm apertam, si eos non liberauit, vt aliqui tenent. Intelligit autèm Petrus de damnatis, tùm quia de positis in carcere loquitur, tùm quia agit de prædicatione, quæ in Limbo positis non conuenit, cum, illo in Limbum introeunte, omnes beati fuerint (hodiè mecum eris in Paradiso) & omnia videnda viderint in Verbo, & de omnibus per Christum, qui in mundo apparuerat, gestis certi erant ex reuelatione animarum Christi tempore descensarum. Abraham, qui viderat diem, &c. & vltimò Angelorum fortè mortem eius, qua nouerant se indè liberandos annunciantium. Prætereà hi non poterant dici in carcere, non tùnc Christo apparente, quia beati, & liberi, non antè, quia indè educti Samuel ad Saulem interrogaturum, Moyses ad transfigurationem, visus Abraham ab Epulone, tuta scientia eductos iri, & ad beatitudinem euolaturos; morsus tuus ero ò inferne, captiuam ducens captiuitatem, &c. ibì quies, quæ non in carcere, tantùm visio Dei retardata. Quod hìc de damnatis, de dæmonibus. Epist. 2. cap. 2. sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos quasi in perpetuo carcere. Non obstant verba (*qui increduli fuerunt aliquandò*) quasi non sempèr: nàm cum vlteriùs non procedat se explicans, intelligimus in incredulitate stetisse, non autèm mutasse sententiam, vt in verbo (donèc) omnes dicunt. Matth. 1. 25. Prætereà, verbum (*aliquandò*) respicit sequentia (*quandò expectabant Dei patientiam, &c.*) & pręcedentia hanc obiectionem destruunt, quæ relege. ***Quod & vos nunc similis formæ*** (quia in aqua) *saluos facit baptisma*, proùt illos arca per aquam: ***non carnis depositio sordium*** per lotionem externam, corporalem, ***sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi***, qua iustificamur. Rom. 5. Non inducit autèm exemplum arcæ ad denotandam paucitatem saluandorum, sed similitudinem salutis: ideò in capienda similitudine nihil de paucitate, ***qui*** Iesus Christus ***est in dextera Dei, deglutiens*** in se ***mortem***, quam ipse non meruerat, pro nobis, ***vt vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cælum subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus***, quia suprà omnes eleuatus, vt superiùs in Epistolis Pauli ad Philip. Ephes. & Coloss. & in his se conformant Petrus, & Paulus.



CAPVT IV.



1 *CHRISTO igitur passo in carne, & vos eadem cogita-*
tione armamini: quia qui passus est in carne, desijt à pec-
2 *catis: * Vt iàm non desiderijs hominum, sed voluntati*
*Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis. * Suf-*
3 *ficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium*
consummandam his, qui ambulauerunt in luxurijs, de-
siderijs, vinolentijs, comessationibus, potationibus, &
4 *illicitis idolorum cultibus. * In quo admirantur non concurrentibus vobis in ean-*
dem

5 *dem luxuriæ confusionem; blasphemantes. * Qui reddent rationem ei, qui pa-*
6 *ratus est iudicare viuos & mortuos. * Proptèr hoc enim & mortuis euangeliza-*
tum est: vt iudicentur quidèm secundùm homines in carne, viuant autèm se-
7 *cundùm Deum in Spiritu. * Omnium autèm finis appropinquauit. Estote itaquè*
8 *prudentes, & vigilate in orationibus. * Antè omnia autèm, mutuam in vo-*
bismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem
9 *peccatorum. * Hospitales inuicèm sinè murmuratione: * Vnusquisque, sicùt ac-*
10 *cepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicùt boni dispensatores mul-*
11 *tiformis gratiæ Dei. * Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat,*
tamquàm ex virtute, quam administrat Deus: vt in omnibus honorificetur
Deus per Iesum Christum: cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum.
12 *Amen. * Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit,*
13 *quasi noui aliquid vobis contingat: * sed communicantes Christi passionibus gau-*
14 *dete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. * Si exprobramini*
in nomine Christi, beati eritis: quoniàm quod est honoris, gloriæ, & virtutis
15 *Dei, & qui est eius Spiritus, supèr vos requiescit. * Nemo autèm vestrum*
16 *patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. * Si au-*
17 *tèm vt Christianus, non erubescat: glorificet autèm* Deum *in isto nomine. * quo-*
niàm tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei. *Si autèm primùm à nobis:*
18 *quis finis eorum, qui non credunt* Dei *Euangelio? * Et si iustus vix saluabitur,*
19 *impius, & peccator vbi parebunt? * Itaquè & hi, qui patiuntur secundùm vo-*
luntatem Dei, *fideli Creatori commendent animas suas, in benefactis.*



HRISTO *igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini* patiendi, sequētes eius exemplum: *quia qui passus est in carne*, frenans eam à concupiscentijs, & vitijs, & tribulationibus vexatus, ità vt ampliùs in ea non viuat, non sequatur carnalia, *desijt à peccatis*, quibus priùs inuoluebatur, fit spiritualis, viuificatur spiritu. *Vt iàm non desiderijs hominum*, quibus solent occupari homines, *sed voluntati* Dei puros nos volentis, *quod reliquum est in carne viuat temporis*, in residuo vitæ suæ; ex his verbis (*vt iàm non desiderijs hominum, &c.*) apparet verba priora (*desijt à peccatis*) non posse Christo accommodari, cum hæc, & alia connexa non applicentur. *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam* insumptum iuxtà morem infidelium *his, qui ambulauerunt in luxurijs, desiderijs* illicitorum, *vinolentijs, comessationibus, potationibus* ad carnalia ducentibus, *& illicitis idolorum cultibus*, relicto vero Deo; non dirigit in illos sermonem, sed in tertias personas modestiæ causa, nec licet hinc arguere, scriptam esse Epistolam ad conuersos ex gentilitate, quia hìc loquitur de vitijs assumptis ab Hebræis, quæ in Gentilibus erant frequētiora, & maiora, nec loqueretur in tertia persona, nec illos sic apertè declararet olìm vitiosos. *In quo*, idest, vos mutatos, & conuersos *admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem*, horrorem, *blasphemantes* vos ob id, irridentes. *Qui* tales *reddent rationem ei, qui paratus est*, citò venturus est *iudicare viuos* morituros, *& mortuos* antè: omnes enìm nos repræsentari oportet antè tribunal Christi. *Proptèr hoc enim*, nempè

pè ratione in iudicio coràm iudicaturo dandam, *& mortuis*, infidelibus tot peccatis, vt suprà, irretitis *euangelizatum est*, prædicatum est, & alterum succedet, vel *vt* credentes, sed à vitijs non recedentes *iudicentur quidèm*, condemnentur *secundùm homines in carne*, in carnalibus, & animalibus perseuerantes, non vti infideles, ad ignem æternum; dicit *secundùm homines in carne*, quia si sinè fide, iàm iudicati essent; vel *viuant autem* (si benefecerint) *secundùm Deum in Spiritu* viuificati, & gloriosi in cælo; hinc: pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum: quasi, condemnabimini, si in peccatis perseueretis; si autèm ab eis recedetis, traducemini ad regnum cælorum. Is intellectus est planus, & verus, & absquè vllis ambagibus, & benè connectitur cum præcedentibus, & sequentibus. Omnes alij (iudicio meo) non possunt aptari: quomodò enim subsistit euangelizari mortuis verè, soluta anima à corpore, cum tùnc anima solutione subsecuta, damnetur, vel beetur, vel purgetur? & vbi lignum cadit, ibi perpetuò permansurum sit? ità vt contingere non possit quod hic dicitur, *vt iudicentur*, vel *viuant*, quæ verba respiciunt diuersa tempora, & actiones: quæ vtilitas huius Euangelij quòad illos? vana patitur Deus? quid operatur, damnatos iam scire Christum esse Iudicem? quid illis prodest, vel Christo? in inferno enim quis confitebitur tibi? & Isai. 38. quia non infernus confitebitur tibi, neq; mors laudabit te, non expectabunt, qui descendunt in lacum veritatem tuam, ad exprobrandum dictum est prędicationem factam damnatis suprà cap. 3. & illud benè transit; at hoc quomodò componi possit, non assequor. Prætereà, quæ mentio hic Christi ad inferos descensus, quæ in superiori capite? quæ verba in illum directa, prout ibi, cum hic dicatur, *euangelizatum est*: nam id per Apostolos, & alios. Non etiàm possunt sustineri intellectus versantes dum hi viuunt circà iudicium, vel condemnationem, vel ipsorum, vel aliorum quia hic de Christo Iudice, & de Iudicio finali; vndè omnia pòst mortem, & sic cogunt antecedentia, & sequentia verba. Congruit huic intellectui verbum, *euangelizatum est*, quia regnum Dei sic euangelizabatur, & erat bonus nuntius iuxtà hanc locutionem; at in alio sensu, dum mala dicuntur euangelizari, quomodò congruit? dictum fuit: prædicate Euangelium omni creaturæ. & suprà cap. 3. non est vsus Petrus hoc verbo, sed (prædicauit) quod ad malum aptauit, & ad vtrumque aptari potuisset, quod non succedit in verbo (*euangelizatum*.) Non obstat intellectui præmisso, suprà immediatè de mortuis verè, quomodò hic per peccatum? at non inconuenit, nedum in diuersa, proùt hic, sed in eadem phrasi vnum verbum modo diuerso sumi, vt in spiritu, qui pro Spiritu sancto, & vento capitur. Acto. 2. Ioan. 3. vbi dixi. Prætereà, etiàm suprà verbum (*viuos*) accipitur pro morituris. Vel dicas suprà, *viuos* fideles, *mortuos* infideles, morituros tamèn omnes, deindè sequere. *Proptèr hoc enim & mortuis*, idest, infidelibus, vt dixi: dicuntur enim mortui, quia nondum ad fidem, qua iustificamur, & viuificamur per baptismum, euecti sunt, & licèt dicat, *iudicentur*, tùnc intelligit pòst fidem receptam, vt dixi. Verbum autèm (*mortuis*) congruit Infidelibus, Gentilibus, quasi de illis nulla ratio haberetur, essentquè quasi ossa arida, de quibus Ezechiel. 37. & hinc Epistolam hanc scriptam à Petro pòst conuersionem Gentium sibi intimatam. Acto. 10. quod tamèn clariùs, quia Romæ scripta. *Omnium autèm* tàm illorum, quàm nostrum *finis appropinquauit*, citò erit Iudicium vniuersale, vel particulare vniuscuiusque. *Estote itaquè prudentes* circà ea quæ dixi, *& vigilate in orationibus*. *Antè omnia autèm mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes*, sempèr hæc etiàm à Paulo requiritur: *quia charitas* ergà alios *operit multitudinem peccatorum*; sic Iacob. 5. 20. *Hospitales inuicèm sinè murmuratione*, hilaritèr excipientes peregrinos, ne contubentur, si visu turbato: *Vnusquisque, sicùt accepit gratiam* à Deo, *in alterutrum illam administrantes*, vt alij conuertantur, & meliores fiant, *sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*, & Paulus. 1. Cor. 4. sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, gratijs verò multiformibus in eisdem ad Cor. & ad Ephes. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei* sint,


sint, non hominum: *si quis ministrat, tanquam ex virtute*, non propria, sed *quam administrat*, confert *Deus: vt in omnibus honorificetur Deus* omnia perficiens *per Iesum Christum: cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen. Charissimi, nolite peregrinari in seruore*, nolite vitare tribulationes illatas, fugere ab illis, *qui ad tentationem vobis fit*; hortatur ad tribulationes patiendas; neque deterreri, *quasi noui aliquid vobis contingat*, cum accedenti ad Deũ id debeat tritum esse: *sed communicantes Christi passionibus* (eccè quid sermo, quid peregrinatio, quæ Paulus adimplebat) patientes proptèr Christum, *gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius* in iudicio vniuersali, seù particulari *gaudeatis exultantes*. 1. Thes. 1. 4. & seqq. quod & dignum est, si compatimur, & conglorificabimur: sed quales hæ tentationes hæc operantes? pro Christo: ideò subdit. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniàm quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus*, vos roborans, *supèr vos requiescit*; omnia hæc bona potentia, & gloria nos ornant, si pro vitijs secùs; ideò *nemo autèm vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autèm vt Christianus non erubescat*, non confundatur: *glorificet autèm Deum in isto nomine* passionis, *quoniàm tempus est nunc vt incipiat iudicium*, flagellum *à domo Dei*, à seruis Dei, quos ipse corrigit, premit, tundit, vt ex his ædificet Ierusalem cælestem: hi enim sunt domus, templum Dei, & hìc de prædestinatis. *Si autèm primùm à nobis* seruis suis: *quis finis* erit *eorum, qui non credunt* Dei *Euangelio?* infidelium, vel peccatorum impœnitentium? iunge: Deus autèm non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die, ac nocte, & patientiam habebit in illis? Luc. 18. 7. *Et si iustus*, verus *uix*, idest, cum his tribulationibus *saluabitur*, cum tot sint difficultates, *impius, & peccator*, in bonis ducentes dies suos, *ubi parebunt?* in puncto ad inferna descendunt. *Itaquè & hi, qui patiuntur secundùm uoluntatem* Dei, *fideli*, obseruanti *creatori*, in quo confidere possunt, *commendent animas suas in benefactis: fidelis* enim Deus, qui memor erit operis eorum boni.



CAPVT V.

1 *SENIORES ergò, qui in vobis sunt, obsecro, con-*
senior, & testis Christi passionum: qui & eius, quæ in
2 *futuro reuelanda est, gloriæ communicator: * pascite qui*
in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spon-
taneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed
3 *voluntariè: * neque vt dominantes in cleris, sed forma*
4 *facti gregis ex animo. * Et cum apparuerit princeps pa-*
5 *storum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. * Similitèr adolescentes sub-*
*diti estote senioribus. * Omnes autèm inuicèm humilitatem insinuatè, quia*
6 *Deus superbis resistit, humilibus autèm dat gratiam. * Humiliamini igitur*
7 *sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis: omnem sollicitu-*
8 *dinem vestram proijcientes in eum, quoniàm ipsi cura est de vobis. * Sobrij*
estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tamquàm Leo rugiens
9 *circuit, quærens quem deuoret: * Cui resistite fortes in fide: scientes eandem*
pas-


10 *passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri.* * *Deus autèm omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modi-*
11 *cum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitquè.* * *Ipsi gloria, & imperium*
12 *in sæcula sæculorum. Amen.* * *Per Siluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuitèr scripsi: obsecrans & contestans, hanc esse veram gratiam Dei,*
13 *in qua statis.* * *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Mar-*
14 *cus filius meus.* * *Salutate inuicèm in osculo sancto: Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu. Amen.*



ENIORES ergò ex clero, Episcopos, *qui in uobis sunt, obsecro, consenior,* similis illis, *& testis Christi passionum;* eritis mihi testes,&c. Act. 1. *qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ,* electis, *communicator*, promulgator sum: euntes, &c. qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit; pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum; & nullo modo dicas, *communicator gloriæ*, quam ego hausi, vel recepturus sum, sed reuelandæ, vt ipse se explicat; & quia sicùt testem se dicit Christi passionum, quarum adhùc non dicit se communicatorem, seù consortem, sic nequè gloriæ. Vndè extrà rem est dicere, quòd hic præsumat se gloriam recepturum, de quare tamèn pluriès in Epistolis Pauli. *Pascite qui in uobis est gregem* Dei, *prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm* Deum: *nequè turpis lucri gratia; sed voluntariè*, ex animo absquè alio respectu; hæc ad Episcopos: dicit enim, *pascite, prouidentes*, prout ipsi: pasce oues meas: *Nequè ut dominantes in cleris, sed forma*, exemplar *facti gregis ex animo* sincero, in quod grex respiciat, & edoceatur virtutes omnes; ex sequentibus constat quomodò intelligatur verbum (*cleris*) quod declarat verbo (*gregis*) quod omnes capit, quiò verbo vsus est & in antecedentibus, *gregem* Dei; dicit etiàm, *seniores, qui in uobis sunt*, omnes capiens: subdit & de corona; quæ non potest restringi ad vnum genus tantùm, sed ad omnes extenditur, quia in omnibus labor; & quæ sequuntur de adolescentibus, & alijs vsquè ad finem cap. videntur mihi omnes capere, non aliquos. *Et cum apparuerit Princeps Pastorum* in morte vestra, vel iudicio vniuersali, *percipietis immarescibilem gloriæ coronam*, æternam gloriam; hic eos magis allicit ad labores pro grege. *Similitèr adolescentes subditi estote senioribus:* sic Moyses docet coràm cano assurgendum: *Omnes autèm inuicèm humilitatem insinuate*; hoc dicit, ne seniores ex obsequio adolescentum superbiant, sed honore præueniant, *quia Deus superbis resistit, humilibus autèm dat gratiam:* hæc ratio omnes comprehendit. *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis*, mortis, vel iudicij: *omnem solicitudinem vestram*, circà salutē, & alia *proijcientes in eū, quoniàm ipsi cura est de vobis*, vult igitur, & potest. *Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquàm Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*, non princeps, quia in inferno pòst mortem Christi tentus fuit non egressurus vsquè ad tempora Antichristi, vt in Apocal. dictum, sed satellites sui: *Cui resistite fortes in fide*; sic & Ephes. 6. *scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri:* quasi, ne deterreamini, & ne putetis hæc vobis contingere quasi fidelibus, quia & alijs contingunt. *Deus autèm omnis gratiæ*, à quo omne bonum ex Iacobo, *qui uocauit nos in æternam suam gloriam* nobis conferendam: *in Christo Iesu*, per Christum Iesum, *modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitquè* i: à vt de illius gloria nullo modo dubitandum sit. *Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum*, in æternum. *Amen. Per Siluanum* de

hoc

hoc in Act. Apost. *Fidelem fratrem vobis, vt arbitror breuitèr scripsi: obsecrans & contestans hanc esse veram gratiam Dei*, nempè fidem, *in qua statis. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone*, vt intelligatur fluctus illius Ecclesiæ; prout de omnibus vniuersalitèr suprà dixerat, *scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri, coelecta*, vobiscum, quia vna Ecclesia, *& Marcus filius meus* spiritualis. *Salutate inuicèm in osculo sancto*, iuxtà morem illorum temporum. *Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu*, fidelibus. *Amen.*



IN EPISTOLAM
PETRI SECVNDAM.
CAPVT PRIMVM.

1 SIMON Petrus, seruus, & Apostolus Iesu Christi, ijs,
qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei
2 nostri, & Saluatoris Iesu Christi. * Gratia vobis, &
pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Do-
mini nostri: * quomodò omnia nobis diuinæ virtutis suæ,
3 quæ ad vitam, & pietatem donata sunt, per cognitio-
nem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute,
4 * per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hæc efficiamini
diuinæ consortes naturæ: fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ cor-
5 ruptionem. * Vos autèm curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra
6 virtutem, in virtute autèm scientiam, * in scientia autèm abstinentiam, in
7 abstinentia autèm patientiam, in patientia autèm pietatem, * in pietate autèm
8 amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. * Hæc enìm si
vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sinè fructus vos constituent in
9 Domini nostri Iesu Christi cognitione. * Cui enìm non præsto sunt hæc, cæcus est,
& manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.
10 * Quapropter fratres magìs satagite vt per bona opera certam vestram vocatio-
11 nem, & electionem faciatis: hæc enìm facientes, non peccabitis aliquandò. * Sic
enìm abundantèr ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini no-
12 stri, & Saluatoris Iesu Christi. * Propter quod incipiam vos sempèr commone-
13 re de his: & quidèm scientes & confirmatos vos in præsenti veritate. * Iustum
autèm arbitror quamdiù sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitio-
14 ne: certus quòd velox est depositio tabernaculi mei secundùm quod & Domi-
15 nus noster Iesus Christus significauit mihi. * Dabo autèm operam & frequentèr
16 habere vos pòst obitum meum, vt horum memoriam faciatis. * Non enim do-
ctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem,
17 & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. * Accipiens enìm
à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi à magnifi-
ca

ca gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.
18 * *Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in mon-*
19 *te sancto.* * *Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis atten-*
dentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco donèc dies elucescat, & lucifer oria-
20 *tur in cordibus vestris:* * *hoc primum intelligentes quòd omnis prophetia Scriptu-*
21 *ra propria interpretatione non fit.* * *Non enim voluntate humana allata est*
aliquandò prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei ho-
mines.



IMON Petrus, seruus, & Apostolus Iesu Christi, ijs, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt ex dono Dei *fidem* fidelibus. Credo scribere eisdem Hebræis, vt infrà cap. 3. & verba de coæquali fide ad illos restringi; *in iustitia*, in fidelitate, in adimplemento promissionum *Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi*, nempè nedum missionis illius in mūdum, sed etiàm manifestationis. Vide quæ scripsi in baptismo Christi in Euangelijs supèr verbis (decet nos implere omnem iustitiam) & (credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Rom. 4.) ideò etiàm subiungit, *quomodò omnia nobis, &c.* & per quem omnia, quæ faciunt ad illam adimpletionem; & qui proprio filio non pepercit, &c. quomodò non omnia cum illo nobis donauit? *Gratia vobis, & pax adimpleatur* in hac vita, quia subdit: *in cognitione, &c.* quasi, hæc cognitio ità vobis detur ampla, vt gratiam, & pacem recipere mereamini; *in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri*, in qua consistit vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Christus seipsum manifestauit, nostrum est illum cognoscere, vt hanc vitam recipiamus. Non dicas hic, *in*, per cognitionem, quia infrà subdit *per cognitionem: quomodò* (declarat qualis sit cognitio) *omnia nobis diuinæ virtutis suæ*, excelsæ, *quæ ad vitam* Spiritus, æternam, *& pietatem* quærendam conferunt, *donata sunt*; sinè me nihil potestis facere; *per cognitionem eius*, Dei, *qui* Deus *vocauit nos propria gloria*, liberalitate, munificentia, misericordia, *& virtute*, bonitate, benignitate, potentia, non ex operibus, quæ nos fecerimus; hinc iustitia illa nobis reputata fuit, vt suprà, *per quem* Christum *maxima, & preciosa nobis promissa* olim patribus nostris, Deus *donauit*; eccè iustitia illa: *vt per hæc* dona *efficiamini diuinæ consortes naturæ*, Filij Dei; dedit eis potestatem Filios Dei fieri; Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ: *fugientes*, si tamèn effugerimus, vel vt effugiamus *quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem*; à concupiscentia enim omnis corruptio. *Vos autèm, &c.* docet quomodò id faciendum vsquè ad versic. 10. quod clarè indicant verba, *constituent in Domini nostri cognitione*. vers. 8. quæ ad aliud trahi non possunt. *Vos autèm curam omnem subinferentes cautè, ministrate in fide vestra* vobis à Deo data *virtutem, in virtute autèm scientiam*, vt de omnibus ad salutem spectantibus informemini, *in scientia autèm abstinentiam*, modestiam, ne inflemini, *in abstinentia autèm patientiam*, qua animæ possidentur, *in patientia autèm pietatem*, seù charitatem, *in pietate autèm amorem fraternitatis*, congregationis fidelium, *in amore autèm fraternitatis charitatem* facto, non verbo tantùm. *Hæc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sinè fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione*, idest, eleuabunt vos ad Christum cognoscendum. *Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est* verè, *& manu tentans*, & alijs cœcus apparens, vel & actu ipso *obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum*; hinc *in scientia au-*

tèm abstinentiam, in abstinentia autèm patientiam, &c. suprà vers. 6. intelligit de afflictiuis ob peccata. Vel meliùs obliuiscens Iesu Christi, seù baptismatis illius, qui peccata omnium portauit iuxtà Paulum. Heb. 1. 3. quasi, is non cognoscit Dominum nostrum Iesum Christum, in cuius cognitionem dixerat priora eos constitutura. *Quapropter fratres magìs satagite, vt per* vestra *bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis;* quia dixerat, *vocauit nos,* docet quomodò per bona opera certa fiat vocatio: per bona enim opera à peccato retrahimur, & datur regnum. At quomodò certa fiet vocatio, & electio? dat Petrus rationem, nec aliundè expiscanda: *hæc enim facientes, non peccabitis aliquandò*, mundis autèm à peccato patet cælum, quod subdit. *Sic enim abundantèr ministrabitur uobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi. Proptèr quod*, vt ad iàm dicta perueniatis, *incipiam uos sempèr commonere de his: & quidèm scientes, & confirmatos uos in præsenti ueritate* euangelica. *Iustum autèm arbitror quandiù sum in hoc tabernaculo*, dum vixero, *suscitare uos*, excitare vos *in commonitione: certus quòd uelox est depositio tabernaculi mei*, vitæ meæ, *secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi*: quasi, in hoc vltimo etiàm vitæ meæ Spiritu non deero vobis. *Dabo autèm operam*, dum in hoc tabernaculo versabor, *& frequentèr habere uos* hæc in animo *pòst obitum meum, ut horum memoriam faciatis*, continuetis in his; contraponit ei quod dixerat, *obliuionem accipiens veterum suorum delictorum*. vers. 9. loquitur autèm de gerendis in vita, quia verbum, *dabo*, non aptatur alij sæculo, & quia subdit. *Non enim doctas fabulas, &c.* quasi, certò vobis credendum quod prædicamus, *& habemus firmiorem propheticum sermonem, &c.* quia suprà dixerat, *proptèr quod, &c.* vers. 12. &, *iustum autèm arbitròr, &c.* vers. 13. hæc enim verba pòst illa sequentia iuxtà illa intelligenda; & hinc colligitur hanc scribi ad Hebræos tantùm, qui in Scripturis versabantur, & quia scopus principalis est, vt horum memoriam faciant, & tota phrasis directa in eos, ad quos scribit, non ad se, & infrà cap. 3. in princip. magis hæc apparent, in quibus vestram excito, &c. vt magìs memores sitis, &c. sic Paulus. Act. 20. 31. Iudas. vers. 17. & Paulus etiàm aiebat se morti vicinum. 2. Timot. 4. 6. proùt hic Petrus. Insupèr sicùt non affirmasset verbo se certò ad cælum euolaturũ, quod nec Paulus, ità nequè hoc modo & per Epistolas. Et si qui hinc abituri dixerunt se rogaturos pro remanentibus, intelligendi si salui essent, proùt sperabant. *Non enim doctas fabulas secuti*, proùt solent hystriones, *notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem*, potentiam, miracula, præsertim in suscitatione sui ipsius: resurrectio enim erat principalitèr annuncianda. Acto. 1. *& præsentiam*, aduentum, & habitationem in mundo: dicit enim Ioannes Antichristum negantem Dominum aduenisse. Idem Ioan. 1. habitauit in nobis (eccè aduentus, seù præsentia) & vidimus gloriam eius, &c. (eccè virtus, seù miracula.) & 1. Ioan. 1. quod fuit ab initio, &c. At verbum, *præsentiam*, non potest importare aduentum secundum, quia præsupponit vel præteritam, vel præsentem, non futuram; & sicùt verbum, *uirtutem*, præterita innuit, sic verbum, *præsentiam*, illi annexum: *sed speculatores facti illius magnitudinis*, quam gloriam dixit Ioannes. cap. 1. *Accipiens enim à Deo patre honorem, & gloriam, uoce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria* essentiali Dei Patris: *Hic est Filius meus dilectus* naturalis, *in quo mihi complacui*, mihi gratissimo, *ipsum audite*, obedite illi. *Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto*, in trans figuratione, de qua vide in Euangelijs. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem; firmiorẽ* dixit respectu Hebræorum, ad quos scribebat: illo enim magis ipsi persuadebantur ad fidem: ideò subiungit: *cui benefacitis attendentes*, & respiciens ad eorum imbecillitatem, *quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco donèc dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris*, donèc magìs illuminemini in hac vita; hic enim necessaria illuminatio, cum in ænigmate, non in cælo, vbi clara luce videbimus: tùnc enim maiorem fidem dictis nostris adhibebitis,

bitis,

bitis; ideò & ad tempus loquitur, *donèc dies elucescat, &c.* Vel, *habemus firmiorem, &c.* quia verificatio prophetiarum magìs ostendit veritatem. Vel, *firmiorem*, quia non curat Petrus sibi credi, vel non, dummodò Christi fides ab eis assumatur, vel in eis perseuerēt vndequaquè ducti, proùt Paulus non curans quomodò, vel à quibus prædicaretur Christus, dummodò annunciaretur. Phil. 1.12. cum seqq. sic nec Christus prohiberi voluit in nomine suo dæmonia eijcientes, nec Moyses prophetantes in castris; Vndè quod Paulus de enunciantibus, Petrus de rationibus, quibus ad credendum moucrentur. Et verè tùm Christus, tùm Apostoli ad Scripturarū lectionem sempèr inuitauerunt, in quibus Christus cognosceretur; scrutamini Scripturas: de me enim illæ loquuntur: *hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione*, seù intellectu *non fit*. *Non enim voluntate humana allata est aliquandò prophetia: sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines:* cum ergò à Spiritu sancto, ideò firmior, & tutior.



CAPVT II.

1 *VERVNT verò & pseudoprophetæ in populo, sicùt*
& in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent se-
ctas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant:
2 *superducentes sibi celerem perditionem.* * *Et multi sequen-*
tur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabi-
3 *tur:* * *& in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur:*
quibus iudicium iàm olim non cessat: & perditio eorum
4 *non dormitat.* * *Si enìm Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus in-*
5 *ferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.* * *Et ori-*
ginali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit, dilu-
6 *uium mundo impiorum inducens.* * *Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæo-*
rum in cinerem redigens, euersione damnauit: exemplum eorum, qui impie actu-
7 *ri sunt, ponens:* * *& iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa*
8 *conuersatione eripuit:* * *aspectu enim, & auditu iustus erat: habitans apud eos,*
9 *qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* * *Nouit Domi-*
nus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos:
10 * *magìs autèm eos, qui pòst carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, do-*
minationemquè contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introdu-
11 *cere blasphemantes:* * *vbì angeli fortitudine, & virtute cum sint maiores, non*
12 *portant aduersùm se execrabile iudicium.* * *Hi verò velut irrationabilia peco-*
ra, naturalitèr in captionem, & in perniciem in his quæ ignorant blasphemán-
13 *tes in corruptione sua peribunt,* * *percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem*
existimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ delicijs affluentes, in con-
14 *uiuijs suis luxuriantes vobiscum,* * *oculos habentes plenos adulterij, & incessabi-*
lis delicti. Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaritia habentes,

15 *maledictionis filij: * derelinquentes rectam viam errauerunt, secuti viam Ba-*
16 *laam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit: * correptionem verò habuit suæ*
vesaniæ: subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ
17 *insipientiam. * Hi sunt fontes sinè aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, qui-*
18 *bus caligo tenebrarum reseruatur. * Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt*
in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersan-
19 *tur: * libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis: à quo enim quis*
20 *superatus est, huius & seruus est. * Si enim refugientes coinquinationes mundi*
in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursùs implicati su-
21 *perantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. * Meliùs enim erat illis*
non cognoscere viam iustitiæ, quàm pòst agnitionem retrorsùm conuerti ab eo,
22 *quod illis traditum est sancto mandato. * Contigit enim eis illud veri prouerbij:*
Canis reuersus ad suum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti.



VERVNT *verò & pseudoprophetæ in populo* Hebræo, & hàc de causa epistola ad hos scripta, *sicùt & in vobis erunt*, ergò non adhùc sunt, & sic non loquitur de existentibus Simonianis, vel alijs, sed futuris cum signis ab eo datis, de quibus & Paulus. 1. Timot. 4. 1. 2. Timot. 3. 1. & 4. 3. & Act. 20. 30. Iudæ 18. & quod dicitur alios Apostolos dicere de ijs, qui iàm comparuerant, ad eorum tempora referendum, proùt Ioan. 1. epist. 2. 2. & Iudæ, qui refert prædicatum fuisse ab alijs Apostolis. Paulus verò 2. Cor. 11. 13. de iudaizantibus in legalibus insistentibus, non in his flagitijs; nec potest stare Petrum ignorasse hos iàm alibi prodijsse, quos ipse dicit predituros, cum ex prophetia loquatur, cui id non accommodatur; *magistri mendaces*, filij diaboli patris mendacij, *qui introducent sectas perditionis*, perditas, reprobas, ad perditionem ducentes, *& eum, qui emit eos*; empti enim estis pretio magno, & suprà 1. Petr. 1. 18. *Dominum* Iesum *negant*, vel non venisse, vel non credentes: *superducentes sibi celerem*, subitam *perditionem*, in puncto ad inferna descendunt. *Et multi* obcœcati *sequentur eorum luxurias*, & infrà vers. 18. his enim alios corrumpunt, *per quos via veritatis*, Euangelij *blasphemabitur*, irridebitur: *& in auaritia*, ad summum, *fictis verbis*, in hypocrisi *de vobis negociabuntur*, vos affligent: *quibus iudicium*, condemnatio *iàm olim* comminata *non cessat*, quotidiè perficitur: *& perditio eorum non dormitat*, imò currit, citò disperdentur, vult dicere Apostolus: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit*; sic Paulus, Heb. 2. 2. Si enim qui per Angelos, &c. *sed rudentibus* catenis *inferni detractos* è cælo *in tartarum tradidit cruciandos*, intellige de inferno, quia in illud certò aliqui transmissi, & sufficit in illis verificari dictum, & quia tandèm illic omnes cruciabuntur, & sic ad finem etiàm potuit respicere. Non dicas in aere, quia etsi in eo aliqui, tamèn verba hæc, rudentes, infernus, tartarum, & alia in eis non verificantur, nisi modo prædicto tùnc; & concordat Iudas. vers. 6. & Isaias cap. 14. 11. 15. *Detractos*, intellige à cælo. Ezech. 28. 12. 14. Oseæ 7. 12. quasi volucrem cæli detraham eos; non enim Angelis, proùt hominibus mutandus locus, nec tùnc erat cælum Empyreum locus Beatorum, sed destinatus; ideò non sequitur, si ibi creati, etiàm beati fuissent, nec peccare potuissent; nàm ibi fuerunt, sed non beati tùnc. Paulus in raptu ibi fuit, sed non beatus: si enim substantiæ separatæ videntur, vel non, iuxtà earum voluntatem, dixi Luc. 1. quantò magis Deus? Certè. Apoc. 12. vbi repræsentatur bellum illud, mentio est cæli, & propriè intelligimus de Empyreo. Prætereà quomodò dicemus

cemus impleri sedes Angelorum detractorũ per homines beatos, si illi è cælo Empyreo non detracti? Textus Isaiæ non est restringendus ad localia, seù vnum, vel alterum cælum, sed in genere superbiæ: volebat enim superbus transcendere locum assignatum sibi à Deo; Præterea Isaias litteralitèr loquitur de Rege Babylonis, ideò parùm stringeret etiàmsi eo modo intelligeretur; vndè dum dicit: quomodò cecidisti de cælo Lucifer, intelligit de cœlo, non in quo erat, sed quod expectabat ex superbia; proptereà subdit: qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam supèr astra Dei, &c. sed satis est nihil ibi dici de illius beatitudine, & sic ille textus parùm facit. Vndè dic, quòd cum Petrus non se explicet, sufficit dicere, à loco, in quo erant, detractos esse absquè vlla specificatione loci, seù cæli. *In iudicium seruari*, quia & hi iudicandi. Nescitis quoniàm Angelos iudicabimus? 1. Corinth. 6. 3. de dæmonibus enim interpretatus sum. *Et originali mundo non pepercit*; quasi, etiàm chariori, iuueni, quantò minùs seni, deficienti parcet? vocat originale antè diluuium. *Sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit*, saluauit in arca; septimus enim fuit Enoch præco iuxtà Iudam vers. 14. ab illo ad Noe nullus: tùnc enim fortè cœpta corruptio; ideò Enoch de iudicio agebat ad homines deterrendos à vijs malis; vndè octauum præconem hìc dicit Noe, non octauum saluum: quandò enim de salute octo animarum, dixit: in qua arca octo animæ saluæ sunt. 1. Petr. 3. 20. *diluuium mundo impiorum*, quem impij conspurcabant luxurijs, *inducens*. *Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit: exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens* ob oculos, vt quisque caueat: *& iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria* contrà se, & Angelos hospites, *ac luxuriosa conuersatione eripuit*, ne contaminaretur: *aspectu enim, & auditu*, facto, & fama *iustus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus* apparentibus *cruciabant*; hinc maior gloria Lot intèr iniquos, proùt de Iob dicit S. Gregorius. Ex verbis, *iustum, iustus erat, animam iustam*, tenui Lot verbotenùs offerentem filias non peccasse. *Nouit Dominus pios*, iustos *de tentatione eripere*, ne illis noceat: *iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos: magis autèm eos qui pòst carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant*; hoc dicit, vt ad quos scribit, impietatem, maximè carnalia abominentur, pietati hæreant; *dominationemquè contemnunt*, intelligo diuinam, tùm per excellentiam, tùm quia sic succedit in peccato incipere à minimis, & in maxima, seù profundum prolabi, tùm quia in epist. Iudæ idem videtur dici, & suprà, *Dominum negant*, & quia in omnibus hic de Domino, non de hominibus; *audaces, sibi placentes*, non Domino, *sectas* nouas *non metuunt introducere blasphemantes* viã veritatis Euangelicæ, diuinæ. suprà vers. 2. *vbi*, quandò *Angeli fortitudine*, robore, *& virtute*, potentia, *cum sint maiores, non portant*, non ferunt *aduersùm se* in alios malos Angelos *execrabile iudicium* blasphemiæ, vt in epist. Iudæ. vers. 9. 10. Zach. 3. 2. is videtur mihi intellectus aptior præcedentibus, vt excludatur alius de pœna dæmonum, & dicto, quod non conuenit dæmonibus, nempè fortitudo, virtus, maioritas, pax, sed solùm vltimum, *execrabile iudicium*, vt dæmones comprehendi non possint. *Hi verò velut irrationabilia pecora*, quibus non est intellectus, *naturalitèr in captionem, & in perniciem in his, quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua*, in peccato *peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ*, quam operantur, *voluptatem existimantes diei delicias*, quasi licitas, proùt diurna opera, in quibus non solemus offendere: *coinquinationes, & maculæ delicijs affluentes, in conuiuijs suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterij*, luxuriosos, *& incessabilis delicti*. *Pellicientes animas instabiles*, parùm firmas in fide, *cor exercitatum auaritia habentes*, ad lucra inhiantes, *maledictionis filij*, filij maledicti: *derelinquentes rectam viam errauerunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis*, iniquam dando consilium ponendi scãdalum antè filios Israel, *amauit: correptionem verò habuit suæ vesaniæ:*

saniæ: subiugale mutum animal, asina, *hominis voce loquens, prohibuit Propheta insipientiam*, vel asinam percutientis, vel ad maledicendum properantis. *Hi sunt fontes sinè aqua* inutiles, & vani, *& nebulæ turbinibus exagitatæ* hàc, illàc discurrentes, *quibus caligo tenebrarum reseruatur* in inferno. *Superba enim vanitatis,* idest, vana *loquentes, pelliciunt,* trahunt *in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt,* diuertunt à via veritatis: præsupponit enim priùs conuersos, aliàs nō diceret (*effugiunt:*) *qui in errore* eorum *conuersantur,* ex qua conuersatione cadunt, vndè posteà de his: *si enim refugientes, &c. libertatem illis promittentes,* eos à malo euasuros, *cum ipsi serui sint corruptionis: à quo enim quis superatus est, huius & seruus est,* vndè hæc promittere non possunt: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi* habenda, *his rursùs implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus* ob recidiuationem. *Meliùs enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ,* primò, *quàm post agnitionem retrorsùm conuerti ab eo; quod illis traditum est sancto mandato,* præcepto: nemo enim mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei. *Contigit enim eis illud veri prouerbij: canis reuersus ad suum vomitum: & sus lota in volutabro luti* reuersa. vide Adamum.



CAPVT III.

1 *HANC eccè vobis, charissimi, secundam scribo epistolam,*
in quibus vestram excito in commonitione sinceram men-
2 *tem: * vt memores sitis eorum, quæ prædixi verborum à*
sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præcepto-
3 *rum Domini & Saluatoris. * hoc primum scientes, quòd*
venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxtà
4 *proprias concupiscentias ambulantes, * dicentes: Vbi est*
promissio, aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseue-
5 *rant ab initio creaturæ. * Latet enim eos hoc volentes, quòd cæli erant prius, &*
6 *terra, de aqua, & per aquam consistens Dei verbo: * per quæ, ille tùnc mundus*
7 *aqua inundatus perijt. * Cæli autèm, qui nùnc sunt, & terra eodèm verbo re-*
positi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.
8 ** Vnum verò hoc non lateat vos, charissimi, quia vnus dies apud Dominum,*
9 *sicùt mille anni, & mille anni sicùt dies vnus. * Non tardat Dominus promis-*
sionem suam, sicùt quidam existimant: sed patientèr agit proptèr vos, nolens ali-
10 *quos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. * Adueniet autèm dies Domini vt*
fur: in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra
11 *autèm & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. * Cum igitur hæc omnia dissoluen-*
12 *da sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus, * ex-*
pectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes sol-
13 *uentur, & elementa ignis ardore tabescent? * Nouos verò cælos, & nouam ter-*
14 *ram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat. * Proptèr*
quod

quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri
15 *in pace.* * *& Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: sicut & cha-*
rissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis,
16 * *sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam dif-*
ficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scriptu-
17 *ras, ad suam ipsorum perditionem.* * *Vos igitur fratres præscientes custodite, ne*
18 *insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.* * *crescite verò in gra-*
tia, & in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi. Ipsi gloria &
nunc, & in diem æternitatis. Amen.



ANC eccè vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus (amplectitur hìc & primam: vndè parua distantia fuit temporis intèr primam & secundam: non enim sic diceret de prima quasi de recenti, & quia de eadem materia in ambabus agit) epistolis *vestram excito in commonitione sinceram mentem*, vos moneo: *vt memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum à sanctis Prophetis desumptorum, & Apostolorum vestrorum*, qui vobis euangelizauerunt, *& præceptorum Domini, & Saluatoris* Iesu Christi. *hoc primum*, principale *scientes quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxtà proprias concupiscentias ambulantes;* sic Paulus in ep. ad Timot. & de his etiàm suprà cap. 2. vbi dictum; & dicendo, *in nouissimis diebus*, capit omnia tempora vsquè ad diem iudicij, & manifestat epistola Iudæ, cuius tempore iàm comparuerant: *dicentes: Vbi est promissio* regni, beatitudinis, *aut aduentus eius* ad iudicium? quod minabamini? *Ex quo enim Patres* antiqui *dormierunt*, mortui sunt, *omnia sic perseuerant ab initio creaturæ*, idest, creationis mũdi; vndè nihil timendum. *Latet enim eos hoc volentes*, data opera, *quòd cæli erant priùs* ex prima materia, & informi facti. Gen. 1. 7. clarè, & quandò quid non ex prima materia, sed ex elementis distinctis, vt ex aqua, vel terra, exprimitur. Benè verum est quòd in Genesi est mentio sola de cælo sub nomine firmamenti, vndè de Empyreo superiori nihil expressum, seù explicitum, etsi aliqui velint comprehendi sub primis verbis: creauit Deus cælum, & terram. & cap. 2. 1. igitur perfecti sunt cæli, & terra, quod tamèn non placet, vt ibi dixi. Si dicis, cæli sunt incorruptibiles, ergò non ex prima materia corruptibili. respondeo, cum dicantur conditi in illis sex diebus. Gen. 1. necessariò ex prima materia, imò clarè hoc in secunda die, dum dicitur: fiat firmamentum in medio aquarum, & ibi dictum; at qui fecit illam, potuit & communicare incorruptibilitatem cælis. *Et terra, de aqua* subtracta, cum iussum fuit fieri separationem. Gen. 1. *& per aquam consistens*, quia aliàs in puluerem redigeretur, *Dei verbo*, qui sic dixit, & factum est: *per quæ*, cælum, & terram, *ille tùnc mundus* primus originalis *aqua* à cælo demissa, & à terra exorta totus *inundatus periÿt*, vt & suprà cap. 2. 5. Sed quà tendit Petrus ex hoc modo loquendi? dicebat illusores dicturos omnia sic perseuerare ab initio creationis, ostendit ex his omnia immutata, quia primò prima materia, deindè cæli, *mundus* originalis aquis *inundatus periÿt*; cælum, & terra reseruati ad ignem, & sic omnia mutanda: vndè subdit ad idem. *Cæli autèm, qui nùnc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum*, & ex his collige etiàm cælos igne vrendos. *Vnum verò hoc non lateat vos, charissimi, quia vnus dies apud Dominum sicùt mille anni, & mille anni sicùt dies vnus:* quasi, quod apud homines diuturnum, vel breue, non sic apud Deum, diuersa est eius mensura. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicùt quidam existi-*

existimant impatientes moræ: dicebant enim, vbi est promissio? Sed in tempore ei placito, in plenitudine temporis reddit, opportunitatem temporum obseruat, vbi nullum remedium tunc apparet: *sed patienter agit* in pœnis inferendis *proptèr vos, nolens* quantum in se est *aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*, ideò expectat. *Adueniet autèm dies Domini vt fur*, inexpectatus, improuisus; dies Domini magnus. Sophon. 1. 14. quia Deus verax. De termino 45. dierum pòst mortem Antichristi, in Apocal. An de die, aut nocte futurum iudicium, absurda disputatio, cum tunc cælum nouum, terra noua, nullus motus, dies sempèr. Isa. 30. 26. 60. 20. Apoc. 10. 7. Rom. 8. 21. Iob. 26. 10. Vndè quandò de nocte dicitur, id fit ad denotandum improuisum aduentum, non tempus, idest, diem, vel noctem: *in quo dic cæli magno impetu transient*. An omnes cæli, vel aereum tantùm, magna difficultas. Videtur Petrus intelligere de aereis, quia aqua eos tantùm tetigit, quos dicit igni reseruatos. At in contrarium videtur, quòd cum omnes cæli ex prima materia (ex qua & quattuor elementa compacta) formati sint. Gen. 1. & elementa omnia calore soluenda, intèr quæ aquæ, quæ supèr conuexum firmamenti sunt. Genes. 1. infrà Empyreum, & omnis creatura renouationem expectet. Rom. 8. & id fiat in homine ex eisdem elementis compacto, quibusuis cælis excellentiore, & ipsi transituri, & soluendi; & Iob. 14. 13. sic homo cum dormierit, non resurget, donèc atterratur cælum, non euigilabit, nec consurget de somno suo. & Dauid: ipsi peribunt, tu autèm permanes, & sicùt vestimentum veterascent, & sicùt opertorium mutabis eos, & mutabuntur; sic Augustin. de Ciuit. Dei, lib. 21. cap. 24. & si erunt signa in Sole, Luna, & Stellis, si virtutes cælorum commouebuntur, si cælum plicandum vt liber, si cæli non influent, ergò & hi passuri, & consequentèr renouandi, transituri, soluendi per ignem; substantiam tamèn omnium cælorum, & elementorum permansuram dicas, proùt hìc alij communitèr, & Rup. Abb. in Gen. lib. 1. cap. 28. proùt & in homine suscitando, Iob: rursum circundabor pelle mea: oculi mei cōspecturi sunt, &c. facit, lucem Solis, & Lunæ augendam. Isa. 3. 20. quod verè credo faciendum, cum omnia renouanda: quæ tamèn renouatio non videtur in sola cessatione motus consistere; nàm cessatio motus præcedet conflagrationem, vt in Apoc. cap. 6. Quid autèm de cælo Empyreo? videretur idem, quia & illud de prima materia, vt in Genesi dixi. At contrà, quia videtur factum, vt non indigeat renouatione; non seruit mundo, proùt alij, & non influit in nos, nisi mediatè. S. Thom. 1. p. q. 66. art. 3. ità vt optet, proùt alia creatura, liberari à seruitute. Rom. 8. Ad id, quod ex Petro dicebatur, respondetur ibì dixisse de illis reseruatis, quia de illis solis erat sermo ab aqua intinctis, non alijs, ad quos nō peruenerat, & in hoc vers. 10. agere de omnibus cælis; vltrà quòd argumentum est satis infirmum. Aqua non tetigit alios cælos, sed aereos tantùm, ergò nequè ignis tanget alios, sed tantùm aereos; & licèt verbum plurale hic posset ad aereum (quod sub nomine cælorum dicitur sæpè) accommodari, tamèn ex prædictis in hac materia non videtur aptari restrictio, & sub plurali. Isa. 65. 17. 66. 22. hic vers. 13. Apocal. 21. in singulari, sed non potest capi de aereo, quia cum aer sit elementum, & de elementis agat particularitèr, vtiquè sub verbo, cælorum, non comprehendit aereum, quod est elementum. Facit quod Paulus dicit, totam creaturam anhelare ad immutationem: Rom. 8. Si dicis, alij cæli pratèr aereum incorruptibiles, ideò ignis in illos non aget. Respondeo, Deum non alligari rationibus philosophicis, & Petrum clarè dicere: *cæli magno impetu transient, cæli ardentes soluentur*, & per Dominum, fortè ad has ambages tollendas, nec repugnat potentiæ Dei, qui sicùt illos fecit incorruptibiles, non ex se tales, eosdem etiàm ad renouationem traducere potest; & certum est etiàm nouos cælos apparituros, vt hìc per Petrum, Ioannem in Apocal. & Isaiam, & ignem in animas, & substantias spirituales agere diuinà virtute, quod est magnum simile; dissolutio ergò non fiet naturalitèr, sed supernaturalitèr,

&Deus

& Deus abstulit naturam ignis, ne noceret pueris, quam eidem reddidit, vt adstantes concremaret, & aquas continuit in Iordane, & in mari rubro, ne populo suo transeunti nocerent, & rursùs in naturam suam dimisit ad obruendos Aegyptios. Sed ad Scholasticos. De paradiso terrestri idem dicas: nàm vltrà quòd est terra, & elementa omnia soluentur, absquè dubio fiet renouatio purior, quam ab illo tolleres; quòd autèm adhùc extet, vide scripta per me in Apoc. ***Elementa verò calore ignis soluentur, terra autèm, & quæ in ipsa sunt opera***, & cadauera, ***exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus***, nihil curantes caduca hæc, ***expectantes, & properantes in aduentum diei Domini*** illi occursuri antè iudicium. 1. Thes. 4. 16. ***per quem*** Dominum in eo die ***cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent?*** firma vtrorumque substantia secundùm aliquos: verba enim, ***soluentur***: &, ***tabescent***, non pertingunt ad substantiam, vt hìc per alios. Sed cur Deus has creaturas in mũdo renouat? vt his oblectentur Sancti, quia his vsi & illi, & Christus ipse, & quia ex illis sempèr apparebit potentia, & maiestas Dei, & quia & infrà terram conseruanda loca damnatorum, & quia nihil eorum, quæ produxit Deus, in nihilum redigit; vndè Eccl. 3. dicitur: omnia opera Dei perseuerant in perpetuum, sed vide Molinam in Gen. At conflagratio præcedit iudicium, etsi Aug. de Ciuit. Dei, lib. 21. cap. 16. teneat fieri pòst condemnationem reorum: si enim corpora, seù cadauera in iudicio comparitura exurenda, & incinerãda igne immittendo; quomodò postponis conflagrationem, si præcessurus ignis antè Iudicem? quomodò vis subsequi? opinio non videtur tuta, proùt & illa aliquos non morituros, si Christus caput mortuus, si statutum est hominibus semèl mori nemine excepto, & corruptibile hoc debet priùs corrumpi, vt ad incorruptibilitatem perueniat, quomodò aliqui non morituri? Imò renouatio creaturæ fiet eodem instãti, quo resurrectio corporum nostrorum, vel saltèm antè iudicium; si enim creatura hanc nostram resurrectionem expectat, vt liberetur à corruptione. Rom. 8. cur illam differs pòst iudicium? expectatio est ad certum tempus, & actum, illis succedentibus non differetur renouatio, quia ampliùs non est locus expectationi; imò Paulus vnit expectationem nostram cum expectatione creaturæ, dicens vers. 23. non solùm autèm illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intrà nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri, vnitorum verò idem iudicium, eadem determinatio. Si Iudex venturus cum maiestate, & gloria, Angelis, nube, tubis, si cælum tùnc euacuandum, si occursuri hinc Sancti in nubibus in aera. 1. Thess. 4. 16. quomodò venturus in mundum igne combustum, obtenebratum absquè Solis, Lunæ, astrorum lumine in turpem faciem rerum deploratarum pòst combustionem? non congruit hoc cum maiestate, qua venturus, & excipiendus est, nec cum principio creationis, in quo lux ab eo creata ad illuminandum tenebras. Gen. 1. 2. Cor. 4. 6. Deus, qui dixit, iussit de tenebris lucem splendescere; danda igitur præcedens renouatio mundi; Si fit renouatio vnius rami, qui est natura humana, cur non radicis eodem tempore, quæ sunt elementa, ex quibus rami seù homines? Si Paulus dicit: præterit figura huius mundi: si Petrus, ***cæli transient***, innuunt subsequi illicò renouationem. Si Paulus certam facit renouationem nostram ex resurrectione Christi. 1. Cor. 15. cur non ex resurrectione nostra renouationem creaturæ? Dices, illam Christi cũ nostra differre tempore, at in hoc non potest dari differentia, quia secuta nostra, non erit ampliùs tempus, sed finis omnium. 1. Cor. 15. 24. Apoc. 10. 7. Si Ioannes Apoc. 21. dicit, vidi cælum nouum, & terram nouam: Petrus infrà vers. 13. ***nouos verò cælos, & nouam terram expectamus***. Isa. 65. 17. 66. 21. qui omnes loquuntur de successuris in tempore, non pòst tempus, qui status erit pòst iudicium; tempus non erit ampliùs, dicit Ioannes Apoc. 10. 7. quomodò pòst iudicium renouatio? Si nubes, si aera ex Paulo antè iudicium. 1. Thes. 4. 16. ergò noua, quia prima ex conflagratione abitura. Si differtur resurrectio vniuersalis, vt omnium elementorum fiat

vna

vna vice purgatio, cum & ex illis constet homo, vt dixi ad Heb. 11. cur non & simùl renouatio? Si erit lux Lunæ sicùt lux Solis, & lux Solis erit septemplicitèr sicùt lux septē dierum in die, qua alligauerit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit. Isa. 30. 26. ergò in eadem, qua interfectio, renouatio. Si pòst iudicium finis. 1. Cor. 15. quando dabitur renouatio, si illam pòst iudicium reseruas? At clarum videtur ex verbis Petri. Act. 3. 20. vt cum venerint tempora refrigerij à conspectu Domini, & miserit eum, qui prædicatus est vobis, Iesum Christum, quia oportet quidèm cælum suscipere vsquè in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorum à sæculo Prophetarum. & sic antequàm ad iudicium veniat, ergò antè innouatio: prophetiæ enim antè verificandæ, non pòst iudicium. Christus dicit, in regeneratione, idest, (sic enìm interpretor) in renouatione, recreatione totius creaturæ, quæ renouationem expectat. Rom. 8. cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ. Matth. 19. 28. ergò antè iudicium fiet, quia præsupponit illam antè illud. Vltimò non est præsumendum mundum conflagratione purgatum staturū in suspenso. Dices, ne damnati videant tantam rerum pulchritudinem; at corpora habebunt adeò tenebrosa, vt fortè illam non sint, vel difficultèr visuri. sed concedamus illam visuros esse, idnè erit ad delectationem? minimè: nàm magis vexabuntur, & tabescent, cognoscentes quibus bonis priuentur, dicentquè: si talis terra, quale cælum? sic anguntur ex visione iustorum; hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, &c. Sed nonnè visuri Christum quauis terra, & cælo pulchriorem? & corpora beatorum Solem in splendore excedentia? quomodò ergò neganda eis alia visio minor? at id erit ad maiorem pœnam. Verùm retardandane proptèr iniquos electis seruis Dei renouatio creaturarum? & id etiàm inconuenit. verba autèm Soph. cap. 1. 14. prolata sunt proptèr damnatos; Vndè resoluendum fieri innouationem creaturę antè iudicium vniuersale. ***Nouos verò cælos, & nouam terram*** materialia; is litteralis sensus, sed sub his mysticus, beatitudinem, ideò ***secundùm promissa ipsius expectamus:*** beatitudo enim, & regnum cælorum promissa, sic & Heb. 4. 1. ne relicta pollicitatione introeundi in requiem eius; & 1. Io. 2. 25. hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam, & Ioan. 6. & suprà vers. 4. vbì est promissio; & vers. 9. non tardat Dominus promissionem, & Apoc. 21. & 22. Isa. 66. 66. ***in quibus iustitia habitat***, pax perpetua, omnis virtus sub verbo iustitiæ, omne bonum, vt in Apoc. & Isa. hinc subdit: ***Proptèr quod charissimi hæc expectantes***, cælestia, præmium, mercedem, beatitudinem, ***satagite immaculati, & inuiolati ei*** Deo ***inueniri in pace***, fruituri. Apoc. 20. quæ pax habetur cum Deo ex munditia, & puritate, quia illùc non intrabit quidquam coinquinatum. Apoc. 21. 27. Vel dicas agi hìc de beatitudine, vt dixi, etiàm in sensu vero vtì de cælis materialibus: nàm non reassumit nisi cælos, & terram illam mitibus promissam, & concordant sequentia, ***secundùm promissa ipsius, in quibus iustitia.*** iustus ipse Deus, obseruans, fidelis ***habitat***; quis sicut Dominus Deus noster, qui in cælis habitat? ***& Domini nostri longanimitatem*** expectationem, ***salutem arbitremini*** vestram, vt puriores euadatis, non iuxtà illusores, ex hac inobseruantiam in Deo cōminiscentes, dicentesquè: vbì promissio, &c. ***sicùt & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam*** à Deo ***scripsit vobis*** Hebræis in particulari, vt tenui, aliàs alijs, ideò subdit, ***sicùt & in omnibus epistolis; loquens in eis de his***, quæ ego scribo, ***in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles*** recedentes à fide ***deprauant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur fratres præscientes*** hæc à me moniti ***custodite, ne insipientium*** illorum ***errore traducti***, decepti ***excidatis à propria firmitate*** fidei. ***crescite verò in gratia*** ex bonis operibus: datur enim augmentum, ***& in cognitione Domini Nostri, & Saluatoris Iesu Christi***, de qua in primo cap. ***Ipsi gloria & nùnc, & vsquè in diem æternitatis. Amen.***

IN EPISTOLAM IOANNIS PRIMAM.

CAPVT PRIMVM.

1 *QVOD fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus
oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ con-
2 trectauerunt de verbo vitæ: * & vita manifesta est,
& vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vi-
tam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis:
3 * quod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis, vt
& vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra
4 sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo. * Et hæc scribimus vobis vt
5 gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum. * Et hæc est annunciatio, quam
audiuimus ab eo, & annunciamus vobis: Quoniàm Deus lux est, & tenebræ
6 in eo non sunt vllæ. * Si dixerimus quoniàm societatem habemus cum eo, &
7 in tenebris ambulamus; mentimur, & veritatem non facimus. * Si autèm
in luce ambulamus sicùt & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicèm, &
8 sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato. * Si dixerimus
quoniàm peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est
9 * Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, & iustus, vt remittat nobis pecca-
10 ta nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. * Si dixerimus quoniàm non pec-
cauimus: mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.*

QVOD *fuit ab initio* creaturæ, erat antè creaturam, & sic æternum, quia antè initium illud sola æternitas, vt dixi in princ. Euang. Io. & Gen. *quod audiuimus* ab eo, quod clarè infrà, *quod vidimus oculis nostris*, non ex aliorum auditu, aut visu, *quod perspeximus*, quasi, non per transennam, aut ictum oculi, sed oculis infixis, *& manus nostræ contrectauerunt*, palpauimus, ità vt nullo modo decipi potuerimus, *de verbo vitæ*, Filio Dei vitam continente independentèr, per quod viuimus, mouemur, & sumus; in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & hanc venit daturus. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant: *& vita manifestata est*: nàm sic se manifestauit, certum est id, & indubitatum, *& vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam* hanc

scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis: quia tenebræ transierunt,
9 *& verum lumen iàm lucet. * Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit,*
10 *in tenebris est vsquè adhùc. * Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, &*
11 *scandalum in eo non est. * Qui autèm odit fratrem suum, in tenebris est, &*
in tenebris ambulat, & nescit quo eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.
12 ** Scribo vobis, filioli, quoniàm remittuntur vobis peccata proptèr nomen eius.*
13 ** Scribo vobis patres, quoniàm cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis*
14 *adolescentes, quoniàm vicistis malignùm. * Scribo vobis infantes, quoniàm*
cognouistis patrem. Scribo vobis iuuentes, quoniàm fortes estis, & verbum Dei
15 *manet in vobis, & vicistis malignum. * Nolite diligere mundum, nequè ea,*
quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo:
16 ** quoniàm omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia*
17 *oculorum, & superbia vitæ: quæ nòn est ex Patre, sed ex mundo est. * Et mundus transit, & concupiscentia eius. Qui autèm facit voluntatem Dei, manet*
18 *in æternum. * Filioli, nouissima hora est: & sicùt audistis quia Antichristus*
venit: & nùnc Antichristi multi facti sunt; vndè scimus, quia nouissima
19 *hora est. * Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. nàm, si fuissent ex nobis, permansissent vtiquè nobiscum: sed vt manifesti sint, quoniàm non sunt*
20 *omnes ex nobis. * Sed vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.*
21 ** Non scripsi vobis quasi ignorantibùs veritatem, sed quasi scientibus eam: &*
22 *quoniàm omne mendacium ex veritate non est. * Quis est mendax, nisi is,*
qui negat quoniàm Iesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem,
23 *& Filium. * Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet. qui confitetur Fi-*
24 *lium, & Patrem habet. * Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat:*
Si in vobis permanserit quod audistis ab initio, & vos in Filio, & Patre
25 *manebitis. * Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æter-*
26 *nam. * Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos. * Et vos vnctionem,*
27 *quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis vt aliquis do-*
ceat vos: sed sicùt vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est
28 *mendacium. Et sicùt docuit vos: manete in eo. * Et nùnc filioli manete in eo:*
29 *vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu*
*eius. * Si scitis quoniàm iustus est, scitote quoniàm & omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est.*




ILIOLI *mei, hæc scribo uobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccauerit,* (dat remedium) *aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum*, quem Paulus in epist. ad Heb. facit Pontificem adhuc pro nobis interpellantem. cap. 4. 5. 6. 25. & 9. & ferè per tot. epist. *Iustum*, dicas veracem, obseruantem; sic suprà cap. 1. 9. promisit enim officio hoc functurum apud Patrem. Io. 16. 26. *Et ipse est propritiatio pro peccatis nostris*, illorum, ad quos scribit, & suis: *non pro nostris autèm tantùm, sed & pro* peccatis *totius mundi*. Io. 11. 50. 52. *Et in hoc scimus quoniàm cognouimus eum, si*

mandata eius obseruemus*.** suprà in 1. cap. dixerat de societate, nùnc quomodò cognoscatur ex obseruantia mandatorum, quæ ex charitate, qua in eum ferimur, nascitur: sed *scimus*, non certitudinalitèr, sed verisimilitèr: nàm nemo certus. Sed quæ mandata eius? charitas. mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicèm, & quòd intelligat hoc Ioannes, subdit infrà: ***charissimi, &c. vers. 7. ***Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est;*** hinc Christus: qui diligit me, mandata mea seruabit. ***Qui autèm seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est:*** illum enim reueretur sic obseruando: ***& in hoc scimus quoniàm in ipso sumus***, ei grati, & placentes, & sociati cum illo. ***Qui dicit se in ipso manere, debet, sicùt ille ambulauit, & ipse ambulare:*** in exemplar enim datum est nobis, quod sequamur; ideò Matt. 16. 24. si quis vult venire pòst me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me; sic Abimelechi, & Gedeonis milites. ***Charissimi, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio***, quo conuersi estis; sic & infrà cap. 3. 11. explicat. ***Mandatum vetus est verbum, quod audistis. Iterum mandatum nouum scribo vobis, quod verum est***, quod verificatur, apparet, ***& in ipso*** Christo, qui animam suam posuit pro nobis, qua nulla maior charitas, ***& in vobis***, qui in charitate manetis: ***quia tenebræ transierunt, & verum lumen iàm lucet;*** & Io. 1. lux in tenebris lucet; tenebræ ergò transierunt; ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris. Vel, ***tenebræ transierunt*** ignorantiæ, peccati per Christum deleti, ***& verum lumen scientiæ iàm lucet:*** illuminauit enim Dominus omnia, sed præsertìm legem antiquam in hoc præcepto charitatis. Audistis quia dictum est antiquis, &c. deindè subdit quis in luce, vel tenebris. ***Qui dicit se in luce esse*** cognitionis, ***& fratrem suum odit, in tenebris est usquè adhùc*** contrà suam opinionem. ***Qui diligit fratrem suum, in lumine***, quod à Deo recepit, ***manet***, persistit, ***& scandalum*** vllum ***in eo non est. Qui autèm odit fratrem suum, in tenebris est*** peccati, ***& in tenebris ambulat***, dum sic perseuerat, ***& nescit quò eat*** ignorans: ***quia tenebræ*** ignorãtiæ ***obcæcauerunt oculos eius. Scribo uobis, filioli, quoniàm remittuntur uobis peccata proptèr nomen eius*** Christi. ***Scribo uobis Patres, quoniàm cognouistis eum, qui ab initio est***, in æternitate est. ***Scribo uobis adolescentes quoniàm uicistis malignum***, diabolum: ***Scribo uobis infantes, quoniam cognouistis Patrem.*** hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quẽ misisti Iesum Christum. ***Scribo uobis iuuenes, quoniàm fortes estis*** in fide, ***& uerbum Dei manet in uobis*** stabile, ***& uicistis malignum***, diabolum. ***Nolite diligere mundum, nequè ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo: quoniàm omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia uitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est;*** ex his firmatur, hæc sequentem Deum non diligere. ***Et mundus*** (ostendit hæc non sequenda) ***transit, & concupiscentia eius;*** sic Paulus: præterit figura huius mundi. ***Qui autèm facit uoluntatem Dei, manet in æternum*** gloriosus: vult dicere, dimittite ergò fluxa illa, & sequimini æterna. ***Filioli, nouissima hora est***, nouissima tempora vsquè ad iudicium: ***& sicut audistis, quia Antichristus venit***, operans iniquitatem iuxtà Paulum: ***& nunc Antichristi multi facti sunt;*** sic Paulus, & Petrus dixerunt hos venturos illusores; ***vnde scimus, quia nouissima hora***, vltimum tempus ***est ex*** aduentu horum. ***Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis***, quia ficti, & fictionem finis declarauit: ***nàm, si fuissent ex nobis, permansissent vtiquè nobiscum: sed vt manifesti sint, quoniàm non sunt omnes ex nobis***, ideò discesserunt à nobis. ***Sed vos vnctionem habetis à sancto***, illustrationem à Spiritu sancto, ***& nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam***, quam audistis ab initio; de hac vnctione. Heb. 1. ***Et quoniam omne mendacium ex veritate non est***, quia imò illi contrariatur. ***Quis est mendax, nisi is, qui negat quoniàm Iesus est Christus?*** Messias? ***Hic*** sic negans ***est Antichristus*** contrarius Christo, ***qui negat Patrem, & Filium***, Deum non recognoscit. ***Omnis, qui***

negat

negat Filium, nec Patrem habet. qui confitetur Filium & Patrem habet: Pater enim, & Filius vnum sunt. Io. 17. *Vos quod audistis ab initio* conuersionis, *in vobis permaneat;* sic Paulus & in epist. & habetur Apocalyp. 3. tene quod habes. *Si in vobis permanserit quod audistis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis:* de ambobus enim audistis. *Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam:* regnum enim cęlorum euangelizatum ab initio. *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos;* sic 2. Pet. 3. 13. vbi vide. *Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in uobis. Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos,* sic & Heb. 8. *sed sicut vnctio,* illustratio *eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos: manete in eo,* quod audistis. *Et nunc filioli manete in eo:* duplicat ad maiorem firmitatem. hæc omnia conformia. Heb. 8. 11. & non docebit vnusquisque proximum suum, &c. quoniam omnes scient à minore vsque ad maiorem eorum, &c. *Vt cum apparuerit in* morte, vel iudicio, *habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.* Vide Paulum 2. Cor. 5. *Si scitis quoniam iustus est, scitote quoniam & omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est,* quia ab eo omne bonum, & sine eo serui inutiles sumus.



CAPVT III.

1 *VIDETE qualem charitatem dedit nobis Pater, vt*
Filij Dei nominemur & simus. Proptèr hoc mundus non
2 *nouit nos: quia non nouit eum. * Charissimi, nùnc filij*
Dei sumus: & nondùm apparuit quid erimus. Scimus
quoniàm cum apparuerit, similes ei erimus: quoniàm vi-
3 *debimus eum sicutì est. * Et omnis, qui habet hanc spem*
4 *in eo, sanctificat se, sicùt & ille sanctus est. * Omnis,*
5 *qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas. * Et*
scitis quia ille apparuit vt peccata nostra tolleret: & peccatum in eo non est.
6 ** Omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eum,*
7 *nec cognouit eum. * Filioli nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est:*
8 *sicùt & ille iustus est. * Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniàm ab ini-*
tio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.
9 ** Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniàm semen ipsius in eo*
10 *manet, & non potest peccare, quoniàm ex Deo natus est. * In hoc manifesti*
sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui
11 *non diligit fratrem suum: * quoniàm hæc est annunciatio, quam audistis ab*
12 *initio, vt diligatis alterutrum. * Non sicùt Cain, qui ex maligno erat, & occidit*
fratrem suum. Et proptèr quid occidit eum? quoniàm opera eius maligna erant:
13 *fratris autèm eius iusta. * Nolite mirari fratres, si odit vos mundus. * Nos*
14 *scimus quoniàm translati sumus de mortem ad vitam, quoniàm diligimus fra-*
15 *tres. Qui non diligit, manet in morte. * omnis, qui odit fratrem suum, homi-*
cida est. Et scitis quoniàm omnis homicida non habet vitam æternam in se-


16 *metipso manentem.* * *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniàm ille animam*
17 *suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* * *Qui ha-*
buerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere,
18 *& clauserit viscera sua ab eo: quomodò charitas Dei manet in eo?* * *Filioli*
19 *mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* * *in hoc co-*
gnoscimus quoniàm ex veritate sumus: & in conspectu eius suadebimus corda
20 *nostra.* * *Quoniàm si reprehenderit nos cor nostrum: maior est Deus corde no-*
21 *stro, & nouit omnia.* * *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fidu-*
22 *ciam habemus ad Deum:* * *& quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quo-*
23 *niàm mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.* * *Et*
hoc est mandatum eius: Vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi: & dili-
24 *gamus alterutrum, sicùt dedit mandatum nobis.* * *Et qui seruat mandata eius,*
in illo manet: & ipse in eo: & in hoc scimus quoniàm manet in nobis de Spiri-
tu, quem dedit nobis.



IDETE *qualem charitatem*, qualem amoris affectum *dedit*, exhibuit, communicauit *nobis Pater, ut Filij Dei nominemur* per adoptionem, & in effectu *simus:* nàm si Filij, & hæredes, &c. similis phrasis. Ioan. 6. 16. sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret; & Rom. 5. 8. commendat autèm charitatem suam Deus, &c. sic Christus Petro confitenti: caro, & sanguis nòn reuelauit tibi, sed Pater meus cælestis, &c. Matth. 15. & ideò quàm grati esse debemus ergà illum, & operibus bonis exerceri. *Proptèr hoc,* quia sumus Filij Dei, quem nitimur imitari, *mundus* ab hac imitatione alienus, & in vitijs enutritus *non nouit nos: quia non nouit eum,* Deum Patrem: si enim illum cognosceret, & mandata eius seruaret, & nos æstimaret, & ex Patre tanto in notionem nostri erigeretur: habet enim suam perfectionem Deus, ex cuius cognitione mundus posset de nobis iudicare. Sed poterant dicere, quomodò hoc in nobis? ideò subdit: At nos, *Charissimi, nunc Filij Dei sumus:* dedit eis potestatem Filios Dei fieri. Io. 1. &, sed *nondum apparuit quid erimus:* apparitutum tantùm cum mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile incorruptionē. *Scimus quoniàm cum apparuerit*, scilicèt quid erimus: id enim repetendum, *similes ei* Deo *erimus*, nedum in anima, sed & in corpore dotibus Beatorum ornato, & ratio cur similes, *quoniàm uidebimus eum sicuti est*, visione beatifica, quantùm creaturæ licet: nisi enim hac similitudine ornaremur, sed in statu, quo versamur, consisteremus non resuscitati ad vitam, sed iudicium, non possemus illum videre sicutì est, eoquè frui, & glorificari. Aduerte hìc agi de resurrectione, & iudicio vniuersali, quia generalitèr, & indistinctè loquitur: dicit enim Paulus, cum Christus apparuerit vita vestra, tùnc & vos apparebitis cum ipso in gloria; &: Saluatorem expectamus Dominum nostrum, qui reformabit, &c. Itèm agit de gloria, seù visione beatifica, videbimus eum sicutì est; & in verbo, *apparuerit*, non videtur agi de Christo, vel Deo, sed quid erimus, vt dixi, vt fiat concatenatio ad proxima, & quia non possunt iungi hæc duo, *cum apparuerit:* &, *uidebimus:* nàm si de Deo, vel Christo intelligas, verba, *cum apparuerit*, vtiquè intelliges de his, quæ nobis confert apparendo; si sic, non ergò quasi tùnc à nobis videndus. Itèm hic agit de prædestinatis, non quibus scribit, non se, sed in genere: de apparituris enim in gloria sermo est. Infer ex prædictis, nimirum, si nùnc, cum ad statum

rum illum non peruenerimus, mundus nos non nouit, non magnifacit: nàm tunc dicit: Hi sunt, quos aliquandò habuimus in derisum, &c. *Et omnis* (dum Filius eius est: dixit enim, *nunc Filij Dei sumus*) *qui habet hanc spem in eo*, ductum iri ad visionem beatificam; *sanctificat se*, enititur ad maiora opera sanctitatis patranda, *sicut & ille sanctus est*: sancti estote, quia ego sanctus sum, dicit Dominus. *Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas*, distorsio à recto, iniustitia; è contrario peccantes à visione beatifica excluduntur. *Et scitis quia ille apparuit* in mundo, incarnatus est, *ut peccata nostra tolleret: & peccatum in eo non est*. probat peccantem non posse admitti ad visionem beatificam: nàm dixit suprà illos admitti, qui similes ei erunt; hi autèm sunt dissimiles, quia illi peccant, & ille non, imò venit peccatum destructurus. *Omnis qui in eo manet* dum in eo manet, *non peccat* mortalitèr: *& omnis, qui peccat, non uidit eum nec cognouit eum*, idest, de mundo est, non est ex parte Dei; sic suprà vers. 2. *mundus non nouit nos: quia non nouit eum*, non curat Deum, non illū imitatur, vel ei similis fieri non gestit. *Filioli, nemo vos seducat*, hac phrasi in omnibus ferè epistolis Paulus; vt autèm seductores cognoscant, subdit: *Qui facit iustitiam, iustus est*, ex operibus agnoscitur iustitia viri suprà cap. 2. 29. *qui facit iustitiam, iustus est, sicùt & ille iustus est*, ex ipso natus est. *Qui facit peccatum, ex diabolo est*: illum enim sequitur, & imitatur: *quoniàm ab initio diabolus peccat*; vtitur præsenti ad denotandam continuationem, & perpetuitatem peccati in diabolo. *In hoc apparuit*, incarnatus est *Filius Dei, vt dissoluat*, dissipet *opera diaboli*, quæ sunt peccata nos ligantia. *Omnis, qui natus est ex Deo*, dum in Deo manet vers. 6. *peccatum non facit: quoniàm semen ipsius* Dei, quæ est gratia, qua fouetur, & retinetur, *in eo*, in Deo manente *manet & non potest peccare, quoniàm ex Deo natus est*, dum in eo manet. *In hoc manifesti sunt Filij Dei, & filij diaboli. Omnis, qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum*: (quod præcepit Dominus) *quoniàm hæc est annunciatio, quam audistis ab initio* conuersionis vestræ, *vt diligatis alterutrum*. *Non sicùt Cain, qui ex maligno*, diabolo *erat, & occidit* ab eo tentatus *fratrem suum* Abel. *Et propter quid occidit eum? Quoniàm opera eius maligna erant: fratris autèm eius iusta*, & sic ex inuidia. Gen. 4. *Nolite mirari fratres, si odit vos mundus*. postquàm frater fratrem bonum occidit; *odit mundus* nedum eos, qui testimonium perhibent de illo, quòd opera eius mala sunt. Io. 7. 7. sed etiàm bonos simplicitèr, quia videt illos contrarios operibus suis. Sap. 2. 12. *Nos scimus* verisimilitèr *quoniàm translati sumus de morte* peccati *ad vitam* gratiæ, *quoniàm diligimus fratres*: charitas enim operatur remissionem, vt in Magdalena Christus; remittuntur ei peccata multa, quoniàm dilexit multùm. Non dicas, *scimus* certò, quia nec Apostoli certi, cum dicat Paulus: nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. *Qui non diligit*, proùt tenetur, *manet in morte: omnis, qui odit fratrem suum, homicida est*, quia peccatum in se est, animo occidit. *Et scitis quoniàm omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem*, quia iàm dixi manere in morte. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniàm ille animam suam pro nobis posuit* volens: *& nos* ad sui imitationem *debemus pro fratribus animas ponere*; docet quousquè protendatur dilectio nostra ad proximos, nempè vsquè ad mortem. *Qui habuerit substantiam huius mundi*, temporalem, *& viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodò charitas Dei manet in eo* non operante iuxtà præceptum Dei, nequè ad eius imitationem? hoc exemplo restringit præcedentem sententiam ad necessitatem, & alia requisita. *Filioli mei, non diligamus verbo, nequè lingua* solùm, *sed opere, & veritate*, reipsa, præbendo. *In hoc cognoscimus*, non certò, sed verisimilitèr *quoniam ex veritate*, Deo *sumus*, si opere, & veritate diligamus: *& in conspectu eius, suadebimus corda nostra*, non confundemur; hìc tamèn sempèr timor. 2. Cor. 5. *Quoniàm si reprehenderit nos cor nostrum*, si nobis de aliquo errore conscij simus, puta odio in proximum, vel lingua, & verbo

tantùm benefacimus, *maior est Deus corde nostro, & nouit omnia;* vndè ipsi celare non poterimus: excludit illos, qui putabant Deũ non posse videre an lingua, an opere benefacerent. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos* de aliquo delicto, *fiduciam habemus* cũ magna probabilitate *ad Deum: & quidquid petierimus* rectè, *accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coràm eo, facimus;* si vis ad vitam ingredi, serua mandata; si quis diligit me, mandata mea seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Et hoc est mandatum eius* principale: *Vt credamus in nomine Filij eius Iesu Christi;* hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: *& diligamus alterutrum, sicùt dedit mandatum nobis*, quod necessariò est obseruandum, vult dicere. *Et qui seruat mandata eius, in eo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu* charitatis, *quem dedit nobis*. Similis sententia: si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus; scientiam verò spiritus inhabitantis dic ex probabili coniectura.



CAPVT IV.



1 *HARISSIMI, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniàm multi pseudopro-*
2 *phetæ exierunt in mundum. * in hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in car-*
3 *ne venisse, ex Deo est: * & omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo au-*
4 *distis quoniàm venit, & nùnc iàm in mundo est. * Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum, quoniàm maior est qui in vobis est, quàm qui*
5 *in mundo. * Ipsi de mundo sunt: ideò de mundo loquuntur, & mundus eos audit.*
6 ** Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos: qui nõ est ex Deo, non audit nos:*
7 *in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & spiritũ erroris. * Charissimi, diligamus nos inuicèm: quia charitas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est,*
8 *& cognoscit Deum. * Qui non diligit, non nouit Deum: quoniàm* Deus *cha-*
9 *ritas est. * In hoc apparuit charitas* Dei *in nobis, quoniàm Filium suum vni-*
10 *genitum misit* Deus *in mundum, vt viuamus per eum. * In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus* Deum, *sed quoniàm ipse prior dilexit nos, & misit*
11 *Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. * Charissimi, si sic* Deus *dile-*
12 *xit nos: & nos debemus alterutrum diligere. * Deum nemo vidit vmquam. Si diligamus inuicèm, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.*
13 ** In hoc cognoscimus quoniàm in eo manemus, & ipse in nobis: quoniàm de*
14 *Spiritu suo dedit nobis. * Et nos vidimus & testificamur quoniàm Pater misit*
15 *filium suum Saluatorem mundi. * Quisquis confessus fuerit quoniàm Iesus est*
16 *filius* Dei, *Deus in eo manet, & ipse in Deo. * Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est: & qui manet*

in


17 *in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. * In hoc perfecta est charitas Dei*
nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia sicùt ille est, & nos su-
18 *mus in hoc mundo. * Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foràs mit-*
19 *tit timorem, quoniàm timor pænam habet. qui autèm timet, non est perfectus in*
20 *charitate. * Nos ergò diligamus Deum, quoniàm Deus prior dilexit nos. * Si*
quis dixerit, quoniàm diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui
enìm non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodò
21 *potest diligere? * Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, di-*
ligat & fratrem suum.



HARISSIMI, nolite omni spiritui credere, vos ad aliquid quasi bonū impellenti, *sed probate spiritus*, impulsus illos *si ex Deo sint: quoniàm multi pseudoprophetæ exierunt*, manifesti facti sunt, in mundum falsa seminantes, à quibus palàm vana effutientibus ad vos illaqueandos emanare possunt impulsus illi mali, seù sermones, doctrinæ. *in hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus*, sermo hominum, vel homines quasi in spiritu loquentes, *qui confitetur Iesum Christum in carne venisse* in mundum incarnatum esse, vel natum esse, *ex Deo est*, quia secundùm veritatem, quæ Deus est, loquitur: *& omnis spiritus*, sermo, *qui soluit Iesum*, negat Iesum in carne venisse, (illum enìm diuidit) *ex Deo non est*, quia mendax est, & mendacium non stat simùl cum Deo, *& hic* talis seminans *est Antichristus*, repræsentans venturum Antichristum in fine mundi, *de quo audistis quoniàm venit* in persona huius sic obloquentis, *& nùnc iàm in mundo est* per peruersorum dogmatum semina. Aduerte, sub typo spirituum intelligit homines, seù hominum sermones bonos, vel malos, veros, vel falsos, vt patet. *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum* se pro Antichristo gerentem, *quoniàm maior*, potentior *est qui in vobis est* Spiritus Dei, *quàm qui in mundo*, in mundanis, in impijs, seù in illo, qui ex mundo est. *Ipsi* pseudoprophetæ *de mundo sunt*, sectantur mundana: *ideò de mundo loquuntur* vana, corrumpentia, soluentia Iesum, *& mundus*, à quo gignuntur, *eos audit* libentèr: ideò à vobis vitandi, & fugiendi. *Nos ex Deo sumus*, ideò non annunciamus mundana, proùt illi: ex Deo esse dicit ex ijs, quæ annunciant, vt opponat vers. præcedenti de loquentibus quæ sunt mundi, & audiuntur à mundo. *Qui nouit Deum* cuius verba loquimur, *audit nos* aure, & facto obediendo: nàm beati qui audiunt, & custodiunt: *qui non est ex Deo*, sed mundo, *non audit nos*; sic Christus: Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis; *in hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris*, quem à Deo, quem à mundo, veram, & falsam doctrinam. *Charissimi, diligamus nos inuicèm:* hæc enìm tuta nota: *quia charitas*, amor, dilectio *ex Deo est*, qui illam in nobis creat. *Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est*, habet illum Patrem, *& cognoscit Deum*, quia dilectio acuit magis mentem nostram, vt in eum intendamus. *Qui non diligit, non nouit Deum: quoniam Deus charitas est* increata; vndè qui non habet charitatem, nō potest nosse eum; hoc sequitur ex præmissis: ostendit enim is longè abesse à notione Dei. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis*, quasi supèr omnia, *quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant; qui proprio etiàm Filio non pepercit, &c. commendat charitatem, &c. Rom. 5. *In hoc est charitas* gratiosa, quam nullus meruit: *non quasi nos dilexerimus Deum*, & propterea dederit nobis filium, *sed quoniam ipse prior dilexit nos* absquè vllo no-

stro

ſtro merito, gratia ſua ſola, *& miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris* cõtrà Deum commiſſis: hoc enìm excedit, vult dicere Ioannes, proùt Paulus. Rom. 5. *Chariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos*, proùt fecit, mittendo Filium ſuum, & nos præueniendo: *& nos debemus alterutrum diligere*, vt conformemur Deo omnes diligenti: qui enìm diligit amantem, diligit & qui ab amante amatur. *Deum nemo vidit vnquam*, quia nec videri poteſt, cum habitet lucem inacceſſibilem mortalibus; & de Moyſe, & Paulo, quòd eſſentiam diuinam non viderint clarũ: quomodò enìm vidit illã Moyſes, ſi is cũ quo loquebatur erat Angelus, nõ Deus? quomodò Paulus, ſi ignorat an in corpore, an extrà corpus. 2. Cor. 11.? ſed alibi de his latiùs. *Si*, ſed ſi *diligamus inuicèm*, *Deus* inuiſibilis *in nobis manet*, *& charitas eius in nobis perfecta eſt*, apparet; ex effectibus ergò, diligendo proximum, inuiſibilem eum videmus, & cognoſcimus. *In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo*, de ſuis donis, gratijs *dedit nobis*, proùt de hac, vt diligamus inuicèm, ſicùt ille dilexit nos, hic ſuus ſpiritus. *Et nos vidimus* oculis noſtris. ſuprà cap. 1. (proſequitur hìc de ſpiritu Dei charitatiuo in nos) *& teſtificamur quoniam Pater* Deus *miſit Filium ſuum Saluatorem mundi*, ad ſaluandum mundum; ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, quo nullum maius beneficium, & maior oſtenſio charitatis, qua nos moueri tenemur in amorem proximi. *Quiſquis confeſſus fuerit* (reſpondet obiectioni; poterant dicere, vndè nouimus Deum in nobis manere?) *quoniam Ieſus eſt Filius* Dei, *Deus in eo manet: & ipſe in* Deo per fidem. Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. *Et nos cognouimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis* per miſſionem Filij ſui; vndè exemplo noſtro cognoſcentium ſuprà cap. 1. & credentium alij moueri poſſunt. *Deus charitas eſt*, amor: *&*, ergò *qui manet in charitate*, in amore Dei, *in Deo manet*, *& Deus in eo*, quia vnum ſinè alio ſtare nõ poteſt, & ſic probat Deum in nobis manere, ſi charitate fulciamur. *In hoc perfecta* (dixerat ſuprà verſ. 12. charitas eius in nobis perfecta eſt, nùnc declarat) & finalis, & præmio plena, & referta *eſt charitas Dei nobiſcum*, *vt fiduciam habeamus in die iudicij* vniuerſalis, vel particularis: quaſi dicat, fiduciam recipimus pro illo die ex charitate: *quia ſicùt ille eſt* charitas, charitate redundans, *& nos ſumus in hoc mundo* ergà proximos noſtros, vt in præcedentibus, & iàm dixit Deum de ſuo ſpiritu dediſſe nobis, & ex hac ſimilitudine charitatis in eo ſempèr manebimus. *Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas* (de qua ſuprà dixit, fiduciam dans) *foràs mittit timorem, quoniàm timor pœnam habet* ſecum, continet. *qui autèm timet, non eſt perfectus in charitate*; depingit ex his fiduciam, de qua ſuperiori verſ. *Nos ergò diligamus Deũ* ex gratitudine, *quoniam Deus prior dilexit nos*, tot beneficia in nos conferendo, præſertim Filij dati. *Si quis dixerit quoniàm diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt*: ideò requirit omninò amorem fratris; probat quod dixit. *Qui enìm non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum, quem non videt, quomodò poteſt diligere?* nàm mouemur præſentibus magìs, quàm non apparentibus; vndè ſignũ dilectionis Dei emanat à dilectione proximi. *Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*, vt in Decalogo; ſi ergò diligimus Deum, mandata eius ſeruare debemus. Si quis diligit, ſermones meos ſeruabit, &c.



CA-



CAPVT V.

1 OMNIS, qui credit, quoniàm Iesus est Christus, ex Deo
natus est. Et omnis, qui diligit eum qui genuit, diligit &
2 eum qui natus est ex eo. * In hoc cognoscimus quoniam di-
ligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata
3 eius faciamus. * Hæc est enim charitas Dei, vt man-
data eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.
4 * Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mun-
5 dum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. * Quis est, qui
6 vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei? * hic est, qui
venit per aquam, & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua
& sanguine. Et spiritus est, qui testificatur quoniam Christus est veritas.
7 * Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spi-
8 ritus sanctus; & hi tres vnum sunt. * Et tres sunt, qui testimonium dant in
9 terra: Spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt. * Si testimonium
hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniàm hoc est testimonium
10 Dei, quod maius est, quoniàm testificatus est de Filio suo. * Qui credit in Fi-
lium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit
11 eum: quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo. * Et
hoc est testimonium, quoniàm vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita
12 in Filio eius est. * Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium,
13 vitam non habet. * Hæc scribo vobis: vt sciatis quoniam vitam habetis æter-
14 nam, qui creditis in nomine Filij Dei. * Et hæc est fiducia, quam habemus ad
eum: Quia quodcumque petierimus: secundùm voluntatem eius, audit nos.
15 * Et scimus quia audit nos quidquid petierimus: scimus quoniam habemus pe-
16 titiones quas postulamus ab eo. * Qui scit fratrem suum peccare peccatum non
ad mortem, petat, & dabitur ei vitam peccanti non ad mortem. Est peccatum
17 ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. * Omnis iniquitas, peccatum est. &
18 est peccatum ad mortem. * Scimus quia omnis, qui natus est ex Deo, non pec-
19 cat: sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum: * Scimus
20 quoniàm ex Deo sumus, & mundus totus in maligno positus est. * Et scimus
quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum
21 Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna. * Fi-
lioli, custodite vos à simulacris. Amen.


OMNIS,




MNIS, *qui credit quoniam Iesus est Christus*, Messias, *ex Deo natus est.* dedit eis potestatem, &c. *Et omnis, qui diligit eum*, Deum, *qui genuit* filios credentes, *diligit & eum, qui natus est ex eo*, filios scilicèt adoptiuos & sic ex dilectione Dei oritur dilectio proximi. *In hoc cognoscimus quoniā diligimus natos Dei, cum Deum diligamus* auctorem, *& mandata eius faciamus*, quod est signū dilectionis; de hoc mandato suprà c.4. in fin. *Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus*, ex custodia hac apparet nostra dilectio: *& mandata eius grauia non sunt*, cum in dilectione consistant. *Quoniam omne, quod natum est ex Deo*, fideles, *vincit mundum*, omnia aduersantia: *& hæc est victoria, quæ vincit mundum*, hæc sunt arma vincentia, superantia, *fides nostra*; si fide sola vincimus, vult dicere, ergò mandata eius non sunt grauia; ideò Petrus, & Paulus nos contrà diabolum dimicantes volunt fide armatos stare. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius* Dei naturalis? redit ad prima verba capitis. ex hac enim fide vtì principaliore superantur omnia tela aduersariorum. *hic est qui venit* saluaturus mundum *per aquam & sanguinem*, idest, per passionem suam, in qua illa fudit, *Iesus Christus*, per quem sic passum viuamus ex fide, quam in eum tenemus: *non in aqua solùm*, quasi vanè, *sed in aqua & sanguine* efficacitèr. *Et Spiritus*, Deus. Io. 4. 24. *est, qui testificatur*, & testificari facit nos, per cuius virtutem ora nostra loquuntur, *quoniam Christus est veritas*; est nedum verus, sed veritas ipsa, in quem credendum; vel veritas, ille scilicèt, qui impleuit omnia, & vera reddidit omnia à Deo promissa per suum aduentum, & passionem. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater* de cælo in baptismo, Transfiguratione, *Verbum, & Spiritus sanctus* in baptismo, Pentecoste, & omnes in illius operibus, & Scripturis: *& hi tres* in personis *vnum sunt* in essentia; sic Christus. Io. 8. 18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater, & duorum testimonium verum est, ne obijceretur de vno tantum. *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus*, idest, anima, *& aqua, & sanguis*, de quibus suprà vers. 6. *& hi tres vnum sunt* in Christo, anima, quam efflauit moriens, aqua, & sanguis, quæ fluxerunt ex latere: morte enim sua tot miraculis munita pro mundi peccatis testificatus est se esse Messiam, Deum, quia alius pro mundo mori nec poterat, cum solus ipse, per quem facta sunt omnia. *Si testimonium hominum accipimus* ad aliquid probandum, *testimonium Dei maius est*, tutiùs admittendum: *quoniam hoc est*, hoc est autèm *testimonium Dei*, *quod maius est* humano, *quoniam testificatus est de Filio suo*, Iesum esse Filium suum sibi naturalem. *Qui credit* ergò *in Filium Dei habet testimonium Dei in se*, pro se, tutò credit, non potest errare. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum*, Deum: *quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo*, cui credere tenetur. *Et hoc est testimonium* aliud ad beneficium nostrum, *quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio eius est*; sicùt Pater habet vitam in semetipso sic dedit & Filio vitam habere in semetipso; hæc est vita æterna, vt cognoscant te solùm Deum, &c. hanc autèm vitam per Filium obtinemus, vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Io. 3. ergò ipse Filius Dei est, & sic testimonium exhibetur. *Qui habet filium*, qui credit in filium, *habet vitam: qui non habet Filium* Deum, *vitam non habet*, quia in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & sic firmatur intellectus præcedentis vers. de vita æterna per Filium habenda, sed clariùs per ea, quæ subijcit. *Hæc scribo vobis: vt sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei*, & sic ad eorum vtilitatem se scribere narrat, & de verisimili loquitur, vel conditionatè concurrentibus omnibus requisitis. *Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum*, quam concipimus ex fide in eum, & charitate:

tate:

tate: *Quia quodcunque petierimus* rectè, seruatis seruandis: *secundùm voluntatem eius audit nos*; sic superiùs. cap. 3. 21. & dixit Christus: petite, & accipietis: amans enim nihil negat amanti. *Et si scimus quia audit nos quicquid petierimus*: *scimus* etiàm *quoniam habemus petitiones*, petita, *quas postulamus ab eo*. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem*. Vult nos orare etiàm pro fratribus peccantibus, & dicit nos exauditos iri pro peccante non ad mortem. *Est peccatum ad mortem*, puta in Spiritum sanctum, vel quale quale graue, & quod difficilè remittitur, quia ex parte peccantis difficilis conuersio ad Deum ob peccati grauitatem: *non pro illo dico vt roget quis*, quasi de facili obtẽturus iuxtà præmissa: nàm difficultèr obtinebit, non negat orationem, sed ponit difficultatem, vt eò magis à simili peccato homines auertantur, proùt in simili dixi in epistolis Pauli, maximè ad Heb. 6. & 10. vbi vide. Excluderem quòd hic agatur de peccato veniali in prima parte, quia remissio huius nimium facilis; iusti quoquè his maculantur, & loquitur de fratre peccante, & de vita danda, quam tollit mortale, non veniale. Similitèr quòd in secunda parte non agatur de quolibet mortali; nàm in vniuersum sic dici non potest, & quia prima pars confunderetur cum secunda, sed de graui. Tertiò, non de finali impœnitentia, quia agit de viuente non morituro, dicens: *Qui scit fratrem suum peccare*, & est casus ille indubitabilis. Quartò, de quo peccato agat in specie vix potest diffiniri; sed dic vel de peccato in Spiritum sanctũ dante diabolo quod est Dei, vel hæresiarchæ, quem dixit Antichristum, qui raròex obseruatione) conuertitur. Quintò, de anima Traiani videndus Baronius, qui tèr de illa fusè scripsit in Annalibus bis, & semèl in Martylogio. *Omnis iniquitas*, iniquè, iniustè, distortè actum, *peccatum est*; hic de mortali, vt suprà: *& est*, reperitur *peccatum ad mortem*, pro quo dixi non orandum. *Scimus quia omnis, qui natus est ex* Deo, Filius Dei, dum sic manet, *non peccat: sed generatio* Dei, à quo emanat, *conseruat eum, & malignus non tangit eum*, quia sub Dei adiutorio, & protectione est. *Scimus* verisimilitèr *quoniam ex* Deo *sumus* credentes in eum, & Filium eius: *& mundus totus in maligno positus est*, homines mundani omnia ad vitia, & malitias conuertunt, & in his fouentur. *Et scimus quoniam Filius* Dei *venit* in mundum, vndè alius non expectandus, *& dedit nobis sensum vt cognoscamus verum* Deum; manifestaui (inquit) nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, *& simus* permanentes *in vero* naturali *Filio eius* Iesu Christo. *Hic est verus* Deus, & suprà dixit veritas, *& vita æterna*, ad quam aspiramus, & hæc pro epilogo huius epistolæ, in qua omnia hæc tractata. *Filioli, custodite vos a simulachris*, ab idòlolatria. *Amen*. postquàm scitis nùnc, & explicaui de vero Deo, & Filio eius Iesu Christo.



IN



IN EPISTOLAM
IOANNIS SECVNDAM.


1 *SENIOR Electæ dominæ, & natis eius, quos ego dili-*
go in veritate, & non ego solus, sed & omnes, qui co-
2 *gnouerunt veritatem, * proptèr veritatem, quæ perma-*
3 *net in nobis, & nobiscum erit in æternum. * Sit vobi-*
scum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Chri-
4 *sto Iesu Filio Patris in veritate, & charitate. * Gaui-*
sus sum valdè, quoniàm inueni de filijs tuis ambulantes
5 *in veritate, sicùt mandatum accepimus à Patre. * Et nunc rogo te domina, non*
tamquàm mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, vt di-
6 *ligamus alterutrum. * Et hæc est charitas, vt ambulemus secundùm mandata*
eius. Hoc est enìm mandatum, vt quemadmodum audistis ab initio, in eo am-
7 *buletis: * quoniàm multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Ie-*
8 *sum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & Antichristus. * Videte*
vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis: sed vt mercedem plenam accipiatis.
9 ** Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet:*
10 *qui permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet. * Si quis venit ad*
vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE
11 *ei dixeritis. * Qui enìm dicit illi AVE, communicat operibus eius malignis.*
12 ** Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum: spero enìm*
13 *me futurum apud vos, & os ad os loqui: vt gaudium vestrum plenum sit. * Sa-*
lutant te filij sororis tuæ Electæ.




ENIOR electæ dominæ, sic nominatæ, *& natis eius, quos ego diligo in veritate,* facto ad vitam æternam quemadmodum in prima Epistola: non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate, *& non ego solus, sed & omnes, qui cognouerunt veritatem* Euangelij, *proptèr veritatem*, Deum, *quæ permanet in nobis*. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; *& nobiscum* ea fruituris *erit in æternum. Si vobiscum gratia, misericordia*, hæc & Iudas, & Paulus in Epistolis ad Timot. *pax à Deo Patre, & à Christo Iesu Filio Patris* naturali *in veritate, & charitate*, his iunctis illa prima gratia, misericordia, pax. *Gausus*

sum

sum valdè gaudio spirituali, de quo sæpè & Paulus, *quoniàm inueni de filijs tuis*, idest, filios tuos *ambulantes in veritate*, sincerè, recta via, *sicùt mandatum accepimus à Patre*, à Deo; vel *ambulantes in veritate*, in Christo, ei obedientes *sicùt mandatum accepimus à* Deo *Patre*; hic est Filius meus dilectus, ipsum audire; vel *in veritate charitatis*, *sicùt mandatum accepimus à Patre*, à Christo, quia diligitis opere, & veritate, & is vltimus magis ad mentem Apostoli, qui in tota Epistola de mandato charitatis agit, & statim de illo subdit. *Et nunc rogo te Domina, non tanquàm mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio* conuersionis, seù prædicationis Christi, *vt diligamus alterutrum*; pluriès de hoc in prima Epistola. *Et hæc est charitas, vt ambulemus secundùm mandata eius*, quia ex obseruantia mandatorum charitas dignoscitur. *Hoc est enim mandatum, vt quemadmodum audistis ab initio*, à principio, *in eo ambuletis*, scilicèt in charitate, ad idem: *quoniàm multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & Antichristus*; hìnc collige Antichristum hoc dicturum, & hoc negantes totam machinam subuertebant: tollebant enìm prima principia legis Euangelicæ; hi sunt seductores, quos Petrus, & Paulus dixere venturos in mundum; ideò hæc Epistola pòst Epistolas Petri, & Pauli, proùt & prima Ioannis eadem ratione. Hæc autèm de primo Christi aduentu intelligenda, non de secundo, tùm quia adest verbum, *in carnem*, tùm verbum, *venisse*, tùm, *non confitentur*: si enim de secundo, non diceret, *non confitentur*, quæ præsupponunt rem iàm in esse deductam, sed dixisset potiùs, negant, tùm ex dictis in 1. Epist. in qua clara verba hæc magis declarantia. *Videte vosmetipsos*, cauete, *ne perdatis quæ operati estis*, & inueniamini minùs habentes, proùt Baltassar: *sed vt mercedem plenam*, beatitudinem *accipiatis*; primùm si non perseueretis, secundùm perseuerantes. *Omnis, qui recedit, & non permanet* (vnum aliud declarat) *in doctrina Christi*, in lege Euangelica, *Deum non habet*, qui iussit filium suum audiri, & quem misit doctorem mundi: *qui permanet in doctrina eius, hic & Patrem, & Filium habet*, vtrique credit, vtrumque habet fauorem pro se cum Spiritu sancto, qui dicitur nexus. *Si quis venit ad vos* docturus (hæc de vitandis hæreticis, ac peste) *& hanc doctrinam*, quam dixi, *non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis*, ne vos contaminet, & seducat: *qui enìm dicit ei AVE, communicat operibus eius malignis*; hìnc quomodò agendum cum hæreticis, & excommunicatis. *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum*: *Spero enìm me futurum apud vos, & os ad os loqui: vt gaudium vestrum plenum sit*. In hoc prudentia Ioannis. *Salutant te filij sororis tuæ Electæ*.




losi, secundùm desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, miran-
17 tes personas quæstus causa. * Vos autèm charissimi memores estote verborum,
18 quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, * qui dicebant vobis,
quoniàm in nouissimo tempore venient illusores, secundùm desideria sua ambu-
19 lantes in impietatibus. * Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiri-
20 tum non habentes. * Vos autèm charissimi superædificantes vosmetipsos san-
21 ctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes, * vosmetipsos in dilectione Dei
seruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam æter-
22 nam. * Et hos quidèm arguite iudicatos, * illos verò saluate, de igne rapientes.
23 Alijs autèm miseremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis est, macula-
24 tam tunicam. * Ei autèm, qui potens est vos conseruare finè peccato, & con-
stituere antè conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in Aduentu Do-
25 mini nostri Iesu Christi. * Soli Deo Saluatori nostro, per Iesum Christum Domi-
num nostrum, gloria & magnificentia, imperium & potestas antè omne sæcu-
lum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.



VDAS Iesu Christi seruus, frater autèm Iacobi, his, qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis, & vocatis, fidelibus. *Misericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur.* verbo, *misericordia*, vtitur & Paulus scribens ad Timotheum in ambabus Epistolis. Ioannes secunda Epistola. *Charissimi, omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute;* hæc solicitudo omnium Ecclesiarum angebat Paulum; *necesse habui scribere vobis, deprecans supercertari semèl traditæ sanctis* fidelibus *fidei:* semèl enìm confertur; ad hoc bellum, & luctam hortantur nos Paulus, & Petrus in Epistolis. *Subintroierunt enim quidam homines*, de quibus prædixerunt Petrus, & Paulus, & dixit Ioannes in Epistolis (*qui olim præscripti sunt in hoc iudicium*) vt hæc abominanda patrent, *impij, Dei nostri gratiam* prædicationis, quam exercent, *transferentes in luxuriam*, ad lucrum, epulas, quæstus infrà vers. 16. & peruertentes omnia. 2. Pet. 2. *& solum Dominatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum negantes:* dicit, *solum*, quia ipse solus Dominus, & quia non est datum aliud nomen sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri, non tamèn excluditur Pater, & Spiritus sanctus, hìc de Christo clarè; sic & infrà, *dominationem autèm spernunt, maiestatem autèm blasphemant*, quæ Deum respiciunt, non autèm potestates temporales, humanas, vt etiàm dixi. 2. Pet. 2. 10. *Commonere autèm vos volo, scientes semèl omnia;* sic 1. Ioan. 2. 20. cum sequentibus: hæc subdit, vt timore pœnæ, & exemplo eos in fide retineat. *Quoniàm Iesus*, Iosue *populum de terra Aegypti saluans*, dum illos eduxit, *secundò eos, qui non crediderunt, perdidit;* vult inferre, ne confidatis vos aliquandò credentes saluandos, si defeceritis, quia populus ex Aegypto iàm eductus, peccans in perditionem abijt, & illemet Iesus vtrumque operatus est secundùm aliquos. At meliùs Iesus Saluator quà Deus in Angelo figuratus populum de terra Aegypti saluans dum eos eduxit, *secundò eos, qui non crediderunt*, nolentes terram timore correpti intrare, *perdidit.* Num. 14. 37. sicùt enìm sub Iesu omnes spiritualitèr salui in eum credentes, sic infideles damnati, in resurrectionem, & iudicium venturus, vt per Simeonem. Luc. 2. & alibi; sic autèm necessariò dicendum, quia subditur de eodem: *Angelos verò*, cui datum omne iudicium, reseruauit, quod Iosue congruere non potest.

Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, gratiam, qua donati fuerant à Deo, *sed* concupiscentia, superbia abstracti *dereliquerunt suum domicilium* statum, à Deo recesserunt, peccantes; de his 2.Pet.2. vbi & de Sodoma; *in iudicium magni diei* sic enim dicitur & horroris, iræ, calamitatis, miseriæ, *vinculis æternis*, insolubilibus *sub caligine*, in tenebris *reseruauit*; sic & 2. Pet. 2.4. *Sicùt Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes pòst carnem alteram*, cum alijs carnalitèr contrà naturam peccantes, *factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similitèr & hi carnem quidèm* suam *maculant* cum alijs. Rom. 1. *Dominationem autèm spernunt, maiestatem autèm blasphemant*, peccando in Deum inuerecundè, seù *dominationem* Ecclesiasticam: de temporali enim hìc non agitur, *spernunt*, nolentes subesse maioribus, neque prodesse, sed omnibus prçesse, inobedientes sunt, *maiestatem autèm*, Deum *blasphemant*, quem adeò revereri tenerentur, & vt doceat hoc magnum esse crimen, ostendit exemplo. *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore* propalando, vel recondendo, *non est ausus iudicium inferre blasphemiæ*, ne sibi quidquam arrogaret non proprium: *sed dixit: Imperet tibi Dominus*, cujus id proprium est; hoc exemplo contrà blasphemiam insurgit; Si Michael contrà diabolum damnatum resistétem in re turpi noluit iudicium inferre blasphemiæ, quomodò non blasphemia vitanda? & quomodò hi blasphemantes audaces, frontis perfrictæ non impij? Intèr causas autèm altercationis intèr Michaelem, & diabolum placet illa, ne corpore Moysis detecto, Hebræi illum pro Deo adorarent, proùt displicet illa, ne excitaretur à Magis; nàm excitationem prohibere poterat Deus, adoratio verò erat in hominum arbitrio posita, quod Deus non cogit, sed in suo statu reseruat. *Hi autèm quæcunque quidèm ignorant, blasphemant* iniquè, & contrà rationem; quomodò enim de ignotis possunt iudicare? *quæcunque autèm naturalitèr, tamquàm muta animalia, norunt*, quasi, supernaturalia eos prætereũt, *in his corrumpuntur* ad carnalia defluentes. *Væ illis* (eccè corruptio) *quia in uia Cain abierunt, inuidi*, homicidæ sunt, & maligni, *& errore Balaam mercede*, ad quam inhiant. vers. 16. *effusi sunt* impiè consulentes; sic in Psalmo sicùt aqua effusus sum; & Genes. 49. effusus es, *& in contradictione Chore perierunt*, detrahentes, murmurantes contrà Deum, & seruos eius, & legem Euangelicam, proùt illi contrà Moysen, & Aaron: *Hi sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes sinè timore*, proùt fratres Ioseph, & Baltassar; ideò Iob pòst conuiuia filiorum sacrificabat. Iob. 1. *semetipsos pascentes*, non gregem, *nubes sinè aqua, quæ à uentis circumferuntur*, vagi, & instabiles, *arbores autumnales*, quæ etiàm folijs spoliantur, *infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ*, quæ ad nullum fructum vel vsum sunt aptæ, *fluctus feri maris, dispumantes suas confusiones*, ad alios euertendos, *sydera errantia*, hùc illùc diuertentes: *quibus procella tenebrarum* exteriorum, & infernalium *seruata est in æternum*; ite maledicti in ignem æternum, quod paratum est diabolo, & angelis eius. *Prophetauit autèm & de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Eccè uenit*, veniet *Dominus in Sanctis millibus suis*; sic Dominus: cum venerit Filius hominis in sede maiestatis suæ, & omnes Angeli eius cum eo; *facere iudicium contrà omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris*, immanibus, *quæ locuti sunt contrà Deum peccatores impij*: ad iudicium enim omnes reseruantur, quia in eo omnes compærituri, & recepturi iuxtà opera eorum. Hoc profert Apostolus Spiritu sancto edoctus, non ex apochryphis; octauum præconem ponit Petrus. 2.2.5. vbi dixi. Cum autèm Enoch prophetauerit de iudicio, ni mirum, si tulit illum Dominus, & reseruauit ad tempora Antichristi, propè iudicij tempora, vt dixi in Apocal. *Hi sunt murmuratores querulosi, secundùm desideria sua praua ambulantes, & os eorum loquitur superba*: effundunt enim ex ore, quod intùs habent, *mirantes personas quæstus causa*, non autèm ad salutem. *Vos autem charissimi memores estote uerborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi*, Petro, & Paulo, *qui dicebant uobis, quoniàm*,

niàm in nouissimo tempore, quod capit spatium vsquè ad iudicium, *uenient illusores*, *secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus*; Vndè collige hanc Epistolam scriptam à Iuda pòst scriptas ab illis, quod & constat, quia quos illi dixerunt venturos, is suo tempore apparuisse commemorat, & in hoc solo differt hæc Epistola à secunda Petri, quia quod ille dixit futurum, hìc adimpletum narrat. *Hi sunt, qui segregant semetipsos* ab alijs, aberrantes à fide, quod tamèn non currit. Hebr. 10. 25. vt ibi, *animales*, sinè spiritu, *spiritum non habentes*. *Vos autèm charissimi superadificantes* firmitèr, & inconcussè *uosmetipsos sanctissima uestra fidei, in Spiritu sancto orantes uosmetipsos in dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in uitam æternam*, quia non sunt condignæ passiones, &c. vt in Paulo, vbi vide. *Et hos quidèm* malos, & ad infidelitatem reuersos *arguite iudicatos*: infidelis enìm iàm iudicatus est: *illos* verò in fide, & spe persistentes *saluate, de igne* inferi, in quem demergerentur, *rapientes*. *Alijs autèm miseremini in timore: odientes & eam, qua carnalis est, maculatam tunicam*, odientes eorum vitia. *Ei autèm, qui potens est uos conseruare sinè peccato, & constituere antè conspectum gloria sua immaculatos*: nihil enim intrat coinquinatum, *in exultatione*, lætitia *in aduentu* ad iudicium *Domini nostri Iesu Christi* regnum distributuri. *Soli Deo Saluatori nostro, per Iesum Christum Dominum nostrum*, per quem salus, *gloria & magnificentia*, *imperium*, *& potestas antè omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.* Similis phrasis. Rom. 16. 25. & Ephes. 3. 20.



IN

què ad conſummationem ſęculi;& quia Angeli intelligunt non deſcenſurum viſibilem omnibus in mundum, niſi ad iudicium, non autèm alia non acturum,dum in cælo ſedet, & etiàm non appariturum priuatim,vt Paulo, & alijs. Non obſtant verba (*quam dedit illi Deus palàm facere*) ad palàm faciendum,quaſi ex illis connexum ſit tempus reuelationis,& iuſſionis, quia concedo ſciuiſſe Chriſtum in illo inſtanti dari ſibi hoc, vt palàm faceret, ſed hanc iuſſionem non tùnc factam, ſed tempore reuelationis factæ per Angelum, idem dixi de iudicio, ſciuit, dixit, præmonuit, Angeli dixerunt, & tamèn mittitur ad iudicium quà homo è cælis tùnc cum fiet. Acto.3. vndè non eſt bonum argumentum de ſcientia ad iuſſionem. Quarè concludo verbum, *dedit*, verificari eo tempore, quo facta eſt reuelatio Ioanni: tùnc enìm iuſſum, vt reuelaret, & tùnc factam fuiſſe apparuit nobis, nec aliundè ex alijs Scripturis quid diuerſum poſſumus elicere; vndè ſtandum illi, quam habemus. Poſſet etiàm attentari hanc Apocalypſim à Chriſto nedum vti homine,ſed & vti Deo procedere, & dici: *Apocalypſis Ieſu Chriſti*, ideſt, à Ieſu Chriſto Deo, & homine emanans: verbum enim, *Ieſu Chriſti*, importat Deum & hominem.Ioan.Epiſt.1.cap.1.22.& ſeqq. & cap.4. & hic etiàm agit de illo vti Deo,& homine: *qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti, quæcunque vidit.* verſ.2. *ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui uenturus eſt*. verſ.4. & notauit Aug. contrà Felician.cap.11.Hinc vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, Deum ſcilicèt, & hominem. Prætereà quidquid prædicatur de homine, prædicatur & de Deo ratione communionis idiomatum. Nec obſtant verba, *quam dedit illi Deus palàm facere*, quæ ad hominem videntur reſtricta: nàm poſſumus illa interpretari vt Deus Pater per Verbum Deum hæc fecerit; ſicùt Ioan. 1. omnia per ipſum Verbum à Patre facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil, quatenùs eſſe, virtus, & potentia Filij eſt à Patre; & infrà cap.3.14. dicitur de Chriſto, qui eſt principium creaturæ eius; & Iuſtinus dicit Deum per Ieſum Chriſtum omnia inunxiſſe, ſeù perfeciſſe,& ornaſſe. Vel ratione attributi verificari in Filio, qui eſt Sapientia: continet enim Apocalypſis Sapientiam; & apparitiones, & reuelationes ſimiles in Daniele attribuuntur Filio Dei antè incarnationem. *Quæ oportet fieri citò*, incipere citò, & citò perfici; *citò*, dicas reſpectu æternitatis,& quia mille anni antè oculos Dei tamquàm dies heſterna, quæ præterijt: *& ſignificauit*, manifeſtauit *mittens per Angelum ſuum:* Angeli enim adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi proptèr eos, qui hæreditatem capient ſalutis. Hebr.1. in fine. *Seruo ſuo Ioanni: qui teſtimonium perhibuit*, perhibet,&c. proùt infrà verbum, *venit*, pro, veniet, & quia ſubdit, *quæcunque vidit* ab Angelo antè ſe poſita, quæ iuſſus ſcribere,vt infrà verſ.11.19. quę verba cum referantur ad hanc viſionem (ſempèr enìm fit relatio ad propinquiora, & ad ea,de quibus agitur, non ad extranea) itidem anteriora (*verbo Dei, & Ieſu Chriſti*) referuntur ad hanc eandem viſionem, cum omnia contineantur in eadem oratione, aliòquin ad quid intimare ſe illum, qui iàm perhibuiſſet teſtimonium? Quòd ſi capiamus in præſenti, docet ſe officio, quod iuſſus erat, ſatisfacere, & ſcribere, non vltrò, ſed iuſſus, quod opus reddit maiori fide dignum, & hoc modo tollitur difficultas, an hæc teſtimonia præcedāt vel ſubſequantur Euangelium Ioannis, & videntur meliùs connecti omnia. Accedit quòd hìc ſub *verbo Dei* intelligit de ſibi reuelato, quod magis congruit ſuo operi. Dicas ergò. *Qui teſtimonium perhibuit uerbo Dei* nunc ſibi reuelato, quod *eſt teſtimonium Ieſu Chriſti*, à Ieſu Chriſto emanans, reuelatio ſua, necnon & *quæcunque vidit* ſibi dicta,& oſtenſa ab Angelo ad eum miſſo. Vel, *qui teſtimonium perhibuit*, perhibet *verbo Dei* ſibi reuelato,*& teſtimonium Ieſu Chriſti* ſunt *quęcunque vidit*, ità vt ſupèr his nil ambigendum,& hoc modo reddit ſcripta ſua fide digna, quia ſunt reuelata à Ieſu Chriſto mediante Angelo,& ab ipſo viſa, vt decipi non potuerit: de his enìm agit Ioannes, quæ in libro extant, non de alijs, eò magis cum hæc apponat in initio libri, quod ſolet eſſe thema dicendorum; & ſecundùm hæc non poſſumus dicere, *teſtimonium Ieſu Chriſti*, ideſt,

ideſt, paſſionem Ieſu Chriſti: nàm textus loquitur de teſtimonio à Ioanne procedente, & de ſcribendis in hoc opere, & ſi dixiſſet, à Ieſu Chriſto, nihil in hoc opere de paſſione ſua,niſi fortè per tranſennam. Vel,*qui teſtimonium* iàm *perhibuit verbo Dei*, Euangelio Dei, *& teſtimonium Ieſu Chriſti* perhibuit prædicando, & deindè patiendo in Inſula Pathmos,vt infrà verſ.9. *proptèr Verbum Dei, & teſtimonium Ieſu; quæcunque vidit* circà teſtimonia illa reddenda neceſſaria. Vel, *teſtimonium Ieſu Chriſti, quæcunque uidit* de illo comprehendens à baptiſmate Ioannis vſquè ad Aſcenſionem, & Miſſionem Spiritus ſancti; & nihil referebat dicere ſe perhibere teſtimonium his reuelatis, quia ſcribendo id præſtat, & vno verbo ſe explicuit, dicens has eſſe reuelationes Ieſu Chriſti. Vltrà quòd hæc eſt prophetia,de qua nil aliud certius dicere poteſt, quàm quod dicit eſſe Chriſti; quæ autèm viderit, explicat Ioan.1. & 1. Ioan.1. & ſic nihil impropriatur, & fortè melior intellectus, & id facit Ioannes ad integrandam ſuam perſonam, & fidem maiorem dictis ſuis quærendam; proùt & Ioan.19.35. Mutatio autèm à genitiuo ad datiuum, nempè *uerbo* Dei. *& teſtimonium Ieſu Chriſti*: &, *quæcunque uidit*, parùm refert, quia hæ mutationes ſunt frequentes in Scriptura Sacra, vt in Cantico Virginis: ſicùt locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham, & ſemini; nec tamèn ex hoc patiuntur varietates intellectuum;vltrà quòd in Græco eſt clarior lectio,cum omnia ſint in accuſatiuo. *Beatus,qui legit,& audit uerba prophetiæ huius: & ſeruat ea, quæ in ea ſcripta ſunt*, ſecundùm illa operando; & ſic inuitat ad lectionem, auditum, obſeruantiam:*tempus enim: prope eſt;* ſuadet nullam moram interponendam,ſiuè dicas tempus horum, quæ dicit, propinquum, proùt de his intelligit, ideò etiàm præmiſit, *quæ oportet fieri citò*: ſiuè mortis, quæ cuilibet inſtat. *Ioannes ſeptem Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia. Gratia uobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui uenturus eſt*, ideſt,à Verbo: *& à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt*,ideſt,eiuſdem Verbi:quod enim eſt totius Trinitatis, aliquandò vni perſonæ aſſignatur, & patet hìc, quia & ſeptem Stellas,quæ erant ſeptem Angelí, retinebat in manibus, imò & declarat quis ille ſit,*qui eſt, & qui erat, & qui uenturus eſt*, ſubdens: *& à Ieſu Chriſto*; & ad tollendum omne dubium iterum in perſona Verbi explicat: *Ego ſum Alpha,& Omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus: qui eſt,& qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens*: non enim alia perſona viſibilis ventura ad Iudicium, & de viſibili loquitur Ioannes, *ecce venit cum nubibus:* ſic enim veniet proùt aſcendit;& ipſe, & Angeli dixerunt, *& videbit eum omnis oculus*, & *qui eum pupugerunt, & plangent*, &c. & iterum, *ego ſum primus, & nouiſſimus, & viuus, & fui mortuus,&c.* vndè videntur à Chriſto, & Ioanne omnia explicari. eadem verba, *qui venturus eſt*, habentur. Hebr. 10.38. & Matth. 11. tu es, qui venturus es.Niſi capias verba, *ab eo qui eſt, & qui erat*, pro Sanctiſſima Trinitate; alia verò, *& qui venturus eſt*, ad Ieſum Chriſtum, de quo ſubdit expreſsè, referas. Vel *à ſeptem ſpiritibus, &c.* intimis ſcilicèt curialibus, potentibus, à quibus plura adminiſtrantur, vt in Apocal. & deprecatoribus pro pace ad Dominum, quorum vnus Raphael. Tob.12.15. & Gabriel. Luc.1.19. & Michael vnus de principibus primis. Dan. 10.13. Nil mirum, ſi præmittit, *& a ſeptem ſpiritibus*, antè verba,*Ieſu Chriſto*, quia adhùc verſatur in declaranda maieſtate Verbi, & quæ circà illud, qua expreſſa poſteà tranſit ad humanitatem, dicens: *& a Ieſu Chriſto*, licèt & in eo tàm Deum, quàm hominem comprehendat, vt dixi, & ſic benè omnia connectuntur, nec indigemus alio ſubterfugio, cur præmiſerit ſpiritus antè Ieſum Chriſtum. Vel ſempèr ſubdit de Ieſu Chriſto, & hanc nomenclaturam retinet,vt intelligamus illum Apocalypſis auctorem, vt dixit in primis verbis, quod & apparet. cap.6.quia illi datum aperire librum ſub nomine Agni, qui tamèn ſedenti æqualis ſit. verſ.13. *Qui eſt teſtis fidelis*, fide dignus. hoc congruit cum intellectu dato verbis, *& teſtimonium Ieſu Chriſti;* ideò hìc nuncupat eum fidelem; hoc autèm dicit, ne putes hæc vana, vel falſa, vel non euentura citò; iàm comprobata eſt veritas ab ipſo annunciata; ſic idem Ioannes Epiſt.1.cap.1.9. &

hoc


hoc modo commendat Apocalypsim, vt fidem habeamus reuelatis, & narrat beneficia, virtutes, & glorias Christi, vt ad illum amandum prouocemur. *Primogenitus mortuorum*, quia primus surrexit ad vitam immortalem. 1.Cor.15.20.23. Coloss. 1.18. Ephes.1.20. *& Princeps Regum terræ*. Psalmo 2. per totum; *qui dilexit nos* vsquè ad mortem, qua nulla maior dilectio, *& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Tit.3.5. Hebr.9.14. 1.Pet.1.19. infrà cap.5.24. *& fecit nos Regnum, & Sacerdotes*, Principes *Deo, & Patri suo* in vniuersum, in tota Ecclesia, & populo, & infra cap.5.10. *Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.* sic 1. Timot.1.17. Regi autèm sæculorum immortali, & inuisibili, soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen. sic & infra cap.4.11.& cap.5.12. *Eccè venit cum nubibus* ad iudicium, idest, veniet; vtitur præsenti pro futuro ad denotandam celeritatem, de qua bis supra, venturi; sic Iudas.vers.15. eccè venit, pro veniet; & infrà cap.2.5. venio tibi, idest, veniam; *& videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*, impij, quos arguet, & iudicabit. Iudæ. 14. *Et plangent se supèr eum*, tùnc iratum iudicem *omnes tribus*, damnati de omnibus tribubus: (confirmat) *etiam. Amen.* De hoc iudicio in principio Apocalypsis, ad terrendum ex contentis in illa. *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus: qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens*; sic, principium qui & loquor vobis. Ioan.8.25. Coloss.1.18. infrà cap.3.14. & cap.22.13. *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno* æterno, *& patientia*, qua regnum quæritur; in patientia vestra possidebitis animas vestras; *in Christo Iesu*, per Christum Iesum, seù nomen eius: *Fui in insula quæ appellatur Patmos proptèr verbum Dei, & testimonium Iesu*; replicat idem, quod dixerat suprà vers. 2. ad magis integrandam personam suam, & dicta: *Fui in Spiritu in Dominica die*, prior denominatio huius diei, & *audiui pòst me vocem magnam tanquàm tubæ, dicentis*, iubentis: *Quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia, Ephesо, &c. Et conuersus sum ut uiderem uocem, quæ loquebatur mecum: Et conuersus* (vox citò ad effectum deducitur) *uidi septem candelabra aurea*; hæc est prima visio, in qua duo repræsentantur, vnum ad iudicium tendens, quod est assistentia Christi, & illius prouidentia anterior, aliud iudicium met. Primum quia stat *in medio septem candelabrorum aureorum*, idest, Ecclesiarum, & in medio eorum ambulat infrà cap. 2. 1. sic: ibi sum in medio eorum. Matth. 18.20. medius autèm vestrum stetit. Ioan. 1.26. & Acto.2.22. in medio vestri. vobiscum sum omnibus diebus vsquè ad consummationem sæculi. Matth.28.20. ità vt falli non possit. Hinc Dauid, prouidebam Dominum in conspectu meo sempèr. Et Eliseus, in cuius conspectu sto: Et quia dicit se viuum, & viuentem, qui mortuus fuit non ampliùs moriturus. Et Zach.4.2.10. dicuntur septem oculi Domini discurrentes per vniuersam terram. Vel apparet in medio candelabrorum lucentium, scilicèt vt omnibus conspicuus appareat, proùt erit in iudicio; hinc vt Baltassar Rex aspiceret articulos manus scribentis, manus scribentis erat contrà candelabrum. Daniel. 5. 5. & hoc modo confunditur is status intèr candelabra cum iudicio. Secundùm, quia apparet in maiestate, in qua venturus est ad iudicandum, & remuneraturus, & seueritate, in qua puniturus est quæ vidit, & gessimus, gloriosus siquidèm conspicitur, tùm quia quasi Filius hominis, quia nedum homo, sed & Deus; ideò Nabuchodonosori. Daniel. 3. 92. in specie similis Filio Dei, infrà cap.2. 18. hæc dicit Filius Dei, at in forma hominis, quia in ea iudicaturus; gloria autèm ex vestimentis albis, *uestitum* scilicèt *podere*, in quo totus mundus continebatur, & maiestatem quandam repræsentabat. Sap.18.24. *& præcinctum ad mamillas zona aurea*, eaquè gloria non per modum transeuntis, non temporalis, sed firma, affixa, æterna, quod denotat zona aurea, qua ad mamillas præcingebatur, & vestis contractio, & adhæsio: talis est enim poder, vt corpori adhæreat, & stringat illud, gloria verò, quæ totum illum amplectatur, & ambiat; ideò & caput, & capilli candidi *tanquam lana alba, & tanquàm nix*: gloria enim nostra erit intrà nos.

Rom.8. gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et ex albedine gloriam designari, apparet in transfiguratione, vbi vestimenta eius facta sunt alba sicùt nix. Matth. 17. & splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Marc.9. & facta est species eius altera, & vestitus eius albus, & refulgens. Luc.9. Vestes hæ Sacerdotales, quia est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Psalm. 109. & Sacerdotis officio in cælo fungitur quà homo, vt in tota Epist. ad Hebr. de vestibus verò Sacerdotalibus habes Exo. 28. Perterrefaciens verò, vt in monte dans legem, quia ad modum irati: ideò hic. *Oculi eius tanquàm flamma ignis*, vt infrà cap. 2. 18. & cap. 19. 12. & sic apparuit Moysi. Exod. 3. 2. & 24. 27. dicitur quasi ignis ardens; *& pedes eius similes auricbalco, sicùt in camino ardenti* existenti, & vltrà alia metalla ignescenti, ad denotandam pœnam grandem inferendam reis; & habetur infrà cap. 2. 18. & pedes eius similes aurichalco; & quia *vox illius tanquàm vox aquarum multarum*, vt & Ezechiel. 1. 24. & 43. 2. vt enim parturiens magno fragore dixit se loquuturum: & quia *in dextera sua habebat Stellas septem*, idest, septem Angelos paratos imperio suo, seù omnes Angelos, si sub septem velimus vniuersitatem Angelorum designari, proùt Matth. 25. 31. & omnes Angeli eius cum eo, & Iudas in Epist. vers. 15. in Sanctis millibus suis: Et quia *de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*, vt & infrà cap. 19. 15. iàm securis ad radicem, cuius ventilabrum in manu eius. Matth. 3. *& facies eius sicùt Sol lucet in virtute sua*, vt in transfiguratione. Matth. 17. & resplenduit facies eius sicùt Sol, & habet claues mortis, & inferni, quibus nil horribilius, idest, in sua potestate iudicium. *Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquàm mortuus*; sic Dan. 8. 17. 18. & 10. 8. 16. *Et posuit dexteram suam super me, dicens: Noli timere*, & sic dicendo timorem excussit, proùt in Angelis bonis. Dan. 8. 18. & 10. 10. 19. & dixi in Zacharia. Luc. 1. *Ego sum primus*. (Qui pòst me venit, antè me factus est, dicebat Ioannes) generatione æterna, *& nouissimus*, quia primus homo Adam, Christus nouissimus, ille statum culpæ, hic statum gloriæ, & vitæ introduxit. 1. Cor. 15. 47. & seq. & non dabitur alius status. Vel *nouissimus*, quia exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, &c. Philip. 2. Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis; non hic vt se Iudicem, sed qualis sit, ostendat. Vel, *Ego sum primus* iuxtà Adam secundum carnem factus in animam viuentem, *& nouissimus* per resurrectionem factus in animam viuificantem. 1. Cor. 15. 45. ideò ad declarationem subdit, *& viuus, & fui mortuus, & sum viuens in sæcula sæculorum*. *Et viuus* nunc sum, *& fui mortuus, & ecce sum viuens*, & gloriosus *in sæcula sæculorum*. Christus enim resurgens ex mortuis iàm non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Rom. 6. 10. *& habeo claues mortis* æternæ, *& inferni;* data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: clauis enim significat potestatem, & hæc omnia ad iudicium, & ad terrorem: quasi, corpora, & animas occidere possum; vndè ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & pòst hæc nõ habent amplius quid faciant; timete eum, qui, postquàm occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam. Luc. 12. 5. *Scribe ergò quæ vidisti* nunc, *& quæ sunt*, vera existunt, *& quæ oportet fieri pòst hæc*, futura; sic suprà vers. 11. *Sacramentum*, mysterium *septem Stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea: septem Stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum*, qui sunt Episcopi; erant igitur in manu Christi, idest, sub eius imperio, & potentia, & de facili puniendi, nisi corrigerentur. In manibus eius tempora, sortes nostræ; hinc est quòd dicit se habere *claues mortis, & inferni*, & hæc phrasis (in manibus illius esse) denotat etiàm propinquitatem, & celeritatem euentuum iàm à Ioanne expressam, proùt de Achab citò iudicando. 3. Reg. 22. 19. & in Daniele cap. 7. 9. sic digiti quasi manus scribentis. Daniel. 5. 5. 24. & Iob, manus Domini tetigit me; ideò Ioannes dixit: *ecce venit*; & cap. 2. ecce venio citò. Sic, in manu alicuius esse, denotat protectionem, & sublenationem, vt in Psalm. Dominus supponit manum suam, &c. in manibus portabunt te. Iustorum animæ in manu Dei sunt, primo

modo

modo erat terrori malis, ſecundo bonis gaudium. Niſi dicas ſeptem Angelos Eccleſiarum eſſe veros Angelos, quibus ſcilicèt cuſtodia huiuſmodi Eccleſiarum demandata eſt, ſcientes opera, quæ fiebant, & nihilominus ſub nomine Angelorum denominentur etiàm Epiſcopi illarū Eccleſiarum, ad quos ſcribitur, non veri Angeli; vndè ſub ſeptem Stellis ſeptem veri Angeli Eccleſiarum ſub nomine Angelorū, ad quos ſcribitur, metaphoricè Epiſcopi eſſent, & cōgruit hoc principio. cap. 3. qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem Stellas, niſi Spiritus ibì intelligamus de ſeptem Spiritibus coràm throno ſuo adſtantibus. cap. 1. 4. Eò magìs quia aſſumit, vltrà expreſſa in viſione, alia, vt cap. 3. Sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, vt ſi quid nos addamus, non incongruat. Is intellectus de iudicio elicitur ex Ioanne, qui antè deſcriptionem viſionis huius nihil præmiſit, niſi de iudicio, tùm dicendo, *quæ oportet fieri citò: tempus propè eſt:* hæc eſt enim phraſis vſitata ad iudicium inſinuādum; deindè *qui venturus eſt, eccè venit cum nubibus, qui venturus eſt; vocem magnam tanquàm tubæ,* quæ & repreſentabitur in iudicio, vt notum eſt. Sæpè autèm Deus & per Prophetas, & per Filium ſuum vſus eſt terrore iudicij ad homines à mala via auertendos, & iuſtos ſpe præmij alliciendos, vt Matth. 25. & coràm Caipha: Veruntamèn videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli. & 3. Reg. 11. 19. & per Angelos in Aſcenſione. Acto. 1. & Daniel. 7. 14. eccè cum nubibus cæli quaſi Filius hominis; & cap. 10. repreſentatur proùt hìc ferè ad litteram. Vir vnus veſtitus lineis, renes eius accincti auro obrizo, corpus eius quaſi cryſolitus, facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius velut lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorsùm ſunt vſquè ad pedes quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius vt vox multitudinis. Alio modo deſcripſit gloriam Domini. Ezech. 1. & 2. cap. quæ tamèn ad idem ferè tendit, proùt hìc. Iudicio enìm antè oculos repreſentato nil terribilius, & quod hominem magis concutiat etiàm infidelem, vt & Felix narrante Paulo perterrefactus conuentum dimiſerit. Acto. 24. 25. Opportunè autèm his diebus, quibus Prælati Eccleſiarum defecerant, vt cap. 2. & 3. vel negligentia fracti, vel calamitatibus oppreſſi, ità vt ferè deſperarent adiutorium Dei, vel fortè hæc, vel ſimilia dicerent: Aſſumptus eſt Chriſtus in cælum, ſupèr cardines cæli graditur, noſtra non curans, non videbit nos, vel neſcimus quid homini huic acciderit, vt de Moyſe Populus, ità vt timore reuocandi eſſent ad propria munia, & ſpe præmij confirmandi, & propterèa iniungitur Ioanni: *Scribe quæ vidiſti,* & hìnc eſt etiàm quòd apparet in medio candelabrorum, quòd dicit ſe viuentem in ſæcula ſæculorum, nempè & omnia noſſe, & potentem ad præmia, & pœnas inferendas. Ex hac viſione edocemur, vt vigilemus, nec torpeamus, quia eſt qui quærat, adſtet, & iudicet, & ne deſperemus, ſed confidamus, quia erit merces operi noſtro. Et ſi prædicta ad iudicium, vt tenui ex veſtibus, vel ſtatu, vel verbis apparentis, vix aliud litteræ conforme elicies.






CAPVT II.



1 NGELO *Ephesi Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet*
septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio se-
2 *ptem candelabrorum aureorum:* * *Scio opera tua, & la-*
borem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere
malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, &
3 *non sunt: & inuenisti eos mendaces:* * *& patientiam ha-*
bes, & sustinuisti proptèr nomen meum, & non defecisti.
4 * *Sed habeo aduersùm te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.* * *Memor*
5 *esto itaquè vndè excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin au-*
tèm, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam
6 *egeris.* * *Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* * *Qui*
7 *habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs: Vincenti dabo edere de ligno*
8 *vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* * *Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc*
9 *dicit primus, & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit:* * *Scio tribulationem*
tuam, & paupertatem tuam, sed diues es: & blasphemaris ab his, qui se di-
10 *cunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ.* * *Nihil horum ti-*
meas quæ passurus es. Eccè missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt
tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsquè ad mor-
11 *tem, & dabo tibi coronam vitæ.* * *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus di-*
12 *cat Ecclesijs: Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* * *Et Angelo Pergami*
13 Ecclesiæ *scribe: Hæc dicit qui habet rhomphæam vtraque parte acutam:* * Scio
vbì habitas, vbì sedes est Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fi-
dem meam. Et *in diebus illis Antipas testis meus fidelis qui occisus est apud vos,*
14 *vbì* Satanas *habitat.* * *Sed habeo aduersùs te pauca: quia habes illìc tenentes*
doctrinam Balaam qui docebat Balac mittere scandalum coràm filijs Israel,
15 *edere, & fornicari:* * *ità habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* * Si-
16 *militèr pœnitentiam age: si quo minus veniam tibi citò, & pugnabo cum illis*
17 *in gladio oris mei.* * *Qui habet aurem, audiat quid* Spiritus *dicat* Ecclesijs:
Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in cal-
18 *culo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* * Et *Angelo*
Thyatiræ Ecclesiæ *scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquàm flam-*
19 *mam ignis, & pedes eius similes aurichalco:* * *Noui opera tua, & fidem, &*
charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua nouis-
20 *sima plura prioribus.* * *Sed habeo aduersùs te pauca: quia permittis mulierem*
Iezabel, quæ se dicit propheten, docere, & seducere seruos meos, fornicari, &
21 *manducare de idòlothytis.* * Et *dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret: & non*

vult

22 *vult pœnitere à fornicatione sua.* * *Ecce mittam eam in lectum: & qui mœ-*
chantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis
23 *egerint.* * *& filios eius interficiam in morte, & scient omnes Ecclesiæ, quia ego*
sum scrutans renes, & corda: & dabo vnicuique vestrum secundùm opera sua.
24 *Vobis autèm dico,* * *& cæteris qui Thyatiræ estis; Quicumque non habent do-*
ctrinam hanc, & qui non cognouerunt altitudines Satanæ, quemadmodum di-
25 *cunt, non mittam supèr vos aliud pondus:* * *tamèn id, quod habetis, tenete*
26 *donèc veniam.* * *Et qui vicerit, & custodierit vsquè in finem opera mea, da-*
27 *bo illi potestatem supèr Gentes,* * *& reget eas in virga ferrea, & tamquàm vas*
28 *figuli confringentur,* * *sicùt & ego accepi à Patre meo: & dabo illi stellam ma-*
29 *tutinam.* * *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs.*


NGELO, Episcopo *Ephesi Ecclesiæ scribe*. Nedum nominantur Episcopi, ne vitia eorum deprehendantur, & publicentur, sed sub nomine Angelorum eis scribitur, & sub nomine stellarum tenentur in manibus. Et si dicis saltèm boni nominandi, ab his etiàm abstentum, ne ex tempore, vel alia circunstantia mali apparerent; sic seruatum à Domino in diuite Epulone, vt ibì dictum; hinc qualis prudentia, dum de alijs dicimus: *Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum* suprà cap. 1. hinc cognoscitur, cur stellatus, cur in medio apparuerit candelabrorum, vt scilicèt terreret, & propterea hęc inculcat, & ne tergiuersetur. *Scio*, inquit, *opera tua, & laborem, & patientiam tuam*, non potes me decipere, vel à me abscondi; sic Psalm. 138. & ego sum scrutans renes & corda infrà vers. 24. *& quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti proptèr nomen meum*; hìc enim merces, *& non defecisti*, progressus es; vult dicere, in his non te reprehendo. *Sed habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti*, quandò potiùs debueras illam augere. *Memor esto itaquè vndè excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac*; Suadet vt reuertatur, quia etsi Deus peccantes nos illicò possit morti addicere, non vult tamèn mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, vt hìc, nec tamèn remittit, sed subdit minans. *Sin autèm, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*, idest, te caput Ecclesiæ, vel subditos: persecutiones commouebo, quia aliquandò Deus per filiorum infirmitatem patres castigat, vel cum eisdem filijs, quos in patres armari permittit, vt Absalonem in Dauidem; *Vel mouebo candelabrum tuum de loco suo*, idest, auferam à te Ecclesiam, & dabo alteri. Ezech. 13. 23. & 34. 10. Isa. 22. 19. Dominus autèm est, qui transfert regna, pauperem facit, & ditat; sic Act. 1. Episcopatum eius accipiat alter ex Psalmo; *nisi pœnitentiam egeris*, qua ego placer. Hanc in nobis cupit Deus, & quasi timens ne ad pœnitentiam inducamur, peccata nostra scire nobis manifestat, ne illa negemus; sic cum Adam. Genes. 3. Caino. Genes. 4. Dauide per Nathan. 2. Reg. 12. *Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum* turpia, & obscœna, *quæ & ego odi*; manum Dei in impios retinent aliqua eorum opera bona; sic: necdum enim complete sunt iniquitates Amorrheorum vsquè ad præsens tempus. Genes. 15. 16. & in Iosaphat, impio præbes auxilium, &c. sed bona opera inuenta sunt in te. 2. Paralip. 19. 3. quandò autèm peruenerunt ad summum, tùnc desolatio, vt in Amalechitis. 1. Reg. 15. 3. sed considera quomodò singula ponderet Deus. *Qui habet aurem* audiendi, *audiat quid Spiritus*, Angelus *dicat Ecclesijs*; quisque putet sibi dictum

quod vni dictum. *Vincenti*, superanti *dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei*, quod viuificat. Genes. 3. 22. sic infrà 22.14. & sub hoc intelligit vitam æternam.

Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit primus, & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit: perterrefacturus Ephesinum vsus est verbis: qui tenet stellas, &c. stabiliturus, & remuneraturus Smyrnensem, dicit se primum, & nouissimum, & viuentem, potentem ad defensionem, & ad remunerationem: *Scio tribulationem*, afflictionem *tuam, & paupertatem tuam* venturam, *sed diues es*, quia hæc cedent magno tuo lucro: *& blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse*, fideles, *& non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Eccè missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini* igne tribulationum; hìc significatio ad iustos, vt fugiant à facie arcus; sic Satanas: expetiuit vos vt cribraret sicùt triticum. Luc. 22. 31. *& habebitis tribulationem diebus decem*, vel sic punctualitèr, & sic paruo tempore, vel significat aliquandò cessaturam, & ei vitam æternam subrogandam innuit, subdens: *Esto fidelis vsquè ad mortem.* perseuerantia enim requiritur: *& dabo tibi coronam vitæ* æternæ. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs*, & discat: *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda*, de qua infrà cap. 20. quia hic bonus, præseruandum dicit à morte secunda, idest, inferni. Primo, qui defecerat, lignum vitæ promittitur ad instaurationem.

Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet rhomphæam vtraque parte acutam ad feriendum paratam quam bicipitem nullus effugiet: *Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam*, quandò res in magno erant discrimine. *Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi Satanas habitat;* id repetit ad maiorem loci detestationem: Ex hoc magna laus intèr malos bonum esse, vt de Iob in terra Hus, Noe, Abraham cum Thare, & alijs suis, & Chananæis. *Sed habeo aduersùs te pauca;* ne exasperet diminuit; *quia habes illìc tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum*, mulieres formosas *coràm filijs Israel;* refert hoc, vt ex similitudine pœnæ inflictæ ex ira Dei, existimet qualis doctrina Nicolaitarum, & illum acuat ad illam extirpandam: *edere* de idolothitis, *& fornicari*, quasi sacris in honorem idolorum, quę projecta sunt coràm filijs Israel, vt eò magis postea ex esu ad libidinem in mulieres eductas mouerentur, & fornicarentur, & sic etiàm infrà, *manducare de idolothitis.* vers. 20. vndè & initiati sunt Beelphegor, &c. de quo Num. 25. 1. Cor. 8. & 10. *Ità habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similitèr pœnitentiam age: si quo minùs*, aliòquin *veniam tibi citò* ad pœnam, vel mortem irrogandam; *& pugnabo cum illis in gladio oris mei:* apparuit enim cum gladio exeunte de ore eius cap. 1. & ni mirum, si præmittit, *qui habet rhomphæam vtraque parte acutam*, quasi illa vsurus, vt hìc. Præmittit se pugnaturum cum illis reis, vt illos præmoneat, & auertat à malo, ne in hoc bellum incidant. *Qui habet aurem, audiat*, & notet *quid Spiritus dicat Ecclesijs: Vincenti dabo manna absconditum*, dulcedinem, gloriam ampliùs non gustatam, non visam. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. 1. Cor. 2. 9. non autèm absconditum, quia bonis tantùm detur quia & illis absconditum donèc detur; *& dabo illi calculum candidum* denotans eius puritatem ad illius fauorē: *& in calculo nomen nouum scriptum* hæreditatis æternæ, *quod nemo scit, nisi qui accipit.* 1. Cor. 2. 10. & infrà cap. 3. 12. Sub hoc sermone translato intelligit de beatitudine finali in cælo: hanc enim beatitudinem sub panis, vini, mannæ, vel alterius rei typo Scriptura figurat; sic & in beatitudinibus. Luc. 5. Matth. 6. in sensu ergò litterali hæc non transferenda ad alia.

Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe: extabat hęc Ecclesia, cum omnia ad tempus presens scribantur de Iezabele, & de Episcopo, & de Tyatirensibus, & quia aliæ extabant, ad quas scribebatur, quibus non coniunxisset non extantem, & quia dicitur cap. 1. quæ sunt. 11. & 20. septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum, & quis vult mendacem facere Ioannem? *Hæc dicit Filius Dei;* ex hoc habetur Ioannem intelligere Apocalypsim

psim nedum vtì ab homine, sed & Deo procedere, *qui habet oculos tamquàm flammam ignis, & pedes eius similes auricbalco*; de his dictum: *Noui opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus*; præmittit hæc bona, vt subdat. *Sed habeo aduersùs te pauca; quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten* (etsi non esset, sed hoc nomine vtebatur) *docere, & seducere seruos meos*, quos sic decipiebat, & persuadebat, licere *fornicari, & manducare de idòlothytis*, quæ duo tendebant ad destruendam conuersionem Gentilium, quibus euitanda hæc in primo concilio Ierosolymitano proposita fuerant. Act. 15. & ad hæc duo Gentiles erant procliues sic antè conuersionem assueti. *Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere à fornicatione sua*, & hoc magìs aggrauat, quia fuit expectata, & profert se id cognoscere infrà; dum dicit se scrutantem renes, & corda, idest, secreta intima, & penetralia, & dum in proemio figurat se habentem oculos vt flammam ignis. *Eccè mittam eam in lectum: & qui mœchantur cù ea, in tribulatione maxima erunt*: nàm percutiam & illos cum ea, *nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint*, qua placer. *Et Filios eius* Iezabelis *interficiam in morte*; sic infrà cap. 6. 9. Si intelligis pro lecto infirmitatem, tam ipsius, quàm sectatorum, quærit emendationem, quia hae solent patientes nedum, sed alij videntes ad penitentiam adduci. Si infernum (quod magis suspicor, quia prius impœnitentem dixit etiàm pòst tempus assignatum, & quia sectatoribus dicit futuram maximam tribulationem) non ipsius, sed sectatorum tantùm pœnitentiam quærit ex tribulationibus; qua dicitur Deum placari. Ezech. 18. 21. sed quæ Iezabel, dic Ioannem noluisse eam propalare, fortè quia cum adhùc esset in vita, poterat pœnitere; proptereà frustrà quæ sit quærimus; vtitur autèm hoc nomine, quia similis erat Iezabeli vxori Achab idòla colenti, & virum, & subditos subuertenti; *Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda*, intima hominis, qui non possum decipi; hinc quod vni Ecclesiæ significat omnibus dicit: *& dabo vnicuique vestrum secundùm opera sua*, iustitiam exercebo, nullus fraudabitur. *Vobis autèm dico*, scilicèt Thyatirensibus, *& cæteris, quia Thyatiræ estis*, idest, incolis, habitatoribus, non quòd ibi orti essent. Vel, *vobis autèm dico, & cæteris, quia Thyatiræ estis*, Thyatirensibus, qui non estis contaminati à Iezabele: *Quicunque non habent*, non seruant *doctrinam hanc* pessimam satam à Iezabele, *& qui non cognouerunt altitudines*, excellentias *Satanæ* primi promotoris, *quemadmodum dicunt*, nuncupant illi, *non mittam supèr vos aliud pondus*, alias pœnas non patiemini, proùt illa, & sectatores, & filij: *tamèn id quod habetis* boni operis, *tenete*, perseuerate in eo, sicùt infrà cap. 3. 3. in mente ergò habe qualitèr acceperis, & audieris, & serua, & pœnitentiam age, sic 2. Thess. 2. 7. tantum vt qui tenet nunc, teneat, donèc de medio fiat, vbi dixi, & suprà cap. 2. 25. & infrà vers. 11. *donèc veniam* ad vos in morte. explicat meliùs. *Et qui vicerit, & custodierit vsquè in finem* vitæ *opera mea*, præcepta mea, *dabo illi potestatem* in iudicio, seù iudiciariam *supèr Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquàm vas figuli confringentur, sicùt & ego accepi à Patre meo*. Psalm. 2. & quòd de iudicio intelligat colligitur ex subsequentibus, *sicùt & ego accepi à Patre meo*, qui dedit mihi omne iudicium; non autèm possunt intelligi de iudiciaria potestate mundana, de qua nihil in hoc textu, & quia datur cum dignitate cuilibet etiàm indigno, & quia de his loquitur, quæ pòst mortem: nàm dicit, *donèc veniam: & custodierit vsquè in finem*, & quia subdit de gloria: *& dabo illi stellam matutinam*, visionem claram, beatificam; sic etiàm dictum alijs Ecclesijs. Sed quarè his hoc typo? quia restiterunt deceptioni Iezabel, illustrati. Nec credo posse intelligi de Ecclesia vniuersali, quia loquitur particularibus Thyatirensibus, & præmittit de custodientibus vsquè in finem, idest, mortem; vndè non potest accipi, nisi de potestate iudiciaria, & quia subdit etiàm de visione æterna per stellam matutinam, quæ omnia connexa. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs*; Sempèr hæc subijcit: quod enim his dixit, omnibus dixit, quod explicatur suprà, dicens: *& scient omnes Ecclesiæ* vers. 23.

C A-




CAPVT III.



1 ET Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: Hæc dicit, qui habet se-
ptem spiritus Dei, & septem stellas: Scio opera tua, quia
2 nomen habes quòd viuas, & mortuus es. * Esto vigi-
lans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim
3 inuenio opera tua plena coràm Deo meo. * In mente er-
gò habe qualitèr acceperis, & audieris, & serua, & pæ-
nitentiam age. Si ergò non vigilaueris, Veniam ad te
4 tamquàm fur, & nescies qua hora veniam ad te. * Sed habes pauca nomina
in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua: & ambulabunt mecum in
5 albis, quia digni sunt. * Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non
delebo nomen eius de Libro vitæ, & confitebor nomen eius coràm Patre meo, &
6 coràm Angelis eius. * Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs.
7 * Et Angelo Philadelphiæ ecclesiæ: scribe: Hæc dicit Sanctus & Verus, qui
habet clauem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit:
8 * Scio opera tua, Eccè dedi coràm te ostium apertum, quod nemo potèst claudere:
quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti no-
9 men meum. * Eccè dabo de Synagoga satanæ, qui dicunt se Iudaeos esse, & non
sunt, sed mentiuntur; Eccè faciam illos vt veniant, & adorent antè pedes tuos:
10 & scient quia ego dilexi te, * quoniàm seruasti verbum patientiæ meæ, & ego
seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare ha-
11 bitantes in terra. * Eccè venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam
12 tuam. * Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foràs non
egredietur ampliùs: & scribam supèr eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis
Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo, & nomen meum
13 nouum. * Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs. * Et angelo
14 Laodiciæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit: Amen, testis fidelis, & verus, qui est prin-
15 cipium creaturæ Dei. * Scio opera tua: quia nequè frigidus es, nequè calidus:
16 vtinam frigidus esses, aut calidus: * sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec ca-
17 lidus, incipiam te euomere ex ore meo. * quia dicis: quòd diues sum, & locuple-
tatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, et miserabilis, & pauper, et
18 cæcus, et nudus. * Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum vt locu-
ples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ:
19 et collyrio inunge oculos tuos vt videas. * Ego quos amo, arguo, et castigo.
20 Aemulare ergò, et pœnitentiam age. * Eccè sto ad ostium, et pulso: siquis au-
dierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et cœnabo
21 cum illo, et ipse mecum. * Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: si-
cut

22 *cùt & ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius. * Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs.*



T *Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei*, quos ad thronum suum adstare cap. 1. dixerat, *& septem stellas* in manibus suprà cap. 1. *Scio opera tua, quia nomen habes* falsum *quòd viuas, & mortuus es* in peccatis. deindè ad vigilantiam hortatur, dicendo: *Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant*, iuxtà illud dictum Petro: conuersus cõfirma fratres tuos. *Non enim inuenio opera tua plena*, meritoria *coràm Deo meo:* in vno enim deficiens, in omnibus deficit. *In mente ergò habe qualiter acceperis, & audieris, & serua illa*, iuxtà illud: ipsum audite, *& pœnitentiam age: Si ergò non vigilaueris* supèr operibus bonis, *Veniam ad te tanquàm fur* in morte, quandò minùs cogitas, *& nescies qua hora veniam ad te*. Negligentiæ arguitur, qui ad vigilantiam excitatur, nec ad carnale peccatum inferri potest in Episcopo ex verbis: *qui non inquinauerunt*, quia hæc ad alios, subditos scilicèt, & quia negligentiam insinuant, de qua in principio epistolæ, & quia dicit, *si non vigilaueris, &c.* quasi ex hoc solo puniendus. *Sed habes pauca nomina in Sardis* vera, viuentia in hominibus, pauci homines nominati, *qui non inquinauerunt vestimenta sua*, idest, corpora, 1. Cor. 6. 16. & seqq. de virginibus enim videtur loqui, quia subdit: *& ambulabunt mecum in albis*, vestimentis albis; hæc omnia ad beatitudinem ex dictis suprà cap. 1. & quia subdit. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo eum de libro vitæ, & confitebor nomen eius coràm Patre meo, & coràm Angelis eius*, quæ sunt phrases ad beatos spectantes, *quia digni sunt*, merentur; sic infrà 16. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis*, gloria, *& non delebo nomen eius de libro vitæ*, non permittam eum deflecti à via bona, quam cœpit, proùt hi, qui non inquinauerant vestes suas; pro certitudine dicit, nòn quòd vnquàm deleatur quis de libro illo; & sic intellige illud Psal. deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur; ideò subdit: *& confitebor nomen eius coràm Patre meo, & coràm Angelis eius*; sic & in Euangelijs. Moyses verò quãdò dixit: aut dele me de libro tuo, verisimilitèr non intellexit de æterna prædestinatione immutabili, nec se extulisset, vt in eo libro se scriptum asseueraret, nequè de non perseuerando in bono: vtroque enim modo Deum irritasset, sed fuit vehemens, & hiperbolicus excessus ad denotandam animi sui anxietatẽ pro sua petitione, proùt Paulus, qui cupiebat anathema fieri pro fratribus suis. Rom. 9. 3. vbì dixi, & quòd neutrum illorum intenderet Moyses, apparet, quia subdit Deus. Exod 32. 33. qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo, quæ responsio aptatur soli populo peccanti, non Moysi, quem sicùt à pœna, ità à voluntate peccandi declarat immunem. Nec intellectus datus huic loco conuenit cum loco Moysis, quia hìc tendit ad bonum, ibi ad malum. *Qui habet, &c.* de hoc suprà. *Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ: scribe: Hæc dicit sanctus & verus*. Hæc duo soli Deo competunt; *sanctus* à cælestibns dicitur; *verus*, solus Deus verax, obseruans, omnis homo mendax; *qui habet clauem David* in manu sua, potestatem, dominium ex claue designatum: *qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit*, cuius opera nemo dissoluit, cui contradici non potest: *Scio opera tua:* ferè sempèr hoc præmittit, vt confusi reuertantur. *Ecce dedi coràm te ostium apertum*, vt per illud introducas de Synagoga Satanæ, sicùt se declarat vers. 9. de ostio aperto ferè in omnibus Epistolis Pauli; *quod nemo potest claudere*, quia nihil valet contrà consilium meũ; dedi autèm apertum, *quia modicam*, aliquam *habes virtutem*, at non ex hac id, sed mea; etenìm sinè me nihil potestis facere; &, Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt


runt qui ædificant eam; & : Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autèm incrementum dedit; hinc eſt quòd præmittit ſe habere clauem Dauid ad oſtium hoc aperiendum, & certò id euenturum, propterea dicit ſe verum,& neminem claudere potentē quidquid ipſe aperit; *&*, pro,quia, *ſeruaſti verbum meum*, mandata mea, *& non negaſti nomen meum*, coràm hominibus me confeſſus es, vel hæc duo in idem recidunt, quod affirmans dixerat, ſubdit negans. *Eccè dabo de Synagoga Satanæ, qui dicunt ſe Iudæos eſſe*, & non ſunt, ſed mentiuntur; ſic ſuprà cap. 2. 9. *Eccè faciam illos vt veniant, & adorent antè pedes tuos*, vno verbo, vt conuertantur: *& ſcient quia ego dilexi te*, cognoſcent te mihi charum, hincquè mouebuntur ad amplexandum,& præſtanda obſequia, *quoniàm ſeruaſti verbum patientiæ meæ* tibi iniunctæ, *& ego ſeruabo te ab hora tentationis*, tempore tuæ vitæ futuræ, aliòquin quid ad hunc, ſi alio tempore? ſic Iacob. 5.20. Si quis ex vobis errauerit à fide, & conuerti fecerit peccatorē, &c. *quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitantes in terra*, & ſic præmunit hac ſignificatione, & bono nuncio quòad eum. *Eccè venio citò* in morte tua: *tene quod habes*, vſquè in finem perſeuera; ſic ſuprà cap.2.25. cap. 3. 3. nàm non coronabitur niſi qui legitimè certauerit; qui perſeuerauerit vſquè in finem, hic ſaluus erit; *vt nemo accipiat coronam tuam*, præmium,beatitudinem; ſic 1.Cor.9.25.Omnis autèm,qui in agone cōtendit,ab omnibus ſe abſtinet,& illi quidèm vt corruptibilem coronā accipiant, nos autèm incorruptam. 2.Tim.4.8. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ,quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex,&c.ad quā niteris aſſequendā, quæ tibi dabitur, ſi perſeueres,à iuſto Iudice; *tuam*, autē dicit, vt acuat illum ad illam defendendam, quia noſtris magìs intendimus, & ægrè ferimus ab alijs abripi; & ſic ab his verbis vſquè ad verſ. 14. de eadem gloria loquitur, quod ſeruit ad maiorem præmiſſorum declarationem. *Qui vicerit* perſeuerans, *faciam illum columnam in templo Dei mei*, ſtabiliam illum in gloria æterna: id enìm infertur ex columna, ſimilis phraſis Ierem.1.18. *& forìs non egredietur ampliùs*, quod tendit ad æternitatem eandem, quam nemo ablaturus; & ſignabitur ſigno electorum, vt proſequitur; ſic ſuprà cap.2.17. quæ declarant quid intellexerit de columna; Vel, *coronam tuam*, miniſterium tuum; ſic Iſa.22.19. Non dicas, *coronam tuam*, ideſt, tibi debitam, & & paratam, quia ſi talis fuiſſet,non reuelaſſet:non enim ſolet hoc Deus,imò nemo ſcit, an odio, vel amore dignus ſit, neque Paulus, dicens: ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Non ergò dicas, *vt nemo accipiat coronam tuam*, quaſi alius ſit loco eius ſubrogandus, qui non ſubrogaretur: nam id abſonum, quia non dicitur hìc corona parata vni, vt alteri dari poſſit, ſed alio modo verba hæc intelliguntur, vt dixi. Vndè vel intelligit de dæmone nos decipiente, & rapiente, vel loquitur more humano, quandò aliquid perdimus,quod fures à nobis auferunt. Dices, ſolet Deus ſubrogare alios; loco Angelorum, homines, loco Hebræorum, Gentiles, at quot horum damnati? Deus & in genere, & in particulari alios ſubrogat ad miniſterium,ad opus;ſic in exemplis datis; ſic in Eccleſiijs, & alijs miniſterijs ſuis, proùt Iſa. 22.19.cū ſeqq. at non in corona,ſeù gratia; ſi enim quis eſſet electus ad gloriam, per ſubrogationem alterius ad miniſterium, eius electio non auferretur,quia dixit Chriſtus: nemo rapiet eas de manu mea. Dices, in locum Iudæ ſubrogatus Matthias Apoſtolus. Reſpondeo ſubrogatū fuiſſe ad gradum Apoſtolicæ dignitatis, à quo Iudas ceciderat, non ad gratiam eandem numero. Dices, quadrageſimam coronam dedit alteri balneum introeunti à quo alius diſceſſerat; at non primo parata illa, ſed ſecundo, ſecundus ſubrogatus ad martyrium,ad paſſionem, ſed ſua corona, non alterius diſcedentis ei data. Hìnc inferas non poſſe adduci hunc locum moris eſſe Dei coronam, beatitudinem amiſſam ab vno dare alteri, quatenus dicis de eadem numero;proùt poſſes dicere eiuſdem ſpeciei;& locus Deut.11. verſ.17. auferam de ſpiritu tuo, intelligitur de ſimili,non eodem numero. Inferas etiàm non poſſe trahi ad gratiam, ſeù præſentem iuſtitiam, quia loquitur clarè de gloria, ideoquè non conſtare vllo modo ex textu

Deum

Deum ſubrogare alium in gratiam eandem numero ab altero amiſſam. *Et ſcribam ſupèr eum nomen Dei mei, & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum;* hæc omnia tendunt ad ſecuram, & tutam manſionē in cælo: ibi enim oſtenditur beatos fuiſſe protectos: nàm qui inſculpta ſupèr eos habent nomina Imperatorum, ſignum portant protectionis eorum, vt de ceruis, Cæſaris ſum; ſic Gen. 4. 15. poſuitquè Dominus Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum. Sed cur in Ieruſalem, *quæ deſcendit de cælo?* ad differentiam Ieruſalem terrenæ; ſed cur, *quæ deſcendit?* quia Ioannes reſpicit in his verbis ad viſionem. cap. 21. proùt fuit ei repreſentata. Vidi Ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo paratam, ſicùt ſponſam ornatam viro ſuo. Cur, *nomen meum nouum?* dic, illud, quod recepit, dum caro factum eſt verbum, & ſic quà homo, vndè protegetur beatus à Deo, & à Chriſto quà homine: nàm in cælo neque luctus, neque clamor, neque dolor, neque mors erit vltrà, quæ prima abierūt; Vel fruetur gloria beatifica, eſſentiali ex Chriſti diuinitate, vel accidentali ex carne eiuſdem, *Qui habet aurem, audiat, &c.*

Et Angelo Laodiciæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit: Amen, perficiens omnia, *teſtis fidelis, & verus,* qui nunquàm deficit, *qui eſt principium creaturæ Dei.* omnia per ipſum facta ſunt. Io. 1. Vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. Iacob. 1. 18. Principium, qui & loquor vobis. *Scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus* in opere meo, ad quod te aſſumpſi: *Vtinam frigidus eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo;* placet opinio, tepidos (ideſt, reputantes ſe calidos, qui non ſunt, proùt Epiſcopus, cui dicitur. *quia dicis: quòd diues ſum, & locupletatus* gratia, *& nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus,* dum ſic te reputas; & *ſuadeo, &c.* ex his enim apparet de illius reputatione falſa) peiores eſſe frigidis, qui tales ſeipſos reputant, quales ſunt, & tepidos euomi de facili ad inſtar aquæ tepidæ epotæ; ſic dum Paulus vocat. 1. Cor. 1. ſapientes, non illos verè, ſed qui tales eſſe putabant, etſi non eſſent; ſic 1. Cor. 4. 8. ſaturos, & diuites ironicè, qui non erant, & cap. 10. exiſtimantes ſe ſtare, verſ 12. qui non ſtabant. *Suadeo tibi,* non imperat, non cogit, dimittit quemque voluntati ſuæ, *emere* abſquè argento, & abſquè vlla commutatione *à me aurum ignitum probatum,* ſapientiam cum charitate, dicit Diuus Thomas. 1. Cor. 3. lect. 2. col. 4. dic charitatem omnia ſuperantem, *vt locuples fias* verè, & non proùt nùnc præſumptiuè, gratia mea, *& veſtimentis albis* innocentiæ *induaris;* ſi fuerint peccata tua ſicùt coccinum, alba erūt; vel gloriæ, quia ex his gloriam ſuprà deſignauit, ſed potiùs innocentiæ, *& non appareat confuſio nuditatis tuæ,* ſi his careas, vt in Adam, qui illicò abſcōdit ſe. Gen. 3. & dixerat *(& nudus) & collyrio inunge oculos tuos:* dixerat enim *(& cæcus) vt videas,* quia peccatum excæcat, conſilium ergò ſic currit. dixerat, *es miſer, & miſerabilis, & pauper,* dat conſilium, eme à me aurum ignitum, qui vendo abſquè argento, & vlla commutatione, *& cæcus, collyrio inunge, &c. & nudus, veſtimentis albis induaris. Ego quos amo, arguo, & caſtigo;* ne deſperet ex acri reprehenſione, hæc ſubdit, & ſequentia. *Aemulare ergò,* enitere hæc propoſita aſſequenda, *& pœnitentiam age* de iàm malè actis; dicit hæc vt magis incitet. *Eccè ſto ad oſtium* expectans viſurus, tecum cœnaturus, manſurus; ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus, vt tutiorem reddat, *& pulſo,* auxilia præſto: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam* (eccè concurſus voluntatis noſtræ) *intrabo ad illum* (eccè gratia) *& cænabo cum illo, & ipſe mecum,* vnum ſimùl erimus, proùt ego & Pater vnum ſumus. Io. 17. *Qui vicerit,* ſuperauerit vſquè in finem, *dabo ei ſedere mecum in throno meo,* in meis delitijs, *ſicùt & ego vici.* Confidite, ego vici mundum, *& ſedi cum Patre meo in throno eius,* in gloria, & conſedere fecit eum in cæleſtibus. Epheſ. 2. Philip. 2. Heb. 1. Faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Luc. 12. 37. de hac enim ſeſſione, non de iudiciaria agit; *Qui habet aurē, audiat, &c.*

CA-



CAPVT IV.

1 *POST hæc vidi: & ecce ostium apertum in cælo, & vox prima, quam audiui tamquàm tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet*
2 *fieri post hæc.* * Et *statim fui in spiritu: & ecce sedes*
3 *posita erat in cælo, & suprà sedem sedens.* * *Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis iaspidis, & sardinis: & iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ.*
4 * *Et in circuitu sedis sedilia vigintiquattuor: & super thronos vigintiquattuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ*
5 *aureæ:* * *Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & septem*
6 *lampades ardentes antè thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* * *Et in conspe-*
sedis tamquàm mare vitreum simile crystallo: & in medio sedis, & in circuitu
7 *sedis quattuor animalia plena oculis ante & retrò.* * *Et animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem*
8 *quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti.* * *Et quattuor animalia, singula eorum habebant alas senas: & in circuitu, & intùs plena sunt oculis: & requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus,* Sanctus, *San-*
9 *ctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* * *Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti supèr*
10 *thronum, viuenti in sæcula sæculorum,* * *procidebant vigintiquattuor seniores antè sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mitte-*
11 *bant coronas suas antè thronum dicentes:* * *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.*


POST hæc uidi. & ecce ostium apertum in cælo, & vox prima, quam audiui tamquàm tubæ loquentis mecum, dicens. Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Postquàm præmisit quæ ad septem Ecclesias, incipit narrare quæ ad totam Ecclesiam. Describitur autèm in hoc capite Dei maiestas repræsentata per hierogliphica more Aegyptiorum intellectu difficilia; ideò in hac explicanda huiusmodi repræsentationibus, seù hierogliphicis insistendum in quantùm maiestatem, & gloriam Domini referunt, vt ex illis eam delibemus; hinc est, quòd repræsentationes non sunt iuxtà naturam rerum, sed cum magna immutatione, quæ eam gloriam referat; hinc Iris non est diuersicolor, sed vnicolor, sedentes non iuuenes, sed senes, animalia cum alis: in cælo enim Empyreo, imò in terra nihil horum descriptorum eo modo, quo repre-

representantur, & sic etiàm representatur gloria Domini. Ezech. 1. & 2. in principio, & 43. 2. incipit ergò. *Et statim fui in spiritu*; sic & cap. 1. 10. *& ecce sedes posita erat in cælo, & suprà sedem sedens*. Vidit Patrem, quia in fine capitis dicitur: *tu creasti omnia*, quod infert ad potentiam; quæ attribuitur Patri, vel potiùs sanctissimam Trinitatem, quia in fine animalia clamant ter, *Sanctus*, & opera ad extrà sunt Trinitati communia. Non Christum solum, quia cap. 5. Agnus representans Christum accepit librum de manu sedentis, & stantis in medio throni; & is sedens non describitur in alia forma corporea, in qua in primo capite representatur Christus; & licèt cap. 5. fiat mentio dexteræ, & adsint verba, in, de, tamèn potiùs denotatur vel situs, seù locus, vel potentia, non quòd dextera detur Deo, sed proùt dicitur digitus Dei, manus Dei, brachium Dei ad denotandam illius potentiam, & actionem ad capacitatem nostram. *Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis iaspidis, & sardinis*, ad denotandam iustitiam, & misericordiam essentialitèr; externè verò, seù in actionibus, (quia *Iris erat in circuitu sedis*, sed *similis visioni smaragdina*, non vtì est, & nobis solet apparere varij coloris) ad denotandum misericordiam præminere, & confortari, quæ in virore smaragdi confortante visum designatur, licèt de eadem viriditate intrinseca, & inhærente dixisset sub lapide iaspidis. *Et in circuitu sedis sedilia viginti quattuor: & supèr thronos viginti quattuor sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum corona aurea*, ad denotandam maiestatem sedentis, gloriam verò seniorum in vestimentis albis, & coronis aureis: quò enim maiores assistentes, eò maior cui assistitur; hinc est, quòd hi viginti quattuor representantur in senili ætate, quia si coràm cano assurgendum iubetur, qualis is, cui cani assurgunt? non quòd in cælo sint senes, cum resurrecturus vnusquisque sit in ætate virili, & Christi, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Philip. 3. 21. Et quia sunt hæ personæ representatæ, non est laborandum qui, qualesue hi sint, satis est scire representari Sanctos de mundo venientes, proptereà sessio, vestes, coronæ assignantur. Et quòad sessionem non agitur hic de iudiciaria, cum scopus sit representare gloriam, & maiestatem Dei, non iudicium, & proptereà diuinatio est esse hos vel Patriarchas, vel Apostolos, vel alios Sanctos particulares, quia hic non agitur de iudicio, & quia scimus Apostolos tantùm sessuros ad iudicium. Matth. 19. 28. de alijs ignoramus, etsi de Prophetis innuat cap. 18. 20. infrà, & in Episcopo Thyatirensi suprà cap. 2. & Apostoli etiàm cum Christo iudicante, non vt hic cum Patre, vel Trinitate, sessuri sint, etsi ómnibus in cælo admissis dantur sedes. Potiùs sub viginti quattuor posset vniuersitas Sanctorum designari, & cum vestibus, & coronis, quas demittunt, non quòd in cælo hæc sint, sed pro intelligentia nostra ad maiestatem sedentis representandam, quam simili modo demonstrat. Isa. 49. 32. ex Regibus demisso vultu adoraturis, & cap 6. Seraphim velantibus faciem eius, & pedes eius, idest, totum Deum, quia non valent sustinere splendorem, & radium gloriæ Dei; & ex Moyse, qui abscondit faciem suam, non enim audebat aspicere contrà Deum. Exod. 3. 6. Daniele, qui deiecit vultum suum in terram. Daniel. 10. 15. Paulo à claritate Christi obcœcato. Actor. 9. & 22. comprobatur. Opinio verò Ioachini est nullius momenti, cum nullibì dicat Scriptura de duodecim ex Gentili populo venturis ad conuersionem mundi tempore Antichristi, & nullum aliud Euangelium sit publicandum. *Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tronitrua: & septem lampades ardentes antè thronum, qui sunt septem Spiritus Dei*, de quibus suprà cap. 1. 4. non ad puniendos tùnc, sed terrendos, & auertendos homines à peccatis, & principalitèr ad denotandam maiestatem Dei. Et sub nomine septem spirituum designari potest etiàm vniuersitas Angelorum præsertim quia in cælo erat visio; sed dicuntur *lampades*, quia alij ab eis illuminantur, vel ob

eorum illuſtrationem, & ſplendorem, vt videbimus. *Et in conſpectu ſedis tamquàm mare vitreum ſimile cryſtallo*, non credo cælum cryſtallinum dictum, aquas, quæ ſupèr cælos ſunt, continens, ad quod deſcendiſſet gloria Domini apparitura Ioanni: id enim inuerisſimile, & incongruum. Sed hoc etiàm ſpectare ad maieſtatem demonſtrandam, & viſionem beatificam, quam habent omnes Angeli, & Sancti in cælo: in aqua enim ſolet repreſentari gloria, vt infrà cap. 22. 1. in fluuio, ſicùt gratia, quæ ad gloriam ducit in eadem, vt in Samaritana. Ioan. 4. 14. & ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat; collocatum eſt in conſpectu ſedis, vt in Deum referatur viſio beatifica, à quo omne bonum, & appareat, omnibuſquè ſit conſpicuum. *Et in medio ſedis, & in circuitu ſedis quattuor animalia plena oculis antè & retrò*. Circumſtant ſpiritus, animalia plena oculis, quæ ſunt Angeli, & Sancti ad beatitudinem, & gloriam hauriendam ex viſione, qua ſaturantur quidèm, cum effuſa ſit viſio, non tamèn exhauriunt, quia Deus infinitus, cuius gloria mari nunquàm exhauriendo comparatur ad noſtram capacitatem. Aliquibus apparet vitreum, vel eſt vitreum; aliquibus ſimile cryſtallo, quia non omnium viſio vniformis, vni minor, alteri maior; minor per vitrum, maior per cryſtallum magìs diaphanum, & lucidum deſignata: in domo enim Patris mei manſiones multæ ſunt. vel vt infrà cap. 15. dicitur mare vitreum miſtum igne ad denotandum claritatem ſolam, non aliam diuerſitatem viſionum: igni autèm cryſtallum ſimile reſpectu ſplendoris, ſeù apparentiæ: ideò hìc *mare vitreum ſimile cryſtallo*. Repreſentatur ſub figura maris, nedum ad denotandam eius amplitudinem, ſed & modum, quo Beati gloria ſatiantur: intendunt enim aciem in mare poſitum antè conſpectum ſedis, vultum demittentes, cum ex naturalibus non poſſint intendere in faciem Domini, ne obruantur à gloria; ſic Seraphim demittunt vultus, & ſenes dicuntur cadere in facies ſuas adorantes verſic. 11. volentes enim aliquid videre in aqua repreſentatum, vultum demittimus; hinc, captus ſui amore Narciſus. & dicitur Prouerb. 27. 19. quomodò in aquis reſplendent vultus proſpicientium, & hoc etiàm ad gloriam Dei demonſtrandam pertinet. Et hic intellectus confirmatur capite 15. in quo gloria ſimilitèr repreſentatur in mari vitreo mixto igne ad denotandam claritatem, & viſionem beatificam, & in deſcriptione ciuitatis cæleſtis fit mentio vitri, & cryſtalli infrà capit. 21. ſic fit mentio cryſtalli in deſcriptione gloriæ facta ab Ezechiele capite 1. 22. iuncto cap. 2. in principio. Aliqui tamèn dicunt hìc repreſentari iudicium, & mare vitreum importare omnia in iudicio reuelanda, proùt dicit Apoſtolus. 1. Corinth. 3. 13. vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit: Dies enim Domini declarabit; & cap. 4. 5. Itaquè nolite antè tempus iudicare quoaduſquè veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, &c. At non placet, quia in hoc capite nihil de iudicio, ſed repreſentatur tantùm maieſtas Dei, quem omnes circumſtant, venerantur, laudant; imò nequè in ſequentibus capitibus, ſed in ſigillis manifeſtantur perſecutiones, plagæ, pœnæ, & ſimilia: & de iudicio agitur cap. 20. vbi repreſentatur thronus, & ſedens, omnes præſentati, & iudicati, libri aperti, ad pœnas amandati, quæ hìc non habentur, nequè in cap. 15. vbì ſimilitèr dixi agi de gloria. Non dicas repreſentari populos ex mari vitreo iuxtà illud, aquæ, ideſt, populi: nàm excluditur intellectus, quia viuentia omnia expreſſit in ſpiritibus ſenioribus, animalibus; vndè non eſt veriſimile ſub materialibus, & in medio aliorum materialium de populis agere. Secundò, non repreſentarentur populi in cælo, niſi incongruè, præſertim quia nihil de iudicio, ſed de gloria. Tertiò, ſi populi, dicerentur de illis, proùt de alijs ſpiritibus, ſenioribus, animalibus, proſtrationes, cantus, laudes, ſtarentne ipſi otioſi? Quartò, infrà capite 17. aquas interpretatus eſt Ioannes populos, at non mare: id enim in Scriptura nunquàm pro populis,

eò magis iuncto verbo, vitreum, quod ad vnitatem tendit. Ex his etiàm excluditur quòd sub mari vitreo intelligantur Angeli, eò magis quia de illis fecit mentionem specificam; vndè de illis non præsumitur repetitio sub his verbis obscuris. Ostenduntur quattuor animalia ad eandem maiestatem Dei aperiendam, & qualitatem ministrantium adstantium sub forma animalium; ad fortitudinem quidèm sub leonis, ad vtilitatem, seù labores vituli, prudentiam, & mansuetudinem quasi hominis, propterea non representatur irrationale, ad celeritatem, & pernicitatem aquilæ figuris describendo, quæ etiàm omnia, & alia sub typo tot oculorum antè, & retrò, & in medio sedis, & in circuitu sedis totum mundum vndequaquè respicientia, & alarum clariùs demonstrantur; sic & Ezechiel. 1. similia animalia ad alia insinuanda. Non arbitror designari his animalibus Euangelistas, tùm quia omnia representantur pratèr naturam animalium, & hinc agnoscitur, non ad veritatem, sed ad representationem fieri, tùm quia Euangelistis non conueniunt tot oculi, tot alæ, volatus, officium sempèr canendi *sanctus, &c.* neque assistentia antè Dominum, quæ propria Angelorum ministratoriorū spirituum, sub quorum etiàm faciebus, quibus apparebant, cognoscuntur ministeria eis delegata, quæ Euangelistis non aptantur, & quia vnum animal representatur sub figura quasi hominis; quomodò ergò figurabat hominem? & sicùt representatio in vno deficit, vt non possimus ad Euangelistas trahere, deficit in alijs tribus, de quibus prædicatur vniformitèr. Prætereà, quomodò alij Sancti sedentes, hi stantes, vel volantes? Cur hi sub forma animalium, illi hominum? nonnè hi de primo ordine, Euangelistæ scilicèt, intèr quos duo Apostoli? Ad hæc, si ex quattuor duo demas, Matthæum, & Ioannem viuum intèr Apostolos seniores sedentes iuxtà aliquos, duo tantùm erunt Euangelistæ. Vel si vis hos intèr Euangelistas, Apostoli erunt decem tantùm, ità vt hæc machina nullo modo stare possit eodem tēpore, proùt representatur. Prætereà quartū animal sub forma aquilæ loquitur Ioanni, quomodò ergò representatur idem Ioannes sub illo? ità Perrer. hic nu. 70. vsq. ad 80. Ex his autèm non tollitur, quin in Ezechiele representententur sub quattuor animalibus Euangelistæ. vt per eundem Perrer. etsi multi alij probabilitèr velint & hic eandem fieri representationem proùt ibi, sequitur ergò, *& viginti quattuor seniores: & quattuor animalia* representata ad denotandam Dei maiestatèm, nec aliud quærendum. Porrò *animalia plena erant oculis antè & retrò* ad denotandum prouidentiam, & diligentiam ministrorum, & quomodò eis omnia sunt nuda, & aperta in visione Dei, quæ omnia redundant in gloriam sedentis; vndè Propheta: quò ibo à spiritu tuo, &c. &, ego sū Deus scrutans renes, & corda, &c. Alæ senæ ad denotandam eorum velocitatem, & quòd essent Angeli, vel Cherubim, etenim & Isa. 6. Seraphim stabant supèr illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, at clarè Ezech. 1. iuncto. cap. 10. 19. 20. & cap. 41. 18. & 19. Et in circuitu, *& intùs plena sunt oculis,* vt videant omnia, & referant, vt in Sara, & Tobia, quorū orationes in conspectū magni Dei representatę sunt. Tob. 3. 24. & Raphael Tobiæ: Quādò orabas cū lacrymis, & sepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationē tuā Domino. Tob. 12. 12. & Angelus Cēturioni: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in cōspectu Dei. Act. 10. 4. *Et requiem non habebant die, ac nocte,* idest, nunquàm cessabant; sic Gen. 2. requieuit, cessauit ab omni opere, quod patrarat; *dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens.* hæ voces, casus seniorum, demissio coronarum, adoratio, gratiarum actio, recognitio seruiunt ad arguendam maiestatem sedentis, & gratitudinem hæc præstantium, & admonemur ad illos imitandos die ac nocte, & sempèr, & in omnibus Deum laudantes: *Qui erat, & qui est, & qui venturus est,* quia tota Trinitas inuisibilitèr iudicatura, vel Christo soli applicatur visibilitèr venturo, vt dixi in primo cap. Interpretare ergò visionem representantem maiestatem Domini, & omnia ad illam refer, non ad inferiora, non ad ignota, non ad nos, & multa amputabis inepta ad litteralem sensum. *Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictio-*

hem sedenti supèr thronum, viuenti in sæcula sæculorum, Deo, eorum cantu, & voce; *procidebant*, prostrabantur *vigintiquattuor seniores* congregatio illa Sanctorum *antè sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum*, æternum Deum, *& mittebant* in signum obsequij, & recognitionis, & subiectionis *coronas suas*, quas habebant in capitibus eorum *antè thronum*, antè sedem Dei, *dicentes: Dignus est Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem:* quasi, tibi soli honor, gloria, virtus, potentia: *quia tu creasti omnia*, quæ sunt, *& proptèr voluntatem tuam*, sinè qua nihil fit, *erant*, existunt, *& creata sunt*, tu solus creator omnium.



CAPVT V.


1 *ET vidi in dextera sedentis suprà thronum, librum scriptum*
2 *intùs & foris, signatum sigillis septem. * Et vidi An-*
gelum fortem, prædicantem voce magna: Quis est dignus
3 *aperire librum, & soluere signacula eius? * Et nemo po-*
terat neque in cælo, neque in terra, neque subtùs terram
4 *aperire librum, neque respicere illum. * Et ego flebam*
multum, quoniàm nemo dignus inuentus est aperire li-
5 *brum, nec videre eum. * Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris: eccè*
vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacu-
6 *la eius. * Et vidi: & eccè in medio throni & quattuor animalium, & in me-*
dio seniorum, Agnum stantem tamquàm occisum, habentem cornua septem, &
7 *oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. * Et ve-*
8 *nit: & accepit de dextera sedentis in throno librum. * Et cum aperuisset librum,*
quattuor animalia, & viginti quattuor seniores ceciderunt coràm Agno, haben-
tes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes
9 *sanctorum: * & cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine ac-*
cipere librum, & aperire signacula eius: quoniàm occisus es, & redemisti nos
10 *Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: * & fe-*
11 *cisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes: & regnabimus supèr terram. * Et*
vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & anima-
12 *lium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, * dicentium voce*
magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem,
& sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.
13 ** Et omnem creaturam, quæ in cælo est, & supèr terram, & sub terra, & quæ*
sunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui, dicentes: Sedenti in throno, & Agno:
14 *benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. * Et quattuor*
animalia dicebant: Amen. Et viginti quattuor seniores ceciderunt in facies
suas: & adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum.



T vidi in dextera ſedentis ſuprà thronum librum ſcriptum intùs & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. ſimilem Ezech. 2. 9. In hoc cap. 5. repreſentatur clauſus liber difficilis aperitionis, vt ex hac repreſentatione meliùs nobis inſigatur Apocalypſis reuelatio, & abſtruſio, & quomodò etiàm ſit Ieſu Chriſti in forma agni figurati aperientis. ***Et vidi in dextera ſedentis librum*** rerum abſconditarum, & reuelandarum, proùt fit aperiendo ſigilla; vndè fruſtrà quęritur quis ſit iſte liber manifeſtans ſe ex contentis in quolibet ſigillo, ***ſcriptum intùs & foris*** ob illarum multitudinem. De libro ſimili ſcripto intùs & foris. Ezech. 5. ***ſignatum ſigillis ſeptem***, ideò difficilis ad aperiendum. ***Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna: Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius?*** quaſi dicat, nullus. ***Et nemo poterat neque in cælo***, cæleſtium, ***neque in terra***, terreſtrium, ***neque ſubtùs terram***, infernorum ***aperire librum, neque reſpicere illum***, vt poſſet ſciri quid contineret. Omnes illos gradus recenſet ad inſinuandam difficultatem aperitionis; ideò non eſt facienda vis in verbo, infernorum. ***Et ego flebam multùm, quoniàm nemo dignus inuentus eſt aperire librum***, & tantò minùs videre illum ad ſciendum quid contineret: nàm quòad viſionem ſimplicem Ioannes iàm dixit: ***Et vidi***; vndè ſi de hoc tantùm, neceſſe eſſet dicere, ***nec videre eum*** prætèr me videntem illum: ſermo enìm non comprehendit perſonam loquentis, præſertìm qui iàm dixerat vidiſſe. ***Et vnus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleueris: Eccè vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius***. Supèr his verbis quæro primò, quis iſte liber? & dic librum eſſe rerum abſconditarum, verſantium circà Eccleſiam, reuelandarum, proùt fit. Secundò quæro, quis hic leo? & dic eſſe Ieſum, Meſſiam, quem & ſub typo leonis nuncupauit Iacob benedicens Iudæ. Gen. 49. 9. ideò, ne putares de vero leone intelligere, ſubdit ***de tribu Iuda***, alludens ad illum, & clariùs ***radix***, filius, deſcendens ***Dauid***, in quo radicatur deſcendentia Dauid de ſtirpe Iuda; & Iſa. 11. 10. dicitur radix Ieſſe patris Dauid. Ruth. 4. 22. Rom. 15. 12. & Apoc. 22. 16. ego ſum radix, & genus Dauid, à quo genus trahit leo, non Dauid ab ipſo, cum incongruat in carnali generatione, & quia intendit demonſtrare qualis Ieſus, non qualis Dauid. Tertiò quæro, cur Meſſias leo? dic, quia Deus & homo potentiſſimus, qui præualuerat, & debellauerat principem dæmonum, & mundum virtute, & potentia ſua, qui etiàm ſtat pro Eccleſia, pro qua reuelanda in libro. Quartò quęro, cur ſubdit verſ. 6. ***Et vidi: & eccè, &c. agnum ſtantem tamquàm occiſum***, ideſt, occiſum, ***habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, miſſi in omnem terram***. præmitte eundem eſſe leonem & agnum iuxtà textum: nàm quam habet fortitudinem leo, dat & agno diuinam ſub cornuis ſeptem, prouidentiam diuinam ex oculis ſeptem; dic verò agnum nominari, quia noluit vti leo, ſcilicèt in maieſtate diuina vincere, ſed in humilitate carnis, in crucis ſtultitia, & ſcandalo, ni mirum, ſi quem dicit leonem, nominat agnum: ſanguine enim ſuo acquiſiuit Eccleſiam, & quà homini datum eſt, & iuſſum reuelare hæc circà eam verſantia, & hoc illi ſoli reſeruatum. Quintò quæro, cur præmittit, ***vicit leo***, ſi vt agnus vicit? dic ratione idiomatum communicatorum potuiſſe dicere etiàm quà leonem viciſſe, ſed meliùs explicat, quomodò leo vicerit, ſubdens de agno, nempè in humilitate, vt dixi. Vel conſiderat illum leonem de tempore, quo verba proferuntur, dum eſſet in cælis glorioſus victoria parta, agnum verò eo tempore, quo vincebat; nulla ergò vel contrarietas, vel difficultas. ***Et vidi: & eccè in medio throni, & quattuor animalium, & in medio ſeniorum, agnum ſtantem tamquàm occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, miſſi in omnem terram***: deſcribit potentiam eius ſupèr terram, cuius data erat illi omnimoda poteſtas: ideò ſpiritus ab eo miſſi vti Domino

ſupèr omnem terram, & vt non miraremur, ſi ipſe ſolus dignus aperire librum, dicit illum *occiſum:* morte enim ſua id meruit: ideò infrà *occiſus es*, *&c. habentem cornua ſeptem*, quæ denotant potentiam, *& oculos ſeptem*, qui denotant illius prouidentiam, ſagacitatem, vigilantiam, præſcientiam, præuiſionem futurorum ſupèr Eccleſiam. *Et venit*, acceſſit: *& accepit de dextera ſedentis in throno librum. Et cum aperuiſſet librum* antè ſigilla, quia ſigilla poſtmodùm, *quattuor animalia*, *& viginti quattuor ſeniores ceciderunt coràm agno*, *habentes ſinguli citharas*, *& phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum: & cantabant canticum nouum,dicentes*; venerantur, curuantur, adorant, pulſant citharas, canunt canticum nouum,odore ſuffumigant, quia orationes ſanctorum ſunt in odorem ſuauem Domino. Et hìnc puto hos vigintiquattuor ſeniores repreſentare vniuerſitatem ſanctorum, præſertìm quia ſubdunt: *ex omni tribu, & lingua*, *& populo*, *& natione:* & non eſt veriſimile ad laudem hanc non accuriſſe omnes ſanctos, proùt de Angelis ſubditur, *millia millium*, *&c.* innumerabilia, proùt & millia millium aſſiſtebant ei, Daniel. 7. & ſic ſempèr impletur: proptèr quod & Deus exaltauit illũ,&c. Philip. 2. proùt proſequitur Ioannes: *Dignus es Domine accipere librum*, *& aperire ſignacula eius: quoniàm occiſus es*, ex morte tua hoc recepiſti, *& redemiſti nos Deo in ſanguine tuo*, quem in pretium ſoluiſti, repete, nos, *ex omni tribu*, *& lingua*, *& populo, & natione:* mortuus eſt enim pro omnibus hominibus, omneſquè redemit: *& feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes,* dediſti nobis vt regnare, & ſacerdotes eſſe orationi inſtantes Deo noſtro poſſimus, vel principes: *& regnabimus ſupèr terram* in cælis. Portio mea in terra viuentium; &: Beati mites, quoniàm ipſi poſſidebunt terram. *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum: & erat numerus eorum millia millium* (omnes conuenerunt) *dicentium voce magna: Dignus eſt agnus*, *qui occiſus eſt accipere virtutem*, potentiam, *& diuinitatem*, quia in gloria eſt Dei Patris, *& ſapientiam, & fortitudinem*, quibus vincat, *& honorem, & gloriam, & benedictionem*, quia per ipſum omnia bona accepta, *Et omnem creaturam, quæ in cælo eſt,& ſupèr terram*, *& ſub terra*. Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, *Et quæ ſunt in mari, & quæ in eo* (hæc ad idem:) *omnes audiui dicentes: ſedenti in throno*, Deo, *& agno*, Ieſu Chriſto: *benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* hæc nedum in laudem,ſed & in gratiarum actionem. *Et quattuor animalia dicebant: Amen*. confirmantia per illos dicta. *Et viginti quattuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas*, proſtrauerunt ſe in ſignum ſubmiſſionis, & reuerentiæ; ſic Abraham. Gen. 17. *Et adorauerunt viuentem,* Deum *in ſæcula ſæculorum*. Canunt quattuor animalia, ſenes, Angeli, omnes creaturæ. Animalia, & ſeniores ſimùl dicunt: *redemiſti nos*,& alia ad eos ſpectantia: ideò illa,& illi non repreſentabant Angelos,quibus non conuenit verbum redemptionis, & alia, ſed Sanctos, proùt tenui. Angeli verò aliud canticum pronunciant: *Dignus eſt agnus*, *qui occiſus eſt*, conuenit ei ob humiliationem ad crucem. Sed difficultas eſt, quia quattuor animalia pro Angelis figurata, & viginti quattuor ſeniores pro vniuerſitate Sanctorum ſimùl canunt primum; vndè dicendum eam partem ſpectare ad ſenes; Animalia verò cecinere,quia & in natiuitate Angeli dicebant etiàm ſpectantia ad homines:Gloria in Excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & aliquo modo ſeruiuit Angelis redemptio humana, quia cũ hominibus redemptis pacificati ſunt, & eorum ruina ex hominibus reparata,& numerus ſuppletus. Vltrà quòd & aliqua dicta ab illis promiſcuè aptantur & Angelis, & ipſa animalia concinunt & cũ Angelis, reſpondentes. *Amen*. Vel quia repreſentantur vti animalia, non vti Angeli, ideò iuxtà eorum repreſentationem obſcuram non poſſumus hanc difficultatem obijcere, ſed ſtandum iuxtà figurata.

CA-



CAPVT VI.

1 ET vidi quòd aperuisset Agnus vnum de septem sigillis,
& audiui vnum da quattuor animalibus, dicens, tam-
2 quàm vocem tonitrui: Veni, & vide. * Et vidi: &
eccè equus albus, et qui sedebat supèr illum habebat ar-
cum. & data est ei corona, & exiuit vincens vt vin-
3 ceret. * Et cum aperuißet sigillum secundum, audiui se-
4 cundum animal, dicens: Veni, & vide. * Et exiuit
alius equus rufus: & qui sedebat supèr illum, datum est ei vt sumeret pacem
5 de terra, & vt inuicèm se interficiant, & datus est ei gladius magnus. * Et
cum aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal, dicens: Veni, & vi-
de. Et eccè equus niger: & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu
6 sua. * Et audiui tamquàm vocem in medio quattuor animalium, dicentium:
7 Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum, & oleum ne
læseris. * Et cum aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis,
8 dicentis: Veni, & vide. * Et eccè equus pallidus: & qui sedebat supèr eum,
nomen illi Mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas supèr quat-
9 tuor partes terræ, interficere gladio, fame, et morte, et bestijs terræ. * Et cum aperuis-
set sigillum quintum: vidi subtus altare animas interfectorum proptèr verbum
10 Dei, et proptèr testimonium, quod habebant, * et clamabant voce magna, dicentes:
Vsquequò Domine, (sanctus, et verus) non iudicas, et non vindicas sangui-
11 nem nostrum de ijs, qui habitant in terra? * Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ:
et dictum est illis vt requiescerent adhùc tempus modicum donèc compleantur
12 conserui eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicùt et illi. * Et vidi
cum aperuisset sigillum sextum: et eccè terræmotus magnus factus est, et sol fa-
13 ctus est niger tamquàm saccus cilicinus: et luna tota facta est sicùt sanguis: * et
stellæ de cælo ceciderunt supèr terram: sicùt ficus emittit grossos suos cum à vento
14 magno mouetur. * et cælum recessit sicùt liber inuolutus: et omnis mons, et in-
15 sulæ de locis suis motæ sunt: * et reges terræ, et principes, et tribuni, et diuites, et
fortes, et omnis seruus, et liber absconderunt se in speluncis, et in petris montium:
16 * et dicunt montibus, et petris: Cadite supèr nos, et abscondite nos à facie seden-
17 tis supèr thronum, et ab ira Agni: * quoniàm venit dies magnus iræ ipsorum:
et quis poterit stare?

ET


T *vidi quòd aperuisset agnus vnum de septem sigillis, & audiui vnum de quattuor animalibus* suprà dictis, *dicens*, audiui, inquam, eum dicentem *tanquàm vocem tonitrui*, vehementem: *Veni & vide. Et vidi: & ecce equus albus, & qui sedebat supèr illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.* Ad intelligentiam huius sigilli præsupponendum est bellum, seù persecutio præcedens cōtrà Ecclesiam Dei, quæ vigeret eo tempore, quo fit reuelatio Ioanni, vt posteà locus sit victoriæ, seù paci, de qua in illo: ideò non potest sigillum hoc primum intelligi de victoria, & pace Ecclesiæ tempore Apostolorum, cum hoc tempore, quo reuelatio fit Ioanni, præcessisset persecutio Neronis, qui sustulit Petrum, & Paulum, & vigeret subsequens persequutio Domitiani, qui Ioanni venenum, & dolium feruentis olei propinauit, & in insulam, vbi adhùc morabatur, eum deportauerat. Non de pace antè Neronem tempore Caligulæ, vel alterius, quia illæ præteritæ; hìc agitur de futuris, & quia sub Nerone cœpit prima persecutio. Vndè dicendum videtur primò, vel Christum, vel Angelum ab eo destinatum (postquàm per Angelos hæc administrat) sessorem equi albi fuisse, quia certò prædicitur victor, tùm ex equo albo triumphatoribus assignato, infrà. cap. 19. tùm ex corona, tùm quia dicitur exire vincens, vel qui aliàs vicisset, proùt fecerat per crucem. confidite, ego vici mundum: &, ecce vicit leo de tribu iuda: & leo est primum animal aduocans Ioannem. Vel, *vincens vt vinceret*, ad magnam, vel certam victoriam denotandam, vtì Sap. 10. 12. certamen forte dedit illi vt vinceret, quæ omnia in alio sessore non conuenirent. Secundò, hìc ex equo bellicoso, arcu, corona, victoria præsuppone bellum antecedens, motum per diabolum contrà Ecclesiam, quod excludit pacem primam imperturbatam Ecclesiæ antè Neronem. Tertiò, cùm reuelatio percutiat tempora Domitiani, qui in Pathmos Ioannem deportauerat, & retinebat, hanc victoriam capere tempus à Domitiano vsquè ad Traianum, quo cœpit tertia persecutio: intercesserunt enim tempora quieta sub pluribus Imperatoribus intermedijs, qui non sæuierunt, & Nerua, qui absoluit omnes exules, intèr quos Ioannes, & pacem Ecclesiæ reddidit. Nisi velis (cum ordo temporum non seruetur in Prophetis) demonstrari pacem tandèm Ecclesiæ futuram pòst baptismum Constantini Magni, quam prædixit Lucia Virgo: persecutiones enìm Imperatorum non habuerunt perfectum finem, nisi pòst Constantinum Christianum; Et sic exhilarauit Ioannem martyrio, veneno, exilio mulctatum hoc optimo nuncio primi sigilli, si ad Neruam. retuli probabiliora, tamèn incerta, at primus intellectus magìs quadrat.

Et cum aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal simile vitulo, *dicens: Veni, & vide. Et exiuit alius equus rufus: & qui sedebat supèr illum, datum est ei vt sumeret pacem de terra, & vt inuicèm se interficiant, & datus est ei gladius magnus.* Is diabolus equo rufo vectus; sic apud Zachariam. cap. 1. 8. rufus erat, qui terram perambulauit, quia visa pace Ecclesiæ procurauit iterùm bellum introduci: sic enìm nos circuit, vt in Iob cap. 1. & Achab. 3. Reg. 22. & ad suam instigationem permissum est illi (proùt cum Iob, & Achab) quod hìc dicitur. Vndè excitauit magnam stragem, & cruentam, ex qua equus rufus, idest sanguineus ponitur, & hæc cœpit sub Traiano, qui successit Neruæ: sub illo enìm, mortuo Nerua, iterùm excitata persecutio in Christianos, de qua Plinius scribit, & durauit vsquè ad Constantinum magnum conuersum. More suo fecit Deus, probans electos modò lætis, modò tristibus, & quia hæc tristia multo tempore erat duratura, vult fideles cognoscere se permittente hæc fieri, ne desperent. Sumere pacem de terra, idest, ex hominibus: ideò benè subdit spectantia ad homines: *& vt inuicèm se interficiant*, & apta ad discordiam, quia *datus est ei gladius magnus*. dicit, *datus*, non sumptus, quia

ex

ex permissione Dei hæc omnia fecit. Vitulus est secundum animal Ioannem vocans; hìnc denotatur multitudo saginatorum, & immolatorum pro agno. Et hìnc apparet tutius dici persecutionem interpositam à Nerua, & reassumptam à Traiano, quàm referri pacem ad Constantinum in primo sigillo.

Et cum aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal, habens faciem quasi hominis, *dicens: Veni, & vide. Et eccè equus niger, & qui sedebat supèr illum, habebat stateram in manu sua. Et audiui tamquàm vocem in medio quattuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, & tres Bilibres hordei denario, & vinum, & oleum ne læseris*. Videns diabolus ex cædibus Christianorum minùs profecisse, imò fertiliorem agrum Euangelij ex eorum sanguine redditum, equo nigro ascenso, idest, hæreticis excitatis omnia in nigrum conuertentibus, Christianismum conturbauit, & vt cautiùs deciperet, stateram sumpsit quasi æqua decreturus, seù intellecturus sano modo Scripturam, & alia rectè acturus; hìnc per animal quasi hominem repræsentans, idest, fallacem, inimicum hominem dictum superseminantem zizania in medio tritici, quæ est fraus dæmonis, Ioannes vocatur. Et si hìc non agitur de hæreticis, quandò agetur? & quæ maior persecutio? cum inimicus domesticus sit peior externo? Et hæc subsecuta est pòst Constantinum conuersũ in Ario: persecutiones enim vsquè ad Constantinũ: & ab eo citrà hæreses, & hoc pacto cognoscitur per ordinem persecutio Ecclesiæ. Sed cum non possit, nisi quantum ei permittitur, & statera dolosa abominatio est apud Dominum, & pondus æquum voluntas eius. Prouerb. 11. 1. imperatur ei voce in medio quattuor animalium à Deo oriente: *Bilibris, &c.* quasi, mensura rem age, nè putes omnia sus deque ponere. *denario duas libras tritici*, quod est pretiosum: *sex libras hordei*, quod est vilius, distrahe, proùt 4. Reg. 7. sic illum retinuit contra Iob; sic iussit Angelo percutienti: sufficit, cesset manus tua. 2. Reg. 24. 16. 1. Paralip. 21. 15. & non finit Angelum percussorem ingredi domos Hebræorum, & lædere, quandò percussit primogenita Aegyptiorum. Exod. 12. 23. sic infrà cap. 7. 3. Nolite nocere terræ, & mari, nequè arboribus, &c. & ne auferas medicinas vini, & olei typo figuratas. Vel ne auferas charitatem, & lenitatem à fidelibus, qui stabunt, ne scilicèt fortè deficiant in fratribus in hæreses casuris subleuandis. Vel ne lædas, aut auferas gustum à sanctis Scripturis, ne reddas homines nauseabundos; eisdem enim ab eis confundèris. Vel ne lædas efficaciam Verbi Dei penetrantis vt vinũ, & oleum. Vel ne tentes vltrà quàm possint sustinere fideles mei. *Bilibris tritici denario*, & non bilibris, sed sex libras *hordei denario:* triticum enim pretiosius, quia conseruatur in horreo Patrisfamilias, vilius hordeum, non tamèn igni destinatum, vt palea. At quomodò Deus vtitur statera cõtrà diabolum, qua ipse abutebatur contrà Deum, reuocans eum ad mensuram rectam. *Bilibris, &c.* sic etiàm hæresibus vsus est ad exercendos, & stabiliendos animos fidelium credentium, & bonorum, & secreta sua aperienda. Non credo dici posse, ne læseris sacramenta, quia quot hæreses contrà illa excitauit? non præualuit certè, sed nequè in alijs etiàm minimis, quia conseruauit sibi Deus Ecclesiam absquè ruga: vndè quomodò hoc in illis singulare? Vt autèm sciamus diabolum cum suis hæresibus non præualiturum, & id procedere à Deo, audiuit Ioannes vocem illã de medio quattuor animalium emissam (cum nesciret à quo, ab vno tamèn ipsorum emissam) ex ordine Agni, cũ per hos, Angelos scilicèt, soleat Deus hæc ministeria peragere. Heb. 1. in fine, potiùs quàm ab Agno, licèt & non incongruè, si ab illo; & aliàs dictum, portas inferi non præualituras contrà Ecclesiam, &: dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri.

Et cum aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis similis aquilæ volanti, *dicentis: Veni, & vide. Et eccè equus pallidus: & qui sedebat supèr eum nomen illi mors.* non est clarior visio, mors ipsa nominatur, explicatur & in equo pallido: pallor enim color mortis; *& infernus sequebatur eum, & data est illi* morti *potestas supèr quattuor partes terræ*, supèr totum orbem

bem in quattuor partibus comprehensum; *interficere gladio, fame, & morte, & bestijs terræ*. Videns diabolus in præteritis persecutionibus Imperatorum, & Principum, & in hæresibus nihil profecisse contrà Ecclesiam, cogitauit vitijs, & abominationibus, discordijs intèr homines, præsertim Principes, Ecclesiam vbiquè gentium dissoluere, permissumquè est illi à Domino hæc attentare, sinè cuius permissione non poterat, vti iàm dictum ex Iob, & Achab; quàm verò latè hæc disseminauerit, & profecerit, indè argue, quia mors sedet quasi ob magnas strages fessa, & victrix; Sub hoc quarto sigillo igitur representantur omnia vitia, & scelera mundi sub typo mortis, nempè mortem animarum apportantia: sicùt enim mors naturalis corpus, sic peccatum animam occidit: à consequente igitur morte elicitur peccata sub sigillo contineri, quæ illam præcedunt: mors enim inuidia diaboli hominem ad peccatum inducentis introducta fuit in mundum Gen. 3. & non hìc de morte naturali corporis, sed æterna animæ: nàm statutum est hominibus semèl mori corporalitèr; eò magis quia infernus sequitur excepturus peccato mortuos in æternum cruciandos. Vel figuratur infernum sequi, quia à diabolo circuimur: perambulat enim totum orbem, quærens quem deuoret, & instigamur ad peccatum, ad quod perducti morti tradimur. Vel quia ipse mortem sequebatur, quasi mortem deducens, imperium retinens supèr morte, supèr malis hominibus ad Heb. 2. 14. Iustè autèm tradimur inferno, quia mortem peccantes nobis comparauimus, & vnicuique retribuitur secundùm opera eius; & quia velocitèr deponimur à corpore (mors enim velox) tradendi cruciatibus æternis, repræsentatur animal aquilæ simile Ioannem vocans ad pernicitatem, & velocitatem hanc denotandam. Sed cur hìc pœna adeò propera, quæ non in alijs sigillis? quia frequentiùs ad peccata mouemur carne, & passionibus allecti, & tracti suggerente dæmone, & concupiscentia nostra, quàm ad Religionis desertionem, ob persecutiones, & hæreses: ideò hìc paratior, & promptior pœna ostenditur ex morte, & inferno, quasi patrata sint peccata, in hæresibus & persecutionibus patranda. At quodnam hoc nouum? mors ab Adam, peccatum ab eodem, sempèr dæmon circuierat, vt in Iob. Quarè hoc ad sigillum abscondita continens? Respondeo hanc esse vocem, & significationem, ne torpeamus, etsi non vigeant persecutiones pristinæ, vel hæreses, quia non cessat tentator nos abripere ad vitia, & ad infernum ducere. Et quid continent alia sigilla? nonnè Christus dixerat persecutiones futuras? nónnè hæreses sub fermenti, furum, & mercenariorum typo? nonnè Petrus, & Paulus, & alij futuros seductores, Antichristos? & quòad primum, cui ignotum Christum victorem futurum, & depositurum inimicos? & quintum de animabus interfectorum quis dubitat vindicandas esse, cū id etiàm Christus prædixerit. Luc. 18.? Et sextum quod de iudicio: nulla enìm pagina est, in qua de iudicio aliquid non habeamus; & cap. 1. ipse iudicaturus apparuit, vt dixi, sed hìc representantur hæc per figuras, sigilla, vt meliùs memoriæ imprimantur, & commendentur, & ad illorum maiorem certitudinem, & timorem: vndè non sunt inuestiganda quæ extrà mundum, vel cælum sunt ex eo solo quòd sumus in Apocalypsi. Non videtur autèm ad alia posse trahi hoc sigillum quartum, quia iàm de persecutionibus, & hæresibus actum in secundo, & tertio sigillo, ad quas referuntur quæcunque erunt vsquè ad Antichristum, præsertim quia in his visionibus non agitur de vno principatu, vel Imperatore aduersante, sed de tota Imperatorum persecutione, & hæreticorum subuersione, & colluuie, propterea magis placent opiniones ad peccata tendentes, quàm aliæ, etsi neque hæ in totum satisfaciunt, dum ad particularia peccata restringuntur, quæ & sempèr extiterunt, & diabolus illis vsus est, & præsertim ad peccatum hypocrisiæ ob pallorem equi, cum pallor potiùs ad mortem referendus. Non placet quod dicitur de secta Mahometana, quia cum sit hæresis, cadit sub tertio sigillo, nec potest dici persecutio, quia non agit de fide, non aduersatur Christianismo, tolerat illum, tractat de Imperio dilatando; & si esset persecutio caderet sub secundo sigillo,

nec


nec adhùc locus esset primo triumpho, & victoriæ Christi, quam referebamus ad tempora Neruæ, & Constantini, quia restringeretur ad tempus Neruæ, & auferretur ordo quòad hæreses. Huic etiàm opinioni non accommodantur dicta de inferno sequente, neque de morte, neque de potestate data: quomodò enìm hæc sub nomine mortis? non enìm vrget, quia multos occidit sibi non credentes: nàm non esset singulare in ea, fortè magis verificaretur in alijs Imperatoribus, & monstris Romanis. Minùs facit quod dicitur de pallore: nàm hic intelligitur passiuè, quia mors reddit homines pallidos, pallida mors dicitur in his, qui moriuntur, non actiuè in inferentibus eam, quasi homicidiales Saraceni pallidi. At quomodò volumus impropriare vocabulum? nunquàm in his sigillis sessores declarati, præterquàm in hoc quarto: vndè non aptatur in claris hæc impropriatio, nec solet fieri demonstratio rei absconditæ per communia, & nota, & vniuersalia, vti mors est; & quandò aliàs declarat, vt cap. 1. 20. de stellis, & de candelabris, & cap. 4. 5. de lampadibus, illi stamus, cur nùnc renuimus? Quòd infernus sequatur, non potest trahi ad potentiam Mahometanam, quia antiqui Imperatores fuerunt ipsa potentiores, & clariores, & ex alijs prædictis. Vanum est credere absquè Scriptura hanc sectam vsquè ad Antichristum duraturam, proùt certum est duraturum peccatum, quod animam tollit, & præcipitat in infernum. Possumus tamèn suspicari proximum esse tempus Iudicij, & ex his sigillis, quæ præcesserunt, si alia persecutio notabilis non erit, nisi Antichristi, at hæc leuia. Aduertendum quòd etsi dæmon vna pòst aliam persecutione, & afflictione vsus sit, sempèr tamèn etiàm his temporibus nostris, quibus in Insulis Iaponijs martyres necantur, omnia coaceruat, & modò vna, modò alia vti ad homines abripiendos.

Et cum aperuisset sigillum quintum: vidi subtùs altare animas interfectorum proptèr verbum Dei, proptèr quod & passus Ioannes suprà cap. 1. 2. 9. *& proptèr testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Vsquequò Domine, (sanctus, & verus* qui es) *non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra?* sic, stabunt iusti in magna constantia aduersùs eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. *Et data sunt illis singulæ stolæ albæ*, gloria, beatitudo in anima: *& dictum est illis, vt requiescerent adhùc tempus modicum donèc compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicùt & illi*. Omnes mortui pro Christo ruinam impiorum prædicunt, non tamèn expetunt illam, sicùt Psalmista pluriès expetere videtur vindictam impiorum, quam tamèn non desiderat, sed eo modo venturam prædicit; & quomodò desiderium vindictæ in eis, quorum orationes referuntur ad Deum placandum? infrà cap. 8. 4. Item hoc modo loquendi optant corpora sua gloria superindui, Saluatorem expectantes, qui reformet corpus humilitatis eorum configuratum corpori claritatis suæ. Philip. 3. 21. sed præstolari iubentur, vt in simili Paulus. Hebr. 11. in fine, vt non sinè alijs consumentur, perficiantur, vbì dixi. Seruit hoc sigillum ad confirmandos animos tribulationem patientium, quia coronæ, & gloriæ instant, & auertendos animos persequutorum ob mala eis ventura. *Subtùs altare*, quia sunt victimæ Dei pro eo saginatæ, & immolatæ, & subtùs altare prostratæ, & ob id sub altare videntur, non quòd sint sepulta illorum corpora subtùs altaria: nàm quot extrà altaria sunt? aut quòd visæ sint beatæ: nàm alia demonstratione id manifestatur, quia indutæ erant stolis albis. *Stolæ albæ*. beatitudo animæ, & spes beatitudinis corporum ex sequentibus, non tùnc datæ stolæ albæ, sed dum introductæ fuerunt in cælum, & hoc modo voluit nobis significare voluntatem Dei esse, vt beatitudine animæ sint contentæ, & cap. 7. habetur de eisdem stolis albis. *Interficiendi*, & sic nunquàm deficient martyres vsquè in finem mundi.

Et vidi cùm aperuisset sigillum sextum: & eccè terræmotus magnus factus est. In hoc sexto sigillo agitur de signis præcedentibus Iudicium, nec ad alia possunt adaptari signa expressa conformia dictis in Euangelio à Christo, & omnia signa propriè, & ad literam

teram sunt intelligenda, non aliò transferenda. Vide scripta in Euangelijs. Subditur hoc sigillum immediatè vocibus interfectorum, vt appareat quàm celer sit Deus ad vindictam suorum. Luc. 18. Sed de singulis agamus hìc dictis. *Et ecce terræmotus magnus factus est;* sic de illo tempore terræmotus futurus. Matth. 24. 8. Marc. 13. 8. Luc. 21. 11. *Et sol factus est niger tamquàm saccus cilicinus: & luna tota facta est sicùt sanguis: & stellæ de cælo ceciderunt supèr terram, sicùt ficus emittit grossos suos cum à vento magno mouetur.* Matth. 24. 29. Luc. 21. 25. Stellæ ceciderunt de cælo supèr terram sicùt ficus emittit grossos suos, cum à vento mouetur. & proùt Isai. cap. 34. sicùt folium de vinea, & ficu, & hac similitudine apparet intelligi verè casuras stellas in firmamento infixas priùs arsas ab igne cælum vrente, & soluente. 2. Petr. 3. vbi dixi, & in Euangelijs. non exhalationes ignitas variè figuratas ex cælo aereo demittendas. *& cælum recessit sicùt liber inuolutus.* Expanderat seù extenderat Deus illud ad protectionem, vtilitatem, & gustum hominum. Extendens cælum sicùt pellem. Psal. 104. 3. nùnc inuoluit non protecturum, neque aliquid supèr illos facturum, proùt dum non vtimur libro, quem inuoluimus, & plicamus, & ligamus, sicquè intellige, sed & virtutes cælorum commouebuntur, nempè influxus, actiones, motus, operationes cælestes non ampliùs in homines influent, agent, operabuntur, vt solebant: erunt enim complicatæ quòad vsum illorum: si enim complices diaphanum, seù transparens, proùt chartam, vitrum, chrystallum erit tenebrosum, sic cælum plicatum vt liber; sic Isa. 34. 4. complicabuntur sicùt liber cæli, proùt hìc recessit sicùt liber inuolutus, quod fit dum eo non vtimur; & Isa. 50. 3. induam cælos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum. Vel fit æreum, vt Deut. 28. 23. vel ferreum. Leuit. 26. in princ. vel atteritur. Iob. 14. 12. sic Elias cælum continuit ne plueret, & cessaret esse in vsu hominum per annos tres, & menses sex. Eccl. 48. 3. Reg. 17. & 18. & in diebus nouissimis de Enoch, & Elia habentibus potestatem claudēdi cælum, ne pluat infrà cap. 11. & per hunc locum declaratur ille Matthæi, & Lucæ. At finalitèr commouebuntur alio modo, quia magno impetu transient, & ardore soluentur, & mutabuntur in nouos cælos. 2. Pet. 3. Isa. 65. Heb. 1. & Dauid: sicùt opertorium mutabis eos, & mutabuntur, & infrà cap. 21. 1. & Matth. 24. cælum, & terra transibunt; vndè verificabitur quod dicitur Eccl. 17. 30. quid lucidius sole? & hic deficiet. At congruum fuit, vt sicùt de signis in Sole, Luna, Stellis dixerat, in cælis etiàm in vniuersum diceret, & hanc cessationem cælorum, impetum, ardorem cognoscent homines, & mirabuntur: hæc enim omnia ob oculos eorum repræsentanda sunt, vt eueniat quod dicit Lucas: arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi, & hoc pacto fiet motio; non autèm intelligendum omnes Angelos, vel virtutes nùnc cælos voluentes commouendas: loquitur enìm Christus in Euangelijs, & Ioannes hìc de his, quæ versantur circà homines, & de videndis ab hominibus: non inuisibilibus, qualis illa motio esset, & de motu creaturarum corporearum, non intellectualium, quarum nunquàm mentio, & quibus non congruit verbū, (commouebuntur) vt per Matthæum, seù (mouebuntur) vt per Lucam: nam motio interna, aut externa, aut mœtus, aut dolor illis non conuenit horum incapacibus, & qui in Deo omnia vident, & sciunt hæc futura, & cum ipsi imperterriti collecturi sint scandala, & reposituri triticum, & approbaturi factum Dei, & quia assistunt hominibus, & illos custodiunt, & tamèn neque horum ratione illorum fit mentio. Nec satisfacit quòd hæc per hyperbolem, cum omnia, sicùt dicuntur, sint euentura, vt latè ex præmissis probaui. *Et omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt* (effectus terræmotus:) *& reges terræ, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber,* quisque cuiusuis conditionis, *absconderunt se in speluncis, & in petris montium* præ timore; sic Lucas in Euangel. arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi: *Et dicunt montibus, & petris: cadite supèr nos, & abscondite nos à facie sedentis supèr thronum, & ab ira agni:* horrendum est enim inci-

incidere in manus Dei viuentis: sic Osee. 10. 9. Luc. 23. 30. *Quoniàm venit dies magnus ira ipsorum.* dies illa dies iræ. Sopho. 10. 15. Vndè certum hìc agi de præcedentibus Iudicium, vt dixi.



CAPVT VII.

1 *POST hæc vidi quattuor Angelos stantes supèr quattuor
angulos terræ, tenentes quattuor ventos terræ ne flarent
supèr terram, nequè supèr mare, nequè in vllam arbo-
2 rem. * Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu
solis, habentem signum Dei viui: & clamauit voce
magna quattuor Angelis, quibus datum est nocere terræ,
3 & mari, * dicens: Nolite nocere terræ, & mari, nequè
4 arboribus, quoadusquè signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. * Et au-
diui numerum signatorum, centum quadraginta quattuor millia signati, ex
5 omni tribu filiorum Israel. * Ex tribu Iuda duodecim millia signati: Et tribu
6 Ruben duodecim millia signati: Ex tribu Gad duodecim millia signati: * Ex
tribu Aser duodecim millia signati: Ex tribu Nephtali duodecim millia signa-
7 ti: Ex tribu Manasse duodecim millia signati: * Ex tribu Simeon duodecim
millia signati: Ex tribu Leui duodecim millia signati: Ex tribu Issachar duo-
8 decim millia signati: * Ex tribu Zabulon duodecim millia signati: Ex tribu
Ioseph duodecim millia signati: Ex tribu Beniamin duodecim millia signati:
9 * Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus
Gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes antè thronum, & in
10 conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: * & clama-
bant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet supèr thronum, & Agno
11 * Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quattuor ani-
malium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt
12 Deum, * dicentes. Amen. Benedictio, & charitas, & sapientia, & gratia-
rum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum.
13 Amen. * Et respondit vnus de Senioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti
14 sunt stolis albis, qui sunt? & vndè venerunt? * Et dixi illi: Domine mi, tu
scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laue-
15 runt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni, * ideò sunt antè thro-
num Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno ha-
16 bitabit supèr illos: * non esurient, nequè sitient ampliùs, nec cadet supèr illos
17 Sol, nequè vllus æstus: * quoniàm Agnus, qui in medio throni est, reget illos,
& deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam
ab oculis eorum.*




OST *hæc vidi quattuor Angelos, &c.* In hoc cap. prosequitur materiam sexti sigilli, & scopus visionis tendit ad demonstrandum, quòd etsi totus mundus pessumdetur, & submergatur, tamèn electos, & prædestinatos saluandos esse: ideoquè inducitur Angelus ex ordine Dei descendens, (quod est habere signum Dei viui) iubens Angelis paratis nocere ne noceant, donèc serui Dei signentur, iuxtà illud (segregabunt malos de medio iustorum:) & sic admonemur qualis, & quanta cura Dei sit circà seruos suos, & opportunè omnia fiunt, quia terræmotus tantùm factus erat, nec aliud prodigium in terra acciderat, & iàm cælum ad nullum vsum seruiebat, & hęc ponuntur ex aduerso ad impios, adeò territos, vt inuocarent casuros montes supèr eos, & quia hæc est repræsentatio futurorum, videt Ioannes agmina beatorum, proùt prosequitur. Ad litteram autèm hæc omnia de ventis intelligenda, quia hoc caput est connexum cum antecedenti, in quo omnia capiuntur ad litteram, vndè non possumus vnum vno, aliud alio modo interpretari. Sed constat hìc non seruari ordinem rerum, cum hæc anteponantur persecutioni Antichristi, quæ tamèn præcedet. Simile de quattuor ventis. Isa. 49. 36. & Ezech. 37. 9. & Daniel. 7. 2, Matth. 24. 31. Marc. 13. 27. Ierem. 49. 36. Iob. 1. 19. *Vidi quattuor Angelos*, malos, quia subdit, *quibus datum est nocere terræ, & mari* quasi ordinariè, & paratis ad id, quibus dicitur, *nolite nocere terræ, &c.* & quia dicit, *vidi alterum Angelum*, idest, aduersum: cum ergò is bonus, illi mali: Deus enim etiàm malis vtitur ad puniendum, & in ventis in Iob est exemplum, & in Agrippa percusso, & mali sunt solicitatores, & accusatores contrà nos, nec cessant vnquàm à machinis: vndè posset dici hìc, ne tot saluarentur properasse ad ventos claudendos. Nec inconuenit quattuor malos in angulis, cum multi alij mali in medio sint: non enim numerus ad quattuor restrictus, cum tertia pars eorum ceciderit. Opinio hæc fulcitur, quia ad nullius exemplum seruiebat hæc actio, cum pòst inclusionem ventorum finis: sinè eis enim mundus stare non posset, non terra, non arbor, non mare, quia aqua putresceret, si immota. Et quandò Deus per Angelos bonos castigauit, punitio illa fuit in exemplum, vt alij auerterentur. tamèn bonos etiàm fuisse teneri potest, quia in cap. 8. & 9. boni erant, & cap. 15. 16. & vbiquè, sed cap. 14. ipse Christus punit, & Angeli, & dictum de illo per Ioannem: ipse permundabit aream, licèt hæc per Angelos soleat, vt in Sodomis, & populo tempore Dauid, dum pestis grassaretur. 2. Reg. 24. Non possunt intelligi quattuor, vel plures Principes terræ, quia hi absconderant se in speluncis suprà cap. 6. 15. quid si Principes in Ecclesia? at insolitum hìc. *Stantes supèr quattuor angulos terræ;* signat neminem euasurum; anguli nomine designantur regna, dicit Hieron. lib. 5. in Isa. cap. 19. & Christus lapis angularis continens duos populos: designatur & vniuersitas populorum. Iudic. 20. 1. 1. Reg. 14. 38. hìc autèm per quattuor angulos intelligitur totus mundus in quattuor ventos primarios, & partes diuisus. *Tenentes quattuor ventos terræ ne flarent supèr terram, neque supèr mare, neque in vllam arborem*, ità vt homines suffocandi essent. *Et vidi alterum Angelum* bonum *ascendentem ab ortu solis*, venientem ab oriente, bona apportantem, proùt mala ab aquilone, *habentem signum Dei viui*, idest, à Deo missum; non potest autèm dici hunc esse Christum, qui solet per Angelos administratorios spiritus hæc operari, præsertim quia hìc nihil de Principibus terrenis: *& clamauit voce magna quattuor Angelis* malis, *quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus*, quarum est in præcedenti clausula nulla mentio, tamèn in principio dicitur, *nequè in vllam arborem*, & ex subsequenti cognoscitur illas etiàm comprehendi: Scriptura enim sæpiùs declaratur ex altera, nec de facili vtitur repetitione: *quoadusquè signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum*, ne illis noceatis, proùt signati postes domorum

rum in Aegypto, ne Hebræi tangerentur ab exterminatore. Exod. 12. & signo thau. Ezechiel. 7. *Et audiui numerum signatorum* tribuum Israel, quas enumerat, ne (quia non sunt à captiuitate regressæ) putaremus nullum illarum saluum, & sic contigit quod dictum Eliæ: seruaui mihi septem millia, qui non curuauerunt genua antè Baal. Omittit Dan, non quia ex ea Antichristus, quia is illam non contaminaret, sicùt non contaminarunt Christum tot Reges, & mulieres malæ in sua genealogia descriptæ: sed quia fortè non aderat numerus duodecim millium Beatorum, proùt in alijs: nàm inuerisimile est nullum saluum fuisse de illa tribu constante ex sexaginta duobus millibus, excedente omnes numero, prætèr Iudam, quæ ex septuaginta quattuor millibus. Num. 1. ideò elegit potiùs silentium, quàm minùs dicere, & fortè id ei contigit, quia hæc illa tribus vltrà alias scelesta, quæ à principio mansionis suæ in terra promissionis subripuit idòlum Michæ, & apud eos mansit omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. Iudic. 18. 18. 31. & sic vsquè ad captiuitatem idòlolatra fuit, quo nullum peccatum execrabilius, & Deo magìs displicens, & in Dan fuit erectum altare vitulorum per Ieroboam. Ob hanc idòlolatriam Deo adeò odiosam à Salomone assumptam placet magis opinio illum esse damnatum, præsertìm quia etiàm pòst mortem suam vsquè ad Iosiam. 4. Reg. 23. 13. durarunt excelsa per eum idòlis ædificata, quæ (si pœnituisset) sustulisset. Tentauit & iniustè occidere Ieroboam. 3. Reg. 11. circà finem vitæ suæ. Grauauit & absquè causa subditos tributis, cum esset ditissimus, & exacta sunt vsquè ad diem mortis: vndè subditi recursum habuerunt ad Roboam filium suum. Fuit & cum tot concubinis vsquè ad extremum vitæ, quæ cor suum deprauauerant, & luxuria sensus hebetantur: Si dicis, quomodò sapientior, ditior, gloriosior Rex damnatus? Respondeo, & Saul bonus, & damnatus. & quomodò cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? & Iudas Apostolus: &, ò altitudo, &c. Rom. 12. in fine, & per tot. Epist. At aduertendum quia non potest stare, vt dicta in cap. 6. & in hoc 7. cap. referantur ad tempus Antichristi, cum diuersę sint calamitates futurę sub illo, & tempore præcedente Iudicium, & in 6. cap. signa Iudicium præcedentia, in hoc cap. describatur gloria eorum, qui salui sunt, vndè standum est nondum agi de Antichristo, sed antè illud tempus dictum de signis antè iudicium, quia Ioannes non seruauit ordinem rerum: duo enìm hæc simùl stare non possunt, quòd dicta in cap. 6. intelligantur ad litteram, proùt iacent de signis antè iudicium, & de tempore, seù de persecutione Antichristi, quia tùnc omnia essent improprianda, & mysticè intelligenda. Credo autèm hæc de signis antè Iudicium paucis verbis Ioanni enarrata, eundemquè nobis, & hæc prætulisse persecutioni Antichristi, cum tenderet ad illam copiosè declarandam; quam & vltimò reseruauit in ea diutiùs immoraturus. *Ex tribu Iuda.* prima tribus Iuda, quia in illa regnum, à quo cecidit Ruben primogenitus violans thorum paternum. Gen. 49. 4. quod non in alijs, vel numerat omnes iuxtà visionem. cur visio talis, quis diuinet? *Ex tribu Ioseph*, à celebriori denominat tribum Ephraim, cum loquatur de beatis. Præmittit de beatis populi Hebræi, quia in primis sęculis fortè salui pauci ob magnū furorem, quem dæmon è cælo pręcipitatus exercuit, auocando homines à cultu Dei, & alligando ad cultum suum: hìnc diluuium, hinc pauci in Scriptura placentes Deo nominati, vltrà Abel, Noe, Enoch, Iob, quem Deus glorians diabolo ostendit, & Paulus. Rom. 11. 30. id innuit arguens primum casum Gentium: sicùt enìm aliquandò & vos non credidistis Deo, &c. hìnc prædictio Iudicij per Enoch. Iudæ. 14. qui fortè videbat multitudinem peccantium, præsertìm in concupiscentijs carnalibus, quas diabolus commouit per eiectionem Adæ è Paradiso, in quas inuoluit & Filios Dei. Genes. 6. 2. deindè tempore Abrahæ extendit illas ad vitium sodomiticum, ità vt igne consummi debuerit, & erant omnia plena idòlolatria. At postquàm segregatus populus ab idòlolatria, quæ mundum occupauerat, postquàm facta promissio Abrahæ, ab illo die cœperunt homines, qui in magnum populum in Aegypto creuerant, & exindè educti, connecti, & adhærere Deo, & ideò ha-

rum tribuum electi præcedunt; & pòst Christi passionem subdit. *Pòst hæc vidi turbam magnam, &c.* quæ publicato Euangelio colla supposuit, in sanguine agni dealbauit stolas suas, & in cælo beata sedet: vndè loquitur de extantibus, non futuris; hinc Christus: à diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11. Luc. 7. tùnc enim apertè prædicatum, cum anteà Lex, & Prophetæ futura indicantes occultè. Vel fortè Ioannes loquitur de solis tribubus, vt ostendat priuilegium harum segregatarum, non quòd etiàm antè multi salui non fuerint, præsertìm dum viguit doctrina Adam. Omnes autèm agnum glorificant, quia & antecedentes, & sequentes in eo salui, qui occisus est ab origine mundi. Leguntur hæc pro Epistola in die omnium Sāctorum vnà cum Euangelio beatitudinum ad nos excitandos ad eorum imitationem, & demonstrandas vias, quibus inniti debeamus ad gloriam assequendam. *Pòst hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, innumerabilem *ex omnibus Gentibus, & tribubus, & populis, & linguis* totius mundi, vndè hæc ad gentes; has dicit vidisse, quia recentes, primos autèm ex tribubus Hebraicis; quia primi antiqui, audisse numerum illorum, *stantes antè thronum*, quia hi ad nouum testamentum spectantes magis propinquant throno ob carnem à Christo assumptam, *& in conspectu agni*, per quem beatitudinem receperunt, hinc subdit *amicti stolis albis, & palmæ*, victoriam denotantes, *in manibus eorum: & clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet supèr thronum, & agno*, & Christo. *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quattuor animalium* (hi sic circundati videntur de maioribus more humano:) *& ceciderunt in conspectu throni in facies suas*, prostrauerunt se illum adorantes, per quem omne bonum receperant, *& adorauerunt Deum*, Sanctissimam Trinitatem, *dicentes. Amen*. Perfectio. *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Omnia attributa Dei, & laudes, & gratiarum actiones. *Et respondit vnus de Senioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vndè venerunt?* interrogat reuelaturus, non vt discat. *Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione màgna*, scilicèt Antichristi, quæ præcedet signa dicta in cap. 6. in sexto sigillo, si ad futuros: si ad tùnc extantes, Imperatorum, & aliorum persecutorum; *& lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni*, quia sinè illo non est salus; *ideò sunt antè thronum Dei* in maxima gloria: quò enìm quis magis appropinquat, in maiori gloria dicitur, *& seruiunt ei die ac nocte*, sunt ei intimi familiares, prout dicimus in seruis domino gratis, *in templo eius, & qui sedet in throno, habitabit supèr illos*, adeò de illis confidit, more humano hęc: *nō esurient, nequè sitient ampliùs, nec cadet supèr illos sol, nequè vllus æstus*, non patientur ampliùs quidquam, transierunt illa: *quoniàm agnus, qui in medio throni est, reget*, pascet, diriget *illos, & deducet eos* tutò *ad vitæ fontes aquarum*, ad aquas vitales, ad amœnitates omnes, *& absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, ità vt nec præteritorum doleant, sed & ad lætitiam conuertantur. In summa quos ad visionem beatificam admissos conspicit sub terrenis delitijs, & voluptatibus designat ad intelligentiam nostram.



C A-



CAPVT VIII.

1 ET *cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium*
2 *in cælo, quasi media hora.* * *Et vidi septem Angelos*
stantes in conspectu Dei: & datæ sunt illis septem tubæ.
3 * *Et alius Angelus venit, & stetit antè altare habens*
thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, vt
daret de orationibus Sanctorum omnium supèr altare au-
4 *reum, quod est antè thronum Dei.* * Et *ascendit fumus*
5 *incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coràm Deo.* * *Et accepit*
Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram, &
6 *facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus magnus.* * *Et se-*
ptem Angeli, qui habebant septem tubas, præparauerunt se vt tuba canerent.
7 * Et *primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando, & ignis, mista in san-*
guine, & missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia
8 *pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est.* * Et *se-*
cundus Angelus tuba cecinit, & tamquàm mons magnus igne ardens missus est
9 *in mare, & facta est tertia pars maris sanguis,* * *& mortua est tertia pars crea-*
turæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interijt.
10 * Et *tertius Angelus tuba cecinit: & cecidit de cælo stella magna, ardens tam-*
quàm facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum:
11 * *& nomen stellæ dicitur Absinthium; & facta est tertia pars aquarum in ab-*
sinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.
12 * Et *quartus Angelus tuba cecinit: & percussa est tertia pars Solis, & tertia*
pars Lunæ, & tertia pars Stellarum, ità vt obscuraretur tertia pars eorum, &
13 *diei non luceret pars tertia, & noctis similitèr.* * Et *vidi, & audiui vocem*
vnius aquilæ volantis per medium cæli, dicentis voce magna: Væ, væ, væ
habitantibus in terra de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba ca-
nituri.



T cum aperuisset sigillum septimum. In hoc sigillo, & cap. & seq. continuat sermonem de signis antè Iudicium,& non continetur noua materia,sed tantùm noua signa,& flagella contrà non signatos. *Factum est silentium in cælo, quasi media hora*,quieuerunt signa,facta est interpositio temporis, vt homines pœniteret, cum ex aperitione apparuissent plagæ graues superuenturæ, & hinc silentium,non quòd id esset materia septimi sigilli: hoc enim videtur satis alienum: quid enim materiæ cum tempore? materia erat septem Angeli, quibus tubæ datæ, vt plagas cierent supèr homines;

mines;nonnè in quolibet sigillo(si legantur) aliquid datum, visum, & inhibitum; vndè standum in hoc, quòd cùm esset vltimum sigillum, parua illa mora interiecta est, antequàm Angeli ad supplicia exirent. Quæ autèm habentur in hoc sigillo septimo nihil ad sextum, quasi media hora sit beatitudo sanctorum illorum,cum omnia ponantur distinctè, & de per se. Vltrà quòd verba (*factum est silentium*) non possunt importare existentia in sigillo,sed tempus interpositum pòst sigilli aperitionem, quæ enim in sigillo extarent,subdit. *Et vidi,&c.* & iuxtà illam moram, & Angelus incenso dato visus est auertere, vel saltèm differre mala per illos septem Angelos comminata. *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: & datæ sunt illis septem tubæ;* Datæ sunt his tubæ contrà homines apparentèr, & hos credo fuisse bonos Angelos, tùm quia stantes in conspectu Dei,tùm quia illis datæ tubę,quę bonis, non malis Angelis conueniunt, tùm quia *alius Angelus*, qui bonus erat, *venit, &c.* verbum enim, *alius*, importat similitudinem;si ergò is bonus, & illi boni. Sed cur datæ tubæ? dic ad mala in homines concitanda. *Et alius Angelus venit, & stetit antè altare habens thuribulum aureum;* is accurrit ad mala præparata auertenda;sic Aaron cum thuribulo accucurrit ad auertendam stragem à populo. *Et data sunt illi* altari *incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium supèr altare aureum, quod est antè thronum Dei.* Hoc facit Angelus bonus ad iram Dei mitigandam, & ad differendam punitionem,& exterminium ab hominibus malis. *Et ascendit fumus incensorum* ei datorum *de orationibus Sanctorum de manu Angeli* illas deferentis,proùt Tob. 3. & 12. Acto. 10. *coràm Deo*, in conspectu Dei. *Et accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris* sacro propitiante, proùt illud Aaron medij intèr populum, & ignem deuorantem, non alieno; alludit ad alienum impositū à filijs Aaron ob id à Domino occisis; *& misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus magnus* ad homines excitandos,& perterrefaciendos, denotandaquè mala futura, & instantia, à quibus saluarentur his signis, & significationibus. Nec dicatur hunc esse Christum,quia verbum, *alius*, denotat similitudinem aliorum septem, & est ministerium Angelorum offerre orationes Sanctorum coràm Deo, vt dixi suprà cap. 5. 9. & tùnc Christus apparebat vt agnus, & non dantur illi aliæ personæ, & actiones. *Et septem Angeli, qui habebant septem tubas præparauerunt se vt tuba canerent:* quasi, differentes vt pœnitentiam hominum viderent; hinc boni Angeli æstimandi, quia malorum celeritas exprimeretur in puniendo. At non possunt hi esse prędicatores,quia agitur de plagis inferendis,& est sermo, seù factum consecutiuum ad sigillum sextum, & præparatorium ad Iudicium vniuersale.

Et primus Angelus tuba ad malum parata *cecinit, & facta est grando, & ignis, mista in sanguine,& missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est,& omne fœnum viride cōbustum est.* Per Angelos punit Deus, quia sunt hi administratorij spiritus, & per partes punit homines,vt alij, qui remanent, edoceantur, & hac significatione fugiant à facie arcus; sic non misit vna vice omnes plagas in Pharaonem, sed singulas ad tempus, vt si non vna, saltèm altera mollesceret: hanc verò tertiam partem hìc intelligo distributiuè per totum mundum, quòd autèm vt conuertantur, habetur expressè cap. 9. in fin.


Et secundus Angelus tuba cecinit:& tamquàm mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis, & mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interijt. Sensìm crescit plaga, vt homines conuertantur, & cum agatur de pœnis, nescio quomodò ad prædicatores, vel diabolum hæc accommodentur; de nauibus mentio ad litteram,quia de mari agitur.

Et tertius Angelus tuba cecinit: & cecidit de cælo stella magna, ardens tamquàm facula,& cecidit in tertiam partem fluminum,& in fontes aquarum, & nomen stellæ dicitur Absinthium; & facta est tertia pars aquarum in Absinthium:& multi hominum mortui sunt de aquis, quia amara facta sunt,

Alia

Alia plaga, quæ intelligenda historicè, cum sint hæc signa, & prodigia à Christo dicta, non ità distinctè, & etiàm à Ioanne in præcedenti cap. annotata, sed nunc singillatìm Ioanni reuelata, & ab eo nobis.

Et quartus Angelus tuba cecinit, & percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars Stellarum, ità vt obscuraretur tertia pars eorũ, & diei non luceret pars tertia, & noctis similitèr: Similitèr plaga hæc intelligenda iuxtà narrationem. *Et vidi, &* claram *audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cæli*, vt ab omnibus audiretur, *dicentis voce magna: Væ, væ, væ, habitantibus in terra de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri*. Erat Angelus prænuncians calamitates secuturas à tribus Angelis, qui sequuntur ad arcendos homines à peccatis; & sub figura aquilæ ad denotandam celeritatem nuncij. Quæ Dei clementia; sic antequàm diluuium emitteret, distulit centum annis fabricationem arcæ, & in diluuio cataractas non aperuit illicò, seù in momento, vt poterat, omnes aquas non demisit, sed quadraginta diebus, & noctibus, vt malo imminente deterriti saluarentur.




CAPVT IX.



1 *ET quintus Angelus tuba cecinit: & vidi Stellam de cælo cecidisse in terram, & data est ei clauis putei abyssi.*
2 ** Et aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicùt fumus fornacis magnæ: & obscuratus est Sol, & aer*
3 *de fumo putei: * Et de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicùt habent potestatem*
4 *scorpiones terræ: * & præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantùm homines,*
5 *qui non habent signum Dei in frontibus suis. * Et datum est illis ne occiderent eos: sed vt cruciarent mensibus quinque: & cruciatus eorum, vt cruciatus scor-*
6 *pij cum percutit hominem. * Et in diebus illis quærent homines mortem, & non*
7 *inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. * Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium: & supèr capita earum tamquàm*
8 *coronæ similes auro: & facies earum tamquàm facies hominum. * Et habebant capillos sicùt capillos mulierum, & dentes earum, sicùt dentes Leonum erant:*
9 ** & habebant loricas sicùt loricas ferreas, & vox alarum earum sicùt vox cur-*
10 *ruum equorum multorum currentium in bellum: * & habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum: & potestas earum nocere homi-*
11 *nibus mensibus quinque: * & habebant supèr se Regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autèm Apollyon, Latinè habens nomen Exter-*
12 *minans. * Væ vnum abijt, & eccè veniunt adhùc duo væ pòst hæc. * Et se-*
13 *xtus Angelus tuba cecinit: & audiui vocem vnam ex quattuor cornibus alta-*
14 *ris aurei, quod est antè oculos Dei, * dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: Solue quattuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.*

* Et

15 * *Et soluti sunt quattuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & men-*
16 *sem, & annum: vt occiderent tertiam partem hominum.* * *Et numerus eque-*
17 *stris exercitus vicies millies dena millia. Et audiui numerum eorum.* * *Et ità*
vidi equos in visione: & qui sedebant supèr eos, habebant loricas igneas, &
hyacinthinas, & sulphureas, & capita equorum erant tamquàm capita Leo-
18 *num: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.* * *Et ab his tribus*
plagis occisa est tertia pars hominum de igne, & de fumo, & sulphure, quæ
19 *procedebant de ore ipsorum.* * *Potestas enim equorum in ore eorum est, & in*
caudis eorum: nàm caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita: & in his
20 *nocent.* * *Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam*
egerunt de operibus manuum suarum, vt non adorarent dæmonia, & simula-
cra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre
21 *possunt, neque audire, neque ambulare,* * *& non egerunt pœnitentiam ab ho-*
micidijs suis, neque à veneficijs suis, neque à fornicatione sua, neque à fur-
tis suis.




T *quintus Angelus tubâ cecinit: & vidi stellam*, idest, Angelum bonum *de cælo cecidisse in terram*, in terras delatum, vt & infrà cap. 20. hoc modo vtitur ad denotandam celeritatem, & improuisam apparitionem: hinc, *& data est ei*, eidem stellæ tamquàm Angelo bono *clauis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi*, quæ non fuisset data Lucifero: & ex his demonstràtur superioritas stellæ, eò magis quia potestas limitatur ab eodem (nō enim alius interponendus, cum non dicatur) ne lædant signatos, vt suprà cap. 7. 3. quod non aptatur Angelo malo: is enim non eligitur ad inhibendam, & limitandam potestàtem; vltrà quòd non daretur ei nomen stellæ. Non potest etiàm referri ad tempus, quandò Lucifer cecidit: nàm narrata per Ioannem sunt adeò annexa, vt per sonitum tubæ eodem instanti contigerint. Et si sub stella intellexisset de Lucifero, non erat necesse aperire puteum abyssi pro sequacibus euocandis sub nomine locustarum: vidisset enim & eos cecidisse cum illo, nec diuisisset loco, vel statu à Lucifero, sed simplicitèr sub nomine locustarum plagas intulisset. At si Lucifer stella, quomodò datur Rex Angelus abyssi, cum Lucifer sit ille Rex, & caput rebellium; & hoc censeo magnum argumentum: casus etiàm Luciferi non erat designandus per transennam, & infrà de illo, nec præsumitur repetitiò. *De cælo cecidisse* dicit, quia prophetarum est ponere ventura pro iàm factis, & ad denotandam velocitatem venientis. *Et ascendit fumus putei* igniti, *sicùt fumus fornacis magnæ: & obscuratus est Sol, & aer de fumo putei*, adeò magnus, & crassus erat. *Et de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicùt habent potestatem scorpiones terræ* venenosi: *& præceptum est illis ne læderent fœnum, omnes herbas terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Credo etiàm quæ sequuntur posse intelligi ad litteram, nempè locustas variè, horribilitèr pratèr naturam efformatas, & armatas pro diabolis, qui habebant Regem exterminantem, ad indicandam eorum virtutem, & varietatem in nocendo, quorum nocumenta varia ex alijs, qui hæc ad hæreticos, & alios homines trahunt, potes colligere; & non est nouum, quia & sub forma Serpentis Euam seduxit. Genes. 3. Nocumentum autèm esse in homines non habentes signũ, non autèm in signum habentes, quos sub

typo fœni, & viridis, & arborum designat, dicens: ***ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis***, non signatos. *Et datum est illis ne occiderent eos: sed vt cruciarent mensibus quinque: & cruciatus eorum, vt cruciatus scorpij* venenati *cum percutit hominem:* si enim habentes signum cruciassent, vtiquè læsissent, præsertim quia subdit eam plagam futuram, vt *in diebus illis* quærant *homines mortem, & non* inueniant *eam. & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*, ad denotandam plagæ, & doloris acerbitatem, quod non conuenit signum habentibus: potestas etiàm limitatur in tempore, vt non excedat quinque menses; sic etiàm suprà per Angelos bonos: vinum, & oleum ne læseris: &, nolite nocere terræ, & mari, nequè arboribus quoadusquè signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum; sic pòst cœptum flagellum, non antè iussum Angelo bono percutienti, vt cessaret. 2. Reg. 24. 16. *Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium;* hìc velocitas, & promptitudo ad nocendum, & pernicitas; *& supèr capita earum tamquàm coronæ similes auro:* hìc victoria certa; *& facies earum tamquàm facies hominum:* hìc prudentia in nocendo. *Et habebant capillos sicùt capillos mulierum*, implacabiles, proùt mulieres iratæ, & superbæ. *Et dentes earum sicùt dentes Leonum erant:* hìc potentia in morsu: *& habebant loricas sicùt loricas ferreas:* ipsæ imperterritæ, quia non poterant lædi, *& vox alarum earum sicùt vox curruum equorum multorum currentium in bellum;* hìc timor, quem ex motu ingerebant: *& habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum;* hìc impossibilitas euadendi, quia antè, & retrò ferire poterant: *& potestas earum nocere hominibus mensibus quinque: & habebant supèr se Regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autèm Apollyon, Latinè habens nomen exterminans*, à Principe illas ducente etiàm horribiles, & timendæ; tandèm his omnibus exprimitur qualitas nocentium, vt dixi. Itaquè hanc plagam, proùt superiores, in personas hominum exercendam puto verè, non spiritualitèr, non in doctrina falsa: si enim de Hæreticis, vel aliàs malis hominibus, si de spiritualibus ageretur, non essent immunes probi, imò contrà eos esset bellum; cum ergò ipsi immunes, & bellum sit contrà non habentes signum, hi erunt dæmones, non alij, & mala corporalia, non spiritualia. Non placet pro locustis intelligi homines alios infestâtes, & flagella inferentes, quia non erat necesse puteum abyssi aperiri, dari Regem diabolum, nec tanta varietas nocendi aptatur hominibus; absonum est etiàm has sub hominum typo recepisse facultatem nocendi hominibus: imò is modus loquendi innuit diuersitatem intèr offendentes, & offensos; Solet etiàm diabolis dari limitata potestas: non hominibus: vltrà quòd tùnc homines alijs curis vrgebuntur, quàm alios infestandi, & belligerandi, & nullam aliquam ex præcedentibus plagis per hos Angelos tuba canentes inflictis vidimus ex hominibus descendisse, sed è cælo, proùt & hæc à Stella cadente: vndè non sunt ad imparia iudicâda. *Væ vnum abijt*, de quo per Angelum præmonentem, *& ecce veniunt adhùc duo væ pòst hæc. Et sextus Angelus tuba cecinit: & audiui vocem vnam ex quattuor cornibus altaris aurei, quod est antè oculos Dei*. suprà cap. 8. 4. ergò vox à Deo; sic Isa. 57. 16. vox à facie mea egredietur; sic Moyses audiebat vocem Dei loquentis ad se de propitiatorio, quod erat supèr Arcam intèr duos Cherubim, vndè & loquebatur ei. Num. 7. 89. & infrà 14. 18. *dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: solue quattuor Angelos*, malos scilicèt, *qui alligati sunt in flumine magno Euphrate:* hinc enim denotatur potestas data dæmonibus, tùm quia dicuntur ligati, tùm in flumine, tùm parati vt occiderent, quæ non conueniunt bonis Angelis, quæ potestas vsquè ad illud tempus erat ligata, & is est stylus Dei cum dæmonibus, vti in Iob, & Achab. *Euphrate* adeò distante, ad demonstrandam Dei clementiam, qui Angelos illos tàm longè amandauerat & ligauerat, ne hominibus nocerent. *Et soluti sunt quattuor Angeli, qui parati erant in horam* ad statìm, *& diem, & mensem, & annum*, & sempèr: *vt occiderent tertiam partem hominum*, ad denotandum absquè nutu Dei dæmonem

non

non posse nocere, nequè nisi tempore ab eo præfinito. *Et numerus equestris exercitus viciès milliès dena millia* (hi quattuor Angeli ducebant exercitum sociorum malorum) ex quantitate magna inuincibilis, quem numerum firmat certò, subdens. *Et audiui numerum eorum* mihi relatum. *Et ità vidi equos in visione: & qui sedebant supèr eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas*; ad magìs decipiendum colore cælesti abutuntur dæmones à Deo permissi, *& sulphureas*, ex armis inoffensum, tutum, *& capita equorum erant tamquàm capita Leonum*, fortissimum vt Leo: *& de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur*, armis munitum, quæ euitari nequeunt. *Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum de igne, & de fumo, & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum*, hìc malum illatum. *Potestas enìm equorum in ore eorum est, & in caudis eorum*, antè & retrò feriens, *nàm caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita: & in his nocent*. Ex hoc, & omnibus antè dictis cognosce efformari bestias minimè naturales, & hos esse dæmones, quos illi quattuor mali Angeli excitauerunt. *Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, nequè pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum* malis, *vt non adorarent dæmonia, & simulacra aurea, & argentea, & æreа, & lapidea, & lignea, quæ nequè videre possunt, nequè audire, nequè ambulare*, proùt latè in Baruch, *& non egerunt pœnitentiam ab homicidijs suis, nequè à veneficijs suis, nequè à fornicatione sua, nequè à furtis suis*; hæc eo tempore frequentiora erunt: hìnc plagæ istæ cõsecuturæ vna pòst aliam, vt conuertantur, proùt diximus.



CAPVT X.

1 *ET vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt*
2 *Sol, & pedes eius tamquàm columnæ ignis: * & habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum supèr mare, sinistrum autèm supèr terram:*
3 ** & clamauit voce magna, quemadmodum cum Leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua vo-*
4 *ces suas. * Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: & audiui vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem*
5 *tonitrua: & noli ea scribere. * Et Angelus, quem vidi stantem supèr mare,*
6 *& supèr terram, leuauit manum suam ad cælum: * & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cælum, & ea quæ in eo sunt: & terram, & ea quæ in ea sunt: & mare, & ea quæ in eo sunt: Quia tempus non erit am-*
7 *pliùs: * sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consum-*
8 *mabitur mysterium Dei, sicùt euangelizauit per seruos suos Prophetas. * Et audiui vocem de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe*
9 *librum apertum de manu Angeli stantis supèr mare, & supèr terram. * Et abij ad Angelum, dicens ei, vt daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, & deuora illum: & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce*
10 *tamquàm mel. * Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum: &*

erat

erat in ore meo tamquàm mel dulce : & cum deuoraſſem eum , amaricatus eſt
11 *venter meus :* * *& dixit mihi : Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis .*



ROSEQVITVR materiam ſexti ſigilli, quod ſignificat finem ſęculi inſtare, cum primum ſeptimus cecinerit, vt homines reuocet ad pœnitentiam. *Et vidi alium Angelum* bonum *fortem*, non credo illum, de quo cap. 5. *deſcendentem de cælo amictum nube*, protegere volentem, *& Iris in capite eius*, miſericordia plenum, pacem nunciantem, quam Iris demonſtrat. Geneſ. 7. & 8. *& facies eius erat vt Sol*, luce plenum, vt doceat, & lætificet, *& pedes eius tamquàm columnæ, ignis*, ſtabilem, immotum, cui credatur: nedum enim columnæ, ſed ignitæ, benè excoctæ ad maiorem eius ſtabilitatem innuendam : puto enim de luteis coctis loqui, non puniturum igne inferni impœnitentes, imò omnibus dantem ſignificationem, & in forma, cui credatur; hinc ignitos, ideſt, ſtabiles, & longos (vt omnibus innoteſcant eius dicta) pedes gerit, & quia in præſenti nihil per eum de pœnis, ſed de fuga ab illis : *Et habebat in manu ſua libellum apertum*, vt appareret de delegatione ſibi facta, & miſſione à Deo emanante vltrà alia in eo contenta. Quòd ſit liber agni, inueriſimile, cum væ non eſſent finita, & ad quid Angelus affert librum agni, cuius iàm omnia aperta, & expanſa? Itèm hic libellus, ille liber, illius omnia reſerata, huius nihil, & non fit mentio, quòd ipſe ab Agno, cui datus, receperit. Prætereà de ſtatu Angeli nihil conuenit Agno, præſertìm vtriuſque pedis in mari, & terra. verſ. 2. & 10. *Et poſuit pedem ſuum dextrum ſupèr mare, ſiniſtrum autèm ſupèr terram : & clamauit voce magna, quemadmodum cum leo rugit*; hæc omnia; vt omnibus hominibus innoteſcerent quæ dicebat, idem præſtitit canēdo, & idem præſtiterunt ſeptem Angeli ſub typo tonitruorum, quod ſubdit. *Et cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas*; hi Angeli prædicentes mala futura. *Et cum locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus eram* eorum dicta : *& audiui vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua : & noli ea ſcribere*, ne miſceas hæc læta cum triſtibus, hæc pacifica cum nocentibus; hinc colligitur tonitrua emiſiſſe ea, quæ ad planctum inducerent. Vel *noli ſcribere*, quia capies librum, in quo ſcripta; vel intrà te perpende, & rumina; vel ſic dicit ad denotandam acerbitatem dictorum à tonitruis: quaſi, ne ſcribas adeò acerba, ſed nota tantùm. *Et Angelus, quem vidi ſtantem ſupèr mare, & ſupèr terram, leuauit manum ſuam ad cælum*, Deum ſuo modo inuocans; ſic Abraham cum Rege Sodomorum. Geneſ. 14. 22. & in Cantico. Deut. 32. leuabo ad cælum manum meam; & hoc modo *iurauit per viuētem in ſæcula ſæculorum*. Iuramentum Dei, & Angeli ſignum immobilitatis de eo, quod iurauit; vndè: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Pſalm. 94. Heb. 6. 13. 16. *qui creauit cælum, & ea quæ in eo ſunt : & terram, & ea quæ in ea ſunt: & mare, & ea quæ in eo ſunt*; explicat, ne detur alteri etiàm quid minimum in creatione : *Quia tempus non erit ampliùs*, mundus ad interitum eſt: ceſſante enim tempore, ceſſant omnia, quæ tempore cœperunt. Geneſ. 1. fiat lux, &c. ſic Prophetæ: finis, eccè finis venit, venit finis, quandò res ſunt in ſumma deſperatione : *Sed in diebus*, tempore *vocis ſeptimi Angeli, cum cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium*, omne abſconditum *Dei*, omnia eius ſecreta in mundo perficienda, *ſicùt euangelizauit per ſeruos ſuos Prophetas* de iudicio loquentes. *Et audiui vocem de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſupèr mare, & ſupèr terram. Et abij ad Angelum, dicens ei, vt daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, & deuora illum : & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce*

dulce tamquàm mel. Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui illum : & erat in ore meo tamquàm mel dulce: & cùm deuorassem eum, amaricatus est venter meus; fortè in eo scripta erãt mala dicta per tonitrua, quibus venter amaricandus erat, licèt prima iucunda pacẽ annunciantia: ideò tamquàm mel in ore in principio, amara in fine. Vel repræsentatur liber deuorandus ad insinuandum, vt memoria omnia commendet mundo diuulgaturus; vndè subditur: *Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis*, idest, iterùm prophetabis Gentibus, &c. edocens illum ab exilio liberandum, & iterùm euulgaturum Euangelium. Ex his aliqui suspicantur Ioannem viuere, & venturum cum Enoch, & Elia contrà Antichristum. Vide scripta supèr verbis Euangelij: sic eum volo manere. Io. 21. De simili libro continente lamentationes, carmen, & væ, dato ad comedendum dulci in ore. Ezech. 2. in fine. & 3. in princ. Et áduerte, liber ei proponitur non oculis aspiciendus, sed deglutiendus ore, quia legationis munus ore, & lingua obeundum, vt hìc. Sed cur in ore dulcis, in ventre amarus liber? in ore euangelizantium dulce Euangelium, quia funguntur legatione pro Deo, cui lætantèr seruiunt; at in ventre, in fine ob persecutiones, quas patiuntur euangelizantes amarus, ità vt tæderet eos & viuere, ex Paulo.




CAPVT XI.

1 *ET datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est*
mihi : Surge, & metire templum Dei, & altare, & ado-
2 *rantes in eo. * atrium autèm, quod est foris templum,*
eijce foràs, & ne metiaris illud : quoniàm datum est Gen-
tibus & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadra-
3 *ginta duobus : * & dabo duobus testibus meis, & prophe-*
tabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.
4 ** Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.*
5 ** Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos*
6 *eorum : & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. * Hi habent pote-*
statem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum : & potestatem ha-
bent supèr aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga
7 *quotiescumquè voluerint. * Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ*
ascendit de abysso, faciet aduersùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.
8 ** Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spirituali-*
9 *tèr Sodoma, & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. * Et vide-*
bunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies,
10 *& dimidium : & corpora eorum non sinent poni in monumentis. * & inhabi-*
tantes terram gaudebunt supèr illos, & iucundabuntur : & munera mittent in-
uicèm, quoniàm hi duo prophetæ cruciauerunt eos, qui habitabant supèr terram.
11 ** Et pòst dies tres, & dimidium, spiritus vitæ à Deo intrauit in eos. Et ste-*
terunt supèr pedes suos, & timor magnus cecidit supèr eos, qui viderunt eos.

Et

12 * *Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem eis : Ascendite huc . Et ascen-*
13 *derunt in cælum in nube : & viderunt illos inimici eorum .* * *Et in illa hora*
factus est terræmotus magnus , & decima pars ciuitatis cecidit : & occisa sunt
in terræmotu nomina hominum septem millia : & reliqui in timorem sunt missi,
14 *& dederunt gloriam Deo cæli .* * *Væ secundum abijt : & ecce væ tertium ve-*
15 *niet citò .* * *Et septimus angelus tuba cecinit : & factæ sunt voces magnæ in*
cælo dicentes : Factum est regnum huius mundi, Domini nostri & Christi eius,
16 *& regnabit in sæcula sæculorum : Amen .* * *Et viginti quattuor seniores, qui*
in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt
17 *Deum , dicentes :* * *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens , qui es , &*
qui eras, & qui venturus es : quia accepisti virtutem tuam magnam, & re-
18 *gnasti .* * *Et iratæ sunt Gentes, & aduenit ira tua , & tempus mortuorum iu-*
dicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis, & Sanctis , et timentibus no-
19 *men tuum pusillis, et magnis, et exterminandi eos, qui corruperunt terram .* * *Et*
apertum est templum Dei in cælo : et visa est arca testamenti eius in templo eius,
et facta sunt fulgura, et voces, et terræmotus, et grando magna .



T datus est mihi calamus similis virgæ , & dictum est mihi . Viderat Ioannes tot plagas , calamitates, prodigia, & maiora visurus erat, vt non ipse , sed nos humanum aliquid passuri essemus , vel homines illius temporis, suspicaturiquè iudicia Dei iniusta, iniqua, crudelia : ideò non Angelus , (vt omnis tollatur suspicio) sed Ioannes homo in messorem eligitur , vt ab hominis testimonio appareant iudicia Dei iustificata in semetipsa; iubetur ergò ei: ***Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo*** , idest , ministros sacrificiorum , & fideles omnes , vt cognoscat Ioannes , & alij quot vocatos , & ex his paucos electos ob eorum inobedientiam ; ***atrium autèm , quod est foris templum*** , extrà templum, ***eijce forás***, idest, existentes in eo, continens pro contentis , scilicèt sequaces Antichristi : foris enim canes ; ***& ne metiaris illud : quoniàm datum est gentibus*** , idest , Antichristi sequacibus iàm iudicatis , quorum desperata salus; & sic benè currit, continuando hæc ad superiora proxima capita . At quia, vt dixi, præmisit postponenda : vndè non seruauit ordinem : quæ enim prima dixit, sequuntur pòst Antichristum antè iudicium ; & hìc incipit agere de Antichristo : ideò censeo hanc mensuram significare, vt videat Ioannes quot pauci erunt tempore Antichristi fideles , verificandumquè dictum Christi de his diebus . Veruntamèn Filius hominis veniens , putas inueniet fidem in terra ? Luc. 18. 8. vt enim ibi dixi, non potest id verificari in iudicio dum venturus : nàm nedum fidem, sed ne viuum aliquem inueniet, imò omnes ad iudicium surrexisse: ideò de tempore antè illud, quod est Antichristi , intelligendum esse : ***Quoniàm datum est Gentibus*** . hìc persecutio Antichristi incipit, cui datur atrium, idest, quisquiliæ hominum impiorum ; hinc Paulus : nisi venerit discessio primùm . 2. Thes. 2. 3. quam discessionem declarat . 1.Timot.4.1. esse à fide, &c. & 2.Tim.3.1. & 2.Pet.3.3. Iudas 18. Matth.24. Act.20.29. ***Et ciuitatem sanctam calcabunt***, Ecclesiam sub typo Ierusalem , quæ sancta dicebatur , ***mensibus quadraginta duobus***, quod est tempus durationis Antichristi , & suorum : ***& dabo duobus testibus meis***, Enoch, qui prædixit futurum iudicium. Iudæ 15 . & Eliæ zelanti pro Domino, electis ad testificandum, sicùt Apostoli , Matthias, Paulus : hi enim duo viui

 transla-

translati, & reseruati in hoc tempus, non alij. *& prophetabunt* Euangelium prædicabunt *diebus mille ducentis sexaginta*, *amicti saccis*, vt cognoscãtur, cùm venerint describit indumentum eorum; & si *amicti saccis*, non ergò gloriosi in anima, vel corpore, sicùt aliqui tenent: is enim non est amictus Beatorum: *amicti saccis*, vt eorum exemplo prouocent ad pœnitentiam populos, quos verbis instruent, proùt Ioannes ex suo vestitu. Matth. 3. Et si dixeris, cur dilati ad mortem vsquè ad illud tempus? Vltrà ea, quæ aliàs dixi in Euangelijs, nihil eis demitur à iusto Patrefamilias, cum sint in statu merendi, quod ex indumento saccorum deducitur, qui innuunt pœnitentiam: si enìm (cum sic venerint) merebuntur, cur nùnc silere patimur eorum merita? & eosdem homines diuersimodè metimur? At cur hi hoc beneficio dotati? respondeo, quis nouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? sed si coniecturis agendum, quia placuerunt Domino: Enoch quidèm prædicans iudicium: Elias prædicans Dominum esse Deum; vndè iustè ad prædicationem Euangelicam, quàm antè Euangelium cœperant, reseruati; Tandiù verò in vita, quia vitam profundere non curarunt pro Domino: Enoch verisimilitèr prædicans Iudicium in diebus illis parùm à diluuio distantibus, quibus corruperat omnis caro viam suam: Elias ad necem ob nomen Domini quæsitus, fuga sibi consulens, & dicens: sufficit mihi, Domine, tolle animam meam. 3. Reg. 19. 4. *Hi sunt duæ oliuæ*, oleum lenit: ideò de Elia Eccl. 48. 10. dicitur: qui scriptus es in iudicijs temporum linire iracundiam Domini, & conciliare cor Patrum ad filios, &c. Malach. 4. 6. de Enoch. Eccl. 44. 16. Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det Gentibus pœnitentiam, qua lenitur ira Dei. *Et duo candelabra*: ignem enim zeli Domini portabunt, vt infrà: ignis exiet de ore eorum: os enìm, & vocem reliquit Deus seruis suis ad vincendum, vt dixi in Euang. Luc. 21. & de Elia Eccl. 44. & surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat, ni mirum, si receptus in turbine ignis, & idem de Enoch. Eccl. 44. sub verbo, pœnitentiam, quia prædicare pœnitẽtiam est ignem mittere; ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat? dicuntur etiàm *duo candelabra*, quia præibunt Dominum antè iudicium: de Enoch, quia daturus pœnitentiam. Eccl. 44. quam nondum dedit: Elias, qui scriptus est in iudicijs. Eccl. 48. & eccè ego mittam vobis Eliam Prophetã, antequàm veniat dies Domini magnus, & horribilis. Malach. 4. 6. & Christus. Matth. 17. sicùt candelabra præeunt cum lumine ad noctem illuminandam; vndè & de Ioanne Christus: Erat lucerna ardens, & lucens: ideò describuntur *in conspectu Domini terræ stantes*, idest, stantia, quia in terra operaturi sunt mandata eius: Domini enim est terra: &, data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra; & ad significandum eorum stabilitatem, & firmitatem. *Et si quis voluerit eos nocere* antequàm transeant dies illi. 1260. (nàm cum finierint testimonium, vincentur, & occidentur à bestia, vt infrà) *ignis exiet de ore eorum* iuxtà eorum imperium, *& deuorabit inimicos eorum*; sic Elias cum quinquagenarijs: *& si quis voluerit eos lædere*, *sic oportet eum occidi*, dic tentaturum lædere eos. *Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum*; sic fecit Elias tempore Achab: *& potestatem habent supèr aquas conuertendi eas in sanguinem*, proùt Moyses, *& percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint*, proùt fecerunt Moyses & Aaron cum Pharaone in Exodo. & in summa miracula faciendi, ab vno omnia: hæc sunt signa data apostolicis viris: signa autèm eos, qui crediderint, &c. & hoc etiàm prænunciatur, vt cum visa fuerint, fides eis accommodetur, quia necessaria erunt ad fidem excitandam, quæ tùnc dormitabit. *Et cum finierint testimonium suum* eis iniunctum, *bestia*, hic Antichristus, *quæ ascendit de abysso*, de mari, infrà cap. 13. 1. ex inferis orta, *faciet aduersùs eos bellum*; sic Paulus: Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, &c. *& vincet illos*, Deo sic permittente, *& occidet eos*: quomodò ergò beati nùnc si occiduntur? *Et corpora eorum* insepulta *iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualitèr Sodoma, & Aegyptus* plena om-

na om-

na omni spurcitia, & foeditate, & idololatria; *vbi & Dominus eorum crucifixus est*; ergò ciuitas Ierusalem, in qua hæc vltima exequenda reliquit Dominus conuersurus ibi reliquias Israel in hoc fine temporum: *Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus*, idest, tribus, populi, linguæ, Gentes *corpora eorum* insepulta *per tres dies, & dimidium: & corpora eorum non finent poni in monumentis*, in sepulchris: *& inhabitantes terram gaudebunt supèr illos* mortuos, *& iucundabuntur: & munera mittent inuicèm* more collætantium, *quoniàm hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitabant supèr terram*. vel clamantes contrà eorum scelera, vel prodigijs cælestibus, hinc quàm parua fides. *Et pòst dies tres, & dimidium spiritus vitæ à Deo intrauit in eos*, ad Gen. 2. *Et steterunt supèr pedes suos* resuscitati à morte, *& timor magnus cecidit supèr eos, qui viderunt eos*; hæc resurrectio publica ad fidem resurrectionis confirmandã, quæ tùnc fortè vacillabit, & corroborãdam horum prædicationem. *Et audierunt vocem magnam de cælo dicentem eis: Ascendite hùc*; hoc ad eundem finem eorum dicta stabiliendi. *Et ascenderunt in cælum in nube* ad decorem, non ad necessitatem, quia corpora gloriosa per seipsa id possunt, & ad imitationem Christi, vt magìs eis credatur: *& viderunt illos inimici eorum*: ascensio enim in cælum, præsertìm voce præeunte, & videntibus inimicis, erit cõprobatio omnium per eos dictorum, & propositorum ad fidem, & innocentiæ ipsorum, quia Dominus non concurreret ad miraculum, nec reciperet eos in cælum, in quod nihil intrat coinquinatum; hinc Dominus voluit ascendere multis præsentibus, & videntibus. permisit Deus Eliam in currum ascendentem ab Eliseo videri. Paulum de raptu suo in tertium cælum eloqui; & alia, quæ dixi in Ascensione Domini. At hinc cogita quæ erit discessio à fide, si hæc. *Et in illa hora factus est terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis* Ierusalem *cecidit: & occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia. Et reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cæli*, moti hac significatione, & fortè hæ reliquiæ Israel illùc congregatæ. Quæ passuri Enoch, & Elias posuit Apostolus. 1. Cor. 4. 9. vt dicit ibì Ambrosiaster: erunt enim & hi Apostoli. Sed vbì nùnc degunt Enoch & Elias? credo in paradiso terrestri, ad quem assumpti: de Enoch clarè Eccl. 44. 16. nec alibì verisimilitèr esse possunt, quia cælum cæli Domino, terram autèm dedit filijs hominum. Non in cælo Empyreo, cum nec mortui, nec beati. Nec in alijs cælis, quia non sunt habitatio hominum. Nec persuaderi possum diluuio euersum paradisum terrestrem: nàm cùm in eo esset Enoch (de alio enim paradiso non possumus diuinare) is, qui diuisit mare rubrum in diuisiones, qui sicco vestigio & mare, & Iordanem fecit filios Israel pertransire aqueis muris erectis, potuit & locum illum modo ei placito tutum reddere. Si dicis, non sunt præsumenda miracula: contrariũ verùm est, vbì necessitas nõ cogit: aliàs secùs; at tu maius ingeris miraculum, dum vis Enoch mutasse locum, & nescis quò illum situes. Et si in terra, alium vis paradisum statuere, & multiplicare: non enim Deus dedisset illi locum inferiorem: vndè tutiùs est dicere illum à Deo conseruatum. Si dicis, frustratoria fuit arca, in qua diù laboratum pro Noe, & familia conseruanda, cum posset ad paradisum terrestrem adduci. At memineris paradisum terrestrem custodiri à Cherubim neminem admittente. & si hi duo in eo recepti, speciale fuit, quia Dominus his opus habebat: specialia verò nõ sunt multiplicanda, & Deus voluit ignotum esse locum, qui omnibus factus esset manifestus, reuersis ad terram Noe, & suis, & fuisset illis ingratũ à loco voluptuoso amoueri, ad quem sempèr suspirassent, proùt Adam: & Deus noluit hos seruos contristari. Prætereà ex prædicatione Noe, quam facto confirmabat ex fabrica arcæ, quam Deus voluit per annos centum durare, auertebantur aliqui homines à vijs pessimis, vt non possit dici frustrà in ea laboratum. Ad hæc, ducenda erant & animalia cuiusuis generis, & non apparuisset sic clara potentia Dei hos conseruantis. Illud etiàm crediderim, quòd si talis locus aquis fuisset submersus, aliqua in Scriptura facta fuisset mẽtio, cum in mundo non sit insignior, & cum

ei præfecerit Deus Cherubim. Vndè stan-dum in his, quæ constant. Sed an alij cum his venturi? nullus, quia Scriptura de his solis meminit: duo soli erunt, vt hìc, duo hi reseruati, tertium, aut quartum vndè accipimus? Vltrà ea, quæ in specie nominatis opponi possunt, & præsertim de beatitudine, qua fruuntur, & quia Deus non reuocaret semèl mortuos ad vitam, vt iterum morerentur, cum non soleat facere per plura, quod potest per pauciora, viuos reseruando, prouc fecit, & si alios voluisset, facturus erat. Addo, fuisset horrori hominibus videre iàm mortuos excitatos vers. 11: ideò quorum labores iàm perfecti, non vocauit ad nouum opus, vt iàm hæc procùl amandanda sint. Suspicor ex his, quæ vltrà dicta. 2. Machab. 2. de arca aliqui fabricarint ex Iosepho de antiq. lib. 1. cap. 17. Dorotheo in Synopsi in Ieremia Epiphanio de Prophetis, alios sumpsisse argumentum dicendi Moysen, & Ieremiam venturos cum Enoch, & Elia tempore Antichristi, quod est aereum. Vide scripta in Euangelijs, & in epist. ad Heb. *Væ secundum abijt: & ecce Væ tertium veniet citò.*

Et septimus Angelus tuba cecinit: & facta sunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum est regnum huius mundi Domini nostri, & Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum. Amen. Respiciunt hæc vsquè ad vers. 19. tempus quandò Christus debellauerit inimicos suos, & posuerit eos scabellum pedum suorum. 1. Cor. 15. *Et viginti quattuor seniores*, idest, omnes Sancti. numerus finitus pro vniuersitate, vt iàm dixi. *qui in conspectu Dei sedent* gloriosi non iudicaturi *in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum*, sanctissimam Trinitatem, *dicentes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras* æternus, *& qui venturus es* ad iudicium: *quia accepisti virtutem tuam magnam*, eaquè vsus, *& regnasti. Et iratæ sunt Gentes* frustrà, *& aduenit ira tua, & tempus mortuorum iudicari, & reddere mercedem seruis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen tuum, pusillis, & magnis*, quia non es personarum acceptor, *& exterminandi eos, qui corruperunt terram.* ad Gen. 6. corruperat omnis caro viam suam. *Et apertum est templum Dei in cælo: & visa est arca testamenti eius in templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna;* hæc omnia ad tempus gloriæ, & præmiorum, & pœnarum, quæ vidit Ioannes; per templũ & arcam visio beatifica; per fulgura, voces, terræmotus; grandinem pœnæ impiorum; & hoc conforme dictis per seniores iudicium petẽtes; mercedem pro seruis, exterminium pro corruptoribus terræ vers. 18. Vndè nescio quomodò, & qua ratione arca restringatur ad humanitatem Christi, cum visio beatifica non terminetur in ea sola, sed in visione diuinitatis. Imò cum arca esset in templo, quæ residebat in parte secretiori templi, Sancta Sãctorum, in quam solus Pontifex semèl in anno introibat, credendum est per arcam occultiora significari, vt ex verbis etiam Ioannis elicitur, ea autèm est diuinitas, non humanitas: ideò non videtur ad humanitatem restringi posse, at innui ex mentione arcæ omnia occulta ostendi: & licèt sub typo templi Deus ipse significetur, vt infrà cap. 21. 22. templum non vidi in ea, &c. tamèn hìc per arcam expressiùs, & clariùs occultiora quæque voluit indicare: ideò non videtur posse restringi ad Christi humanitatem, sed totum quidquid Sancti in cælo (in quo hæc representantur, & existunt) sunt visuri, & fruituri, postquàm de eorum beatitudine, seù beatifica visione agitur, non Ioannis, qui vidit hæc representata tantùm, & eo modo, quo posset referre, non quòd gustauerit, quod non datur adhùc viuenti. Et si dicis, templum erit diuinitas, arca humanitas, quæro, cur aperta diuinitati, occulta humanitati, cum potiùs è conuersò dicendum sit, cum occultior diuinitas, quàm humanitas? Vel ergò indistinctè omnia capienda, & attendendus scopus, qui fuit vt occultiora quæque referentur. Vel ea per arcam intelligenda, maximè cum neque apertam eam, vt templum, exprimat. Vel mentio fit templi, & arcæ, quia sicùt gloria Domini replebat templum materiale, & apparebat supèr arca materiali, per eadem gloria Domini, & visio beatifica, qua fruuntur beati, manifestetur Ioanni homini terreno ad eius capacitatem: vndè arca non

appo-

apponitur pro humanitate,sed pro tota gloria, quam demonstrare intendit. Et quandò in tota Apocalypsi egit de Christo, clarè de illo loquutus est sub nomine Dei, & Agni. cap.22.3. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus. cap. 21.23. vndè verisimilitèr hìc de illo occultè non agit.

Quia vidi aliquos conantes sustinere paradisum terrestrem non extare,censui supèr his latiùs differendum. Dubium est ergò; an paradisus terrestris extet, vel potiùs diluuio fuerit dissipatus. Placet extare: nàm de illius existentia constat. Gen.2.& 3. dùm plantatus fuit, Adam in eo positus,indè eiectus, & collocatus Cherubim, & flammeus gladius, atquè versatilis ad custodiendam viam ligni vitæ. Dices, pòst hæc fuit diluuium, quod omnem terram dissipauit, ergò & vnà etiàm paradisum voluptatis, quia aqua fuit suprà montes omnes, quos operuerat,altior quindecim cubitis. Gen.7.20. Respondeo in cap.7.Moysen loqui de montibus, quos aqua operuerat existentibus in terra, quam inhabitabant qui omnem viam corruperant,sic Caietanus ibì,vt & Sap.10. 4. cum aqua deleret terram; & Eccl.39.10. & proptèr illos iniquos factus est cataclismus;terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea; & de solis octo animabus mundum incolentibus saluis: non autèm de paradiso, & de Enoch iusto in illo habitante, quem tulit Deus. Gen.5.24. & quandò agitur de terra, non includitur paradisus, quia Deus formauit hominem in terra,& transtulit eum in paradisum,& peccantem de paradiso eiecit in terram.Gen.2. & 3. & ex his apparet hæc esse diuersa, nec sermonem vnius alium comprehendere. Secundò, admodùm inuerisimile esse, si aqua ad paradisum peruenisset, de loco adeò insigni, & Cherubim, & gladio, & sancto Enoch mentionem in Scriptura non habitam, præsertim cum de diluuio in ea sæpè agatur,& de Noe totiès mentio fiat. Tertiò, inuerisimile custodiam ad tempus adhibitam, imò custodia illa ad viam ligni vitæ posita videtur duratura vsquequò mūdus exardescat ex verbis. Gen.3. in fine, cum sempèr duret periculum ne lignum sumatur dum viuunt homines. Nec dicas arborem ligni vitæ deperditam: quia pro illa conseruanda appositus Cherubim, ex qua diligentia fit hoc inuerisimile. Prætereà, si salua oliua,cuius ramum tulit columba,cur hoc lignum deperditum? si non deperditū, ergò manet custodia Cherubim,cum vigeat ratio,ne illùc quisquam accedat: Si hoc saluum, & saluus paradisus verisimilitèr, vbi Enoch, pro quo censendum Deum plùs voluisse,quàm pro ligno: dicit enìm Christus: si Deus pascit oues,& vestit lilia agri,quantò magis vos? Quartò, ex prædictis surgit. si diluuio Deus purgauit terram hoc remedio indigentem,inuerisimile esse eodem purgasse paradisum non indigentem, solum Enoch purum; & in gratiam confirmatum continentem; & antè se Cherubim, & flammeum gladium atquè versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ habentem. Gen.3. in quo non tolerauit Adam peccatorem: non enim solet Deus frustrà operari,nec destruere loca, nisi peccatis hominum vrgentibus, vt in Sodomis: & quod semèl facit, adeò rectè facit,vt iteratione non indigeat: Dei enim perfecta sunt opera. Deut.32.4. Quintò si pro Lot Segor salua: si ob memoriam Dauidis Ierusalem saluaturum dixit, quid non Deus pro Enoch habitatore translato,& venturo ad manifestandam eius gloriam. Apoc.11.? quid non pro paradiso, cui nullus in terra similis? Sextò, si paradisus diluuio dissipatus esset, verisimilitèr remansissent aliqua vestigia, proùt de montibus Armeniæ. Gen.8.5. non enim deleta nomina regionum, imò verisimilitèr Noe, & filij vel dimissi sunt in regionem, quam antè diluuium inhabitabant, vel illam petierunt, quia dulcis amor patriæ: tùnc enim ad dissipatum, & omni ligno, præsertìm ligno vitæ, pro quo apposita custodia spoliatum, inhibitio ingressus vana fuisset, & tamèn vestigiorum, & reliquiarum paradisi nullus meminit, & Scriptura refert columbam portantem ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo, eò magis si (vt asseritur ab aliquibus) paradisus erat propinquus, antè quem inhabitabat Adam, quod tamèn inuerisimile,vt dicetur. Septimò, ex ratione prædictorum tempus dissipandi paradisum,

& euellendi lignum vitæ opportunius erat, quandò Adam peccauit, & ex illo eiectus est: at conseruauit illum, & adhibuit custodiam, ergò censendum conseruasse ad maiora opera, & præsertìm ad habitationem Enoch, & Eliæ, non diluuio destruxisse: frustatoria enìm fuisset conseruatio, frustatoria tanta custodia. Et si semèl illam apposuit, cur volumus posteà abstulisse? qua ratione ad id adduci possumus? nàm dona Dei sunt sinè pœnitentia. Rom. 11. 29. Dices pro solo Adam fecisse: at Scriptura id non dicit, imò dicitur: Plantauerat autèm Dominus Deus paradisum voluptatis; & si pro solo Adam plantasset, illo eiecto, illum destruxisset. Octauò, imò fit mentio paradisi pòst diluuium. Gen. 13. 10. in descriptione regionis circà Iordanem his verbis: sicùt paradisus Domini, & ibi loquitur vti de extante, præsertìm quia annectitur: & sicùt Ægyptus venientibus in Segor, quæ certò extabat: non enìm coniunxisset extantem cum non extante, & locutio intelligitur de vniformibus; sic & Apoc. 2. 7. vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Ezech. 28. 13. & 31. 8. 9. Eccl. 24. 41. si enìm sublatum, non tacuisset. Nonò, voluit Deus in cælo lumen solis alia excedens, ità in sublunaribus locum, quem plantauit, terrena superans: ideò inuerisimile illum sustulisse. Decimò, quòd Enoch adhùc ibì esset pòst diluuium, & paradisus extet, expresè habetur Eccl. 44. 16. Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det Gentibus pœnitentiam, quæ verba declarant alia. Gen. 5. Tulit eum Deus, scilicèt in paradisum. Si Enoch ibì, & ex eo venturus, ergò extat necessariò. Si dicis, non cogit textus, quia potest intelligi de quouis loco delitioso, & voluptuario. Respondeo verba capienda esse iuxtà communem sensum, & in potiori modo; sensus autèm communis est, vt quandò agimus de paradiso, terrestri siquidèm, intelligamus de illo, in quo positus, & à quo eiectus Adam, quo nullus locus insignior in Scriptura; plantauerat autèm, &c. Gen. 2. 8. Si de cælesti, vt 2. Cor. 12. vbi Deus habitat. Secundò, nos scimus de hoc Adami, proferas tu alium, vel quandò tulit Deus Enoch, vel pòst diluuium, neque dabis vllum in Scriptura, & sic diuinas. Tertiò, Deus tulit Enoch. Gen. 5. Heb. 11. 5. translatus est in paradisum. Eccl. 44. 16. Non in cælum, quia sedes Beatorum, & Enoch nondum beatus. Non in terram, quia è terra tulit. Non in aerem, quia quomodò ibi stabit corpus absquè miraculo sinè aliqua virtute sustentante? & in hoc non posuit animas iustorum, quas limbo restrinxit. Non in alium locum, quia alius locus nobis incognitus, in quo habitare possit iustus is: hunc enìm locũ reuelasset aliquandò Deus saltèm extare, & dixissent qui de Enoch scripserunt, nec sunt ex capite formandi loci vltrà Scripturam, ergò in paradisum voluptatis, & Adami, qui locus deputatus est sicùt pro homine iustitia originali vestito, sic pro confirmatis in gratia, proùt Enoch, & Elias. Dices non posse stare positum fuisse Enoch in paradiso, quia appositus Cherubim, & gladius vt lignum vitæ tutarent, & de ligno potuisset edere, & fieri immortalis. Respondeo Deum non dubitasse de Adam iustitia originali vestito, minus de Enoch confirmato, & ad vitam Angelicam translato, ac dotato eo acumine intellectus, vt intelligeret non expedire in hac vita immorari, sed transferri ad æternam, & præstare esse cum Christo, quàm edere de ligno illo. Secundò, Cherubim collocauit Deus ad custodiendam viam ligni vitæ: at non dixit nullos admittendos; cur autèm negamus Enoch ex Dei voluntate, sinè qua nihil fit, admissum? Dices, si conseruandus erat paradisus, saluasset in illo Noe cum suis absquè Arca: At nõ erat ille locus peccatorum: ideò eiectus Adam, nec rectè conuenissent Noe, & sui cum Enoch è mundo sublato, & Noe, & filij ad propagationem in mundo conseruabantur, & ducenda illùc erant omnia animalia, quæ in Arca salua facta sunt, quod erat aliud magnum opus. Secundò, fabricatio Arcæ per centum annos multos commouit, & ad Deum traxit, & ipse Noe multa didicit in actu diluuij, videns mundum totum aquis deleri. Tertiò, nàm Deus statuerat non admittere ibi homines: ideò Cherubim, & gladium flammeum apposuit. Quartò, voluit Deus locum esse ignotum, & pu-

& publicatus esset à Noe, & suis ad nos reuersis. Quintò, durum fuisset illis redire ad terram, & abstrahi à tot delitijs, & Deus noluit eos contristari, proût Adam peccantem. Dices, miraculo factum, si conseruatus à diluuio paradisus, & miracula non inducenda. Respondeo, fortè altior paradisus, quàm ascensus aquæ diluuij, & cessat miraculum; & quandò vrget necessitas, & noua inducenda, & præsumenda miracula, & sic solere Deum; necessitas hìc vt conseruaretur Enoch, & locus ille: imò ascribendum fuerat impotentiæ Dei, si non conseruasset illum ob suum Enoch translatum, & quomodò impotentia in Deo omnipotente, qui diuisit mare rubrū in diuisiones, & Iordanem stare fecit muris aqueis interpositis, vt populus suus sicco transiret vestigio? At dum vis vitare miraculum, in maiora miracula incidis: si inundandus erat paradisus, duo remedia adhiberi poterant ad saluandum Enoch ab aquis; vel aquis prohibere ingressum, vel transferre Enoch ad alium locum, vt tenes, saltèm similem, si non meliorem: deteriorē non, quia non solet Deus, & illum creare de nouo, in quo saluaretur: cōseruatio primi facilior, aderat custos Dei, qui aquas prohibere poterat, creatio secundi maior, ergò maiora præsumis miracula; primum fuisset translatio Enoch de loco ad locum, secundū creatio noui paradisi: ideò meliùs est vt dicamus primum stare. Cumularentur miracula, si dares locum aereum, quia indigeret virtute aliqua supernaturali sustentante naturam corpoream. Vndè hæc opinio, quæ agit de conseruando præferenda cōtrariæ, quæ agit de destruendo, Enoch transferendo, & alium locum subrogando, & de nouo creando, quod est contrà axioma theologicum, nihil Deus materiale de nouo creare; ideò voluit congregari animalia in Arca Noe, quæ ipse potuisset de nouo creare; & fortè probatur Eccl. 18. Qui viuit in æternum creauit omnia simùl, non ampliùs creaturus, cum perfectè omnia fecerit, & hunc intellectum confirmant verba 4. vers. non est minuere, nequè adijcere, &c. aliòqui opera Dei arguerentur tamquàm imperfecta. Item, nihil facit, quod Prophetis suis non reuelet, & nullibi in Scriptura de quoquam nouo creando, sed vrendo, & renouando creata. Sed si alius locus de nouo creatus etiàm ex præexistenti materia fuisset, credendumne ad ontitiam hominum nunquàm deuenisse, Scripturamquè illum non enunciasse, quæ omnia sublunaria detexit? At tu in quam regionem vis delatum? non in cælum, quia cælum cæli Domino. Non in terram, quia non esset separatus à commercio hominum, nequè Deus ab illa tulisset eum; nouus situs erat adinueniendus, noua formanda elementa, noua miracula. Dices, non inuenitur locus paradisi. Credo, quia voluit Deus ignotum esse locum, proût corpus Moysis, & Arcam, & tu malè putas velle eum inuenire, & à Cosmographis describi, cum à die, qua eiectus Adam nulla fiat mentio in Scriptura fuisse inuentum, & hæc est certa probatio voluisse Deum ignotū esse locū. Et hìnc fit verisimilis opinio, quòd sit in loco remotissimo, & altissimo, quò non pertigerit aqua, nec sit locus cum terra nostra mensurādus, & eiectio Adami in terram fuerit à paradiso admodum longinqua, & aliena, & quod dixi de altitudine congruit eleuationi Eliæ in curru igneo cælum versùs. 3. Reg. 2. 12. & in cælum. 1. Machab. 2. 59. & modo loquendi. Gen. 2. 15. de Adam, tulit, & posuit. & 5. 25. de Enoch, & miraculo non esset vsus, dum tulit Eliam, si absquè illo potuisset paradisum petere; & Caiet. Gen. 2. in vers. fluuius autèm quartus. in fine. id probat his verbis, & hoc, tùm quòd fluuius indè egredi dicitur mons videtur esse: naturalis enim generatio fluminum in montibus videtur esse, ità vt verisimilitèr excedat montes Armeniæ, & puritate, benignitate, & salubritate aeris gaudeat; & ex hac demonstratione euanescunt quæ de fluminibus, vel Cosmographis dicuntur, & non sunt mensuranda opera Dei secundùm mensuram hominum, & Cosmographi, & Astrologi ignorarunt nouum orbem, & quòad flumina vel sunt nomina translata à fluminibus paradisi, non illa: vel si illa, possunt & adhùc ortum habere à paradiso per cuniculos subterraneos vsquè ad locum, à quo nùnc dicuntur ortum habere, quod certò apparere non potest; hinc Caiet. Gen. 2. in vers. & fluuius

uius egrediebatur, dicit: Quò fit, vt si etiam innotescerent loca horum quattuor capitum, adhùc inquirendus remaneret locus, qui dicitur paradisus terrestris, quia ex textu apparet vnicum fluuium esse, qui diuidebatur in quattuor capita. Videndus Caiet. in eodem loco supèr verbis. Et nomen secundi fluuij zion. & supèr vers. seq. nomen verò tertij fluuij Tigris, vbi adducit auctoritatem S. Augustini, ità vt supèr his non sit immorandum. Si subdis, non desunt loca Deo: non desunt quidèm, sed quæ illa? quam regionem nouam produxit? at sempèr in miraculum incides. Præthereà, si Deus non immutauit locum Noe illum non transferens in paradisum saluandũ, sed voluit in ea, qua erat, terra morari, & vti arca absquè miraculo, quomodò volumus attentare secùs factum cum Enoch stante in paradiso, donèc compareat contrà Antichristum, & Deum mutatione indiguisse, & non à principio prouidisse venturis ei notis? imò Deus nihil vnquàm eorum, quæ fecit, redegit in nihilum, sed omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerant in perpetuum. Eccl. 3. 14. etsi percurras opera Dei, non inuenies factum in vllo eius opere, imò scimus omnia in meliùs renouanda. Apoc. 21. & Rom. 8. quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, &c. Hanc opinionem, paradisum extare, nec diluuio submersum, tenent omnes Patres antiqui, ex recentioribus Illustrissimus Bellarminus in contr. Greg. de Valen. Benedictus Fernandius in Gen. c. 4. sect. 4. respondens obiectioni fluminum per Perrer. & Vieg. in Apoc. & Cornel. à Lapid. in Gen. 2. excitatæ. & sec. 5. fol. 149. & Ystella in Gen. cap. 2. in vers. paradisum voluptatis: & respondet obiectionibus maximè fluminum Lombar. lib. 2. distinct. 17. latissimè. Abulen. Gen. cap. 4. q. 9. & cap. 7. quæst. 15. & cap. 13. quæst. 110. 112. 117. latè examinat, & quattuor rationes adducit pro hac opinione. & q. 118. 119. 120. 121. Concludam, si dixero, & quamuis aquæ inundassent paradisum, & deturpassent, & si paradisi nomen tantùm remansisset, non voluptas, non tamèn probari quòd dissipauerint, & quòd nùnc non inueniatur: nàm & terra nostra dissipata, & tùnc Noe pòst diluuium cœpit exercere eam, & plantauit vineam. Gen. 9. 10. & Deus in nostra siccauit mare: vndè apparerent saltèm vestigia, nequè verisimile esse, Deum meliorem opificij sui partem in sublunaribus perire voluisse, & cum ea lignum vitæ, & fructus in paradiso plantatos, & fortè animalia, quibus (sicùt Adam, & Eua) oblectarentur Enoch, & Elias. Et si conseruatur adhùc statua salis, in quam conuersa vxor Lot inobediens ad eius peccatum denotandum, & apparent vestigia Sodomorum eadem de causa, vt habetur Sap. 10. 7. cur non paradisus, in quo primus homo peccauit, vt perpetua sit memoria casus tanti? & si mundo conflagrante, terra, mare, cælum in substantia conseruanda. Apoc. 21. cur non locus ille terræ celebrior? At nosti cur Deus non extirpauerit paradisum ob delictum Adam, & deturpatum pro rostris non posuerit, quia non erat, nec est similis locus in sublunaribus; ità vt dignus fuerit cui præficeretur Cherubim, & seruaretur pro his duobus iustis, sic nequè cælum peccante Lucifero, & sequacibus deiectũ, quia aderant, & futuri erant ibi alij boni; sed peccantes tàm Adam à paradiso terrestri, qui eductus dicitur à delicto, vt pœniteret. Sap. 10. 1. quàm Lucifer cum sequacibus à cælo in baratrum detrusus in termino ex vnico actu positus, à quo non potuit remoueri, & sic expurgata loca, non diruta, & in paradiso terrestri vice Adam, & Euę subrogati Enoch & Elias, in cælesti vice Angelorum animæ beatæ, quibus vtinam nos vniamur Dei misericordia.



CA-



CAPVT XII.



1 T signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta So-
le, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stel-
2 larum duodecim: * & in vtero habens, clamabat par-
3 turiens, & cruciabatur vt pariat. * Et visum est aliud
signum in cælo: & ecce draco magnus rufus habens capita
septem, & cornua decem: & in capitibus eius diadema-
4 ta septem, * & cauda eius trahebat tertiam partem stel-
larum cæli, & misit eas in terram, & draco stetit antè mulierem, quæ erat
5 paritura, vt cum peperisset, filium eius deuoraret. * Et peperit filium mascu-
lum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea: & raptus est filius eius
6 ad Deum, & ad thronum eius, * & mulier fugit in solitudinem vbi habebat
7 locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. * Et
factum est prælium magnum in cælo: Michael & Angeli eius præliabantur cum
8 dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius: * & non valuerunt, neque lo-
9 cus inuentus est eorum ampliùs in cælo. * Et proiectus est draco ille magnus, ser-
pens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui seducit vniuersum or-
10 bem: & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt. * Et au-
diui vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus; &
regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum
11 nostrorum, qui accusabat illos antè conspectum Dei nostri die ac nocte. * Et ipsi
vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui, &
12 non dilexerunt animas suas vsque ad mortem, * propterea lætamini cæli, & qui
habitatis in eis. Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens
13 iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. * Et postquàm vidit dra-
co quòd proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum:
14 * & datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ vt volaret in desertum in locum
suum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis à facie serpen-
15 tis. * Et misit serpens ex ore suo pòst mulierem, aquam tamquàm flumen, vt
16 eam faceret trahi à flumine. * Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os
17 suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. * Et iratus est draco
in mulierem, & abijt facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custo-
18 diunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi. * Et stetit suprà are-
nam maris.

ET



T *signum magnum apparuit in cælo: Mulier, &c.* Recurrit in hoc cap. in noua visione ad Antichristi tempora, calamitates Ecclesiæ, & glorias descripturus. Ecclesia est *mulier amicta sole*, illustrationibus à Deo vestita, vel Christo sponso, qui dicitur Sol, lux vera, quæ illuminat, &c. Lunam habens *sub pedibus suis*, absquè mixtura alicuius defectus, prout in Luna, quam proculcat, quę vnoquoque mense deficit. Vel hæreses sub pedibus, quas calcat, quæ eam non inficiunt, cum sit absquè macula, & ruga. In cælo apparet, quia ex cælestibus describitur, scilicèt Sole, Luna, Stellis, & ob communionem, quam habet cum Ecclesia triumphante; *& in capite eius corona stellarum duodecim* ad denotandum eius regnum; hinc Christus loquutus est de regno Dei. Act. 1. idest, de Ecclesia; *duodecim stellarum*, Apostolorum, qui etiàm ponuntur in Ciuitate antè portas infrà cap. 21. 14. seù Apostolicorum virorum eorum successorum, sempèr parturiens nouos filios ex illorum prædicatione: *& in vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat*, anxiata dum non emittit fœtum, quod erit vltimis temporibus, de quibus Christus: erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio; nequè fiet, & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Vel dum etiàm antè illud tempus quoquo modo impeditur parere filios. *Et visum est aliud signum in cælo: Et eccè draco magnus rufus*, qui est diabolus, proùt suprà cap. 6. 4. & infrà vers. 9. *habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem*. infrà cap. 7. declarantur ab Angelo; *& cauda eius trahebat tertiam partem*, magnam partem *stellarum cæli*, Angelorum rebellium, *& misit eas in terram:* omnes enìm Angeli rebelles cum eo ad terram deiecti. *Et peperit* mulier *filium masculum*, Christum, Messiam, *qui recturus erat* in æternum *omnes Gentes in virga ferrea*. Psalm. 2. & gustata morte, & resurrectione subsecuta, *raptus est filius eius* Christus *ad Deum, & ad thronum eius.* Marc. vlt. Luc. vlt. *& mulier fugit* cùm suis *in solitudinem*, deuitans persecutiones Antichristi, *vbì habebat locum paratum à Deo*, qui suos numquàm derelinquit, *vt ibì pascant* Pastores, & Prædicatores *eam diebus mille ducentis sexaginta*, toto tempore persecutionis Antichristi. *Et factum est prælium magnum in cælo*, ibì representatur, quia & alia ad visionem spectantia ibidem representata sunt, non quòd ibì futura, cum in terra omnia, in qua vincetur draco, vt infrà cap. 20. *Nunc facta est salus, &c.* Lætantur ob victoriam secutam, etsi non finalem, quia sempèr tentat, & sempèr vincendus, sed more pugnantium fit, qui lætantur de vna victoria, etsi inimicum penitùs non prostrauerint, vel regno, quod tentant, potiti non sint: *Quia proiectus est accusator fratrum nostrorum* prædestinatorum: ideò Paulus, quis accusabit aduersùs electos Dei? Rom. 8. reliqua ex alijs. Solet hoc caput à Patribus adduci ad laudes Virginis Sanctissimæ, & si multa non congruant, sufficit aliqua congruere, quæ assumuntur, dimissis alijs, proùt facit Ecclesia, vtens Scripturâ ad laudes eiusdem Virginis, & Sanctorum, aliquibus omissis, quæ non adaptantur. *Mulier.* Suprà mulieres, vt Elisabeth. *Sole*, qui filius. Fœmina circundabit virum, vel Spiritus sancti illustrationibus *amicta. In capite gestans coronam:* est enìm omnium creaturarum Regina à Deo constituta, & quid non matri Dei? Ornatam duodecim stellis micantibus, aureolis omnibus cum vniuersitate virtutum omnium: hìc enìm numerus vniuersitatem designat. Lunam habens sub pedibus, hæreses Lunæ variæ assimilatas, quas ipsa proculcat. Alia interpretatio.


Et signum magnum apparuit in cælo. Ad intelligentiam huius capitis præsupponendum representari Ioanni in cælo Ecclesiam nascentem à principio, sed singularitèr ab aduentu Christi vsquè ad finem mundi, vt intelligat paratas insidias à diabolo, qui & representatur ex opposito. iuxtà hæc representat eam in cælo, cum de signo, & prodigio agat: hæc enìm in cælo demonstrantur; vel quia Ecclesia, de qua agit, è cælo di-

citur

citur descendere, vt infrà cap. 21. vel ob communionem, quam habet cum cælestibus, & quia ornata apparet Orbibus cælestibus: nàm aliòqui in terra est, & in terra coalescit. *Mulier*, Ecclesia catholica, vniuersalis, *amicta Sole*, per totum mundum lucens, proùt Sol, illustrationibus diuinis cincta, *& Luna sub pedibus eius*, omnes tenebræ, terrenum, sublunare, maculosum, hæreticum *sub pedibus eius*, quia ipsa sinè ruga, tota pulchra, & decora, & omnium Domina; vndè quod dixit de illius splendore affirmando, *Sole amicta*: nunc negando, *& Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona* (est enim Regina) *stellarum duodecim*, omnium virtutum, vniuersitatis virtutum, non Apostolorum, quia si Apostoli, etiàm alij ministri representarentur, & quia agit de inhærentibus ipsi, non de membris, & quia tùnc nondum Apostoli, quia pòst Christum tantùm considerantur, non antè. Vltrà quòd quomodò duodecim Apostoli, si vnus Apostolus Ioannes videt? *& in vtero habens*, quia sempèr habet fœtus edendos vsquè in finem sæculi, *clamabat parturiens*, fœtus edens, *& cruciabatur vt pariat*, vt fœtum edat: nàm sempèr Ecclesia enititur homines ad fidem, ad Dei cultum trahere, & in hac actione patitur, seù patiuntur illius membra ad id vigilantia, proùt mulieres parturientes. *Et visum est aliud signum in cælo* (representata Ecclesia quasi vno exercitu ab vna parte, representatur exercitus ex aduersò stans) hoc & in cælo, quia de signis agit: *Et eccè draco magnus rufus*, diabolus, de quo suprà cap. 6. 4. *habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem*, Antichristo danda, vt infrà cap. 17. potentiam eius pro nunc vult aperire: erat enim Princeps mundi, & *cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli*, sequebatur eum (sequentes enim dicuntur ire pòst caudam) tertia pars Angelorum rebellium, *& misit eas in terram*, quia Angeli illi cum illo è cælo sunt detracti in terram; representat statum quandò diabolus rebellans deiectus: nàm ad tempus Antichristi non aptatur hoc, & draco sic deiectus in terram non fuit otiosus, sed sempèr quærens quē deuoraret ab Adam citrà, & etiàm dum Ecclesia erat apud Iudæos: at præsertim *stetit* obseruans *antè mulierem*, Ecclesiam, *quæ erat paritura: vt cum peperisset, filium eius* primogenitum, illius caput: ipse enim caput Ecclesiæ. Ephes. 1. Coloss. 2. *deuoraret*: obseruabat enim Messiam in Iudæa venturum, vt perderet: hinc visis prodigijs in baptismo, tentauit illum in deserto, & toto tempore vitæ suæ. *Et peperit* mulier, Ecclesia *Filium masculum*, Christū, qui carnem nostram induit; paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Isa. 9. 6. masculus: is enim agnus masculus. Exod. 12. 5. de masculo. Isai. 66. 8. *qui recturus erat*, est: verbum enim, *erat*, denotans æternitatem, quæ omne tempus capit, & regnum Christi erat æternum, *omnes Gentes in virga ferrea* pòst Passionem suam, & Ascensionem, & sessionem ad dexteram Patris, iuxtà Psal. Ego autèm constitutus sum Rex ab eo supèr Sion montem sanctum eius, supèr Ecclesiam, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Postula à me, & dabo tibi Gentes hęreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: Reges eos in virga ferrea (eccè hic de Christo) & tanquàm vas figuli confringes eos. Et ipse dixit: data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Scribit insidias factas Christo à diabolo eum non cognoscente, quia si cognouisset, numquàm alios ad eum crucifigendum induxisset; & est simile Zachar. 3. vbi insidiæ diaboli factæ Iesu: insidias ergò illi tetendit, & morti affici curauit, qua secuta, & resurrectione, *raptus est Filius eius*, Ecclesiæ, Christus *ad Deum* Patrem, *& ad thronum eius*, vbi sedet. Philip. 2. Ephes. 1. & quòd verba, *in virga ferrea, &c.* ad Christum, habetur infrà cap. 19. 15. & ipse reget eas in virga ferrea in eodem Christo, alteri hæc accommodari non possunt, quia nullus in throno Dei sessurus, aut Gentes recturus, etsi de beatis dicatur. Apocal. 2. qui vicerit, & custodierit vsquè in finem, dabo illi potestatem supèr Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquàm vas figuli confringentur, sicùt ego accepi à Patre meo: nàm hæc dicuntur per communicationem, vel ad denotandum quanti faciat Deus suos, proùt & illud, suprà


prà multa te constituam; transiens ministrabit illis; vt sedeatis ad mensam meam, & similia. Et pòst Crucem diabolus fuit deiectus è terra in infernum, & ibi ligatus vsquè ad tempus Antichristi. ***Et mulier***, Ecclesia ***fugit in solitudinem vbì habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam*** Pastores ***diebus mille ducentis sexaginta;*** hæc referenda ad statum Ecclesiæ pòst mortẽ Christi: nàm ob persecutiones maximas Ecclesia Dei in Synagogam, quæ nihil patiebatur, subrogata, serui Dei, credentes in Christum, membra Ecclesiæ cœperunt pati, ad necem quæri: vndè latebras quærebant, fuga sibi prouidebant, & nihilominùs Deus non derelinquebat eos, tempus verò ponitur certum pro incerto. Hæc non possunt referri ad tempus Antichristi, quia de illo infrà, nec cures tempus, quia & dicitur de diabolo ligatum fuisse per mille annos, qui tamèn adhùc ligatus vltrà illos. infrà cap. 20. Hæc ad filios Ecclesiæ in vniuersùm vice masculi, idest, Christi referri non possunt, quia de vno est locutio, non de pluribus, & quia diabolus non obseruaret tot parturientem proùt vnum, quia cum sempèr pariat vsquè ad finem, obseruatio produceretur. Prætereà diabolus cognoscebat instare tempus Messiæ, illudquè tempus esse obseruatione dignum, quia timebat expelli: vndè dicebat tentans: Iesu Fili Dei, vt quid venisti antè tẽpus perdere nos? hoc autèm non aptatur alijs filijs. Prætereà vnum erat semen caput eius contriturum. Genes. 3. non aliud, ad vnum restringebatur, id ergò tantùm obseruabat. Insupèr nullo timore angebatur dæmon pro quibusuis alijs, quia omnes peccauerant, & egebant gloria Dei, illequè ipsos tenebat captiuos; ad vnum ergò respiciebat hos soluere valentem, & is solus Christus. Ad hęc, infrà agit de ira serpentis, diaboli, eò quòd proiectus esset in terram, & persecutus est mulierem, quę peperit masculum: id autèm à nullo alio factum, nisi à Christo, qui per crucem illum vicit, & eiecit; vndè dicebat: Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foràs, ergò de Christo solo hęc intelligẽda; sic de Christo in agno masculo. Exod. 12. ***Et factum est prælium magnum in cælo*** pòst mortem Christi illicò: ***Michael*** Archangelus; ***& Angeli eius***, sequaces illius, Deo fideles ***præliabantur cum dracone*** priùs Angelo (sed nunc refert statum, in quem cecidit malum) ***& draco pugnabat, & Angeli eius***, sequaces eius Deo rebelles: ***& non valuerunt*** vincere, sed victi sunt, ***nequè locus inuentus est eorum ampliùs in cælo***, quia ab eo deiecti: vndè sequitur: ***Et proiectus est*** è cælo ***draco ille magnus, serpens antiquus*** decipiens. Genes. 3. ***qui vocatur diabolus, & Satanas, qui seducit vniuersum orbem: & proiectus est in terram, & Angeli eius cum eo missi sunt***, & ille quidèm ligatus in inferno cum aliquibus alijs vsquè ad tempora Antichristi. ***Et audiui vocem magnam in cælo dicentem:*** (nunc repræsentatur gaudium illud, quod habuerunt Angeli boni, deiectis è cælo malis iuxtà gaudium primum ex primo bello) ***Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius***, Messiæ (eccè quomodò masculus filius, Christus, non boni in vniuersum) ***quia proiectus est accusator fratrum nostrorum; qui accusabat illos antè conspectum Dei nostri die ac nocte***, nunquàm cessans. Sed quomodò hìc accusator? si respicimus primum bellum, quia sicùt accusator trahit homines ad iudicium, ad pœnam, ità ille rebelles reddendo Angelos eosdem traxit, & trahebat ad pœnam æternam. Vel meliùs, gloria, & laude in cælo repræsentata, duplicem repræsentat victoriam in diabolum: vnam quidèm illam primam, quandò è cælo deiectus est cum suis sequacibus, non tamèn de illa intendit hìc, sed more illius aliã, quandò per Crucem Christi, & mortem è mundo eiectus est, & ligatus est in inferno, & de hac hìc agitur. Alia erit, quandò in fine mundi, cum destruetur omne eius regnum, & iterum in infernum detrudetur æternalitèr: nàm tempore Antichristi soluetur, & de hac infrà in hoc cap. in fine, & cap. 20. & victoriæ, de qua hìc, benè accommodantur verba, ***accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos antè conspectum Dei nostri die ac nocte:*** circuit enim sempèr, quærens quem deuoret, & accusat: & apparet in historia Iob, & Achab: nàm deiectus in inferno hæc per se non potuit, vel saltèm demptum satis fuit de illius potestate. Consonant

nant his sequentia. *Et ipsi* fratres *vicerunt eum* draconem, qui per Angelos suos ministros (nàm ipse ligatus in inferno) suscitauit persecutiones nascenti Ecclesiæ pòst mortem Christi: referuntur enim hic ea tempora vsquè ad tempora Antichristi, de quibus incipit in vers. *Væ terræ; proptèr sanguinem Agni:* proptèr illum enim victoria omnis; confidite, ego vici mundum; *& proptèr verbum testimonij sui*, Euangelij, vel *testimonij*, quod Christo dederunt, eum confitentes, *& non dilexerunt animas suas*, vitas suas *vsquè ad mortem*, idest, nihili fecerunt vitas suas proptèr Christum, iuxtà illud: qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, & qui perdiderit animam suam proptèr me saluabit eam. Ex his firmatur intellectus, vt de Christo loquatur, non de alijs, quia in nullo alio salus, quàm in eo. *Proptereà lætamini cæli*, iubilate, & omnes *qui habitatis in eis* ob hanc victoriam magnam eorum, qui sic moriendo vicerunt, & de persecutionibus excitatis à diabolo habes suprà cap. 6. & 7. in sigillis. Posteà tendit ad insidias, & tribulationes à diabolo emanantes tempore Antichristi, quo soluetur. Dicit ergo. *Væ terræ, & mari*, omnibus in eis habitantibus (sub his omnia comprehendit) *quia descendit diabolus ad vos;* loquitur per verbum, *descendit*, quia iàm illum repræsentauit in cælo, non quòd tùnc de cælo sit descensurus, cum loquatur de tempore Antichristi, quo non è cælo, sed ex inferis solutus in terram reuertetur; Vel descendit ex inferno largo modo, & impropriè; *habens iram magnam*, proùt solent canes, qui diù ligati soluuntur, qua omnia sus dequè reuoluet, *sciens quòd modicum tempus habet:* nàm scit ipse tempus Antichristi parùm duraturum, & pòst illud iudicium, & finis, & ipsum in infernum detrudendum æternalitèr. *Et postquam vidit draco quòd proiectus esset in terram* iterum ex inferno, *persecutus est* tempore Antichristi *mulierem*, Ecclesiam, *quæ peperit masculum* illum, quem ipse in terra moram trahentē non cognouerat, à quo in infernum per mille annos, idest, vsquè ad hoc tempus, quo soluetur, reclusus fuerat: hinc pro masculo filio rectiùs intelligi de Christo: *Et data sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ* ad euadendum ab eo, *vt volaret in desertum in locum suum*, proùt aliàs in principio pòst mortem masculi Christi fecerat, *vbi alitur*, aletur (tempus præsens pro futuro more Prophetarum) *per tempus*, annum, *& tempora*, duos annos, *& dimidium temporis*, medietatem anni *à facie*, conspectu *serpentis* venenati. *Et misit serpens* iàm solutus *ex ore suo pòst mulierem aquam tanquàm flumen, vt eam* mulierem *faceret trahi de loco suo* à flumine: flumina enim rapida. Quia dicit, *ex ore suo*, & de aquis, quæ ad voces vsurpantur vbiquè in Apocalypsi, puto hos futuros pseudoapostolos falsa seminaturos, de quibus & Christus, & Paulus, & alij Apostoli præmonentes nos, vt caueamus ab his seductoribus: cum enim fides sit fundamentum, illud petet diabolus modicum tempus habens. *Et adiuuit terra* homines terreni à Deo missi, stabiles, firmi, proùt terra, Enoch, & Elias, & alij Apostolici viri prædicaturi, *mulierem*, Ecclesiam, *& aperuit terra os suum, & absorbuit flumen*, hi prædicatores ora sua aperuerunt, reprobantes falsum semen, seù zizania superseminatum, *quod misit*, missurus est *draco de ore suo* per suos satellites falsos, & ob hanc reprobationem, & inanitatem zizaniorum diaboli ea repræsentata fuerunt in aqua fluida, & fluxa. *Et iratus est draco in mulierem*, Ecclesiam: *&* frustratus in malo suo semine à pseudoapostolis sato, *abijt facere prælium cum reliquis de semine eius* mulieris, *qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi*, confitentur Iesum Christum, & prædicant, ad martyria in seruos Iesu Christi conuersus est, putans tormentis vincere, quos doctrina non potuit. *Et stetit supèr arenam maris*, expectans bestiam suam de mari procedentem, Antichristum, illam in seruos Christi impulsurus, & soluturus, & noua martyria illaturus; Sed tandèm vincetur, & in infernum detrudetur, vt infrà cap. 20.



CAPVT XIII.

1 ET vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita
septem, & cornua decem, & supèr cornua eius decem
diademata, & supèr capita eius nomina blasphemiæ.
2 * Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, & pedes eius
sicùt pedes vrsi, & os eius sicùt os Leonis. Et dedit illi
3 draco virtutem suam, & potestatem magnam. * Et
vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem:
& plaga mortis eius curata est. Et admirata est vniuersa terra pòst bestiam.
4 * Et adorauerunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ: & adorauerunt be-
5 stiam, dicentes: Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea? * Et da-
tum est ei os loquens magna, & blasphemias: & data est ei potestas facere men-
6 ses quadraginta duos. * Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphe-
7 mare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui in cælo habitant. * Et est
datum illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos. Et data est illi potestas
8 in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, * & adorauerunt
eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in Libro
9 vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi. * Si quis habet aurem, audiat.
10 * Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit,
11 oportet eum gladio occidi. Hìc est patientia, & fides Sanctorum. * Et vidi
aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia Agni, &
12 loquebatur sicùt draco. * Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu
eius: & fecit terram, & habitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius cu-
13 rata est plaga mortis. * Et fecit signa magna, vt etiàm ignem faceret de cælo
14 descendere in terram in conspectu hominum. * Et seduxit habitantes in terra pro-
ptèr signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in
15 terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. * Et
datum est illi vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ:
16 & faciat vt quicumque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur. * Et
faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & ser-
17 uos habere characterem in dextra manu sua, aut in frontibus suis. * Et nequis
possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut
18 numerum nominis eius. * Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet
numerum bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexa-
ginta sex.

T *vidi de mari bestiam ascendentem*, idest, Antichristum, de quo in præcedenti cap. indistinctè, nunc distinctè incipit agere: de eodem sub quarta bestia. Daniel. 7.19. vsquè ad fin. cap. *de mari ascendentem*, ex quo solent bestię aliàs inuisæ egredi; sic Daniel. 7.3. & Ezechiel. 3. 2. de dracone de mari. Quod hìc de mari, suprà cap. 11. 7. de abysso; sic Exod. 15.4. currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare, abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. & vers. 8. Stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari, ad denotandum, quòd ignorabimus ex qua regione, & loco veniet, vt in his, qui ad portum appellunt: nàm sicùt nemo scit viam nauis in mari, sic neque vndè ascendat. *Habentem capita septem, & cornua decem, & supèr cornua eius decem diademata, & supèr capita eius nomina blasphemia. Et bestia quam vidi, similis erat pardo* in velocitate, quia velocitèr faciet omne malum aduersùs electos Dei, & quia erit respersa omni iniquitate, sicùt pardus maculosus. *Et pedes eius sicùt pedes Vrsi* in feritate, & vastatione, seù direptione, *& os eius sicùt os Leonis* in fortitudine. & descripta bestia, subdit. *Et dedit illi draco*, idest, diabolus, de quo suprà cap. 12. 4. virtutem suam, & potestatem magnam. *Et vidi vnum de capitibus suis* (non hic Antichristus, sed vnus ex suis Regibus sequacibus) *quasi occisum in mortem*, idest, ad mortem vulneratum: *& plaga mortis*, mortalis, *eius curata est*, scilicèt ab Antichristo, quia sequitur. *Et admirata est vniuersa terra pòst bestiam* curantem plagam, qui est Antichristus. *Et adorauerunt* populi *draconem*, diabolum, *qui dedit potestatem bestia* curationem faciendi: *& adorauerunt* etiàm *bestiam*, Antichristum curantem, *dicentes*. *Quis similis bestia, & quis poterit pugnare cum ea?* quasi dicat, inuincibilis erit. *Et datum est ei bestiæ os loquens magna* ad populos lingua trahendos, *& blasphemias* contrà Deum: *& data est ei potestas facere*, operari *menses quadraginta duos*, tres annos cum dimidio; Illud ergò quasi miraculum reputatum operatum est, vt adoretur draco, idest, diabolus, qui fortè Deus Maozim, de quo Daniel. 11. 38. quem Antichristus, si non publicè, saltèm priuatìm adorabit: extolletur enim (publicè) suprà omne, quod dicitur Deus, aut colitur, ità vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquàm sit Deus. 2. Thess. 2. 4. & bestia curans, cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & omni seductione iniquitatis ijs, qui pereunt. 2. Thes. 2. 10. *Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius* magnum, & admirabile, *& tabernaculum eius*, cælum, *& eos, qui in cælo habitant*, Sanctos, & Angelos. *Et est datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos* vel vt suprà cap. 11.7. strictè ad Enoch, & Eliam, vel in genere. *Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eam omnes, qui inhabitabant terram*, non omnes præcisè, sed illi, *quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ Agni*, de quo & suprà cap. 3. *qui occisus est ab origine mundi*; liber hic prædestinatorum, non autèm actorum Agni, quia esset contrà textum dicentem, *quorum non sunt scripta nomina*; sic & infrà cap. 17. 8. sed alibì plura; sic suprà 9.4. nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. *Si quis habet aurem, audiat:* reuocat nos ad horum attentionem, vt auertat nocituros alijs. *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*; sic Prophetæ, qui in captiuitatem, in captiuitatem, qui ad gladium, ad gladium, sed hoc ad denotandam multitudinem perdendorum, & potentiam perdentis: at hìc ponit talionem, quo nocentes tenebũtur. *Hic est patientia, & fides*, fiducia *Sanctorum* sic expectantium à Deo, qui non fallit; vel in his tribulationibus magnis apparitura sunt hæc duo in fidelibus; Christus dixit: in patientia vestra possidebitis animas vestras. At si decem Reges diuisuri sunt intèr se imperium totius mundi, & hoc ab illis de-

decem occupatum integrum deuenturum est in manibus Antichristi, tribus debellatis, septem deditis eum sequentibus. Dan. 7. 24. Qualis persecutio Ecclesiæ futura sit, cõijce, infrà cap. 17. & quàm potentes Reges sint ad subuertẽdã, & immutãdam fidẽ in Sichimita. Gen. 34. 22. 24. & Ieroboam. 3. Reg. 12. ***Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra; de terra*** dicit, quia erit cognita ex patria, genere, &c. Satelles is erit Antichristi, non præcursor, quia non præcurrit antè illum, sed eodem tempore ascendit: nàm in conspectu prioris bestiæ, idest, Antichristi omnem virtutem faciebat. vers. 12. & 14. ***& fecit adorare bestiam primam***, idest, Antichristum, representando miraculum curationis præcedens, & quia Ioannes loquitur consecutiuè ad gesta à priori bestia, qui est Antichristus; & si prima bestia, qui est Antichristus, haberet hunc præcursorem, non diceretur quasi ex improuisò manifestari, ascendens de mari, sed per præcursorem daretur cognitio illius, proût Ioannes de Christo; nec expedit diabolo, vt pręcursorem habeat Antichristus, sed ex improuisò aggrediatur homines ex more suo, vt in Iob. cap. 1. & infrà cap. 19. 20. vocatur pseudopropheta; & Christus habuit præcursorem, vt magis manifestaretur, & quia expectatus, & desideratus, secùs in Antichristo: is ergò sequax, & satelles Antichristi, non præcursor. ***Et habebat cornua duo similia Agni.*** Sed quomodò habet duo cornua similia Agni? & cuius Agni? primò Agnus hic accipitur pro Christo, tum quia in Biblijs correctis caractere maiusculo scribitur, tùm quia hoc nomen peculiare Christi, vt in præcedentibus, & seqq. cc. tùm quia in Agno non inest virtus in cornibus, quibus non petit, proût nec Christus, qui cum malediceretur non maledicebat, &c. & obmutuit coràm tondente se: vndè ad representatum, seù figuratum est recurrendum, de quo: cornua in manibus eius, ibì abscondita est fortitudo eius. Abacuc. 3. vndè hic cornua Agni erunt virtutes, potẽtia Agni Christi. Sed quæ virtutes Agni Christi imitabiles per bestiam hanc? respondeo, verba, & miracula, prædicatio, & signa, quæ duo describit Ioannes ex cornibus: his enim duobus Christus per se, & suos, quasi potentijs, & virtutibus mundum vicit. Hìnc est quòd ***& loquebatur sicùt draco***, vt diabolus suprà cap. 12. 3. 9. decipiens, & alliciens, seù attrahens; in hoc alludit ad deceptionem Euæ, & tot gentes deducebat ad Antichristum, quæ est prima bestia miraculis, & prædicatione, sub qua comprehẽditur etiàm potestas condendi leges, vt fecit ad fauorem bestiæ primæ, idest, Antichristi, sicùt Christus erat nedum doctor, sed & legifer noster, & hæc sunt cornua bestiæ huius similia Agni, quem imitari tentabat. ***Et potestatem omnem***, miracula, seù signa omnia ***prioris bestiæ***, Antichristi ***faciebat in cõspectu eius*** bestiæ, Antichristi: ***& fecit***, operatus est ***terram, & habitantes in ea***, quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ Agni, ***adorare bestiam*** primam, Antichristum, ***cuius*** virtute ***curata est plaga mortis*** capitis suprà vers. 3. ***Et fecit signa magna, vt etiàm ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum;*** sic & 1. Reg. 12. voces, & pluuiæ tempore messis pro re grandi tentæ; & hæc signa de cælo petebant Hebræi à Christo. ***Et seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ:*** opera enim, seù miracula magis trahunt, vt dicebat Christus: opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me; ***dicens*** (eccè seductio) ***habitantibus in terra***, omnibus hominibus, ***vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit*** (miraculum factum ab Antichristo replicat) ***& datum est*** illi, concessum ***vt daret spiritum imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ*** arte diabolica: ***& faciat vt quicunque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur***; hæc lex peruersa. ***Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos***, cuiusuis generis homines ***habere charactẽrẽ in dextera manu sua, aut in frontibus suis***, sicùt apud Ezechielem signum thau, & suprà cap. 7. & alibi signati ex diuina institutione, ità bestia à diabolo sempèr imitante ad decipiendum instructa requirit in suis characterem, & imaginem suam, & nomen, seù numerum, in quibus Iesum colimus. Nomen Messiæ assumpturum fore verisimile admodum est, quia ex Hebræis oriundus tentabit pro Messia acceptari, & facere signa

de

de Messia prædicta, etsi non vera. 2.Thess.2. 9. 10. & facillimè nomen proprium ad saluandum tendens, non quidèm Iesum, sed aliud assumet. *Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius:* videant Principes talia imperantes quem imitentur. *Hic sapientia est*, requiritur. *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enìm hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* quis inueniet? Quòd Sacrificium Missæ non sit cessaturum tempore Antichristi saltèm priuatìm, & occultè, facit dictum Pauli: Quotiescunquè enìm manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donèc veniat. 1.Cor.11. scilicèt ad Iudicium; durabit ergò vsquè ad diem Iudicij: hinc in consecratione: noui, & æterni testamenti; & verba, æterni testamenti, habentur. Heb.13. 20. & ità tenet Chrysost. & S.Thom. ibi, & alij: & ideò dicitur Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Heb.5. 6. 6. 20. 7. Ambrof. Catari.4.cap. ad Heb. vbì Rabinos adducit. Concil. Trident. sess.22. cap.1. Et manna non defecit nisi pòst ingressum terræ promissionis, & manna Sanctissimùm Sacramentum præfigurabat, quod non deficiet, nisi pòst ingressum in cælum, seù vsquè ad Iudicium vniuersale, & faciunt verba Christi: Ego vobiscum sum vsquè ad consummationem sæculi, & Matth.5.14. donèc transeat cælum, & terra, iota vnum, &c. donèc omnia fiant. Verba autèm Dan.12.11. (cum ablatum fuerit iuge Sacrificium) intelligenda de conatu, non effectu, quia conabitur omnes attrahere ad sui adorationem, vt in hoc cap. & 2.Thess.2.4. ità vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquàm sit Deus. Vel quòad illum sequentes, qui tot erunt, vt quasi ablatum videndum sit iuge Sacrificium. Vel loquitur respectu prohibitionis. Vel Daniel intelligit de iuge sacrificio Hebræorum, de quo & cap.11. & 31. dixit simili appellatione, quia fortè tempore Antichristi templo reædificato, Hebræi, qui eum sunt sequuturi, tentabunt introducere sacrificia antiqua, quæ ipse omninò auferet, cum nequè Deum Deorum, nec quemquam Deorum curaturus sit. Daniel. 11. 36. 37. 2.Thess.2.4. proùt & Nabuchodonosor. Iudith.3.13.5. in fine. 6.2.4. illud enìm de facili auferet restrictum ad vnum templum tantùm: at hoc, quod vbiquè offertur vix efficere posset, sed putò priores responsiones meliores. Tempore autèm Iudicij, cum appariturus sit Dominus, non erit opus symbolis, seù signis corporis, seù speciebus illis; propthereà dixit: donèc veniat, ex Theodoreto in eodem loco. 1.Cor.11. & Rup.Abb. Apocal. 1. Breue esset admodum tempus à morte Antichristi vsquè ad Iudicium, si intercedant quadraginta quinque dies tantùm iuxtà Danielem.cap.12.12. nàm si moritur, puta in Ierusalem, reliquus mundus quomodò cognoscet eius mortem tàm breui spacio? at signa Iudicium præcedentia omnibus indicabunt finem mundi, nequè intererit scire mortem Antichristi, quæ erit improuisa, & à spiritu oris Iesu, & illustratione aduentus sui. 2.Thess.2. 8. proùt cæcauit Paulum. Act. 9. ideò benè Daniel.8. 25. & sinè manu conteretur, & cap.12. nihil de occisione Antichristi per Michaelem, & concordat cum Apostolo Ioannes infrà cap.19. & ibì etiàm de exercitu, & nihil ibì de Ascensione in cælum Antichristi, quod neguè in alia Scriptura sacra. Hebræi conuertentur ad prædicationem Enoch, & Eliæ antè mortem Antichristi, vt Malach.4.6. & Ecclesiast. 48. 10. quia hi ab illo occidentur, & resurgent, & assumentur in cælum suprà cap.11. & infrà cap.20. pòst occisionem Antichristi, sequacium, & exercitus ponitur Iudicium vniuersale: vndè credendum dari paruum illud spacium quadraginta quinque dierum: nàm sicùt in Daniele reuelatum tempus durationis Antichristi, ità Iudicij subsequentis, quo tempore vocat superuiuentes beatos, quia pace fruentur, & credent, & saluabuntur, saltèm pro maiori parte. de Iudæis clarum, & de Gentibus verisimile. Habemus Prouerb.28.28. cum surrexerint impij, abscondentur homines, cum illi perierint, multiplicabuntur iusti: ideò Christus dixit breuiandos dies persecutionis, & hæc conformia Euangelio. Matth.24. 28. statìm autèm pòst tribulationem dierum illorum, &c. Marc.13.24. Luc.21.28. 31. & clarè 2.Thess.2. 3. & Luc.18. verun-


tamèn Filius hominis veniens, ad Iudicium ſcilicèt, putas inueniet fidem in terra? hoc enìm de tempore Antichriſti, quod Iudicium præcedit; ſi autèm hoc cum illo iungit, veriſimile eſt paucos dies interceſſuros intèr diem mortis Antichriſti, & Iudicium; & cum Apocal.20.7.fiat mentio deſtructionis Gog,& Magog exercitus Antichriſti,de qua & per Ezechielem cap.39. tempora ibì poſita per eum ſeruient ad denotandam multitudinem occiſorum, ſicùt & Apocal. 19.17.ideò etiàm vocat aues vbiquè ad magnam occiſionem denotandam: quis enìm dubitat comburi poſſe quæ dicit vna die? aut ad quid ſepelire quod igne vri poteſt? hìnc ſeptem anni, & ſeptem menſes additi ad ſolam multitudinem occiſorum Gog, & Magog, de qua Apocal.20.denotandam; & in veriſimile eſt dari tantum tempus,nempè ſeptem annorum;imò ſeptem menſium pòſt hanc vltimam perſecutionem Antichriſti, quæ ſempèr propinqua ponitur iudicio, & quæ mundabit ſanctuarium.Daniel.8.quod in tanto tempore denuò inficeretur,& cum reliquiæ Iſrael ſaluandæ ſint hoc vltimo tempore, quod certum eſt. Rom.9. vbì dixi, & hæ conuertendæ ad prædicationem Enoch, & Eliæ, qui præcurrunt aduentum Chriſti: præcurſio enim proximè antecedit,proùt illa Ioannis Baptiſtæ, & hanc vicinitatem denotat Malachias cap. 4. 6. mittam vobis Eliam Prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus,& horribilis.Eccleſ.48.10. hìnc Apocal.11. dicuntur duo candelabra, quæ præeunt; ideò non eſt credendum tantum temporis ſpacium intercedere; & adquid Daniel. 12. appoſiti illi quadraginta quinque dies, niſi vel ad denotandum totidem, vel paucos ſuperſtites? At ſex menſibus præceſſit Ioannes Chriſtum, & ipſe lucerna,proùt hi candelabra; & Apoc.11.18. innuitur pòſt mortem Enoch, & Eliæ inſtare iudicium, quo tempore nondum Antichriſtus occiſus. Non dicas, ſi tempus eſſet quadraginta quinque dierum, certum ſciremus diem Iudicij; nàm nihil obſtat, quia Chriſtus dedit ſignum, ſtatìm pòſt tribulationem dierum illorum,&c.& ex alijs ſupradictis. Vel dicas parùm pòſt illos quadraginta quinque dies Iudicium futurum ex præmiſſis.



CAPVT XIV.

1 *ET vidi: & eccè Agnus ſtabat ſuprà montem Sion, &*
cum eo centum quadraginta quattuor millia habentes no-
men eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.
2 ** Et audiui vocem de cælo, tamquàm vocem aquarum*
multarum, & tamquàm vocem tonitrui magni: & vo-
cem, quam audiui ſicùt citharœdorum citharizantium in
3 *citharis ſuis. * Et cantabant quaſi canticum nouum antè*
ſedem, & antè quattuor animalia, & ſeniores: & nemo poterat dicere canti-
cum, niſi illa centum quadraginta quattuor millia, qui empti ſunt de terra.
4 ** Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enìm ſunt. Hi*
ſequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo,
5 *& Agno, * & in ore eorum non eſt inuentum mendacium: ſinè macula enìm*
6 *ſunt antè thronum Dei. * Et vidi alterum Angelum volantem per medium*
cæli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret ſedentibus ſupèr ter-
ram,

7 *ram, & supèr omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum: * dicens*
magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora Iu-
dicij eius: & adorate eum, qui fecit cælum, & terram, mare, & fontes aqua-
8 *rum. * Et alius Angelus secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna:*
9 *quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes Gentes. * Et tertius Angelus se-*
cutus est illos, dicens voce magna: Si quis adorauerit bestiam, & imaginem
10 *eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua: * & hic bibet de*
vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne,
& sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & antè conspectum Agni:
11 ** & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent re-*
quiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius, & si quis ac-
12 *ceperit characterem nominis eius. * Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt*
13 *mandata Dei, & fidem Iesu. * Et audiui vocem de cælo, dicentem mihi: Scri-*
be: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iàm dicit Spiritus, vt
14 *requiescant à laboribus suis: opera enìm illorum sequuntur illos. * Et vidi, &*
eccè nubem candidam: & supèr nubem sedentem similem Filio hominis, haben-
15 *tem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. * Et alius*
Angelus exiuit de templo, clamans voce magna ad sedentem supèr nubem: Mit-
te falcem tuam, & mete quia venit hora vt metatur, quoniàm aruit messis
16 *terræ. * Et misit qui sedebat supèr nubem, falcem suam in terram, & demessa*
17 *est terra. * Et alius Angelus exiuit de templo, quod est in cælo, habens & ipse*
18 *falcem acutam. * Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem su-*
prà ignem, & clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, di-
cens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniàm
19 *maturæ sunt vuæ eius. * Et misit Angelus falcem suam acutam in terram: &*
20 *vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum: * & calca-*
tus est lacus extrà ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsquè ad frenos equo-
rum per stadia mille sexcenta.



T vidi, & eccè Agnus, &c. Quia in cap. præcedenti satelles bestiæ tot mala procurabat; in hoc cap. repræsentantur gloriæ, & Angeli suadentes, & concinentes; pręmittit autèm gloriam Virginum ex opposito ad homines ad virginitatem Deo gratam trahendos, quia tempore Antichristi (etsi non exprimatur, quia Ioannes virgo, & os noluit tot spurcitijs inquinare) erit in summo omnium libidinum eluuies: Antichristus enim erit in concupiscentijs fœminarum. Daniel. 11. 37. *Et eccè Agnus,* Christus *stabat suprà montem Sion,* in cælo, *& cum eo centum quadraginta quattuor millia,* de his, quia hi proximiores Agno, & Agnum sequentes, non quòd tùnc tot Virgines saluandi, vel limitatus sit is numerus, quia hoc non intenditur, at sub hoc numero Virginum vniuersitas; & alia tùnc ei ostensa non fuerunt: non enìm ex hac visione excluduntur alij, præsertìm cum nulla adsit texatiua; nec refertur ad futuros, quia loquitur de Virginibus tùnc existentibus, non futuris: quandò enìm loquitur de beatis, præsup-

ſupponit illos extare, non futuros, at exemplo horum allicit omnes ad ſeruandam virginitatem, & acquirenda præmia cæleſtia his conceſſa: par enim erit gloria, proùt æquale certamen. *Habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis*, de quo ſuprà cap. 7. 3. & 9. 4. ideſt, ab eis protecti, ſtantes ſub protectione illorum, ex oppoſito nominum beſtiæ ſcriptorũ in frontibus: quaſi dicat, hoc nomine inſignimini Filij hominum, non beſtiæ. *Et audiui vocem de cælo, tamquàm vocem aquarum multarum, & tamquàm vocem tonitrui magni* ex magna alacritate, & cordis hilaritate, ob lætitiam ſiquidèm magnam vocem continere non poſſumus, quin altè intonet, & effluat magno impetu, & fragore, vel ad denotandam virginitatem in eis, quia Virgines clariori, & magìs ſonora voce concinunt, quàm corrupti: *Et vocem, quam audiui, ſicùt citharœdorum citharizãtium in citharis ſuis*; hic ſpeciem ſuauem vocis deſignat, ſed intellige efformatam, vt ſuprà, & ne mireris ſi in tonitruo, quia è cælo reſonans nihil aliud audimus: ideò tonitruum vſurpauit. *Et cantabat quaſi* (affirmat hic) *canticum nouum antè ſedem, & antè quattuor animalia, & ſeniores: & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quattuor millia, qui empti ſunt de terra*, ex hominibus; non hi Angeli, quia hoc eſt canticum Virginum, non Virgini ineptum. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enìm ſunt*, Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt pro regno Dei. *Hi ſequuntur Agnum quocumquè ierit*, ideſt, familiares ſunt Agno: hi enim admittuntur etiàm ad interiora, oblectatur his Agnus, non quòd Agnus hàc, illàcue ſpatietur, vel in alios choros deſcendat: nàm id aſſeritur ad familiaritatem eorum cum Agno denotandam, non ad aliud. Virginitas etiàm denotat perſpicacitatem, qua Ioannes pollebat, cum primus antè Petrum, & alios cognouerit Dominum, dum piſcarentur. Ioan. 21. 7. *Hi empti ſunt* ab Agno, ex ſanguine Agni, *ex hominibus primitiæ* gratiores *Deo, & Agno.* Empti eſtis pretio magno, pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti. 1. Pet. 1. 19. *Et in ore eorum non eſt inuentum mendacium*, puritatem carnis ſequuta eſt puritas oris, ità vt nullam maculam contraxerint in his duobus: *ſinè macula enim* quauis *ſunt antè thronum Dei*, qui falli non poteſt. *Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret ſedentibus ſupèr terram, & ſupèr omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum: dicens magna voce. Timete Dominum, & date illi honorem*, non idòlis, *quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cælum, & terram, mare, & fontes aquarum*; iungit fontes, ne diceres alias aquas non feciſſe. Eccè aliud adiutorium ad homines à malo auertendos. Angelus, qui timorem nititur inducere, iudicium inſtare memorans, quo ſolent homines terreri, euangelizans Euangelium æternum, ad æternitatem adducens, conſiſtens in timore, honore, & adoratione Dei. Crediderim autèm hunc fuiſſe verum Angelum, quia apparet volans per medium cæli, vt euangelizaret ſedentibus ſupèr terram, & quia dicit *alterum*, idèſt, alium, *Angelum*, ſicùt primus verus Angelus, ità is, & quia verſ. 8. dicitur: *Et alius Angelus ſecutus eſt*, & verſ. 9. *& tertius Angelus ſequutus eſt illos*, hæc autèm non conueniunt Prædicatori. Et quandò de hominibus, nempè Enoch, & Elia loquutus eſt, dicit non ſub nomine Angelorum, ſed teſtium. cap. 11. 3. & ſicùt ſuprà, & infrà de cæleſtibus loquitur, ità hìc in medio, & hoc non erit miniſterium euangelizandi, vbi non eſt euangelizatum Euangelium, quia hoc fiet in toto mundo per Angelum, vt hìc; & ſcimus quia non erit finis mundi, niſi pòſt Euangelium in toto orbe per homines publicatum. Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. ſed quædam commemoratio eorum, quæ iàm homines audierant, imò illud tantùm: *Timete Dominum, &c.* Nec id inconuenit Angelis cuſtodibus hominum, & eorum ſalutem procurantibus; & in Natiuitate, Reſurrectione, & Aſcenſione, & alibì apparuerunt, & nos docuerunt, & ſi verè publicatio Euangelij hominibus demandata fuerit, pro Deo legatione fungimur, ait Paulus. *Et alius Angelus ſecutus eſt, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna: quæ à vino* dulci, attrahente, iram tamèn Dei concitante, *iræ fornicationis ſuæ potauit omnes Gen-*

Gentes; sic Isa. 21. 9. Postquàm hic agitur de persecutionibus Antichristi, non Imperatorum Romanorum, de quibus actum. cap. 6. & qui iàm debitas pœnas receperunt, cum tùnc Imperium Romanum sub vno Antichristo, septem Regibus deditis, tribus subactis, regetur, non potest intelligi de Vrbe Romana, à qua tùnc nullum malum, & de qua hic, vel in præcedentibus nulla mentio. Vndè potiùs crederem intelligi de Congregatione impiorum persecutorum Ecclesiæ vnà cum Antichristo eorum capite, de qua suprà dixerat, & hanc esse Babylonem: ideò dicit, *illa*, scilicèt persequens Sanctos, præsertim quia consecutiuè Angeli se opponunt omnibus machinis contrarijs: sequens enim Angelus opponit se nomini bestiæ, & hoc tendit ad roborandos fideles, quia citò colluuies illa persequẽs eos, ruitura, quod tùnc Romę non aptabitur destructæ; & more Prophetarum faciendum ponitur pro iàm facto (*cecidit*) ad denotandam celeritatem; nisi velimus dicere ex eò quòd Antichristus occupaturus sit Imperium Romanum (cuius caput Roma) sub Roma omnem illam colluuiem intelligi, quod videtur ineptum. Illud certum, hoc ab Angelo proferri ad denotandum iniquos pœnis acerbissimis subiectos, euanuisse, futurum enim citò pro iàm facto, & hoc in alijs adaptari non potest, tantò minùs quia sedes Antichristi in Ierusalem, vbi & testes Domini occidentur, resurgent, ad cælum euehentur suprà c. 11. Et si hæc vellemus de Roma intelligi, dandus est illi tùnc temporis alius status, qui non datur, cum de illius flore futuro non appareat, & de Antichristo certi sumus, cui conueniunt sequentia verba (*quæ vino iræ fornicationis suæ potauit omnes Gentes*) cum admoturus sit omnes machinas, vt secum omnes trahat, vt suprà cap. 13. 14. & alibì, quod de Roma non habetur, & dicta in hoc cap. sunt antidotum antecedentis: in antecedenti autèm nihil de Roma. Prætereà, quomodò de Roma, cum infrà cap. 16. 17. congregaturus sit Deus omnes Reges adhærentes bestiæ in campo dicto Hebraicè Armageddon? & sic apparet omnia in Iudæa operanda, & nunquàm mentionem fieri Romæ: bella enim in oriente, Reges ab Oriente euocandi. dict. cap. 16. 14. vndè nescio, quomodò de Roma hæc adstruamus. Verisimile est autèm omnia hæc in Iudæa, quia Messias Iudæis promissus, & prænunciatus ibì expectabatur: hic vti Messias venit, & recipitur ab Hebræis, templum ædificat, sedem collocat, Christus ibidem commoratus, visus, miracula patrauit, & omnia fecit, & hunc ipse Antichristus æmulabitur ad decipiendum homines, vltrà quòd Ciuitas magna capitur pro Ierusalem. cap. 16. 19. & cap. 11. 8. & pro Babylone, d. cap. 16. accipitur congregatio Antichristi. Quomodò autèm in alijs locis intelligatur particularitèr videndum, & præsertim. cap. 17. & 18. vbi explicatur Ciuitas; nisi dicatur & hìc de Roma intelligi, & de illa loqui Euangelistam extrà ordinem; Babylon autèm congregatio hæc Satanæ, proùt illa dum erigerent turres vsquè ad cælum. Genes. 11. *Et tertius Angelus secutus est illos* Angelos, *dicens voce magna*, vt omnibus innotescat: *Si quis adorauerit bestiam*, Antichristum, *& imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua: & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & antè conspectum Agni* iudicaturi: *& fumus tormentorum eorum ascendet* manifestus *in sæcula sæculorum*, in æternum: *nec habent requiem die ac nocte* à tormentis, *qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius*. Sequitur hic Angelus indicens pœnas recipientibus bestiam, vt illos auertat à bestia, proùt satelles bestiæ procurabat omnes ad bestiam reducere suprà cap. 13. *Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu;* in his magnis tribulationibus hæc apparebit, & illos saluabit: in patientia vestra possidebitis animas vestras. de eadem suprà cap. 13. 10. *Et audiui vocem de cælo dicentem mihi: Scribe. Beati mortui, qui in Domino moriuntur;* sic de Stephano: obdormiuit in Domino, quia hi beatificantur; vndè. *Amodò iàm dicit*, iubet *spiritus* Domini, *vt requiescant à laboribus suis*. suprà cap. 7. 16. *opera enim illorum sequuntur illos*.

los. Dixerat de patientia Sanctorum, nunc quàm magna paritura sit ad eorum consolationem, & quomodò opera illorum in conspectu Dei examinanda, & remuneranda, ne in tribulationibus deficiant; pòst pœnas igitur impiorum subdit glorias Beatorum benè operantium, & intelligit de omnibus bonis, non solis martyribus ex ratione vniuersali omnes comprehendente, ***opera enìm illorum sequuntur illos. Et vidi, & ecce nubem candidam: & supèr nubem sedentem similem Filio hominis***, idest, Christum, vt cap. 1. venturum in nube, & iudicaturum, & bonos repositurum, & puniturum iniquos: ideò designatur habens in capite suo coronam auream, regalem. Ego autèm constitutus sum Rex ab eo supèr Sion montem Sanctum eius. Psalm. 2. ***& in manu sua falcem acutam***, proùt cap. 1. cum gladio vtraque parte acuto. Præuenit Ioannes reuelans ad consolationem iustorum patientium. ***Et alius Angelus exiuit de templo***, de cælo, ***clamans voce magna ad sedentem supèr nubem***, ad Christum. ***Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora vt metatur, quoniàm aruit messis terræ, & misit qui sedebat supèr nubem falcem suam in terram, & demessa est terra***; sic & Matth. 13. 39. 40. Ex his firmantur quæ dixi. cap. 1. Christum vti hominem etiàm nunc iussiones recipere à Deo, ex cuius ordine loquitur Angelus. ***Et alius Angelus exiuit de templo, quòd est in cælo***, ne crederes de terreno, ***habens & ipse falcem acutam***, non ergò hic Christus, quia dicit, ***habens & ipse falcem acutam***, implicans alium à Christo: is ergò diuersus; habebat autèm falcem pro tritico reponendo, idest, bonis assumendis, quia sequitur de alio pro malis: proùt in parabola Euangelica. ***Et alius Angelus exiuit de altari***; is verè Angelus, non Christus, de quo suprà, præsertim quia is Angelus pro botris vindemiandis, sub quibus impij repræsentantur, & Christus procliuior ad præmia, quàm ad pœnas, & quia Christus misit in terram falcem, & demessa est terra per alium, vt credo, & Angelus hic per seipsum misit falcem in terra, & vindemiauit, non messus est. ***Qui potestatem habet suprà ignem***, exusturus mundum, & omnia conflagraturus: ***& clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ***: hi mali terrenis infixi, ad cælestia seipsos non eleuantes: ***quoniàm matura sunt vuæ eius***, quoniàm eorum iniquitates completæ sunt ad Gen. 15. ***Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ***, malos, & terrenos, ***& misit in lacum iræ Dei magnum***, in infernum: ***& calcatus est lacus extrà Ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsquè ad frenos equorum per stadia mille sexcenta***. Hæc omnia, nempè calcatio extrà Ciuitatem, quasi, in illa non capiebant proùt Psalm. 140. sicùt crassitudo terræ erupta est supèr terram; exitus sanguinis effusi indicant magnum numerum damnatorum. Cur autèm iniqui pro botris vuæ? credo, quia in botro dulcedo, & sub botro dulci iniqui terræ in eorum vitijs dulcedinem capientes; hìnc Epuloni: recepisti bona in vita tua. Fit autèm mentio potestatis huius Angeli supèr ignem, quia antè conflagrationem præcedet mors hæc impiorum, aliòqui vacarent verba illa potestatem hanc denotantia: non præstitit autèm tùnc, quia visio vltrà non processit, nec adhùc tempus erat.





CAPVT XV.

1 ET vidi aliud signum in cælo magnum, & mirabile, An-
gelos septem, habentes plagas septem nouissimas: Quo-
2 niàm in illis consummata est ira Dei. * Et vidi tam-
quàm mare vitreum mistum igne, & eos, qui vicerunt
bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius,
3 stantes supèr mare vitreum, habentes citharas Dei: * &
cantantes canticum Moysi serui Dei, & canticum Agni,
dicentes: Magna, & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: iu-
4 stæ, & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. * Quis non timebit te Domine, &
magnificabit nomen tuum? quia solus pius es: quoniàm omnes Gentes venient,
5 & adorabunt in conspectu tuo, quoniàm iudicia tua manifesta sunt. * Et pòst
6 hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in cælo: * &
exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo,
7 & candido, & præcincti circà pectora zonis aureis. * Et vnum de quattuor
animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei
8 viuentis in secula seculorum. * Et impletum est templum fumo à maiestate Dei,
& de virtute eius: & nemo poterat introire in templum, donèc consummaren-
tur septem plagæ septem Angelorum.

ET *vidi aliud signum in cælo magnum, & mirabile, Angelos septem,* non quos aliàs, quia se explicaret, sed diuersos, *habẽtes plagas septem;* sic nominat, proùt Aegyptiacas; *nouissimas*, vltimas. *Quoniàm in illis consummata*, perfecta *est ira Dei* contrà iniquos. Modò lætis, modò tristibus vtitur Ioannes, nec seruat ordinem. In hoc cap. describuntur mixta quædam, Angelos paratos ad puniendum finalitèr, & homines, qui euaserant persecutionem Antichristi in gloria. *Et vidi tamquàm mare vitreum mixtum igne:* hæc gloria, seù visio beatifica, vt dixi cap. 4. & hinc confirmatur magìs hæc opinio. *Et eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius*, qui nullo modo bestiæ hæserunt, *stantes supèr mare vitreum*, gloriam haurientes, *habentes citharas Dei*, gaudentes, & lætantes cum citharis Dei; sic enim repræsentatur gloria, & licèt hìc mare mixtum igne. cap. 4. simile crystallo, tamèn in idem recidit, quia ignis, & crystallum denotant lucem, seù illuminationem ex igne lucido, seù crystallo transparente orientem. *Et eos, qui vicerunt bestiam*. Hoc non sufficiebat? cur addit, *& imaginem eius, & numerum nominis eius?* vt innotescat non sufficere vnum vincere, si in alio deficiamus, at omnia superanda, & quia sub vnoquoque horum apparebat sequela bestiæ: ideò alternatiuè hæc ponuntur suprà cap. 13. 17. & cap. 16. 2. nàm quis dubitat & in adorantes bestiam sœuitum ab Angelo? itidem cap. 20. 4. coronantur ergò qui vicerunt bestiam præsentes, & imaginem eius, & numerum no-

nominis eius absentes: multi enim seducti ex præsentibus ob adstantem bestiam, multi absentes ob imaginem, quia datus illi spiritus, & vt loquatur, a pseudopheta, & dictum vt facerent imaginem eius cum miraculo, & inobseruantes occidantur. cap. 13. 14. *Stantes supèr mare vitreum* mixtum igne, *habentes citharas Dei: & cantantes;* ex his tribus maxima eorum gloria declaratur clara visio: citharæ, non quælibet, sed Dei, *cantantes*, non simplex canticum, sed duplex, *Moysi serui Dei, & canticum Agni. Stantes*, iudicium Domini expectantes, iuxtà illud: stabunt iusti in magna constantia, &c. hinc fortè non expediuntur Angeli antequàm de his habeatur sermo, quasi ad eorum preces mittantur: quòd si verum est, apparet Sanctos non petere vindictam, sed Deum ad eorum conspectum moueri ad illam, vel assistētiam illam in eis dici petitionem vindictæ. *Cantantes canticum Moysi serui Dei*, quia iàm euaserant pericula translati ad gloriam, proùt Populus Hebræus mare superato, *& Agni*, à quo salutem suam recognoscebant, cum impios depressisset, & hæc duo iunctim proùt ex cantico colligitur: nàm licèt non dicāt cāticum Moysis in verbis: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, dicunt in re, & substantia, *dicentes: Magna, & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: iustæ, & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum;* sic & Dauid. *Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?* sic illum magnificat Virgo, Nabuchodonosor, *quia solus pius es: quoniam omnes Gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo*, sic & Dauid, *quoniam iudicia tua*, facta tua *manifesta sunt*, omnibus innotuerunt, non est ampliùs locus dubitationi supèr illis. Ex hucusq; dictis firma non posse intelligi verba (*& vidi tamquàm mare vitreum mixtum igne*) de multitudine magna reproborum sequentium Antichristum, vel varijs cupiditatibus quibus æstuant impij. Isa. 57. vt aliqui recentiores tenent. Hoc enim est contrà veteres Patres, & alios recentiores, qui exponunt, vel de Ecclesia militante, & baptismate in Spiritus sancti igne, vel sacra Scriptura, vel sanctis in Ecclesia triumphante; ità Andreas, & Arethas Cesareæ Cappadociæ Episcopi, in comment. Ambrosiaster, Primasius, Beda, Anselmus, Ansbertus, Ricardus S. Victore, Haymo, Rupertus, Thomas, Lyranus, Caietanus, & cęteri, & verba hæc illis non aptantur, sed gloriæ, vt explicaui, & quia agit de gloria, & gloriosis viris, in qua, & intèr quos rei non admittuntur, & quia agit de materia, non de personis, & de signo cælesti in cælo, vbi non manent improbi, & quia victores stant supèr mare vitreū gaudentes, quomodò ergò mare dicit improbos? & quia essent verba sinè sensu, & improbis non aptantur lucida, vt vitrum, & ignis lucens, sed tenebrosa, & obscura omnia. *Et pòst hæc vidi, & eccè apertum est templum tabernaculi testimonij in cælo: & exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo*, exeunt hi Angeli de loco intimo gloriæ, *vestiti lino mundo, & candido, & præcincti circà pectora zonis aureis* ad denotandam eorum puritatem, candorem, & gloriam. vide cap. 1. ne putemus eos moueri aliquo affectu prauo, & etiàm denotandam eorum obedientiam, & promptitudinem ex cinctura zonarum ad mandata Dei exequenda; hìnc: sint lumbi vestri præcincti. *Et vnum de quattuor animalibus* sic representatum sub Angelo, vt dixi aliàs: & hinc magis excluditur intellectus de quattuor Euangelistis: hi enim non dant phialas: *dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in sæcula sæculorum. Et impletum est templum fumo à maiestate Dei, & de virtute eius* ad denotandam approbationem Dei circà hæc facta Angelorū, & iram ipsius Dei adeò magnam, vt fumus exiret. *Et nemo poterat introire in templum, donèc consummarentur septem plagæ septem Angelorum*, ad designāda occulta Dei iudicia, non manifestanda, nisi secuto effectu. Vel potiùs ad eandem iræ magnitudinem demonstrandam ex magno fumo, quasi velit dicere, is adeò replebat omnia, vt nullus posset intrare, proùt sic videmus nos in thalamis fumo plenis. Vel hæc omnia ad denotandam magnitudinem exterminij facti per septē Angelos. Vel denotādū clausam esse misericordiā, nullas preces admitti, clausa omnia: in iudicio enim nulla misericordia, nullus precator: ideò in parabola Virgin. Mat. 25. dicitur: & clausa est ianua.




CAPVT XVI.



1 ET audiui vocem magnam de templo, dicentem septem
Angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in ter-
2 ram.* Et abijt primus, & effudit phialam suam in ter-
ram, & factum est vulnus sæuum, & pessimum in ho-
mines, qui habebant characterem bestiæ, & in eos, qui
3 adorauerunt imaginem eius.* Et secundus Angelus effu-
dit phialam suam in mare, & factus est sanguis tam-
4 quàm mortui: & omnis anima viuens mortua est in mari.* Et tertius effudit
phialam suam supèr flumina, & supèr fontes aquarum, & factus est sanguis.
5 * Et audiui Angelum aquarum dicentem: Iustus es Domine qui es, & qui eras
6 sanctus, qui hæc iudicasti.* Quia sanguinem Sanctorum, & Prophetarum
7 effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.* Et audiui al-
terum ab altari dicentem: Etiàm Domine Deus omnipotens vera, & iusta iu-
8 dicia tua.* Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, & datum est
9 illi æstu affligere homines, & igni:* & æstuauerunt homines æstu magno, &
blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem supèr has plagas, neque ege-
10 runt pœnitentiam vt darent illi gloriam.* Et quintus Angelus effudit phia-
lam suam supèr sedem bestiæ: & factum est regnum eius tenebrosum, & com-
11 manducauerunt linguas suas præ dolore:* & blasphemauerunt Deum cæli præ
doloribus, & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.
12 * Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphra-
13 ten: & siccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus ab ortu solis.* Et
vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus tres im-
14 mundos in modum ranarum.* Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa,
& procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum
15 Omnipotentis Dei.* Eccè venio sicùt fur. Beatus qui vigilat, & custodit ve-
16 stimenta sua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* Et congre-
17 gabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon.* Et septimus Ange-
lus effudit phialam suam in aerem, & exiuit vox magna de templo à throno,
18 dicens: Factum est.* Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & ter-
ræmotus factus est magnus, qualis numquàm fuit ex quo homines fuerunt su-
19 pèr terram: talis terræmotus sic magnus.* Et facta est ciuitas magna in tres
partes: & ciuitates Gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memo-
20 riam antè Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.* Et omnis in-
21 sula fugit, & montes non sunt inuenti.* Et grando magna sicùt talentum de-

ſcendit de cælo in homines: & blaſphemauerunt Deum homines proptèr plagam grandinis: quoniàm magna facta eſt vehementèr.



T audiui vocem magnam de templo, dicentem ſeptem Angelis: ite, & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram: tandèm conſummatio fit. In hoc cap. omnia ad reprobos referuntur, poſtquàm iàm boni ad gloriam euecti, vt cap. præcedenti diximus, & omnia ad litteram. *Et abijt primus* Angelus, *& effudit phialam ſuam in terram: & factum eſt vulnus ſæuum, & peſſimum in homines, qui habebant characterem beſtiæ: & in eos, qui adorauerunt imaginem eius*, idquè præmonuerat Angelus ſuprà cap. 14. 9. *Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare*, (omnia ſensìm tangit) *& factus eſt ſanguis tanquàm mortui* occiſi, proùt tempore Pharaonis: *& omnis anima viuens*, in mari exiſtens, *mortua eſt in mari. Et tertius* Angelus *effudit phialam ſuam ſupèr flumina, & ſupèr fontes aquarum, & factus eſt ſanguis:* aufertur facultas bibendi, ſeù aquæ. *Et audiui Angelum aquarum*, aquis præfectum, *dicentem: Iuſtus es Domine*, rectè omnia facis, *qui es, & qui eras* ſempèr æternalitèr *ſanctus, qui hæc iudicaſti* facienda, & feciſti: *quia ſanguinem Sãctorum, & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere: digni enìm ſunt*, merentur ſuprà cap. 3. 4. eadem enim pœna merentur puniri, quà ipſi alios infeſtarunt; ſic Regina illa caput occiſoris ſui in ſanguinem proiecit, quem ſitierat. *Et audiui alterum* Angelum *ab altari*, de quo præmiſit, *dicentem: Etiàm Domine Deus Omnipotens vera, & iuſta iudicia tua*. Eccè Angeli approbant facta à Deo; fortè in iudicio approbatio hæc eiſdem, & ſanctis dabitur. *Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem*, vt magis vreret, *& datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni; & æſtuauerunt homines* (eccè effectus) *æſtu magno, & blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem ſupèr has plagas* infligendas, *nequè egerunt pœnitentiam* his plagis præmoniti, *vt darent illi gloriam. Et quintus Angelus effudit phialam ſuam ſupèr ſedem beſtiæ* in qua vtì doctor docebat, regebat, præcipiebat, imperabat iuxtà illud: ſupèr ſedem Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: *& factum eſt regnum eius tenebroſum*, cœpit fama, & potentia minui: dum enim florebat, lucidum erat: hinc ſubditur congregatio Regum ad illud ſuſtinendum, *& commanducauerunt*, momorduerũt *linguas ſuas præ dolore*, ſicuti illis in falſa doctrina ſeminanda abuſi fuerant: *& blaſphemauerunt Deum cæli præ doloribus, & vulneribus ſuis* eis inflictis, vt conuerterentur, *&* nihilominùs *non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis* malis. *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphraten: & ſiccauit aquam eius, vt prepararetur via Regibus ab ortu ſolis;* in caueam conijciuntur Reges, vt penitùs pereant: Angelus præparat eis viam flumen exſiccando. *Et vidi de ore draconis*, diaboli, *& de ore beſtiæ*, Antichriſti, *& de ore pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos*. Diabolus, beſtia, pſeudopropheta illos Reges congregant, miſſis ſpiritibus ex eorum ore, id eſt, imperio *in modum ranarum* vociferantium, ſed non mordentium. Nec poteſt intelligi congregandos Reges orientis pro Eccleſia contrà Antichriſtum, quia tùnc ſeptem tantùm Reges erunt in toto mundo, vt infrà cap. 17. 9. vbi interpretes, & hi ſubiecti Antichriſto, & nunquàm fit mentio illorum pœnitentiæ, imò ſempèr de omnium impœnitentia; quales ergò congregandi, & qui? & ſi pro Eccleſia contrà Antichriſtum, quomodò ſubdit congregandos, ſpiritibus miſſis à dracone, beſtia, pſeudopropheta? *ſunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna* apparentia, non vera, *& procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei* à Deo deſtinatum incertum: ideò ſubdit. *Eccè venio ſicùt fur* ad iudicium, quia proximè ſequitur ſeptimus Angelus omnia conſummans. Pugnauit Deus con-


contrà insensatos grandine pro tùnc, vt subditur in septima plaga: siccauit Euphratem, vt appareat illum Deum esse, qui mare rubrum exsiccauit, & alueum Iordanis, & sicco vestigio ire fecit filios Israel, tùnc ad illos subleuandos, & magnificandos, nunc ad hos proterendos, & subuertendos, sicuti tùnc etiàm ad Aegyptios subuertendos hiatu, & vnione maris vsus est. ***Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua***, animam, & corpus suum, vt suprà cap. 3.4. qui non inquinauerunt vestimenta sua, corpora sua; ***ne nudus*** bonorum operum ***ambulet***, sic & Paulus. 2. Corint. 5. 3. ***et videant*** alij ***turpitudinem eius:*** tùnc enim in iudicio Deus illuminabit abscondita tenebrarũ, & manifestabit consilia cordium. ***Et congregabit illos*** Reges ***in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon***, vt ibì omnes conterantur. ***Et septimus Angelus effudit phialã suam in aerem, & exiuit vox magna de templo à throno, dicens: Factum est***, idest consummatum est, quia, vt prosequitur, fuit plaga omnibus maior. ***Et facta sunt fulgura, & voces*** conterentes, ***& tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis nunquàm fuit ex quo homines fuerunt supèr terram: talis terræmotus, sic magnus. Et facta est Ciuitas magna in tres partes.*** Pro Ierusalem intelligitur, quia sic exaltabitur sub Antichristo: ***& ciuitates Gentium ceciderunt*** ex terræmotu illo magno. ***Et Babylon magna venit in memoriam antè Deum, dare illi calicem indignationis iræ eius***, agit de hac congregatione Antichristi, & sequacium, potanda vino iræ indignationis, proùt & subditur. Non credo pro Babylone hic iterum Ierusalem, tùm quia de illa proximè dictum, nec præsumitur repetitio: tùm quia Ierusalem sub typo Sodomæ, & Aegypti suprà cap. 11. & quia præcedunt ciuitates Gentium, vndè potiùs Babylon Gentilis; & quia si sub typo Babylonis modò vnum, modò aliud intelligeretur, obscurissima esset locutio, nec vllo modo apprehendi posset: & sub typo Babylonis Ciuitas magna. cap. 17. & 18. quæ à Ierusalem differt, vt dicam. ***Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti*** à magno illo terræmotu omnia ęquante, ***& grando magna sicùt talentum*** (magnitudinem designat) ***descendit de cælo in homines, & blasphemauerunt Deum homines*** illius congregationis ***propter plagam grandinis: quoniàm magna facta est vehementèr***; dixi de congregatione illa: ciuitas enìm de qua Ioannes cap. seq. non perueniet ad hæc tempora vltima Antichristi antè incendenda, per decem Reges, non ex terræmotu subuertenda; & apparet hìc agi de pœna sequacium Antichristi, & ipsius.



CAPVT XVII.

1 *ET venit vnus de septem Angelis, qui habebant septem*
phialas, & locutus est mecum, dicens: Veni ostendam
tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet supèr
2 *aquas multas,* * *cum qua fornicati sunt qui habitant ter-*
3 *ram de vino prostitutionis eius.* * *Et abstulit me in spi-*
ritu in desertum. *Et vidi mulierem sedentem supèr be-*
stiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, haben-
4 *tem capita septem, & cornua decem.* * *Et mulier erat circumdata purpura, &*
coccino, & inaurato auro, & lapide precioso, & margaritis, habens poculum
aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius:
5 * *Et in fronte eius nomen scriptum: Mysterium: Babylon magna, mater for-*

6 *nicationum, & abominationum terræ.* * *Et vidi mulierem ebriam de sangui-*
ne Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu. Et miratus sum cum vidis-
7 *sem illam admiratione magna.* * *Et dixit mihi Angelus: Quarè miraris? Ego*
dicam tibi Sacramentum mulieris, & bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capi-
8 *ta septem, & cornua decem.* * *Bestia, quam vidisti, fuit, & non est, &*
ascensura est de abysso, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes ter-
ram (quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ à constitutione mundi)
9 *videntes bestiam, quæ erat, & non est.* * *Et hic est sensus, qui habet sapien-*
tiam. Septem capita: septem montes sunt, supèr quos mulier sedet, & reges
10 *septem sunt.* * *Quinque ceciderunt: vnus est, & alius nondum venit: & cum*
11 *venerit, oportet illum breue tempus manere.* * *Et bestia, quæ erat, & non est:*
12 *& ipsa octaua est: & de septem est, & in interitum vadit.* * Et *decem cor-*
nua, quæ vidisti, decem reges sunt: qui regnum nondum acceperunt, sed pote-
13 *statem tamquàm reges vna hora accipient pòst bestiam.* * *Hi vnum consilium*
14 *habent, & virtutem, & potestatem suam bestiæ tradent.* * *Hi cum Agno pu-*
gnabunt, & Agnus vincet illos: quoniàm Dominus dominorum est, & Rex
15 *regum, & qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles.* * Et *dixit mihi: Aquæ,*
16 *quas vidisti vbì meretrix sedet, populi sunt, & Gentes, & linguæ.* * Et *de-*
cem cornua quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient
illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.
17 * *Deus enìm dedit in corda eorum vt faciant quod placitum est illi: vt dent re-*
18 *gnum suum bestiæ donèc consummentur verba Dei.* * Et *mulier quam vidisti,*
est ciuitas magna, quæ habet regnum supèr reges terræ.



ET *venit vnus, &c.* Putabam stare adhùc in euersione sectæ Antichristi, de qua cap. 14. & 16. dixi. Sed nunc ab illa recedendum. Primò, quia declaratio quòd mulier sit ciuitas sedens supèr aquas multas, fornicaria, desolata, nuda, cuius carnes deuorandæ, ipsa concremanda, illam habere regnum supèr reges terræ, & alia multa, vltrà ea, quæ in cap. 18. dicuntur de regibus, rebus venalibus, mercatoribus, & alijs, non potest conuenire nisi ciuitati veræ, & materiali, non metaphoricæ, seù spirituali.

Secundò, ciuitas illa passura est omnia mala prædicta hoc cap. 17. à decem regibus, qui diuident imperium totius mundi intèr se antequàm subdantur Antichristo, vel antequàm venerit Antichristus, ergò non potest dici sectam Antichristi antè eius aduentum destruendam, quia si destruenda esset secta antequàm veniret, quomodò posteà ipse imperaret? quibus dominaretur?

Tertiò, reges decem euersuri ciuitatem sunt illi, quorum tres debellabantur ab Antichristo, qui illorum regna eripiet, & septem reliqui ei vltrò subdentur, vti habetur hoc cap. vers. 12. 13. 17. & Daniel. 7. & ex his constituetur secta, seù congregatio Antichristi: quomodò ergò congregatio destruet seipsam? & ipsi in seipsos conuertentur?

Quartò, hi reges odient ciuitatem fornicariam, desolatam facient, &c. vers. 16. ergò hi ab illa diuersi, imò illi de directò contrarij, non ergò hæc congregatio Antichristi.

Quintò, quia secta Antichristi, ipse, pseudopropheta, reges destruentur immediatè à Chri-

à Christo vnà cum exercitu Angelorum. Apocal. 19.16. vndè non potest dari duplex destructio.

Sextò, hæc vna ciuitas sola, pluribus autèm abundabit secta Antichristi.

Nequè possunt hæc diuidi, vt vna pars sectæ, alia ciuitati aptentur, quia omnia simùl vnam respiciunt ciuitatem, & mulierem, non diuersas.

Non possumus dicere hos reges decem rebellaturos ab Antichristo, & in sectam Antichristi, quam sequebantur, commouendos, quia primò, hæc fient antè aduentum, vel imperium Antichristi. Secundò, constat reges vsquè ad finem, & omnium internecionem cum Antichristo perseueraturos, vt ex textu hoc, & Apocalyp. 19. 19. & Daniel. 7.

Non possumus duplicare reges, vt alios ab his dicamus in sectam inuehendos, quia aliud tempus hoc respiceret: hæc autèm secutura antè Antichristum: & quia alij non dominabuntur de illo tempore, aut inuenientur tempore etiàm Antichristi, ex hoc cap. & Daniel. 7.

Dices, cur ergò tenuisti in dd. cc. 14. & 16. agi de congregatione Antichristi? Respondeo, tenui, quia in eis agitur de Babylone, & cap. 15. tractatur de Antichristo immediatè per tertium Angelum. vers. 9. & de adorante illum subditur: & hic bibet de vino iræ Dei. & cap. 16. agitur de plagis adorantium bestiam, idest, Antichristum, & sequacium, nequè explicatur modus, quo sit casura Babylon; & casus esse poterat à Deo per Angelos: nàm hæc congregatio, scilicèt Antichristus, pseudopropheta, reges sequaces à Christo, & Angelis trucidandi. Apocal. 19. hæc autèm ciuitas per decem reges igne, esu carnium, & alijs dissipanda, quæ ciuitatem ab illa secta diuersificant, vt consideraui.

Pro Babylone non possumus intelligere de toto mundo, vel omnibus impijs: tùm quia restrictio est ad vnam ciuitatem veram, & materialem: tùm quia ignis conflagratorius totius mundi erit à Deo in fine eiusdem, quod non conuenit ciuitati antè Antichristi tempora incendendæ: tùm quia reges pessimi non destruerent iniquos simplicitèr: lupus enìm non comedit lupinam carnem, imò potiùs illos conseruarent, & protegerent, sicùt malus Saul malum Agag, & malus Achab malum Benadad: & potiùs conuenirent in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius. Psalm. 2. Prætereà, constituenda esset duplex congregatio malorum, & impiorum; vna quæ puniret, alia quæ puniretur, & hìc de vna agitur, quam ad duas non possumus extendere. Obstant & quæcunque dixi in præcedentibus.

Pro Babylone non potest intelligi Ierusalem, quia non appellatur Ierusalem Babylon, proùt hæc ciuitas. vers. 5. & cap. 18. vers. 2. 18. 19. 21. sed Ierusalem dicitur Sodoma, & Aegyptus. Apocal. 11. 8. & quia non vastabitur, nequè incendetur nisi tempore vniuersalis incēdij, & in ea morituri Enoch, & Elias sub Antichisto. Apocal. 11. ibi Antichristus sedem locaturus.

Sed ad textum. *Et venit vnus de septem Angelis, qui habebant septem phialas*, de quibus suprà cap. 15. *& locutus est mecum, dicens: Veni*, attende, *ostendam tibi damnationem* à Deo factam, iudicium à Deo emanans (cap. enim 14. & 16. dixerat cecidisse: nùnc explicat clarè casum) *meretricis*, idòlolatræ *magnæ, quæ sedet supèr aquas multas*, imperat multis populis: sessio enìm denotat imperium: hinc Apostoli cum Christo in iudicio sessuri: *cum qua* meretrice *fornicati sunt reges terræ* in ea, vel eius exemplo, vel iussu cum idòlis, eis seruientes, & sacra facientes, *& inebriati sunt*, ad summum impleti *qui inhabitant terram*, omnes populi *de vino prostitutionis eius* antè idòla; traxit alios ad eandem impietatem; sic de Ierusalem se prostituente dictum per Prophetas. Similis phrasis. Isai. 51. 17. 22. & 63. 1. 23. Vndè intellectus recentioris, volentis in cap. 14. 16. 17. 18. Aapocal. agi de conuersione Ciuitatis huius ab idòlolatria ad fidem Christi non potest procedere, cum textus omnes, pœnæ, & alia sint de directo contraria. Nàm cap. 14. dicitur: (cecidit cecidit Babylon:) quomodò enìm diceretur cadere, quæ ad fidem Christi ascenderet? Prætereà, enunciatur ibì hoc pro pœna, cum subdatur (quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes Gentes:) & quomodò pœna illi, quæ mere-

batur pręmium?cap.16.(& Babylon magna venit in memoriam antè Deum,dare illi calicem vini indignationis iræ eius) quæ enim essent iudicia Dei iusta, si ad eum reuertenti hæc mala præstaret? potiùs cum illa fecisset proùt pater cum filio prodigo. Luc. 16. Sed hoc cap. omnia verba contrà hunc intellectum.vers.1.*Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*, quomodò enim damnata quæ credit? & ne singula enumerem, quomodò igni tradita? quomodò desolata,& nuda? quomodò carnes eius comestæ? sunt hæc prorsus aliena, quæ non indigent confutatione; sic & multa habentur. cap.18.quæ non refero.Prætereà omnia dicta in his cc.respiciunt nouissima tempora Antichristi: vndè tantò minùs aptatur conuersio Ciuitati de illo tempore euertendæ. *Et abstulit me in spiritu in desertum*, vt ibi meliùs contemplarem,vel attenderem: dicitur enim animæ:ducam te in solitudinem, & infrà c.21.10.& sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum, &c. *Et vidi mulierem*; sic & Ecclesiam sub nomine mulieris. cap. 12.*sedentem*, stantem tanquàm Reginam. infrà cap. 18. 7. *supèr bestiam coccineam*, Antichristi præcursores,in quibus ille operabatur, factos coccineos sanguine martyrum fuso. vers.6. reges enim dicuntur sustinere populos,quos regunt, & onere eorum premi, & esse illorum basim. Iob.38.6. vbi Greg. & alij, *plenam nominibus*, titulis *blasphemiæ* idòlis: hæc enim maior blasphemia, & peccatum, dare dæmoni quod Deo competit. hoc, si Antichristos respicias, qui omnia idòla quæcunque occurrebant,venerabantur,si Antichristum verum, quia adeò erit Deo infensus,& blasphemus,vt extollatur suprà omne quod dicitur Deus.2.Thes.2. Dan.11. *habentem capita septem, & cornua decem.* Loquitur de Antichristis illis potentiam eandem tùnc habentibus, quam verus Antichristus habiturus est,vt suprà dixit, & infrà; per tot enim capita,& cornua denotatur magna potentia;sic cap.12.3.cap.13.1. hæc de bestiá, quæ non possunt applicari diabolo, cui hæc insignia non dantur; redit ad mulierem.*Et mulier erat circundata purpura, & coccino,& inaurato auro, & lapide pretioso,& margaritis*,his omnibus delitijs, de quibus etiàm cap.seq. & quæ expressit in pseudopropheta.cap.13.11.*habens poculum in manu sua, plenum abominatione*, idòlis: hinc multi pro abominatione desolationis dicta à Daniele Propheta capiunt idòlum, vel statuam in templo positam,*& immunditia fornicationis eius*, idòlolatria,sacrificijs, hæc executio mali; & sic nedum gladio, sed insidijs, blanditijs, fastu trahebat homines ad fornicandum: de calice malo. Ezechiel. 23. 32. *Et in fronte eius nomen scriptum: Mysterium:* Sacramentum, secretum, suprà cap.1.20. 2.Thess.2.7. Daniel. 2. loquitur enim non de Babylone propria, sed sub typo eius de muliere, seù Ciuitate: *Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum*, quarumcunque adorationum ergà idòla,*terræ*, quæ supèr terram sunt. *Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum,& de sanguine Martyrum Iesu*, hæc denotant magnam quantitatem occisorum; sic suprà cap.16.6. *Et miratus sum cum vidissem illam* sic mihi repræsentatam monstruosam *admiratione magna.Et dixit mihi Angelus: Quarè miraris? Ego dicam tibi Sacramentum*,secretum *mulieris,& bestiæ,quæ portat eam*,illi dominatur, & eam exaltat, *quæ habet capita septem, & cornua decem*, potentia hac vestitam.*Bestia* coccinea,*quam vidisti*, Antichristus *fuit* in membris suis, in quibus mysterium operatur iniquitatis. 2.Thess. 2. 7. & 1.Ioan.2.18.23.cap.4.3. & hic est Antichristus, de quo audistis quoniàm venit, & nunc iàm in mundo est, & Epist.2.vers.7. quoniàm multi seductores exierunt in mundum, &c. & Antichristus, &c. quia sempèr persecutio, *& non est*, quia nondum apparuit verus, & proprius: loquitur enim,dum adhùc non venerat; sic Rom.4.17. vocat ea quæ non sunt, támquàm ea quæ sunt, *& ascensura est de abysso*, vt cap.11.7. seù de mari, vt dixit, ac si de ventre inferi; sic solemus dicere de impijs; *& in interitum ibit* citò, quia tribus annis cum dimidio tantùm regnabit,quòd etiàm infrà declarat.Prouer. 12. 7. Verte impios, & non erunt: domus autèm iustorum permanebit; & in Psal. Vidi impium,&c. & transiui,& eccè non erat. Vel est modus loquendi denotans interitum properum: quasi, erit adeò interitui vicina, ac


ac si nunquàm fuisset; proùt suprà 2.2. & 5. 13. *& mirabuntur inhabitantes terram*, eius sequaces iniqui, & præsciti (*quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi*) qua Agnus occisus, in quo omnes saluantur. Acto. 4. *videntes bestiam, quæ* modò *erat, &* nunc *non est*, tàm citò defecisse: sperabant enìm diuturnum eius imperium; sic Prouerb. 11.7. Mortuo homine impio, nulla erit vltrà spes: & expectatio solicitorum peribit. Hinc non potest capi bestia pro diabolo, quia bestia est oculis hominum visibilis apparitura, & moritura, quæ duo diabolo non aptantur. *Et hic est sensus, qui habet sapientiam*, sapiens, verus eorum quæ dixi, quæ explicat ibi. *Septem capita, &c.* Et dimittens mulierem, de qua in fine, transit, & dat exitum his septem regibus, in quibus consistit potentia Antichristi. Parum enìm antè tempus Antichristi decem reges futuri, qui imperium mundi, intèr se diuident, quorum tres contumaces debellabit Antichristus, septem alij eum sequentur; sic infrà, & clarius Dan. 7. vbi omnes. *Quinque* horum regum ex septem *ceciderunt*, casuri sunt, præteritum pro futuro more prophetarum, fortè bello vno, alius superexistens alio bello, vel modò deficiet, *vnus est*, stat, superuiuit. Ecclesf. 4.8. vnus est, & secundum non habet. & Genesf. 42. alius non est supèr, *& alius* alio tempore, qui *nondum venit*, nondum erit congregatus, & fortè Gog, & Magog, de quo infrà cap. 20. videtur enìm is vltimus conatus: at venturus est: *& cum venerit, oportet illum breue tempus manere*, citò confodietur, quia ad eum solum res reducta erit, & Dominus bellabit. cap. 16. & 19. ità vt his septem regibus Antichristus sit diuersis temporibus destituendus: vndè congregatio in campo Armagedon non est omnium septem regum, sed Orientis tantùm, vt cap. 16. 12. & in Occidente necessariò alij erunt, vt suprà cap. 16. in sexto Angelo, & cap. 20. de Gog, & Magog, qui fortè alio modo debellabuntur: & quamuis infrà cap. 19. 20. videantur omnes reges vno prælio victi, & occisi, dicendum est vel Ioannem coaceruasse simùl diuersis temporibus euentura, vel ibi de Orientalibus solis congregatis in campo Armagedon, vel illud iuxtà hanc distinctionem intelligendum, vel ad vnum prælium omnes quidèm reseruatos, non tamèn omnes vna vice indicatos, ità vt dicendum sit, *quinque ceciderunt*, non quod iàm cecidissent, sed faciendum pro iàm facto, iniquitates eorum completæ sunt, iam sunt iudicati, & morti destinati, *vnus est* vicinus iudicio, qui superest, *& alius nondum venit*, cum adhuc non sint completæ iniquitates eius, omnes tamèn vno prælio occidendi sunt cum bestia, vt cap. 19. at hoc sapit mysticum. Illud certum hìc de regibus septem agi: de alijs enìm agi non potest, quia hi soli dominabuntur, & existēt in toto mundo, pòst quos nominatos subdit de bestia, nec sunt interponenda alia extranea, obscura, & absona contextui, proùt illud de statibus ab Adam vsquè ad Iudicium, quia non adaptantur, nec pro regibus status sumi possunt, sed insistendum in verborum proprietate, quæ saluari potest. Præstereà, quæ connexio, vel relatio eorum temporum ad tempora Antichristi? *Et bestia* hæc sic destituta, seù Antichristus *quæ erat* heri, *&* hodiè *non est*, citò peritura: *& ipsa octaua est*, octauus rex septem superior: *& de septem est*, quia illis sicùt in vita, sic in morte sociabitur, & hoc est quod subdit, *&*, quia *in interitum vadit;* sic: dicite discipulis eius, & Petro, qui de eisdem erat, & Ezech. 8. exprimitur Iecconia, qui erat de septuaginta, & Tob. 12. 15. ego sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus antè Dominum. Vndè, vt iàm dixi, hæc de diabolo non possunt intelligi, quia si daremus ei octauum locum, non remaneret locus pro Antichristo, nequè diabolus moriturus, nec qui non erat, nec visibilis. Prætereà, diabolus in Apocalypsi non appellatur bestia, sed draco, diabolus, satanas, vt infrà cap. 20. 2. 10. & cap. 13. 4. 12. Similis phrasis (*erat, & non est*) Isa. 41. 12. erunt quasi non sint, & Ierem. in orat. cap. 5. patres nostri peccauerunt, & non sunt, & Matth. 2. 18. noluit consolari quia non sunt, scilicèt superstites. & Ierem. 31. 15. Ezech. 21. 13. deficiant peccatores, ità vt non sint. Psalm. 103. in fin. Genesf. 42. 36. Ioseph non est supèr. Psalm. 36. 36. & transiui, & eccè non erat. 38. 14. & ampliùs non ero. 58. 14. in ira consummationis, & non erunt.

Esther.

Esther. 14. 11. ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, pro, Gentilibus. Isai. 40. 17. omnes Gentes quasi non sint. *Et decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt:* (retrogreditur, cum antè hæc fuissent præmittenda) *qui regnum nondum acceperunt* de præsenti: nondum enim cesserat tempus, *sed* suo tempore *potestatem tamquàm reges vna hora,* citò simùl *accipient*, quod diuident intèr se *pòst bestiam*, bestiam Antichristum sequentes. infrà vers. 13. & 17. habetur Daniel. 7. *Hi vnum consilium habent*, conueniunt intèr se saltèm pro maiori parte, quia septem ex eis vltrò subdentur Antichristo: eccè quomodò mali vniti, *& virtutem*, potentiam, *& potestatem* omnem *suam bestiæ tradent*, septem vltronei, tres debellati: declarat verba (*pòst bestiam.*) *Hi cum Agno pugnabunt* contumacitèr: hìnc apparet illos non conuertendos, nec auellendos ab Antichristo: *& Agnus vincet illos*. infrà cap. 19. *quoniàm* Agnus *Dominus dominorum est*, *& Rex regum*, cui resisti non potest, *& qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles*, prædestinati, fortes, imperterriti, inuincibiles; hìnc præmisit illos congregari in loco vno. cap. 16. 16. *Et dixit mihi:* (regreditur ad meretricem) *Aquæ, quas vidisti vbi meretrix sedet* regina, domina suprà vers. 2. *populi sunt, & Gentes, & linguæ*, mundus totus. *Et decem cornua*, reges, *quæ vidisti in bestia*, Antichristo: *hi odient fornicariam,* meretricem, idòlolatram, *& desolatam facient illam* à fundamentis, *& nudam*, spoliabunt eam, *& carnes eius manducabunt:* quasi, nihil relinquent sanum, *& ipsam igni concremabunt;* sic & infrà cap. 18. & Daniel. 7. proùt factum in Ierusalem. *Deus enim dedit in corda eorum* regum *vt faciant quod placitum est illi:* quasi, permittetur sic à Deo: *& vt dent* posteà *regnum suum bestiæ*, Antichristo *donèc consummentur verba,* voluntas, Scriptura, prophetia *Dei*, ex quibus apparet mulierem concremandam antè aduentum, seù imperium Antichristi, quia posteà ipse debellabit tres reges, & septem alij vltrò ei subdentur, ex Daniele. *Et mulier* meretrix, *quam vidisti; est ciuitas magna, quæ habet regnum supèr reges terræ* totius.

Sed dices, quarè hæc Ciuitas Ioannis tantas passura calamitates? dic quia Deus permittit, *vt faciant* reges *quod placitum est illi.* vers. 17. quia venerunt in memoriam Dei iniquitates eius. cap. 16. 19. & 18. 5. & quia à vino iræ fornicationis suæ idòlolatrando potauit omnes Gentes. cap. 14. 8. cap. 17. 2. cap. 18. 3. & sanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt. cap. 16. 6. suprà vers. 6. & hæc peccata non erant vsquè ad purum purgata, & tùnc erit proximum tempus iudicij, nec aliud tempus superent manifestandi hominibus iustitiam Dei; & quia de illo tempore relapsura est in vitia, & scelera (vers. enim 16. dicitur: *odient fornicariam,* & patet cap. 18. 2. 4. 8. 9. 15. & per totum) incertum tamèn an in idòlolatriam: nec verbum *fornicariam* id importat de necessitate, quia potest referri ad tempus visionis, quo appellatur meretrix in princ. cap. proùt Ierusalem sancta respectu primi temporis. Matth. 27. 33. Quò verò ad Reges decem illam incensuros, quia *odient.* vers. 16. & fortè quisque illorum timebit ne rebellet, vel alteri eorum, cæteris spretis, adhæreat, & sic ad securitatem imperij singulorum, præsertìm, quia circà illa tempora erit potens, vt colligitur. cap. 18. Sed opportunè ruina Ciuitatis Ioannis, cum imperium, & regnum transferatur ab Antichristo in Ierusalem, ibi prædicaturi Enoch, & Elias, ibi fides propaganda, conuertendæ reliquiæ Israel, effundendus martyrum sanguis, Elias, & Enoch morituri, surrecturi, ascensuri. Apocal. 11. & ibi futurum vnum ouile, & vnus pastor.

CA-




CAPVT XVIII.

1 ET pòst hæc vidi alium angelum descendentem de cælo,
habentem potestatem magnam: & terra illuminata est à
2 gloria eius. * Et exclamauit in fortitudine dicens: Ceci-
dit, cecidit Babylon magna: & facta est habitatio dæ-
moniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & cu-
3 stodia omnis volucris immundæ, & odibilis: * quia de
vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes: & re-
ges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum eius
4 diuites facti sunt. * Et audiui aliam vocem de cælo, dicentem: Exite de illa
populus meus: vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non acci-
5 piatis. * Quoniàm peruenerunt peccata eius vsquè ad cælum, & recordatus est
6 Dominus iniquitatum eius. * Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis: & du-
plicate duplicia secundùm opera eius: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.
7 * Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & lu-
ctum: quia in corde suo dicit: Sedeo regina: & vidua non sum: & luctum
8 non videbo. * Ideò in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames,
9 & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illam. * Et flebunt, &
plangent se supèr illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in delicijs vi-
10 xerunt, cum viderint fumum incendij eius: * longè stantes propter timorem tor-
mentorum eius, dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa for-
11 tis: quoniàm vna hora venit iudicium tuum. * Et negotiatores terræ flebunt,
12 & lugebunt supèr illam: quoniàm merces eorum nemo emet ampliùs: * merces
auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, &
serici, & cocci, (& omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia
13 vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro, & marmore, * & cinnamo-
mum,) & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & si-
milæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedarum, & man-
14 cipiorum, & animarum hominum. * Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt
à te, & omnia pinguia, & præclara perierunt à te, & ampliùs illa iàm non
15 inuenient. * Mercatores horum, qui diuites facti sunt, ab ea, longè stabunt pro-
16 ptèr timorem tormentorum eius, flentes, ac lugentes, * & dicentes: Væ, væ ci-
uitas illa magna, quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco, & deaurata erat
17 auro, & lapide pretioso, & margaritis: * quoniàm vna hora destitutæ sunt tan-
tæ diuitiæ, & omnis gubernator, & omnis, qui in lacum nauigat, & nautæ,
18 & qui in mari operantur, longè steterunt, * & clamauerunt videntes locum in-
19 cendij eius, dicentes: Quæ similis ciuitati huic magnæ? * Et miserunt puluerem

supèr

super capita sua, & clamauerunt flentes, & lugentes, dicentes: Væ, væ ciui-
tas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes qui habebant naues in mari de
20 *pretijs eius: quoniàm vna hora desolata est.* * *Exulta super eam cælum, & san-*
cti Apostoli, & Prophetæ: quoniàm iudicauit Deus iudicium vestrum de illa.
21 * Et *sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in*
mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltrà iàm
22 *non inuenietur.* * Et *vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium,*
& tuba non audietur in te ampliùs: & omnis artifex omnis artis non inuenietur
23 *in te ampliùs: & vox molæ non audietur in te ampliùs:* * *& lux lucernæ non*
lucebit in te ampliùs: & vox sponsi, & sponsæ non audietur adhùc in te: quia
mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficijs tuis errauerunt omnes gen-
24 *tes.* * *Et in ea sanguis prophetarum & sanctorum inuentus est: & omnium,*
qui interfecti sunt in terra.




T pòst hæc vidi: Prosequitur Ciuitatis suæ ruinam, & quomodò in sibilum versa, prout de vera Babylone. Ierem. 51. 37. & de Ierusalem. Ierem. 9. 11. *alium Angelum* verum, non Christum, quia hic neque de Incarnatione, neque de prædicatione agitur, cum Angelus non prædicet, sed de Babylone, & non potest dici inuerisimilis splendor Angeli, cum sit eis connaturalis, vt in illis, qui apparuerunt in Natiuitate. Luc. 2. 9. & Resurrectione. Matth. vlt. 3. in Ascensione. Act. 1. Centurioni. Act. 10. 30. Petro. Act. 11. 7. imò ad designandam in hominibus claritatem Angelica vtimur. Act. 7. in fine, in Stephano; & si in hominibus, vt Moyse. Exod. 34. 13. Dauide. 2. Reg. 14. 17. 20. & 29. 9. & 9. 17. Esau. Gen. 33. 10. Assuero. Esther 15. 16. 17. quantò magis in Angelis? *descendentem de cælo, habentem potestatem magnam* à Deo, de primis: *& terra illuminata est à gloria eius,* splendore eius: at non intelligas de tota terra lumine eius perfusa, sed aliqua parte. Si esset Christus, non diceret (*habentem potestatem magnam*) quia omnipotẽs, cuius potestas æterna, neque eius erat exclamare fortitudine magna, quia hæc omnia per Angelos. Et *exclamauit in fortitudine*, voce magna, *dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna: & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis.* priùs *cecidit,* deindè *facta est,* non ergò antè casum habitatio dæmoniorum, seù idololatra, illud in pœnam significans eius desolationem, quia sic nominamus Ciuitates desolatas, non in culpam. Cur autèm pœna hæc: *quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes: & Reges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores terræ de virtute delitiarum eius,* pro quibus fouendis merces comportabant, *diuites facti sunt,* suprà cap. 14. 8. sic de Babylone prostrata, & diruta. Isa. 13. 20. non habitabitur, &c. & 14. 23. & Ierem. 51. & Baruch. 4. 35. & de Idumea. Isa. 34. Non dicas ex prædictis dæmones delectari locis desertis, quia in contrarium facit relegatio Asmodei facta à Raphaele in desertum; & quia petierunt à Christo ne abigeret eos extrà regionem. Marc. 5. 10. amant enim conuersari cum hominibus ad perniciem hominũ, & quamuis arreptitios ducunt per monumenta, & loca aspera, id faciunt ad augendã afflictionem, & desperationem inducendam, vt in illo, de quo Marc. 5. Matt. 8. Luc. 8. *Reges terræ;* non illi decem designati per cornua decem, sed alij, vel Reguli, vel Dynastæ fortè Ecclesiastici eiecti à Regno: illi enim decem non sunt fornicati cum illa, neque longè steterunt proptèr timorem suorum tormentorum, qui oderant illam, & eam concremauerunt

uerunt cap. 17. 16. sed illi, qui participauerant cum illa, & amici eius erant. *Et audiui aliam vocem de cælo, dicentem: Exite de illa populus meus: vt ne participes sitis delictorum eius*, peccatorum propriè, non pœnarum, quia subdit: *& de plagis eius non accipiatis*; sic dictum astantibus ruinæ Core, & Abiron. *Quoniàm peruenerunt peccata eius vsquè ad cælum*, proùt ædificantium turrim, & Sodomorum, *& recordatus est Dominus iniquitatum eius* ad illas puniendas, suprà cap. 16. 19. sic Ierem. in Thren. cap. 1. 22. *Reddite illi* (hoc dicit Angelis percutientibus) *sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundùm opera eius: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum:* hinc pœnas commensurandas esse delictis; sic Ierem. 50. 15. *quia in corde suo dicit: Sedeo Regina*, nullus me tanget, delitijs proùt Regina perfruar: *& vidua non sum*, tribulationibus proùt vidua subiecta; sic Isa. 47. 8. *& luctum non videbo* proprium viduis. Non dicas, non careo frequentia hominum, quia non aptatur, nec congruit sequentibus, *luctum non videbo. Ideò in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur.* suprà cap. 17. 16. *quia fortis*, omnipotens *est Deus, qui iudicabit*, condemnabit illam. *Et flebunt, & plangent* amarissimè *se supèr illam Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in delitijs vixerunt*, peccauerunt cum ea, *cum viderint fumum incendij eius*, proùt habitatores Hai: *longè stantes proptèr timorem tormentorum eius*, ne & illos apprehendant, proùt adstantes ruinæ Core, & Abiron, *dicentes: Væ, Væ ciuitas illa magna Babylon, Ciuitas illa fortis: quoniàm vna hora*, ex improuisò *venit iudicium tuum* condemnatio, desolatio tua. *Et negociatores terræ flebunt, & lugebunt supèr illam: quoniàm merces eorum nemo emet ampliùs*, illa sic desolata, *merces* scilicèt *auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci, & omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro, & marmore, & cinnamomum, & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.* In his omnibus enumerantur delitię Ciuitatis in vestitu, potu, cibo, odoratu. *Et poma desiderij animæ tuæ*, quibus inhiabas, hi cibi delicati, & suaues, & odoriferi proùt poma, *discesserũt à te, & omnia pinguia, & præclara* (al ud genus eduliorum) *perierunt à te, & ampliùs illa iàm non inuenient* habitatores Ciuitatis, idèst his non vtentur ampliùs, cùm omnes sint occidendi. *Mercatores horum* prædictorum, *qui diuites facti sunt, ab ea longè stabunt proptèr timorem tormentorum eius, flentes, ac lugentes, & dicentes: Væ, væ, Ciuitas illa magna quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis.* suprà c. 17. 4. *quoniàm vna hora destitutæ sunt tantæ delitiæ:* (repetunt quæ dixerunt) *& omnis Gubernator* nauium, *& omnis, qui in lacum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longè steterunt, & clamauerunt videntes locum incendij eius*, de quo suprà cap. 17. *dicentes: quæ similis Ciuitati huic magnæ?* quasi, omnes superabat. *& miserunt puluerem supèr capita sua* more valdè dolentium, & gementium, *& clamauerunt flentes, & lugentes, dicentes: Væ, væ Ciuitas illa magna;* repetunt hæc more dolentium, vt Dauid, fili mi Absalon, Absalon fili mi; *in qua diuites facti sunt omnes, qui habebant naues in mari de pretijs eius*, comportantes ad eam illa: *quoniàm vna hora desolata est.* sic dolentes. Nunc ad lætantes. *Exulta supèr eam cælum, & sancti Apostoli*, seù apostolici viri, *& Prophetæ: quoniàm iudicauit Deus iudicium vestrum de illa*, eam condemnando, & desolando. *Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi* (affirmat) *molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon Ciuitas illa magna*, ad denotandam æternitatem supplicij; *& vltrà iàm non inuenietur*, non ædificabitur ampliùs pòst incendium; *Et vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te ampliùs:* hæc dicit, quia & in his delectabatur: *& omnis artifex omnis artis non inuenietur in te*

ampliùs

ampliùs: hoc respicit ad vestitus luxuriosos: *& vox molæ non audietur in te ampliùs*, quia eris desolata: *& lux lucernæ non lucebit in te ampliùs* eadem ratione: *& vox sponsi, & sponsæ non audietur adhùc in te*, nulla vox lætantium: *quia mercatores tui erant Principes terræ* vers. 23. qui ad delitias, & carnalia facilè defluunt; Vndè hoc dicit ad denotandam illius peccatorum grauitatem; *quia in veneficijs tuis errauerunt omnes Gentes*, exemplo tuo alios demersisti: *Et in ea sanguis Prophetarum, & sanctorum inuentus est*, profusus, *& omnium qui interfecti sunt in terra*; quia ex ordine Imperatorum Romanorum occidebantur omnes vbiquè.



CAPVT XIX.

1 *POST hæc audiui quasi vocem turbarum multarum in*
cælo dicentium: Alleluia: Salus, & gloria, & virtus
2 *Deo nostro est: * quia vera, & iusta iudicia sunt eius,*
qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in
prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorum
3 *suorum de manibus eius. * Et iterum dixerunt: Alle-*
4 *luia. Et fumus eius ascendit in sæcula sæculorum. * Et*
ceciderunt seniores vigintiquattuor, & quattuor animalia, & adorauerunt
5 *Deum sedentem supèr thronum dicentes: Amen: Alleluia. * Et vox de throno*
exiuit, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius: & qui timetis eum
6 *pusilli, & magni. * Et audiui quasi vocem turbæ magnæ, & sicùt vocem aqua-*
rum multarum, & sicùt vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia:
7 *quoniàm regnauit Dominus Deus noster omnipotens. * Gaudeamus, & exul-*
temus: & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, et vxor eius præpa-
8 *rauit se. * Et datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti, et candido. bys-*
9 *sinum enìm iustificationes sunt Sanctorum. * Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui*
ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt: et dixit mihi: Hæc verba Dei vera
10 *sunt. * Et cecidi antè pedes eius, vt adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne*
feceris: conseruus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.
11 *Deum adora. Testimonium enìm Iesu est spiritus prophetiæ. * Et vidi cælum*
apertum et eccè equus albus, et qui sedebat supèr eum, vocabatur fidelis, et Ve-
12 *rax, et cum iustitia iudicat, et pugnat. * Oculi autèm eius sicùt flamma ignis,*
& in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit
13 *nisi ipse. * Et vestitus erat veste aspersa sanguine: & vocatur nomen eius,*
14 *Verbum Dei. * Exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, ve-*
15 *stiti byssino albo, et mundo. * Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte*
acutus: vt in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea: & ipse
16 *calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. * Et habet in vestimento,*
17 *& in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. * Et vi-*


di vnum

di vnum Angelum stantem in sole, & clamauit voce magna, dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli: Venite, & congregamini ad cœnam
18 *magnam Dei: * vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium libe-*
19 *rorum, & seruorum, & pusillorum, & magnorum. * Et vidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui*
20 *sedebat in equo, & cum exercitu eius. * Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta: qui fecit signa coràm ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Viui missi sunt hi duo*
21 *in stagnum ignis ardentis sulphure: * Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis supèr equum, qui procedit de ore ipsius: & omnes aues saturatæ sunt carnibus eorum.*



IXERAT in præcedenti capite: Exulta supèr eam, scilicèt Babylonem, cælum, &c. nunc exultationem ponit: *Pòst hæc* dicta suprà *audiui quasi vocem turbarum multarum*, ad intelligentiam nostram, cùm ibì non adsint turbæ, *in cælo dicentium: Alleluia*, laudate Dominum, vt sequitur: *Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est: quia vera, & iusta iudicia*, sententiæ, terminationes *sunt eius, qui iudicauit*, condemnando, & puniendo, *de meretrice magna, quæ corrupit terram*; sic Genes. 6. omnis caro corruperat viam suam, *in prostitutione sua* ad omnia scelera, *& vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius*, vt dixerat suprà cap. 6. 10. *Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus eius* meretricis arsæ *ascendit in sæcula sæculorum* ex inferno, ibì in perpetuum arsuræ. *Et ceciderunt seniores viginti quattuor, & quattuor animalia*, (hìnc non esse Apostolos, vel Euangelistas, vt tenui) *& adorauerunt Deum* prostrati *sedentem supèr thronum, dicentes: Amen*, approbantes: *Alleluia.* Laus Deo. *Et vox de throno*, in quo sedebat Deus, ab astantibus illi *exiuit*, *dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius: & qui timetis eum pusilli, & magni*, omnes sub his duobus. *Et audiui quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum* (hæc omnia ad nostrã intelligentia m) *dicentium: Alleluia:* Laus Deo: *quoniàm regnauit*, pacatum nunc habet regnum suum *Dominus Deus noster omnipotens*. 1. Cor. 15. *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriã ei*, à quo hæc omnia: *quia venerunt nuptiæ Agni*, dies lætitiæ, proùt in nuptijs, *& vxor eius præparauit se* ad nuptias celebrandas. *Et datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti, & candido*, puritate, munditia omni, quia illùc non intrat quidquam coinquinatum. *Byssinum enìm iustificationes sunt Sanctorum*, quibus mundantur, & purificantur ab omni labe: hìc de Ecclesia triumphante. *Et dixit mihi: scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, quia sicut in cœna nuptiali lætitiæ, ità ibì ad nostram capacitatem; dixit ille: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei: *Et dixit mihi: Hæc verba Dei vera sunt*, fidelia: Deus enìm obseruans. *Et cecidi antè pedes eius, vt adorarem eum* adoratione ei conueniente ob nuncium bonum, gratias acturus de bono nuncio. *Et dicit mihi: Vide ne feceris: conseruus tuus* Dei *sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu*, testificantium de Iesu, Apostolorum. *Deum adora*, Deo gratias age, qui hæc omnia fecit: *testimonium enìm Iesu est spiritus prophetiæ*; vult probare tales suos fratres: nàm sicùt ego hæc tibi prophetizo, sic illi sunt Prophetæ. Sed quod hìc dixit, *habentium testimonium Iesu*, infrà cap. 22. dicit prophetarum. *Et vidi cæ-*

lum apertum, sic, quia exituri, quos subdit, *& ecce equus albus*, victoriam designans, & triumphum, ijdem equi, & vestes in sequacibus vers. 14. quibus designatur Angelorum velocitas, dignitas, puritas, *& qui sedebat supèr eum*, *vocabatur fidelis*, *& verax*, obseruans, non deficiens, *& cum iustitia iudicat*, *& pugnat*. iustus Dominus, & iustitias dilexit. Christus. *oculi autèm eius sicùt flamma ignis*, proùt & cap. 1. 14. *& in capite eius diademata multa*, quia ipse Rex regũ, & Dominus dominantium, suprà c. 17. *habens nomen scriptũ*, *quod nemo nouit nisi ipse*, quia cum sit Verbum Dei, quis apprehendet? dixit Angelus Manue: cur quæris nomen meum, quod est mirabile? Iudi. 13. 18. *Et uestitus erat ueste aspersa sanguine*. & Isa. 63. 1. quarè ergò rubrum est indumentum tuum? hac designatur strages futura, vel victorias haberi in sanguine Agni, in eoquè Agnum triumphaturum: nàm humiliauit, &c. proptèr quod, &c. Philipp. 2. ideò in vestimento sanguineo habet scriptum, Rex regum, & dominus dominantium: *& uocatur nomen eius*, *Verbum Dei*. *Et exercitus qui sunt in cælo*, castra Dei, dixit Iacob. militia cælestis. Luc. 2. *sequebantur eum in equis albis*, *uestiti byssino albo & mundo*; sic apparuit præcedens eques in veste candida. 2. Machab. 11. 8. *Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus*: *ut in ipso percutiat Gentes*, quem vitare non poterunt bicipitem, de quo & suprà cap. 1. & 2. & 3. *Et ipse reget eas in uirga ferrea*. suprà cap. 12. *& ipse calcat torcular uini furoris iræ Dei omnipotentis*, iram ipse exerit, exire facit, sicùt dum præmitur vua in torculari vinum egreditur; sic, crassitudo terræ erupta est supèr terram. Psal. 140. 7. in ira punit. *Et habet in uestimento*, *& in femore suo scriptum*; *in femore*, quia à Regibus descendit; non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, dixi Gen. 24. *Rex regum*, *& Dominus dominantium*. *Et uidi unum Angelum stantem in sole*, vt ab omnibus videatur; sic de Christo palàm apparituro. In sole posuit tabernaculum suum. *& clamauit uoce magna*, *dicens omnibus auibus*, *quæ uolabant per medium cæli*: hæc dicit intellecturis: *Venite*, *& congregamini ad cœnam magnam Dei*, in qua occisa altilia multa: *ut manducetis carnes regum*. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Psal. 2. *& carnes tribunorum*, *& carnes fortium*, *& carnes equorum*, *& sedentium in ipsis*, *& carnes omnium liberorum*, *& seruorũ*, *et pusillorum*, *et magnorũ*: omnes enim morituri, occidẽdi. sic sup. c. 17. *Et uidi bestiam*, Antichristum, *et Reges terræ* ei hęrentes, *et exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo*, *qui sedebat in equo*, Christo, *& cum exercitu eius*, Angelis. *Et apprehensa est bestia*, Antichristus, *& cum ea pseudopropheta*: *qui fecit signa coràm ipso*. cap. 13. *quibus seduxit eos*, *qui acceperunt characterem bestiæ*, *et qui adorauerunt imaginem eius*. cap. 13. *Viui missi sunt hi duo*, proùt Core & Abiron mortui antequàm peruenirent, deindè rediuiui *in stagnum ignis ardentis sulphure*, in infernum: *& cæteri occisi sunt* hic in mundo *gladio sedentis supèr equum*, *qui* gladius *procedit de ore ipsius* iubentis, & patrantis hæc per Angelos: *& omnes aues saturatæ sunt carnibus eorum*. Similis phrasis Ezechiel. 29. 6. & 32. 4. clarior Ierem. 39. 12. 9.




CA-



CAPVT XX.

1 ET vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clauem
2 abyssi, & catenam magnam in manu sua. * Et appre-
hendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus,
3 & Satanas, & ligauit eum per annos mille: * & misit
eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum vt
nō seducat ampliùs gentes, donèc consummentur mille an-
4 ni: & pòst hæc oportet illum solui modico tempore. * Et
vidi sedes, & sederunt supèr eas, & iudicium datum est illis: & animas de-
collatorum proptèr testimonium Iesu, & proptèr verbum Dei, & qui non ado-
rauerunt bestiam, nequè imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in fron-
tibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille an-
5 nis. * Cæteri mortuorum non vixerunt, donèc consummentur mille anni: Hæc
6 est resurrectio prima. * Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione
prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei &
7 Christi, & regnabunt cum illo mille annis. * Et cum consummati fuerint mille
anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet Gentes, quæ sunt su-
pèr quattuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quo-
8 rum numerus est sicùt arena maris. * Et ascenderunt supèr latitudinem terræ,
9 & circuierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam. * Et descendit ignis à
Deo de cælo, & deuorauit eos: & diabolus, qui seducebat eos, missus est in sta-
10 gnum ignis, & sulphuris, vbi & bestia, * & pseudopropheta cruciabuntur die
11 ac nocte in sæcula sæculorum. * Et vidi thronum magnum candidum, & se-
dentem supèr eum, à cuius conspectu fugit terra, & cælum, & locus non est in-
12 uentus eis. * Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni,
& libri aperti sunt: & alius Liber apertus est qui est vitæ: & iudicati sunt
13 mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum. * & dedit
mare mortuos, qui in eo erant: & mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in
14 ipsis erant: & iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum. * Et infernus,
15 & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. * Et qui non in-
uentus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.



T vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam ad ligandum diabolum in manu sua, verum Angelum, non Christum, de quo Angelo suprà cap. 9. in princ. & quia de Christo infrà hoc eodem cap. vers. 5, & 6. & 11. & licèt cap. 1. 18. dicat Christus se habere claues mortis, & inferni, dat tamèn illas Angelis. cap. 9. in princ. non per seipsum exequitur. *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum*, qui seduxit Euam, *qui est diabolus, & Satanas*, vt suprà c. 19. *& ligauit eum per annos mille: & misit eum in abyssum*, ità vt non exeat, nisi vt infrà, *& clausit, & signauit supèr illum*, ne possit exire, *vt non seducat ampliùs Gentes* in idòlolatriam, *donèc consummentur mille anni*. nunc Iudicium est mundi, nùnc Princeps huius mundi, qui pro Deo se gerebat, adorare se faciens, eijcietur foràs: *& pòst hæc*, mille annos, idest, tempore Antichristi, *oportet illum solui modico tempore*, dum durabit persecutio Antichristi. At ligatio diaboli per annos mille cœpta à cruce Domini, nùnc iudicium est mundi, &c. iàm præterierat, quomodò ergò Ioannes de præteritis ponit reuelationem? dico nõ esse incongruum, quia prophetia est etiàm de præteritis, quæ ignoramus quomodò gesta, vt in creatione mundi per Moysen; ignorabamus autèm quomodò iudicatus diabolus princeps, quomodò eiectus, quanto tempore in carcere permansurus, quæ Ioannes reuelauit. *Et vidi sedes, & sederunt supèr eas* iudicaturi: nàm Christus Iudex secum alios admittit, *& iudicium datum est illis*, concessum est illis à Deo, qui & Christo quà homini illud dedit: *& pòst* iudicium vidi *animas decollatorum* (nondum corpora) *proptèr testimonium Iesu* datum, *& proptèr verbum Dei*, Euangelium, *& eorum qui non adorauerunt bestiam*, Antichristum, *nequè imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo*, qui est vita, *mille annis* in anima beati. *Cæteri mortuorum*, impij, qui non seruauerunt præmissa, *non vixerũt*, nequè regnauerunt, sed in anima in inferno cruciati sunt vsquè ad tempora iudicij. Ne ex solutione diaboli deterreantur fideles à fide, & sequantur Antichristum, sed confirmentur, illicò subdit de gloria non sequentium, & iudicio, ac pœna sequentium Antichristum, quos sub verbis (*cæteri mortuorum*) comprehendit, ità vt primi viuant, & regnẽt in Christo in animabus, antequàm corpora reassumant, & sic permanebunt per mille annos, scilicèt vsquè ad iudicium, tempus certum pro incerto, deindè cũ corporibus tempore iudicij assumendis; secundi verò non sunt victuri, in gloria scilicèt cum Christo per dictum tempus (subintellige) sed apud inferos in animabus, & pòst cum corporibus. Et hæc est resurrectio prima beatorum ad gloriam in animabus; postèa generalitèr omnes electos comprehendens. *Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes*, Reges (hoc dicit ratione vnctionis) *Dei, & Christi, & regnabunt cum eo mille annis* in anima, idem scilicèt erit omnibus electis defunctis in hac prima resurrectione, idest, animarum exaltatione ad gloriam; & in his non habet locum secunda mors, quia resurgent resurrectione iustorum, & vnà cum corporibus beatis gaudebunt; damnatis verò resurrectio erit secunda mors, quia in corporibus etiàm affligentur. Et dum dicit de mille annis, intelligit de ijsdem, de quibus in Satana dixerat, & vsquè ad iudicium: ideò subdit. *Cum consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas*, & sub millenario comprehendit & dies vsquè ad resurrectionem vniuersalem, cum non possit animabus beatis dari alius status, & est regulare numeros paucos, vel fractos ad decem non ascendentes contemni, & non apponi. Sed absquè dubio & decollati, & bestiam non sequentes sub vna verborum structura designati, & verbis, & re coniuncti, sunt ijdem, & tota oratio regitur à verbis (*vixerunt, & regna-*

regnauerunt cum Christo) & licèt in eis totus millenarius non possit verificari, sufficit millenarium vigere, & in eo esse, cùm totum tempus capiat vsquè ad iudicium,& infrà illud, & viuere, & regnare cum Christo. Et idem est in alijs Sanctis, quorum animæ transferuntur in cælum, & translatæ sunt postquàm ligatus est Satanas, de quibus subijcitur vers. *6. Beatus, &c.* nàm quot non regnabunt cum Christo in animabus tantùm per totum millenarium, quia veniet tempus reassumendi corpora,& regnandi in anima, & corpore simùl eodem momento? At retinet hìc Euangelista idem thema, quod in diabolo descripserat, ligatum fore per mille annos, propterea non distinxit tēpora,quæ nos distinguere debemus,hoc autèm de industria fecit, vt sciremus animas beatas hinc discedentes ad vitam, & regna vocari eodem tempore, quo Satanas ligatus tenetur,& ipsæ exeunt à corpore purgatæ, vel sinè macula. Et reijcienda opinio quòd mille anni hìc pro æternitate, quia contrà textum, qui hos mille annos cœpit pro beatitudine animarum tantùm absquè corpore, quæ non sic solæ permanebunt in æternitate, cum reassumpturæ sint corpora, & cum illis perpetuò fruituræ: ideò distinxit intèr primam, & secundam resurrectionem, & sic iudicium illud concernit, & attenditur quòad mille annos, quod est tēpus vsquè ad iudicium, & quòad beatitudinem animarum, proùt fit in qualibet anima; infrà verò dicit de iudicio vniuersali & animarum, & corporum, *vidi thronum*. *Et cum consummati fuerint mille anni*, cum venerit tempus Antichisti, *soluetur Satanas de carcere suo* infernali, *& exibit, & seducet gentes, quæ sunt supèr quattuor angulos terræ;* sic suprà cap.7. 1. de angulis quattuor seducet gentes ad idòlolatriam: ideò princeps mundi eiectus est foràs, sed quia soluetur modico tempore, scilicèt tempore Antichristi reintroducet idòlolatriam. suprà cap. 13. 4. 8. 13. cap.19.20.& cap.7. Hæc cum dictis in cap.12. confer, & videbis eadem & ibì tractari,& intellectum nostrum ibì datum congruere. *Gog* princeps, *& Magog* regio aquilonaris, vt ex Ezechiele. cap.38. 39.& fortè est is ille septimus Rex,qui nondum venerat. cap. 17. 10. clarum est enìm Ezechielem loqui de diebus nouissimis, quandò reliquiæ saluandæ in Israel, vt per tota cc. nàm cap. 38. 8. in nouissimo annorum venies. vers. 16. in nouissimis diebus eris, & quia Gog ab Aquilone. 39. 2. in Israel casurus. 38.16.& 39.3.4.11. conuocantur bestiæ, vt suprà Apoc. 19. fit mentio præcedentium iudicium. 38. 19. 20. datur salus Israeli per tota cc.& 39. in fine,& meminit multitudinis magnæ Gog, de qua & hìc. *& congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt supèr latitudinem terræ*, omnem terram: erit enìm vniuersalis persecutio, *& circuierunt castra Sanctorum* vbiquè, *& Ciuitatem dilectam*, Ierusalem, in qua Hebræi conuersi insignes, & nobiles erunt fideles. *Et descendit ignis à Deo de cælo*, (eccè quomodò pugnabit Dominus contrà insensatos) *& deuorauit eos*, omnes congregatos: *& diabolus, qui seducebat eos*, (eccè spiritus in forma ranarum) *missus est* ab Angelo *in stagnum ignis, & sulphuris, vbì & bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*, sempèr, in æternum. *Et vidi thronum magnum candidum*, ad integritatem iudicij denotandam, *& sedentem supèr eum*, Christum, cui datum iudicium visibile, *à cuius conspectu fugit terra, & cælum, & locus non est inuentus eis* ab horrore iudicantis tremendi; Vndè Iob. 14.3. quis mihi hoc tribuat,vt in inferno protegas me, & abscondas me, donèc pertranseat furor tuus in iudicio, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? *Et vidi mortuos magnos, & pusillos;* sic Dauid, pusillis cum maioribus. *stantes in conspectu throni, & libri*, actiones hominū cōtinentes & conscientias ipsorum, *aperti sunt:* reuelabuntur enìm abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium: *Et alius liber apertus est, qui est vitæ*, prædestinatorum: *et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum*, ità vt nullus quærelæ locus relictus sit: omnes enìm obmutescent, proùt ille in parabola: Omnes enìm nos representari oportet antè tribunal Christi, vt referat vnusquisque proùt gessit in corpore siuè bonum, siuè malum. *et dedit*


dit mare mortuos suos, *qui in eo erant: et mors, et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant:* est modus lequendi, *mare, infernus, mors dederunt mortuos*, omnes scilicèt mortui resurrexerunt, impij in resurrectionem iudicij, boni in resurrectionem vitæ: *et iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum. Et infernus, et mors missi sunt in stagnum ignis*, similis phrasis Isa.24.22. sed illi de proximo in iudicio condemnati, quos sub inferni, & mortis typo refert, dignos scilicèt inferno, & morte æterna, & secunda: ad proxima enim fit relatio; vndè dicit. *Hæc est mors secunda* in corpore, æternaquè. E*t qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis* iuxtà eorum opera mala, vt suprà.



CAPVT XXI.

1 ET *vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim*
2 *cælum, & prima terra abijt, & mare iàm non est.* * *Et*
ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam
descendentem de cælo à Deo, paratam, sicùt sponsam orna-
3 *tam viro suo.* * E*t audiui vocem magnam de throno*
dicentem: Eccè tabernaculum Dei cum hominibus, &
habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus
4 *cum eis erit eorum Deus:* * *& absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eo-*
rum: & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vl-
5 *trà, quia prima abierunt.* * E*t dixit qui sedebat in throno: Eccè noua facio om-*
6 *nia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera.* * E*t*
dixit mihi: factum est. ego sum Alpha, & Omegha: initium, & finis. E*go si-*
7 *tienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis.* * *Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi*
8 *Deus, & ille erit mihi filius.* * *Timidis autèm, & incredulis, & execratis, &*
homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idòlolatris, & omnibus mendaci-
bus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure: quod est mors secunda.
9 * E*t venit vnus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis nouis-*
simis, & locutus est mecum, dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam, vxorem
10 *Agni.* * *Et sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit*
11 *mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo à Deo,* * *habentem cla-*
ritatem Dei: & lumen eius simile lapidi pretioso tamquàm lapidi iaspidis sicùt
12 *crystallum.* * E*t habebat murum magnum, & altum, habentem portas duode-*
cim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duo-
13 *decim tribuum filiorum Israel.* * *ab Oriente portæ tres: & ab Aquilone portæ*
14 *tres: & ab Austro portæ tres: & ab Occasu portæ tres.* * *Et murus ciuitatis ha-*
bens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum
15 *Agni.* * E*t qui loqebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream,*
16 *vt metiretur ciuitatem, & portas eius, & murum.* * *& ciuitas in quadro po-*
sita


sita est, & longitudo eius tanta est quanta & latitudo: & mensus est ciuitatem
de arundine aurea per stadia duodecim millia: & longitudo, & altitudo, & la-
17 *titudo, eius æqualia sunt.* Et mensus est murum eius centum quadraginta quat-
18 *tuor cubitorum, mensura hominis, quæ est angeli.* * Et erat structura muri eius
19 *ex lapide iaspide: ipsa verò ciuitas aurum mundum simile vitro mundo.* * Et
fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum pri-
mum, iaspis: secundum, sapphirus: tertium, calcedonius: quartum, sma-
20 *ragdus:* * *quintum, sardonyx: sextum, sardius: septimum, chrisolithus: octa-*
uum, beryllus: nouum, topazius: decimum, chrysoprasus: vndecimum, hyacin-
21 *tus: duodecimum, amethystus.* * *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt,*
per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & platea ciuitatis
22 *aurum mundum, tamquàm vitrum perlucidum.* * *Et templum non vidi in*
23 *ea.* Dominus enim Deus omniptens *templum illius est, & Agnus.* * *Et ciuitas*
non eget sole, neque luna vt luceant in ea. nam claritas Dei *illuminauit eam,*
24 *& lucerna eius est agnus.* * Et *ambulabunt Gentes in lumine eius, & reges*
25 *terræ afferent gloriam suam, & honorem in illam.* * *Et portæ eius non clauden-*
26 *tur per diem: nox enim non erit illic,* * Et *afferent gloriam, & honorem gen-*
27 *tium in illam.* * *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominatio-*
nem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in in libro vitæ Agni.



T vidi cælum nouum, et terram nouam. Primum enim cælum, et prima terra abijt; sic 2. Pet. 3. 13. *et mare iàm non est*, quia & ipsum renouabitur: vndè quod dixit de cælo, & terra, & de mari intelligendum posito sub eadem oratione, & phrasi, *et mare*, primum scilicèt, *iàm non est*, sed nouum: proùt cælum, & terra noua: non est enim verisimile, si terra noua fit, mare absumi, præsertim cum dicat noua facere omnia, & magis ornata, & suprà cap. præcedenti dixerat terram, & cælum fugisse, & locum non esse inuentum eis, & tamèn hæc posteà dicit renouanda, sed clarum de omnibus creaturis ad Rom. 8. & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, &c. & alibì dixi hæc renouanda antè iudicium. *Et ego Ioannes vidi sanctam* (sic & suprà cap. 3. 12.) *Ciuitatem Ierusalem* cælestem *nouam descendentem de cælo à Deo, paratam, sicùt sponsam ornatam viro suo;* hac similitudine vtitur ad eius pulchritudinem, quæ explicari non potest, denotandam, & quia omnia occulta manifestantur: dictum enim est: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum; propterea gloria Sanctis præparata dicitur in terras descendere: *Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Eccè tabernaculum Dei cum hominibus, &c.* sic Act. 10. 11. de cælo in terram linteum demittitur. Vel, *descendentem de cælo,* quia eo modo repræsentatur Ioanni. *Et audiui vocem magnam de throno,* de quo suprà, *dicentem: eccè tabernaculum,* habitatio *Dei cum hominibus* ibi congregandis, *& habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*, protegens, tutans eos; sic, ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Erit mihi in populum, ego ero eis in Deum, ad denotandam vnionem, & protectionem: *& absterget Deus omnem lacrymam*, omnem dolorem, amaritudinem *ab oculis eorum* electorum; *& mors vltrà non erit,* iàm in abysso defossa, *neque luctus*, imò omnia læta,

læta, *nequè clamor* ex pressuris, vel alijs malis, *nequè dolor erit vltrà*, *quia prima* hæc *abierunt*, transierunt. *Et dixit qui sedebat in throno: Eccè noua facio omnia*, præterita ampliùs non apparebunt. *Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt*, certò futura, *& vera*. *Et dixit mihi. Factum est*, omnia consummata. *Ego sum alpha, & omega, initium, & finis*, qui cœpi, & perficio. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratìs*. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; Venite, emite absquè argento, & absquè vlla commutatione, &c. & infrà 22. 18. *Qui vicerit*, vsquè in finē perseuerauerit, *possidebit hæc*, erit horum Dominus, *& ero illi Deus*, *& ille erit mihi filius*, vt suprà. *Timidis autèm* sinè spe, *& incredulis* sinè fide, *& execratis, & homicidis, & fornicatoribus*, carnalibus, *& veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus*, negantibus Iesum venisse, de quibus Ioannes in epist. *pars illorum erit in stagno ardenti*, *igne, & sulphure*, vt suprà cap. præcedenti: *quod est mors secunda*, nedum in anima, sed & in corpore. *Et venit vnus de septē Angelis habentibus phialas plenas septem plagis nouissimis*, vltimis, *& locutus est mecum, dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam, vxorem Agni*, Ecclesiam. *Et sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi Ciuitatem sanctam Ierusalem* cælestem *descendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei*, superexcellentem; sic cedri Dei, homo Dei, &c. iterum videt illam Ioannes; *& lumen eius simile lapidi pretioso*, indeficienti, stabili, non indigenti materia vstibili, *tamquàm lapide iaspidis* claro, de quo suprà cap. 4. & infrà vers. 18. *sicùt crystallum*; hinc currit intellectus gloriæ, de quo cap. 4. & cap. 15. Dicit Ciuitatem habere claritatem Dei, vt etiàm infrà vers. 23. vbi, *& lucerna eius est Agnus*, qui sicùt illuminauit omnem hominem venientem in hunc mundum, & per quem omnes salui sunt, ità in ea Ciuitate lucere dignum est; propterquod & Deus exaltauit illum. Philipp. 2. *Et habebat murum magnum, & altum*. sic representatur ad intelligentiam nostram, vt cognoscamus de tuta mansione, proùt in Ciuitate munita. *habentem portas duodecim*, ex his magnitudo: *& in portis Angelos duodecim* intromittentes, aperientes, *& nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel* pro vniuersitate electorum. *Ab Oriente porta tres: & ab Aquilone porta tres: & ab Austro portæ tres: & ab Occasu porta tres*. Ex his denotatur ex qualibet regione mundi congregandos electos; sic Christus, multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. & Gen. 28. 14. eritquè semen tuum quasi puluis terræ, dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem. *Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*. hìc vniuersitas prædicantium, & trahentium ad fidem, & salutem, intèr quos singulares, & præcipui Apostoli, qui vniuersum mundum peragrarunt: ideò non est bonum argumentum, quia viuus Ioannes, de illo non agi, sed hìc de alio tempore. *Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream, vt metiretur Ciuitatē, & portas eius, & murum*. *& ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est quanta & latitudo: & mensus est Ciuitatem de*, cum *arundine aurea per stadia duodecim millia: & longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia sunt*. *Et mensus est murum eius centum quadraginta quattuor cubitorum*, *mensura hominis*, cubiti hominis ratione habita, *quæ* tamèn mensura *est Angeli*, quæ fiebat ab Angelo, ne putares, cum dixisset mensura hominis, mutasse personam ab Angelo in hominem, & mensura Angeli intelligitur de excellenti: quandò enim aliquod excellens significare volumus, dicimus Angelicum esse, etsi hìc propriè Angelus mensurabat. *Et erat structura muri eius ex lapide iaspide*: ideò tota lucens: *ipsa verò Ciuitas aurum mundum simile vitro mundo*; hìnc intellectus de gloria ad cap. 4. firmatur, & infrà etiàm de vitro. *Et fundamenta muri Ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, &c. Et templum non vidi in ea. Dominus enìm Deus omnipotens templum illius est, & Agnus. Et Ciuitas non eget sole, nequè luna, vt luceant in ea. nàm claritas Dei* illa superans *illuminauit*

uit eam, & lucerna eius est Agnus, lucerna, dic minor, proût de Ioanne: ille erat lucerna ardens, & lucens. *Et ambulabunt gentes in lumine eius* Agni, quia in eo solo salus, *& reges terræ afferent gloriam suam, & honorem in illam;* hoc ad maiestatem ostendendam ad nostram intelligentiam ex hac terrena. *Et porta eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic,* proût hìc clauduntur, quia nox. E*t afferent gloriam, & honorem gentium in illam*, vt suprà. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Beati mundo corde, quoniàm ipsi Deum videbunt; *aut abominationem faciens*, idòlolatra, *& mendacium*, infidelis, *nisi*, sed illi soli, *qui scripti sunt in libro vitæ Agni*, prædestinati. Aduerte, descripta est patria cælestis ad nostram capacitatem quò augustiùs fieri potuit, non tamèn esse, vt describitur, quia oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.



CAPVT XXII.

1 *ET ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tam-*
quàm crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.
2 ** In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis li-*
gnum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singu-
los reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem
3 *Gentium, * & omne maledictum non erit amplius: sed*
sedes Dei, & Agni in illa erunt, & serui eius seruient
4 *illi.* * Et *videbunt faciem eius: & nomen eius in frontibus eorum. * Et nox*
5 *vltrà non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniàm*
6 *Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum. * Et di-*
xit mihi: Hæc verba fidelissima sunt, & vera. Et Dominus Deus *spirituum*
7 *prophetarum misit angelum suum ostendere seruis suis quæ oportet fieri cito. * Et*
8 *eccè venio velocitèr. Beatus, qui custodit verba prophetiæ libri huius. * Et*
ego Ioannes, qui audiui, & vidi hæc. & postquàm audissem, & vidissem, ce-
9 *cidi vt adorarem antè pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat: * & dixit mihi:*
Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, &
10 *eorum, qui seruant verba prophetiæ libri huius:* Deum *adora. * Et dicit mihi:*
11 *Ne signaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim propè est. * Qui nocet,*
noceat adhùc: & qui in sordibus est, sordescat adhùc: & qui iustus est, iustifi-
12 *cetur adhùc: & sanctus, sanctificetur adhùc. * Eccè venio citò, & merces*
13 *mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua. * Ego sum Alpha,*
14 *& Omega, primus, & nouissimus, principium, & finis. * Beati, qui lauant*
stolas suas in sanguine Agni: vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per por-
15 *tas intrent in ciuitatem. * Foris canes, & venefici, & impudici, & homi-*
16 *cidæ, & idolis seruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. * Ego*
Iesus misi angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesijs. Ego *sum radix,*

& ge-

17 *& genus Dauid , stella splendida , & matutina .* * *Et spiritus , & sponsa dicunt : Veni . Et qui audit , dicat : Veni .* Et *qui sitit, veniat : & qui vult ,*
18 *accipiat aquam vitæ , gratis .* * *Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius : Si quis apposuerit ad hæc , apponet* Deus *super illum plagas scriptas*
19 *in libro isto .* * *Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius , auferet* Deus *partem eius de libro vitæ , & de ciuitate sancta , & de his , quæ scripta*
20 *sunt in libro isto .* * *dicit qui testimonium perhibet istorum . Etiam venio citò .*
21 *Amen . Veni* Domine *Iesu .* * *Gratia* Domini *nostri Iesu Christi cum omnibus vobis . Amen .*



T ostendit mihi fluuium aquæ vitæ , splendidum tamquàm crystallum, procedentem de sede Dei , & Agni: visio beatifica hæc est, seù gloria, de qua suprà cap. 4. & 15. & in simili in Ezechiele cap.47. hæc aqua de qua Iesus : qui biberit ex aqua , quam ego dabo ei , fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam . Fluuius splendidus tamquàm crystallum, quia datur intuitus, seù visio clara procedit à sede Dei , quia in eum fit visio , & Agni , quia & ex eo beatitudo accidentalis quà homine . *In medio* fluminis *plateæ eius,* spatia , abundantiam , seù latitudinem gloriæ demonstrat , *& ex vtraque parte fluminis lignum vitæ , afferens fructus duodecim , per menses singulos reddens fructum suum,& folia ligni ad sanitatem gentium :* demonstrat amœnitatem gloriæ , proùt solemus amœnas ripas fluminum contemplari plantationibus plenas,æternitatem simùl ex ligno vitæ, sicùt lignum vitæ paradisi conseruaturum erat hominem; dicit productionem fructuum ad menses, quia sempèr reflorebit, sempèr variabit ad maiorem gustum , & delectationem , arbores sempèr germinabunt, & nihil erit superfluum , quia & folia ligni erunt ad sanitatem gentium,non quòd tùnc gentes adsint sanandæ, sed ad demonstrandum in gloria nil superfluum,nil quod nauseam possit efficere , proùt in mundo gustamus magìs ea , quæ integrè placent,ex quibus nihil superfluum , nihil quod nauseet. *Et omne maledictum non erit ampliùs,* nihil quod noceat, offendat, non rixæ, non contentiones , sed pax : ideò : *sed sedes Dei , & Agni in illa* Ciuitate *erunt,& serui eius seruient illi,* eccè pax, & concordia . E*t videbunt* fruentes *faciem eius,*à cuius vbertate inebriabuntur : *& nomen eius* scriptum *in frontibus eorum:* hìc protectio,& tuitio Dei, & securitas , ità vt à nullo lædi possint beati . E*t nox* tribulationum *vltrà non erit;* sed dies perpetuus : *& non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis,* vt in mundo , *quoniàm Dominus Deus illuminabit illos* splendore suo , & in æternum : ideò,*et regnabunt* felices *in sæcula sæculorum . Et dixit mihi,* Angelus scilicèt:*Hæc verba fidelissima sunt, et vera,* apparitura,& euentura . *Et Dominus Deus spirituum prophetarũ* (ab eo enim prophetia. 2. Pet. 1.) *misit Angelum suum ostendere seruis suis* (quibus dat significationem , vt fugiant à facie arcus) *quæ oportet fieri citò* , siuè ad persecutiones , siuè ad Antichristum referas, quia antè Deum mille anni tamquàm dies vna . *Et eccè venio velocitèr* perfecturus omnia. *Beatus,qui custodit,* obseruàt *verba prophetiæ libri huius,* quia à multis se custodiet.*Et ego Ioannes,qui audiui,et vidi hæc.* E*t postquàm audissem,et vidissem,cecidi vt adorarẽ antè pedes Angeli,* proùt Centurio antè Petrum , *qui mihi hæc ostendebat,* vt gratus illi essem, & motus rerum magnitudine : *Et dixit mihi : Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum, et eorum , qui seruant verba prophetiæ libri huius : Deum adora* , cui omnia debentur,nos serui . Angelus nouerat qualis Ioannes in sapientia , & amicitia Dei . iàm non dicam vos seruos,sed amicos , quia omnia , quæ audiui à Patre meo ,

nota

nota feci vobis, &c. sub nomine enim prophetiæ intelligendus vir omni sapientia refertus, ni mirum, si respuit tantum honorem, proùt & suprà cap. 19. 10. At non credas Ioannem adorare Angelum voluisse latria soli Deo debita: non enim verisimile est Ioannem id ignorasse, vel Ioannem Spiritu sancto in gratia cõfirmatum ità enormitèr peccasse, præsertìm quia nouerat illum esse Angelum, vt in textu hic, & suprà cap. 19. 10. Vel Deum permisisse in eo casum talem, dum hac reuelatione eum exaltat: sed voluisse adorare eo modo, quo antiqui Angelos apparentes venerabantur, adactus tot beneficijs, & documentis, ac reuelationibus, quibus Angelus eum perfuderat, & ornauerat; vndè gratitudinis, & remunerationis causa ipse sic agere intendebat recogniturus eum, & Angelus respuit, proùt & suprà cap. 19. 10. & omnia in Deum referenda insinuans, docet illum: *Deum adora*, à quo mittor hæc te docturus: ego *enim conseruus tuus sum*. quòd si Angelus intellexisset latria adorari, quid non exprobasset Ioanni, si Zachariam sibi non credentem percussit taciturnitate? si Agrippam non dantem Deo honorem morte? Non obstat, Angelus dicit, *Deum adora*, translatio ergò adorationis, qua latria Deo debetur indicat Ioannem latria Angelum adorare voluisse: nàm excluditur, cùm alia sit adoratio creaturæ, seù Angeli, quem Ioãnes sciebat esse Angelum, & Dei; vndè ex diuersis non infertur. Non videtur etiàm posse dici Angelum recusare adorationem generalitèr, quia versamur in nouo testamento, vel quia Ioannes virgo, vel caro humana in cælum assumpta, vel alijs de causis ab Angelo omissis, & ignotis: nàm non loquitur generalitèr Angelus, sed strictè ad Ioannem, & testimonium Iesu habentes, & prophetas, & proùt hìc, & suprà. cap. 19. 10. & Angeli dati sunt custodes homini à principio, & Raphael comes fuit Tobiæ. Vide scripta cap. 7. Act. Apost. Vel quando Angeli antiquitùs apparebant, vt plurimum vti Deus loquebantur, ni mirum, si tùnc repręsentantes personam Dei diuinos honores in Deum relatos admittebant. Iudi. 13. 16. vbi Angelus voluit sacrificium offerri Domino: in nouo verò non vti Deus, sed vti Angeli deteguntur, propterea adorationem non admittunt. *Et dicit mihi: Ne signaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim propè est*; sic solemus, ne notes hoc, quia citò fiet, ne describas me debitorem, citò enim soluam, nõ refert hæc in scriptura memoriæ commendari: *Qui nocet, noceat adhùc: Et qui in sordibus est, sordescat adhùc:* ironicè loquitur, vult dicere, audiuistis quæ ventura, sequimini nunc improbi mores vestros, atqui ab eis abstinere deberetis, cognoscentes tantas pœnas vobis instare: *et qui iustus est, iustificetur adhùc*, adhùc perseueret in bonis operibus, non quiescat, progrediatur: *et Sanctus sanctificetur adhùc*, non torpeat, quia non coronantur, nisi qui in finem vsquè perseuerauerint. *Ecce venio citò, et merces mea meeum est*, prompta est merces, non dabuntur induciæ, soluam illicò pòst opus, vt in domino vineæ vocante procuratorem, vt mercedem solueret singulis, postquàm serò factum erat, *reddere vnicuique secundùm opera sua*, ità vt nulla futura quærela, adeò iustè exequar. *Ego sum alpha, et omega, primus, et nouissimus, principium, et finis*, cœpi, & perficiam. *Beati, qui lauant stolas suas in sanguine Agni*, beati, qui purificant conscientias suas in sanguine Christi, qui non abutuntur illo sanguine, in quo solo salus datur: consequentèr fiet, *vt sit potestas eorum in ligno vitæ*, in gloria, qua fruentur, & in æternum beabuntur (eccè quomodò lignum vitæ à beatis distinctum de beatis non potest intelligi) *et per portas intrent in Ciuitatem*, quia solus sanguis Christi illã aperuit priùs clausam. *Foris* ex illa *canes*, pseudoprædicatores, *et venefici, et impudici*, quia purorum illa; *et homicidæ, et idòlis seruientes, et omnis, qui amat, et facit mendacium*, negantes Christum, infideles. *Ego Iesus misi Angelum meum, testificare vobis hæc in Ecclesijs. Ego sum radix, et genus Dauid*, Messias à Dauid descendens, *stella splendida, et matutina* omnes illuminans ab origine mundi. *Et spiritus, et sponsa*, animæ exoptantes dissolui, & esse cum Christo, *dicunt: Veni* Domine Iesu. *Et qui audit*, obedit, *dicat: Veni:* nàm ingrediuntur ad vitam mandata seruantes. *Et qui sitit*

tit gloriam, *veniat: et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis* absquè argento, aut alia commutatione. *Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: Si quis apposuerit ad hæc*, intellige contraria, aduersantia, ità omnes DD. & interpretes. Gal.1. *apponet Deus supèr illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, et de Ciuitate sancta, et de his, quæ scripta sunt in libro isto* bonis, vult dicere, is non erit de prædestinatis, non quòd deleantur qui sunt; sicùt & illud. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. *dicit qui testimonium perhibet istorum* Iesus. *Etiàm*, ità est, *venio citò*, vt dixi: *Amen*. sic fiet. *Veni*, dicit Ioannes, *Domine Iesu. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis* lecturis, audituris. *Amen*. Fiat.

Subijciuntur omnia sanctæ Matri Ecclesiæ.

LAVS DEO, ET VIRGINI.

ADDEN-

ADDENDA AD ACTVS
AD CAPVT PRIMVM.

PRIMVM quidem *sermonem feci de omnibus ò Theophile, quæ cœpit Iesus facere, & docere* à baptismate Ioannis *vsquè in diem, qua præcipiens*, quæ dicam, *Apostolis per Spiritum sanctum* mittendum ducendis, *quos ad id elegit, assumptus est*, hoc proemium, deindè sequitur narratio, *quibus* Apostolis *& præbuit seipsum viuum pòst passionem suam* in Cruce, & sepulturam, à qua surrexit gloriosus, *in multis argumentis*, vt esset de illa fides irrefragabilis, *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*, ad quod ibat. *Et* vltima vice dum esset de proximo ad cælum assumendus *conuescens* cum eisdem Apostolis in Ierusalem, *præcepit eis* (eccè verbum, *præcipiens*, superiùs quà tendit) *ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum:* pluriès enim promiserat se Spiritum sanctum missurum, & præsertim in vltima cœna apud Ioannem; sic Luc. vlt. & ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in ciuitate quòadusque induàmini virtute ex alto, *quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non pòst multos hos dies.* Pro intellectu horum verborum sciendum, baptismum Ioannis nullam contulisse gratiam, nequè mundasse, sed omnem operationem, si qua erat, descendisse ex antecedenti confessione, & contritione baptizatorum, fuisseque præambulum baptismi Christi mundantis à peccatis ex opere operato, & opportunum ad Christi aduentum manifestandum, cum hac de causa coràm Ioanne congregaretur omnis Ierosolyma, & Iudæa, irentquè ferè omnes ad eum baptizandi. Hinc denotans sui baptismi exilitatem, & baptismi Christi potentiam, & virtutem, ipsemet Ioannes dicebat. Matth. 3. 11. ego quidèm baptizo vos in aqua, in pœnitentiam, qui autèm pòst me venturus est, &c. ipse baptizabit vos in Spiritu sancto, & igni. & Marc. 1. 8. ego baptizaui vos aqua; ille autèm baptizabit vos Spiritu sancto. & Luc. 3. 16. ego quidèm aqua baptizo vos, &c. ipse baptizabit vos Spiritu sancto, & igni. & Ioan. 1. 26. ego baptizo vos in aqua, &c. At Apostoli hæc ignorantes poterant dicere: Domine, dixisti: euntes in mundum vniuersum prædicate, baptizantes eos, &c. Matth. 28. Marc. 16. & Luc. 24. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma. Vos autem testes estis horum; quod & repetit infrà vers. 8. *sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalē, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsquè ad vltimum terræ;* quomodò poterimus hoc præstare nos infirmi per totum mundum, si Ioannes, quem nullus hominum præcessit, vt dixisti; non potuit id facere suo baptimo in angulo terræ Iudææ? proptereà Christus

stus respondens vel tacitæ, vel expressæ eorum obiectioni, dixit: hoc vos non turbet quin facturi non sitis quod iubeo, & vt sciatis, *Ioannes quidem baptizauit aqua*, quæ nihil proderat ex se, ni mirum, si parum fecit, *vos autèm*, & omnes in me credentes, *baptizabimini Spiritu sancto*, quo duce omnia perficietis, dabiturquè vobis os, & sapientia, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri; &, dum steteritis ante Reges, & Præsides (& de Paulo: vt portet nomen meum, &c.) nolite cogitare, &c. ipse docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis; &, ego ero vobiscum vsquè ad consummationem sæculi; idquè quòad baptismum ex Spiritu sancto contigit speciatim Petro prædicanti Centurioni, & suis: cecidit enim super omnes Spiritus sanctus. Acto. 10. vndè Petrus. Act. 11. 16. recordatus sum autèm verbi Domini, sicut dicebat, quasi pluriès id dixerit: *Ioannes quidèm baptizauit aqua, vos autèm baptizamini Spiritu sancto*; sic & Paulus. Act. 19. Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset pòst ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, &c. & sic semper inuisibiliter fit, dummodo obex non opponatur. Et iuxtà promissionem die decima pòst Ascensionem descendit supèr Apostolos Spiritus sanctus. Acto. 2. hæc ergò est causa cur Christus meminerit baptismi Ioannis, cur dixerit virtutem, potentiam præstandam Apostolis ex superueniente Spiritu sancto ad sermonem incœptum rediens ab interrogantibus de regno temporali interruptum, procliuibusquè ad nationalia, seù originalia, & idid, ad quod magis afficiebantur, & si de toto mundo subijciendo verba haberentur, postquàm illis satisfecit: non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sic ergò dicendo, sustulit omne dubium vel excitatum, vel quod excitari poterat: suo enim baptismo mirabiliora operanda, quàm ex Ioannis baptismo, potentia Spiritus sancti omnia superanda, quod & ipsi memoriæ mandarunt, & hunc credo esse verum intellectum litteralem; Vnde frustrà quæritur hic an Ioannes baptizauerit Apostolos, quia est extrà materiam, & scopum, sed præsumendum eos exemplo Christi baptizatos à Ioanne, & quia Christus damnauit Pharisæos, & Principes, qui non receperunt baptismum Ioannis, qui à Deo erat, non esset passus hoc in suis discipulis.

Ad cap. 2. Act.

Et cum complerentur dies Pentecostes, agitur de die festo, qui celebrabatur à Iudæis: nàm loquitur vti de noto, *cum complerentur dies Pentecostes*: si enim de Christiano instituto ab Apostolis, præmittendum erat de nouitate, dandæquè rationes. Accedit, quia tùnc verè celebrabatur dies festus Pẽtecostes Iudęorũ, & proptereà Lucas dicit de tot nationibus appulsis Ierusalem ad Apostolos accurrentibus. Nequè potest dici, tempore, quo scripsit Lucas iam diẽ festum Pentecostes Christianum introductum, & iuxtà illum Lucam loqui, tùm quia nequè id probatur, & nonnisi pòst multum tempus abrogata, & sepulta in totum fuit lex Moysis, & speciatim in hoc festo Pentecostes celebrando, cum ad illum in Ierusalem Iudaicum celebrandum conuenerit Paulus magna cum festinatione, & ibi etiàm more Iudæorum se purificauerit in templo ex consilio Iacobi, & aliorum. Act. 21. & vt ibi obseruaui, si voluisset celebrare diẽ festum Christianorũ, non erat necesse adire Ierusalem, & templum, quia poterat alibi illum celebrare: Sed hoc innuit nondum fuisse intèr Christianos sancitum. Hinc si dum de Paulo agitur in cap. 21. intelligitur de paschate Hebræorum, quomodò hic Christianorum? Sed certum est, quouis tempore scripserit, illum referre historiam ad tempus illud, quod contigit, aliòqui non esset fidelis, sed suspectus: vndè cum tùnc ageretur Pascha Iudaicum, non Christianum, de primo non

non de secundo egit. Et licèt computatis diebus quadraginta, quibus Christus apparuit illis rediuiuus. Acto. 1. & alijs decem, quibus Spiritus sanctus missus est, sint dies quinquaginta, non potes ex hoc arguere, diē festum fuisse Christianū, non Iudaicum, quia & Iudæi tot dies numerabant, & clatū est tùnc fuisse ex concursu populorum ad diē festum eo tempore. Vel si excederent dies, quod est difficile scire, cum ex diuersitate opinionum res sit dubia, nec possimus quidquam certi affirmare, dicendum, *cum complerentur dies Pentecostes* festi Iudaici etsi non placet, cum credatur die illo festo Spiritum sanctum missum: & quia vnus tantùm dies erat huius diei festi, non plures.

Ad idem cap. pag. 20. col. 2. lin. 49. antè verbum (*Dauid*) Non placet quod dicunt recentiores, *solutis doloribus inferni*, idest, mortis, qui fuerunt in Christo acerbi, quia Petrus loquitur de doloribus pòst mortem, vt ex contextu: *Per manus iniquorum affligentes interemistis: quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni*, ad quod penetrauit, quod magis declarat ex sequentibus: *iuxtà quod impossibile erat teneri illum, &c.*

Ad idem cap. pag. 21. col. 1. lin. 46. antè verbum (*Non enim*) Sic meliùs quàm dicere Christum quà hominem misisse Spiritum sanctum, quod nullo modo aptatur, quia vt homo meruit, vt Deus effudit: nec sunt improprianda verba, nequè confundenda quæ Christo competunt quà Deo, & quà homini, sed singula distinguenda, & accommodanda.

Ad cap. 3. pag. 24. col. 2. lin. vlt. antè verbum (*Et miserit*) Vel Deo iubente, & volente.

Ad idem cap. pag. 25. col. 1. lin. 11. antè verbum (*Quæ locutus*) De his enim Prophetæ, vt subdit, non de Christo restituendis: & si id, clarè expressisset, imò hæc vt diuersa ponuntur. Marc. 9. 11. Elias cum venerit primò, restituet omnia, si ibi hoc, proùt hìc, de resurrectione, & renouatione; & quomodò scriptum est in Filium hominis vt multa patiatur, & contemnatur. idem Matth. 17. 12. & 13. etsi ibì omnia potiùs de prædicatione illius, & eius effectu, hic autèm, vt dixi, de resurrectione, & renouatione. Vndè non benè arguitur de illo ad hunc textum nostrum.

Ad cap. 5. pag. 32. col. 2. lin. 26. antè verbum (*Per manus*) Sed an ex voto obtulerit? credo potiùs ex destinatione, quia nullum verbum de voto, de quo verisimilitèr mentio fieret: vndè credendum voluisse videri assumere vitam communem cum alijs credentibus in Ierusalem, quidquid de voto dicat Abulensis. Leu. 27. quæst. 27.

Ad cap. 6. pag. 37. col. 2. pòst verba. Io. 12. Et coràm Caipha de tēplo. Marc. 14. 58. Ead. colum. pòst verba (*Deum*) Vel proùt de Dauide. 1. Reg. 29. 2. Reg. 4. & 19. & de Assuero. Esther. 15.

Ad cap. 7. pag. 40. col. 1. lin. 14. pòst verbum (*Abrahæ*) Non tamèn in gloria, quia nullibi de illa, proùt quandò alijs apparuit gloriosus, fit clara mentio, vt in Iacob, nec id adstrui potest, quia dicitur Deus gloriæ: est enim hoc suum attributum, ex quo ad id non potest argui.

Ad idem cap. pag. 43. col. 1. lin. 33. pòst verbum (*Mesopotamiam*) Postquàm scripseram, vidi recentiores in Iosue. cap. 24. acritèr defendentes infectionem Abrahæ idololatria. Cum autem satis probauerim contrarium, quibus addi potest, si Abraham talis fuisset, satiùs fuisse agere cum Thare patre, quàm cum ipso: respondendum restat argumentis contrarijs.

Ad octo prima ex auctoritate, nemo ignorat quàm sint fragilia, & quàm parum possit contrà textus per nos consideratos.

Ad confirmationem ex Philone dicimus, Deum apparuisse Abrahæ non pòst, sed antè discessum ex Chaldæa: tùnc

enim iussa profectio, aliòquin è patria excessisset non vocatus, quod est contrà omnem veritatem.

Ad primum argumentum ex textu. Iosue 24. respondeo verba (seruierunt dijs alienis) referri ad verba (patres vestri ab initio) non ad Abraham, qui non habetur in ea clausula, & phrasi vtì principalis, sed patres.

Ad secundum argumentum, sufficit dicere niti sola auctoritate, quæ nullo textu Scripturæ comprobatur.

Ad tertium, & quartum respondeo, vt suprà: & miror valdè firmari opinionem in sola auctoritate scriptorum absque Scriptura sacra.

Non obstat, pater Thare idòlolatra, ergò & Abraham filius, nàm potuit à Deo illustrari antequàm malitia mutaret eius intellectum, iuxtà dicta Eliæ: Seruaui mihi septem millia, &c.

Ad idem cap. pag. 44. col. 2. lin. 26. antè verbum (*Cum autèm*) Recentiores hìc alias solutiones afferunt.

Sed non placent concordiæ, quia duplices emptores, Abraham & Iacob. duplex res empta, vna ab Abraham respiciens Mambre, hæc est Hebron terra Chanaan. Genes. 23. & 50. altera à Iacob iuxtà Salem terram Sichimorum. Genes. 33. Iosue 24. duplices venditores: vendidit Abrahæ Ephron filius Seor Ethæus. Genes. 23. & 50. Iacob filij Hemor patris Sichem. Genes. 33. Iosue 24. pretia diuersa: emit Abraham quadringentis siclis argenti probatæ monetæ publicæ. Genes. 23. Iacob centum agnis. Genes. 33. seù centum nouellis ouibus, quod in idem recidit Iosue 24. diuersi auctores antiqui: nàm venditores Abrahæ quæsierant agrum à filijs Het. Genes. 23. de vẽditorum Iacob auctoribus nihil habemus: vna causa, seù ius dominij, & possessionis quærendæ in Abraham, nempè emptio. Genes. 23. duplex in Iacob, vna emptionis. Genes. 33. Iosue 24. altera belli. Genes. 48. nec enim verba (in gladio, & arcu meo) confundunt iura, seù causas quasi ex pecunia, labore, & sudore meo seruiendo Laban parta, quia contrariantur verba (tuli: &, de manu Amorrhæi) denotantia vim bellicam, & excludentia emptionem, & quòd sub Amorrhæo inuito, & coacto comprehendantur filij Hemor volũtarij venditores. De agro Abraham non habetur ad quem peruenerit, at de agro Iacob (& fuit in possessionem filiorum Ioseph Iosue 24. Ioan. 4.) In agro empto ab Abraham erat spelunca duplex, & arbores. Genes. 23. ager Iacob simplicitèr nominatur. Gen. 33. Iosue 24. In spelunca Abraham sepulta Sara. Genes. 23. & Abraham. Genes. 25. vbi fit denominatio proùt Genes. 23. & Iacob. Genes. 50. qui Genes. 50. filijs iusserat, vbi ipse refert omnia gesta ab Abraham, & alios mortuos in ea sepultos: in agro Iacob ossa Ioseph. Iosue 24. Diuerso tempore factæ emptiones, diuersoquè loco. illa Abraham mortua Sara in Hebron. Genes. 23. Iacob verò iuxtà Salem dum transiret à Laban in terram Chanaan. Genes. 33. ex quibus cadit concordia quòd hìc sub nomine Abraham intelligatur Iacob, cum duplices, & distinctæ, & variæ emptiones, quæ fortè in vna tantùm poterat tolerari, & quia pretium argenti in emptione Abraham non conuenit cum emptione Iacob facta centum agnis, seù nouellis ouibus; eò magìs stãte specifica mentione siclorum quadringentorum monetæ probatæ publicæ, & hìc pretio argenti: sub his enìm oues subrogari nequeunt; quarè standum cum concordia præmissa, quæ comprobatur ex consuetudine Scripturæ, vel Lucæ enarratoris, qui infrà cap. 13. tempora regni Saul confundit cum tempore Samuelis, seù Dauidis, vel alia expiscanda.

Ad idem cap. pag. 47. col. 1. lin. 2. pòst verbum (*ordinariè*) Quia non obligauit eos lex nisi pòst ingressum in terram Chanaan, & in deserto non suppetebant ea, quæ ad sacrificia requirebantur. Hìnc non est quærela Dei quòd in deserto non obtulerint, sed quòd idòlis sacrificauerint, vt sequitur, quod fuit vel cum Moabitis. Num. 25. vel succedentibus temporibus,

ribus, quod credo verius ex captiuitate Babylonica, quam subdit in pœnam, & quia præmisit de vitulo in deserto, quòd si & hæc in deserto, dixisset. Vel pœna pòst omnes præuaricationes, quas omnes comprehendit.

Ad idem cap. pag. 47. col. 2. lin. 18. antè verbum (*Dura*) Hùc peruenit Stephanus, obturans os dicentium eum locutum esse contrà templum suprà cap. 6. 13. & 14. illudquè plùs æquo exaltantium, docetquè quàm illud inferius Dei gloria, & maiestate.

Ad idem cap. pag. & col. lin. 26. pòst verbum (*vestri*) Sic Christus: Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, &c. Matth. 23.

Ad cap. 8. pag. 54. col. 2. lin. 13. antè verbum (*Respondens*) Non placet, *Generationem*, idest, numerosam fidelium propagationem, quia potiùs de eius persona, quàm aliorum sermo est, & quia Isaias in eodem cap. de hac bis dixit, videbit semen longæuum, dispertiam ei plurimos: vndè non est præsumendum de eadem re obscurè dixisse, de qua clarè bis dixerat, & quia nullum aliud verbum de resurrectione; quæ præcedere debuit, & quæ maior erat.

Ad cap. 11. pag. 70. col. 1. lin. 6. pòst verbum (*Consequendam*) Ex hac responsione apparet hos bono zelo motos.

Ad cap. 13. pag. 80. col. 2. lin. 35. antè verba (*Et cum constet*) Et Christus dicitur primogenitus mortuorum. Apocalyp. 1. 1. Coloss. 1. quia primò suscitatus, idem ergò genitus quod suscitatus, & Iob. 19. scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, (eccè generatio, vel regeneratio) & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.

Ad idem cap. pag. 77. col. 2. lin. 41. antè verbum (*& amoto*) *Annis quadraginta*. Quia hoc tempus non verificatur in solo Saul, omnes (nemine excepto) tenent iungi, his annis tempus, quo Samuel iudicauit populum. At laborant, nec clarè definiunt quantum temporis vtrique assignandum, & ex scriptura difficile est hoc terminare. Quòad Samuelem, etsi puer ad ministerium Domini accesserit. 1. Reg. 1. & 2. & quandò Dominus ei locutus est de Heli. 1. Reg. 3. eodem tamèn cap. 3. 19. dicitur: creuit autèm Samuel, & Dominus erat cum eo, &c. & cognouit vniuersus Israel à Dan vsq; Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini, & capta arca, mortuisquè Heli, & filijs, arcaquè remissa. 1. Reg. 4. 5. 6. 7. dicitur vers. 2. erat quippè iàm annus vigesimus. Et hi anni viginti assignantur ab aliquibus iudicaturo Samueli, qui vsquè ad illum terminum tandiù durasset, & si ministrabat sacerdotalia, eò magis laicalia, & tùnc verisimilitèr erat in ætate requisita saltèm triginta annorum, vel vigintiquinque, quæ ætas præscribebatur Leuitis. Num. 4. 3. 47. & 8. 24. etsi ex textu potiùs videantur assignari tempori seruitutis, & subiectionis sub Philistijm, vt per Genebrard. & Canum: non enim verisimile Samuelem per tantum temporis spatium distulisse remedia, & otiosum fuisse in liberando populum, si tùnc Iudex fuisset, nec inconuenit populum tùnc per annos viginti sinè Iudice fuisse, quia & aliàs contigit. Iudic. 17. 5. 18. 1. 31. & 21. 25. & saluatio, quod si ad illum non vti ad Iudicem, saltèm vti omnibus maiorem, & munia Sacerdotalia exequentem recurreretur, est diuinatiua, & parùm tuta, nec includens iudicatum, de quo quæritur. At quidquid sit de his annis viginti, quos inclinarem non computandos in iudicatu Samuelis, certum est Samuelem cœpisse gubernacula populi ab adolescentia. 1. Reg. 12. 2. (ego ambulaui coràm vobis ab adolescentia mea vsquè ad diem hanc) & durasse vsquè ad senium. 1. Reg. 12. 2. ego autèm senui, & incanui; ità vt iudicatui iàm ineptus filiós substituerit in iudicatu. 1. Reg. 8. 1. factum est autèm, cum senuisset Samuel

posuit filios suos iudices Israel; & tùnc filijs non ambulantibus in vijs bonis paternis, recurrerunt filij Israel ad Samuelem, & petierunt dari sibi Regem dicentes: eccè tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis,&c. & tùnc vnctus fuit Saul. 1. Reg.9.& 10. qui pòst mensem ascendente Naas regnare cœpit. 1. Reg. 11.& Samuel iudicatum deposuit,& sindicatum fecit. 1.Reg.12. Genebrard. & Canus, quos referunt recentiores in lib. Reg. dicunt Samuelem pòst annos illos viginti, non antè iudicasse annos natus triginta tres;sit enìm duodecim, quandò mortuus Heli, quibus si iungas viginti, fiet annorum trigintatrium in circà. Et si à dicto tempore vsquè ad senium peruenit, (quod videtur tendere vsquè ad septuaginta annos; proùt in Dauid. 3.Reg. 1. qui assumpsit regnum in anno trigesimo, & annis quadraginta regnauit. 2. Reg.5.4. 3.Reg.2. 12. præsertim cum senio cõfectus coactus, sit subrogare filios, hìnc senium non potest infrà septuaginta restringi hoc casu,quidquid sit in alijs casibus, de quibus in Scriptura) rectè videntur duo anni tantùm reseruari Saul. 1.Reg.13.filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset, & duobus annis regnauit supèr Israel; pondera(supèr Israel) hæc enim verba non possunt distorqueri ad alium sensum, quia de tempore aliorum Regum sic loquitur Scriptura, vt in Isboseth. 2.Reg.2. 10. quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul, cum regnare cœpisset supèr Israel;& duobus annis regnauit.

At huic opinioni obstat,quia Eusebius in Chronico, & multi Patres dant Saul in regno annos viginti,sed non probant. Iosephus verò antiq. lib.6. cap.13.dicit de Samuele: præfuit populo solus pòst mortem quidèm Sacerdotis Heli annis duodecim,cum Saul verò rege annis decem, & octo, & eodem lib. cap. 14. in fin. de Saule: Regnauit itaquè Saul,Samuel viuente,annis decem & octo, moriente autèm,alios duos,ità vt annos duos,de quibus 1.Reg. 13. capiat quasi per præoccupationem dictos pòst mortem Samuelis referendos. Sed is intellectus præuentionis diuinatiuus est; At dicta per Iosephum non absorbent integrum tempus quadraginta annorum, de quibus quærimus, sed vix capiunt triginta, vel trigintaduos annos; ità vt ex Iosepho non possit locus iste Act. explicari iuxtà communem intellectum. Prætereà Heli non tribuit nisi annos duodecim, vndè ex eo excluditur opinio viginti annorum, & ea exclusa maius tempus reseruauit Sauli, & de hoc nec ipse,nec alius attestatur;Similitèr excluditur quòd Saul duobus tantùm annis regnauerit, cum det illi viginti annos regni.

Opinio etiàm duorum tantùm annorum regni Saul redditur inuerisimilis ex tot ab eo vti Rege gestis,quæ duobus annis perfici non potuerunt: & tùnc declinandum duos annos intelligi dum fecit voluntatem Dei, ideò illicò subditur de electo facturo eius voluntatem. Eliditur etiàm, quia Dauid vnctus fuit in Regem paruulus;dixit enìm Isai: adhùc reliquus est paruulus,& pascit oues.1.Reg.16.11. & quandò occidit Goliath puer erat; dixit enìm Saul: puer es, hic autèm bellator. 1.Reg.17. 33. quarè si tùnc in ætate puerili duodecim, vel quattuordecim annorum,cum in trigesimo tantùm anno cœperit regnum, videntur Sauli remanere anni viginti,vel parùm plus, vel minus.

At hoc fundamentum patitur magnas difficultates, quia eodem cap. quo Dauid dicitur puer,dicitur etiàm adolescẽs. 1.Reg.17.vers.55.& 58.& 1.Reg.16.18. dicitur de eodem: eccè vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore,& virum bellicosum, & prudentem in verbis,& virum pulchrum, & Dominus est cum eo; & ipse de se 1.Reg. 17. 34. dicit Sauli: Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo,vel Vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam,eruebamquè de ore eorum, & illi consurgebant aduersùm me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam,interficiebamquè eos; nàm & Leonem,

nem, & Vrsum interfeci ego seruus tuus; erit igitur & hic Philistæus incircuncisus quasi vnus ex eis, nunc vadam, & auferam opprobrium populi, quoniàm quis est iste Philistæus incircuncisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis? & vers. 38. induit eum Saul vestimentis suis; & vers. 42. dicitur: adolescens rufus, & pulcher aspectu; & 1. Reg. 18. 5. dicitur: egrediebatur quoquè Dauid ad omnia, quæcunque misisset eum Saul, & prudentèr se agebat, posuitquè eum Saul supèr viros belli, & acceptus erat in conspectu vniuersi populi, maximequè in conspectu famulorum Saul, quæ omnia non conueniunt puero, sed viro & grandæuo, & trigesimum annum, vel circà tangenti; quarè quæ dicuntur de puero regulanda iuxtà hæc, & ex more Scripturæ intelligenda.

At si Sauli duo tantùm anni tribuantur, Samueli quomodò dabuntur trigintaocto? varia & coniecturis plena omnia; hæc tamèn opinio videtur tutior, quia fundatur in Scriptura, quòad Saul, & stabilito eius tempore, consequentèr stabilitur tempus Samuelis, quod erit trigintaocto annorum, si quadraginta anni ad Samuelem, & Saul referendi. At fortè non videretur incongruum referre potiùs annos quadraginta ad Dauid sic, *& amoto illo* Saule, durantibus his quadraginta annis, seù in hoc tempore, *suscitauit illis Dauid Regẽ, &c.* Moueor primò, quia verba magìs influunt in sequentia, quàm in præcedentia.

Secundò, quia de Samuele per transennam agitur quasi pro termino, *vsquè ad Samuel Prophetam*, & sicùt nullum tempus exprimitur iudicum, ità censendum seruari idem in Samuele iudice.

Tertiò, quia subijcitur clausula de per se, & distinguens (*& exindè postulauerunt, &c.*) quæ tantò minus referenda ad antecedentia iàm perfecta.

Quartò, quia certi sumus tanto tempore, nempè per quadraginta annos regnasse Dauid. 2. Reg. 5. 4. 3. Reg. 2. 12. incerti per quot Samuel: Paulus autèm potiùs hæsit certo, quàm incerto; imò si de incerto, illud distinxisset, vt intelligeretur, & fidem reciperet.

Quintò, melius combinantur tempora regum cum regibus, quàm regum cum Iudicibus: in habentibus enìm symbolum facilior est transitus, sed agit in ea clausula, *exindè, &c.* de tempore regum, non iudicum, ergò potiùs de Dauide Rege, quàm de Samuele iudice.

Sextò, tempus benè connectitur cum Dauid, quia dicitur de Saule immediatè, & cum clausula subintrante, *& amoto illo, suscitauit illis Dauid Regem*, vt obseruaui, & talis connexio non potest considerari in Samuele magìs distante.

Septimò, addo ad exclusionem temporis Samuelis, non esse verum, vt aliqui dixerunt, Samuelem vnà cum Saule regnasse: contrariatur enìm lib. 1. Reg. in quo apparet de electione Saul, de sindicatu Samuelis, de imperio Saul.

At dices, quomodò in Dauid? dicam & ego, quomodò in Samuele? proùt cum Samuele omnes volebant tempus quadraginta annorum perfici in Saule, sic fiet cum Dauid, & tutiùs.

Dices, quot annos dabis Sauli? duo iuxtà Scripturam. 1. Reg. 13. iàm enìm non video aliud fundamentum.

At quomodò hæc etiàm duo elicies ex quadraginta? hoc modo. Scriptura nunquàm meminit, vel de raró annorum interruptorum: sub quadraginta illis ergò comprehendit, & illa duo Saul, præsertìm hìc Paulus, qui non ità distinctè, & singillatìm singula momenta perscrutatus est; & non mirum, si Scriptura non meminit temporis regni Saulis, quia non curat malos, & de eis non facit mentionem. Vel potes dicere duobus annis regnasse vsquè ad vnctionem Dauid, cum iàm Deus eiecisset eum à facie sua, ne regnaret supèr Israel. 1. Reg. 16. & quamuis Saul pòst vnctionem Dauid dictus fuerit Rex, illud ex reputatione, non in veritate: & de facto, non de iure, cum pòst vnctionem Dauid verè Rex fuerit: vncto enìm & subrogato altero, primus cessat, & deficit; hìnc dicitur. 1. Reg. 16. 13. pòst vnctionem Dauid, directus est

Spi-

Spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps (sicùt & Saul pòst vnctionem immutauit ei Deus cor aliud. 1.Reg.10. 9.) Spiritus autèm Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino. 1.Reg.16.14.

Oppones. Iterum vnctum Dauid in Hebron supèr Iuda. 2.Reg.2.4. & supèr Israel. 2.Reg.5.3. Respondeo id factum, vt populi consensus accederet, & seruisse ad manifestationem ipsum esse Regem; iàm enim mortuus Samuel vngens, à quo poterat recipere testimonium. 1. Reg. 25. & vnctio erat antiqua plurium dierum, non quòd prima vnctio illum Regem non constituerit; vt quid enim illa vana? Hinc Saul semèl vnctus à Samuele. 1.Re.10.nõ fuit iterũ vnctus, quia præsente populo ex sortibus, & oraculo Samuelis cognitum fuit Regem vnctum esse; sic & Iehu cognitus vnctus Rex, iterum vnctus non fuit, socijs eum Regem acclamantibus.4.Reg.9.6.7.13.

Oppones. 2.Reg. 5.4. filius triginta annorum erat Dauid, cum regnare cœpisset, ergò non antè regnauerat, non antè Rex. Respondeo textum hunc loqui de executione, quandò licuit ei suscipere regni gubernacula, quæ priùs occupabat Saul; at non excluditur quin antè de iure esset Rex, & si hæc vera, tantò minùs coniungi possunt tempora Samuelis, & Saul, & eò minùs verum tempus, quod tribuit Iosephus Samueli cum Saule.

Oppones. Dauid ergò regnauit plus quàm annis quadraginta, quod est contrà Scripturam, quæ tot annos regni illi tribuit. Respondeo tùnc Scripturam meminisse temporis possessionis regni, non quo vacauit Saule occupante. Et si velles alios addere interruptos annos, potes: etsi quomodò ignorem, satis sit mihi ostendere potiùs annos quadraginta Dauidi, quàm Samueli ascribenda in hoc textu, quem interpretor.

Ad cap.21.pag.117.col.1.lin.18. antè verbum (*Dum autèm*) Sed an tùnc Paulus haberet votum Nazaræorum? diuinare est: potest concedi, quia seruiebat ad mortificationem carnis, pro qua datus ei erat stimulus colaphizans, vndè castigabat corpus suum, & in seruitutem redigebat. Sed an tùnc compleretur ? hoc est diuinare. Quomodò ergò purificabatur cum alijs quattuor? Respondent recentiores procurasse Paulum pollui caput suum, proùt Num.6. 9. Potiùs dicerem assumpsisse hoc onus, seù ceremonias vnà cum alijs, etiàmsi neque votum haberet, neque pollutionem contraxisset, neque hoc pacto mentitum esse, quia quidquid spectabat ad ceremonias legales ad illos quattuor referebat, ipse autèm simplicitèr absquè vlla applicatione illis oneribus, seù ceremonijs legalibus se subijciebat, quæ sicùt non obligabant, ità sperni poterant, vel ad ostentationem fieri, proùt fiebant, sub specie tamèn pollutionis omnia transierunt, quia consideratur septima dies hic, quod non esset, si sub specie temporis in voto præfixi fierent. Num.6. Dic etiàm quòd si votum habuisset, & illud fregisset ob mortuum in eius præsentia. Num.6.9. quamuis lex non videbatur permittere data opera fieri, cum prohiberet congressum ad mortuum, & illud vers. 9. esset euentuale, & absquè malitia, cui lex prouidit, tamèn non peccasset, quia lex cessauerat, nec arctabat.

Ad cap.23.pag.122.col.2.lin.12. antè verbum (*Scriptum est*) Nec videtur dici posse Paulum ignorasse à quo emanasset iussus, cum in eum verba dirigat.

Ad idem cap.pag.123.col.1.lin.4. antè verbum (*Et tum*) Non dicas hìc Paulum mentitum, quia & ob alias causas iudicabatur: nàm de hac dicens alias non excludit; quòd autèm & de hac, certum est, quia prædicabat Iesum crucifixum ad vitam reuocatum, vt & infrà cap.24.& 26. vbì de spe, & Resurrectione Christi.

Ad cap.24.pag.125.col.2.lin.22. antè verbum (*tremefactus*) Agit Paulus de his opportunè: de primo, quia is iniustus: de

de secundo, quia vxorem alterius retinebat, vt hìc per recentiores ex Iosepho: de tertio, vt illos terreret.

Ad idem cap. eadem pag. & col. lin. 39. antè verbum (*Volens*) Præsertim ad carcerem Pauli.

Ad cap. 26. pag. 129. col. 2. lin. 15. antè verbum (*De qua*) Vel de Messia, respiciens tempora, quibus expectabatur.


Ad cap. 27. pag. 133. col. 1. lin. vlt. antè verbum (*amissio*) Sed vtrumque verum, primum ad tempus, secundum ad homines.

Ad Epist. 2. ad Thess. cap. 2. pag. 404. col. 2. lin. 34. antè verbum (*Et tùnc*) Vel, *tantùm*, in tantum *vt qui tenet nunc*, imperat, dominatur per cuniculos, clàm, *teneat*, tenturus, dominaturus sit in mundo, *donèc de medio fiat*, vsquè ad finem mundi, quo ligabuntur omnes dæmones in inferno, & tùnc circà finem mundi reuelabitur Antichristus aperto bello pugnaturus. sempèr ergò oppugnabimur à dæmone, nunc vsquè ad Antichristum clàm: transformat enim se in Angelum lucis vt decipiat, tempore verò Antichristi aperto marte, & tùnc soluetur Satanas: vndè verbum, *donèc*, non dicit cessationem, sed diuersitatem operum iniquorum, & tentationum, & is intellectus magis placet, & magis hæret textui.






I N-



INDEX RERVM.



A



ABEL defunctus, quomodò adhuc loquatur. Heb. 11. pag. 487. col. 1.

Abraha semel tantùm iussum egredi de terra sua. Act. 7. 40.2

Abraham semel egressus de patria, amplius non cogitauit de reditu. Act. 7. 41.2

Abraham quando perfectè è patria egressus. eod. cap. ibid.

Abraham numquàm fuit idololatra. eod. cap. pag. 41. col. 2. & 42. & in add. ad idem cap. 653.2

Abraham statim, ac è patria egressus incolatum stabiliuit in Chanaan. eod. cap. 42.2

Abraham post egressionem frequentasse patrem, verisimile. eod. cap. 43.1

Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, quomodò intelligatur. Rom. 4. 156

Abraham ex fide meruit multiplicationem seminis sui, & Christi ortum ex lumbis suis. eod. cap. 158.2

Abraham, & Sara erant impotentes ad generandum. eod. cap. 162.2

Abraham non hæsitauit supèr prole ex Sara, nec supèr terra concedenda. eod. cap. 163.1

Abraham regressus à cæde Regum an reportauerit cibaria. Heb. 7. 465.2

Abraham egrediens de Vr, quare potiùs terram Chanaan, quàm aliam petijt. Heb. 11. pag. 488.1

Abraham an antequam egrederetur de Vr, sciuerit terram, ad quam Deus illum amandabat. eod. cap. 488.1

Abraham an mentitus sit, dicens pueris: Reuertemur ad vos. eod. cap. 489.1

Abraham accepit Isaac in parabolam, quomodò intelligatur. eod. cap. ibid.

Adam quomodò forma futuri. Rom. 5. 166.2

Adam antè lapsum, an habuerit fidem Christi Incarnationis. 1. Cor. 2. 230.1

Adam non fuit seductus, sed Eua. 1. Tim. 2. pag. 411.1

Agrippa non fuit conuersus à Paulo. Act. 26. pag. 131.1

Aliqui conuersi fuerunt ex prædicatione Noe, dum fabricabat arcam. Apoc. 11. 605.2

Altaria portatilia nondum erant in vsu tempore Melchisedech, & quando cœperint. Heb. 7. 460.2

Altare thimiamatis erat extrà Sancta Sanctorum. Heb. 9. 478.1

Ananias, & eius vxor, an in anima etiam mortui. Act. 5. 32.1

Ananiæ, eiusque vxoris duplex fuit peccatum. ibid.

Ananias, & eius vxor, an voto obtulerint pretium de agro Apostolis, in add. ad capit. 5. Act. 653.2

An alij occisi præter Stephanum. Act. 8. pag. 51.1

An alij cum Enoch, & Elia venturi. Apocal. 11. 606.1

Angeli

INDEX.

Angeli cur missi astantibus ascensioni. Act. 1. pag. 10.1
Angelorum testimonium maximum est. eod. cap. & pag. col. 2
Angeli occurrerunt Christo ascendenti. eod. cap. 14.1
Angelus eduxit Apostolos extrà carcerem ianuis apertis, deindè clausit. Act. 5. 33.2
Angelus Centurioni apparens cur ei non dicat quid faciendum. Act. 10. 64.2
Angeli non sunt subiecti vanitati, neque seruituti corruptionis. Rom. 8. 178.2
Angeli, & dæmones, quando cognouerint Verbum incarnandum. 1. Cor. 2. 231.1
Angelos multa latent. 1. Cor. 2. 231.2
Angeli boni non erunt iudicandi in iudicio, sed mali. 1. Cor. 6. 249.1
Angelis an aliquid per homines innotescat. Eph. 3. 355.2. *Et an dæmonibus.* 356.2
Angeli secuta vnione hypostatica adorauerunt Verbum. Heb. 1. 442.2
Angeli quomodo desiderent prospicere in Spiritum sanctum. 1. Pet. 1. 516.1
Angeli quattuor, quibus datum est nocere terra, & mari, quinam sint. Apocal. 7. pag. 592.1. & 2
Angelus alius, qui venit pòst angelos septem tubas habentes, fuit verè Angelus. Apoc. 8. pag. 596.1
Angeli septem, quibus data tubæ, fuerunt boni, & ad quid datæ. eod. cap. & pag. 2
Angelus, à cuius splendore illuminata est terra, est verè Angelus, non Christus. Apocal. 18. 636.1
Angelus de cælo descendens, habens clauem abyssi, & catenam magnam, est vere angelus. Apocal. 20. 642.1
Angelus cur Ioannis adorationem recuset. Apoc. 22. 648.2. & 649.1. *in fine.*
Anima omnis potestatibus sublimioribus subdita sit. de qua potestate, quibusue personis intelligatur. Rom. 13. 202.1
Animæ purgatione indigentes à corporibus separandæ in fine mundi deferentur ad purgatorium, & tempori satisfiet dolore intensiori. 1. Cor. 3. 236.2
Animalia in linteo contenta, an antea fuerint immunda. Act. 10. 65.1
Animalia quattuor plena oculis, quid denotent. Apoc. 4. 581.1. & 2
Anni mille, quibus regnaturi Sancti cum Christo, capiuntur pro toto tempore vsque ad iudicium, & pro beatitudine animarum tantùm. Apoc. 20. 643.1
Antichristi regio, & patria ignorabitur. Apoc. 13. 617.1
Antichristus non habebit præcursorem. eod. cap. 618.1
Antichristus septem regibus sequacibus est diuersis temporibus destituendus. Apoc. 17. pag. 633.1
Antichristi tempore erit discessio à fide. 2. Thes. 2. 403.2
Apocalypsis Iesu Christi, &c. quomodò intelligatur. Apoc. 1. 563.1
Apocalypsis reuelata est à Christo vtì Deo, & homine. eod. cap. 565.1
Apostoli quare à Christo non amandati in Galilæam ad Spiritum sanctum recipiendum. Act. 1. 8.2
Apostoli vno sono ab omnibus intelligebantur. Act. 2. 17.2
Apostoli ante Centurionis conuersionem recipiebant Gentiles ad eos accurrentes, exemplo Christi. Act. 2. pag. 18. col. 2. sed vide in fine.
Apostoli cur in templo docentes addacuntur ad principem sacerdotum sine vi. Act. 5. pag. 34.1
Apostoli cur non interrogantur de fuga è carcere. ibid.
Apostoli in baptismo vtebantur forma à Christo præscripta. Act. 10. 68.2
Apostoli in discessu, & separatione ab inuicèm præmittebant orationes, & ieiunia. Act. 14. 85.2
Apostolorum, an alij vltrà Petrum, Iacobũ, & Ioannem concilio peculiario coacto pro Paulo, & Barnaba interuenerint. Act. 15. pag. 88.2
Apostolos à Ioanne baptizatos præsumendũ. in add. 652.2
Apparitio Christi Cephæ facta pòst Resurrectionem, non fuit quando vnà cum Ioanne iuit ad monumentum. 1. Cor. 15. 282.1
Apparitio Christi facta Iacobo, fuit de perse. ibid. col. 2
Aqua quanam sit, de qua Paulus. 1. Cor. 10. pag. 264.1
Aqua precibus Moysis è petra exiens, non

conse-

consequebatur Iudaeos. ibid. 2
Aqua diluuij non peruenit ad paradisum. Apoc. 11. 607.1
Arbor ligni vitae salua, & adhùc extat. Apoc. 11. 607.2
Arca, quam Ieremias abdidit in spelunca, non fuit inuenta pòst captiuitatem Babylonicam: & quando inuenietur. Heb. 9. pag. 477.1
Arca testamenti visa à Ioanne in templo, quid denotet. Apoc. 11. 606.2
Ascensio Christi cur multis videntibus facta. Act. 1. 13.2. & 14.2

B

Baptismus Ioannis nullā conferebat gratiam. in add. 651.1
Baptizati à Ioanne dicebant in genere se peccatores. Act. 19. 107.2
Barnabas pòst separationem à Paulo nunquā cum eo conuenit. Act. 15. 90.2
Beati in caelo omnibus linguis vtentur: at nō indigebunt dono linguarum. 1. Cor. 13. pag. 275.1
Benedictio potest importare precationem boni, pacis, & similium. Heb. 7. 462.2
Beneficium à Christo descendens excedit importantiam casus Adae. Rom. 5. 167.1
Bernix erat soror Agrippae. Act. 25. 127.2
Bestia alia ascendens de terra visa à Ioanne quaenam sit. Apoc. 13. 618.1
Bestia sequax Antichristi, quomodò habet duo cornua similia Agni, & cuius Agni. ibidem.
Bestia, quae erat, & non est. quaenam sit. Apoc. 17. 633.2
Bibebant autèm de spiritali, consequente eos, petra, &c. de qua aqua intelligatur, an Exod. 13. vel Num. 20. 1. Cor. 10. 264.1
Blasphemia maximè vitanda. Iudae. 560.1

C

Cain munera quare Deo ingrata. Heb. 7. pag. 463.1
Caeli facti sunt ex prima materia, & informi. 2. Pet. 3. 537.1. & 2
Caeli omnes praeter Empyrium tempore Iudicij renouandi. eod. cap. 538.1
Centurio cur potius non mittitur ad Petrum, quàm Petrus ad ipsum. Act. 10. 64.1
Centurio non adorauit Petrum vti Deum, vel vti Angelum, sed veneratus est illum vtì hominem probum. eod. cap. 66.1
Ceremonialia, quae iussa fuerant gentilibus vt ea seruarent, non erant perpetua, sed vt tunc quandam vnionem seruarent cum Hebraeis. Act. 15. 92.1
Charitas Dei diffusa in cordibus nostris, quomodò intelligatur. Rom. 5. 165.2
Cherub custodi & lignū vitae vsquè ad mundi conflagrationem. Apoc. 11. 607.1
Christus incarnatus, tàm pro Hebraeis, quàm pro Gentilibus. Act. 3.2
Christum paulò pòst Resurrectionem ascendisse ad Patrem, consonum fuit. Act. 1. 7.1
Christo ascendenti Angeli occurrerūt. Act. 1. pag. 14.1
Christus quà Deus misit Spiritum sanctum. Act. 2. 21.1. & in add. 653.1
Christo ad iudicium descendente omnia erunt renouata. Act. 3. 25.1
Christus, apparens Paulo in via intèr Ierusalem, & Damascum, non erat etiàm in caelo circumscriptiuè. Act. 9. 57.2
Christus cur Paulo apparuerit, Angelus verò Centurioni. Act. 10. 64.1
Christus quare dicatur Spiritu sancto vnctus. eod. cap. 6.1
Christus non habuit Angelum custodem. Rom. 1. 140.2
Christus quomodò praedestinatus. Rom. 1. pag. 140.1. & 2
Christus non meruit nobis iustificationem per resurrectionem, sed effecit, vt merita passionis nobis applicarentur, & sic iustificaremur. Rom. 4. 163.2
Christus non esset Incarnatus, si Adam non peccasset. 1. Cor. 2. 230.1. & 231.1
Christus transtulit regnum Dauid vnà cum Pontificatu, & largitus est Pontificibus Catholicae Ecclesiae, & singulariter Pontifici Romano. 1. Cor. 5. 246.2
Christus apparuit plusquàm quingentis fratribus simul in monte Galilaeae, non in aere, sed in terra, nec eodem die, quo surrexit. 1. Cor. 15. 282.2
Christus apparuit Iacobo de per se, & ab alijs separato, eod. cap. ibid.

Chri-

Christus tradet regnum Deo, & Patri vti homo. 1.Cor.15. 284.2
Christus vincet inimicos omnes, & ponet sub pedibus Dei Patris. ibid. 285.1
Christus quà homo caput Angelorum. Eph.1. pag. 351.1
Christus quà Deus est primogenitus omnis creaturæ. Coloss.1. 380.1
Christus ab instanti suæ conceptionis, quomodò habuerit gloriam. Heb.1. 443.2
Christus, quomodò minor Angelis. Heb.2. pag. 446.2
*Christus, quomodò dicatur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. Heb.7.*463.2
Christus, quandò Sacerdos factus. eod. cap. pag. 464.2
Christus assistens Pontifex, &c. introiuit semel in Sancta, &c. quomodò intelligatur. Heb.9. 478.2
Christus cum captiuitate captiua visitauit in Purgatorio existentes. 1.Petr.3. 524.1
Christus cur ad infernum damnatorum descenderit, & quomodò prædicauerit. ibid.
Christus quandò iussus reuelare Apocalypsim Ioanni. Apoc.1. 563.2
Christus quare appareat in medio candelabrorum. eod.cap. 567.2
Christus quomodò primus, & nouissimus. eod.cap. 568.1
Christus cur meminerit cum Apostolis baptismi Ioannis, & cur dixerit potentiam, & virtutem eis præstandam ex superueniente Spiritu sancto. in add. 651.2. & 652
Circumcisio cum fide iustificabat. Rom.3. pag. 154.2. & 159.2
Circumcisio data est ad tollendum peccatum. Rom.4. 159.2
Ciuitas magna incendenda à decem regibus. Apoc.17. 634.2
Claudus ad Petri orationem sanatus in corpore, & anima. Act.3. 24.1
Clerici in quolibet regno debent esse liberi. Rom.13. 203.1
Conflagratio præcedet iudicium. 2.Petr.3. pag. 539.1
Colossenses an viderint Paulum. Coloss.2. pag. 383.1
Consummatio capitur pro mundi conflagratione. Rom.9. 188.1
Consummatio pro gloria sumitur. Heb.11. pag. 491.2
Contaminatio simulachrorum, & fornicatio cur probibitæ in concilio Apostolorum. Act.15. 90.1
Corinthij non alebant Paulum nolentem, non ex auaritia. 2.Cor.11. 219.2
Corinthij præmittebant cœnam communem, vel priuatam Eucharistiæ. eodem cap. pag. 270.1
Cornua Agni, quid denotent. Apocal.13. pag. 618.1
Corona quomodò accipiatur. Apoc.3. 576.2
Costa Adam, qua formata Eua, non erat superflua. Eph.5. 363.2
Creatura omnis ingemiscens, & parturiens, quæ. Rom.8. 178.2
Custodia ligni vitæ durabit vsque ad conflagrationem. Apoc.11. 602.1

D

Damaris non erat vxor Dionysij Areopagitæ. Act.17. 101.1
Daniel recusauit honores diuinos. Act.14. pag. 85.1
Dauid numerando populum malitiosè non egit. Act.13. 78.1
Dauid statim ac fuit vnctus à Samuele, verè rex fuit. in add. 657.2
Dauid cur in Hebron iterum vnctus. in add. pag. 658.1
Dæmones non computantur intèr exercitum Dei, sed potius sunt eius tortores. Rom.9. pag. 188.2. & 189.1
Dæmon non nuncupatur princeps sæculi, sed mundi ob tyrannidem, non ob sapientiam. 1.Cor.2. 224.1
Dæmones sciebant se è mundo eijciendos, & vocationem gentium. eod.cap. 228.1
*Dæmones, & Adam quando sciuerint Verbum incarnandum. 1.Cor.2. pag.*229.1. & 231.1
Dæmones vndè fuerint detracti. 2.Pet.2. pag. 534.2
Dæmones sunt iudicandi. ibid. 535.1
Dæmones non delectantur locis desertis. Apoc.18. 636.2
De, aliquando importat, cum. Rom.8. pag. 176.2

Dextera non datur Deo. Apoc.4. 579.2
Deus cur posuerit in paradiso voluptatis hominem, iubens ne comederet de ligno scientiæ. Act. 1.1
Deus quare erexerit virgam genealogiæ Messiæ in tribu Iuda. Act. 2.2
Deus cur ædificauerit templum per Salamonem. ibid.
Deus nunquam defuit populo gentili. Actor. 1 pag. 3.1
Deus peccatum idololatriæ numquam impunitum dimittit. Act. 7. 41.1
Deus non solet mutare ministrum ad negocium aliquod electum. Act. 7. 46.2
Deus ad conuertendos populos permittebat Israelitas duci captiuos, & dispergi. Act. 8 pag. 51.2
Deus cur permiserit per biennium Paulum vinctum Romæ morari, & in suo conducto. Act. 28. 135.2
Deus nunquam recedit à promissis etiam ob peccata. Rom. 3. 150.1
Deus obligat se dũ aliquid promittit. Rom. 4. pag. 157.2. & 158
Deus quomodò de peccato damnauit peccatum. Rom. 8. 176.1
Deus quomodo excedat in iustis præmiandis. eod. cap. 178.1
Deus in prædestinando, vel præsciendo mouetur tantùm mera sua voluntate absquè præuisione operum. Rom. 9. 185.2
Deus non subiecit Angelis orbem terræ futurum, quomodo intelligatur. Heb. 2. 446.1
Deus superbis resistit, humilibus autèm dat gratiam, quomodo intelligatur. Iacob. 4. pag. 510.1
Deus tradidit dæmones in tartarum cruciandos, quomodo intelligatur. 2. Pet. 2. 534.2
Deus cur tempore nouissimo renouabit omnes creaturas. 2. Pet. 3. 539.1
Deus non subrogat alios in corona eadem numero ab aliis amissa, sed ad ministerium. Apoc. 3. 576.2
Deus quare puniat per partes, & sensim homines. Apoc. 8. 596.2
Deus quare Noe, & familiam eius potius nõ conseruauit in paradiso terrestri, quàm in arca. Apoc. 11. 605.2
Deus non plantauit paradisum pro solo Adã. eod. cap. 608.1
Deus cur non extirpauerit paradisum ob delictum Adæ. eod. cap. 610.2
Deus non apparuit Abrahæ in gloria cum esset in Mesopotamia. in add. 653.2
Deus dedit Iudæis in Regem Saul annis quadraginta. & amoto illo, suscitauit illi Dauid Regem, ista fusè exponuntur. in add. pag. 655.1
Diabolus si Christum cognouisset, eius necem non procurasset. 1. Cor. 2. 225.1
Diabolus quando Euam, Adamque cadere fecit, eos, humanumquè genus penitus delusisse existimauit, ibid. 229.2
Diabolus quare Iobo linguam liberam reliquit. Iacob. 3. 507.2
Diabolus redit ad tentandum, quamuis aliàs victus. Iacob. 4. 510.1
Diabolus stetit ante mulierem, &c. vt cum peperisset, filium eius deuoraret. de quo intelligatur. Apoc. 12. 614.1
Diabolus quomodo accusator dicatur. Apoc. 12. 614.2
Diaconi septem ad quid ab Apostolis electi. Act. 6. 37.1
Diligens proximum legem implet. an intelligendum in spectantibus ad proximum tantùm, vel etiam ad Deum. Rom. 13. pag. 203.2
Diluuium non peruenit ad paradisum terrestrem. Apoc. 11. 607.1
Dolor de peccatis à Deo expetendus. Heb. 6. pag. 456.1
Dominus quare iuret. Heb. 7. 469.1

E

Ecclesia Thyatirensis extabat tempore Ioannis. Apoc. 2. 572.2
Ecclesia quare in cælo appareat. Apoc. 12. pag. 612.1
Eliæ sanctitas vndè præsumpta. Act. 1. 8.1
Elias, & Enoch quare amicti saccis cum prædicatum venerint. Apoc. 11. 604.1
Elias, & Enoch sunt in statu merendi. eod. cap. ibid.
Enim, pluribus modis accipitur. Hebr. 7. pag. 462.1
Enoch, & Elias non sunt gloriosi. Apoc. 11. pag. 604.1

Enoch,

Enoch, & Elias cur dilati ad mortem vsquè ad extrema tempora. Apoc.11. 604.1
Enoch, & Elias quare dicantur oliuæ, & candelabra. ibid.
Enoch, & Elias vbi nunc degant. eod. cap. pag. 605.2
Episcopi quare proprio nomine non nominentur, sed sub angelorum nomine eis scribatur. Apoc.2. 571.1
Epistola ad Romanos quando scripta. Rom. 15. 214.2
Epistola ad Galatas quando missa. Gal. 6. pag. 347.2
Epistola prima ad Theſſ. vndè fuerit data. 1.Theſſ.3. 396.2
Epistolarum Pauli Romæ scriptarum ordo. 2.Timot.4. 430.2
Epistola prima Petri quibusnam sit scripta. 1.Pet.1. 515.1. & cap.2. 519.1
Epistola prima, & secunda Ioannis scripta post epistolas Petri, & Pauli.2.Io. 555.1
Esau vendens primogenituram an peccarit. Heb.12. 495.2
Esau cur profanus. ibid.
Eua à diabolo seducta, non Adam. 1.Tim.2. pag. 411.1
Euangelio quare præiudicabatur ex legalium obseruatione. Act.15. 92.1
Euangelizatum est mortuis, quomodò intelligatur. 1.Pet.4. 526.2
Eunuchus à Philippo conuersus, erat verè Eunuchus. Act.8. 53.1. Sed an Proselytus, vel Gentilis. ibid.2

F

Fides est prima in iustificatione. Act.15. pag. 89.1
Fides gratis à Deo. Rom.2. 148.1
Fides sola sufficit in prima iustificatione, non autem in secunda. Rom.4. 160.2
Fides parentum Moysis, in quo consistat. Heb.11. 489.2
Fideles peruersi cur magis vitandi, quàm infideles. 1.Cor.5. 245.2
Fidelis an possit de nouo sociari cum infideli. 1.Cor.7. 254.1.&2
Fidelis contrahens matrimonium scientèr cum hæretico, vel hæretica, peccat mortalitèr. ibid. 255.2
Filius in veteri testamento nunquam locutus est. Heb.1. 441.1
Filius masculus, quem peperit mulier, quem diabolus stabat obseruans, vt eum deuoraret, quinam sit. Apoc.11. 613.2. & 614.1
Filiæ Philippi non prædixerunt Paulo quidquam. Act.21. 116.1
Filiæ Lot peccauerunt in concubitu cum ipso. Rom.3. 152.1
Fornicatio in Scriptura sumitur sæpè pro idòlolatria. 1.Cor.10. 265.1
Fuga Pauli è Damasco laudabilis. 2.Cor.11. pag. 320.2
Fuga Pauli è Damasco quando contigerit. Gal.1. 330.2

G

Generationem eius quis enarrabit? quomodo intelligatur. Act.8. 54.1.& in add. 655.1
Gentiles semper habuerunt auxilia ad salutem. Act. 3.1
Gentilis nullus conuersus in concione Petri. Act.2. 19.2
Gentiles templum adeuntes, in quadam parte manebant. Act.21. 117.1
Gigno significat resurgo. Act.13. 79.1.&2
Gloria ex albedine designatur. Apoc.1. 568.1
Gratia ab Apostolo pro eleemosyna accipitur. 2.Cor.8. 311.1
Gustare capitur pro edere. Act.10. 64.1

H

Habacuc non fuit positus ab Angelo intrà lacum, sed suprà. Act.5. 33.2
Hebræi in quanam re despicerent Græcorum viduas. Act.6. 36.1
Hebræi non habebant proprios lictores, seù milites, ministros tamen templi habuisse videntur. Act.4. 27.1
Hebræi in fine mundi futuri an omnes saluandi. Rom.9. 188.2
Hebræi offerentes hostias cum contritione, & fide in Christum mundabantur. Heb.10. 482.1

I

Iacob adorauit fastigium virgæ Ioseph. quomodò intelligatur. Heb.11. 489.2
Idòlolatria non erat intèr Hebræos tempore Messiæ. Act. 3.1
Idòlolatria nunquam remanet impunita. Act.7. 41.1
Idòlolatria dicitur nequitia per excellentiam. ibid.
Idòlothytorum esus cur à Paulo permissus post Concilium. 1. Cor. 8. 259.1
Iesus cur non amandauerit Apostolos in Galilæam ad Spiritum sanctum recipiendum. ibidem.
Iesus quomodò prædestinatus. Rom. 1. 140.1
Iesus secundò eos, qui non crediderunt, perdidit, quomodò intelligatur. Iudæ. 559.2
Iesus quare dixit discipulis (omnia, quæ accepi à Patre meo, nota feci vobis) cum post reuelauerit Apocalypsim. Apoc. 1. 563.2
Iesus vti homo recipit iussa à Patre, eiquè subiectus est. eod.cap. 564.1
Iesus quare nominetur Agnus. Apocalyp.5. pag. 583.2
Ignis purgatorij tempore iudicij euanescet. 1.Cor.3. 235.2
Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c. rursus renouari ad pœnitentiam. quomodo intelligatur. Heb.6. 455.1
Impositio manuum supèr diaconos an consecratoria. Act.6. 37.1
Infideles dicuntur mortui. 1.Pet.4. 526.2
Ingressus, & egressus, quomodo in Scriptura sumatur. 3.Io. 556.1
In manu alicuius esse, quid denotet. Apoc.1. pag. 568.2
Introductio Christi in orbem terræ fuit vna tantùm per Incarnationem. Heb.1. 442.2
Ioannes voluit adorare Angelum in signum gratitudinis. Act.10. 66.2
Ioannes, quare præmittat de beatis populi Hebræi, nec mentionem faciat beatorum in primis sæculis. Apoc.7. pag.593.col.2. 594.1
Ioannes quare dicat audisse numerum signatorum tribuum Israel: Gentilium verò vidisse turbam magnam. Apocal. 7. pag. 594.1
Ioannes quare ponat reuelationem ligationis diaboli per annos mille, quæ iam præterierat. Apoc.18. 642.1
Ioannes noluit adorare Angelum latria. Apoc.22. 649.1
Ioannes Bapt. ad oues Israel tantum missus, & quare. Act. 2.2
Ioannes Bapt. per seipsum baptizabat absque vlla forma. Act.19. 106.1
Ioannes Bapt. sciuit se præcursurum ante Messiam, antequàm in desertum secederet. Apoc.1. 564.1
Ioseph cur nunquàm patrem sui status certiorem fecerit, & nullus Hebræus Aegyptum frequentans eum cognouerit. Act.7. pag. 43.2
Ioseph cur durè egerit cum fratribus. eod.cap. pag. 44.1
Ioseph quare non mandauit, vt statim post mortem transferretur suum corpus in terram promissionis. Heb.9. 489.2
Isaac circumcisionis cur fiat mentio, non autem Abrahæ, Israel, & totius familiæ. Act.7. 43.2
Israelitæ semper sub Dei gubernio fuerunt. Act. 13. 77.2
Iudæorum Synagoga erat omni labe infecta, excepta idòlolatria tempore Christi. Act. pag. 3.1
Iudæorum consilium de occidendo Saulo, & fuga ipsius è Damasco an contigerint antequàm ad alia loca diuerteret. Act. 9. pag. 59.2
Iudæorum aliqui semper vsque in finem mundi conuertendi. Rom.11. 196.1
Iudæorum plenitudo in fine mundi intranda. eod.cap. 197.1
Iudæi quare victimas in deserto non obtulerint. in add. 654.2
Iudices non fuerunt constituti inter Christifideles laicos à Paulo. 1. Cor.6. 247.2
Iudicium vniuersale quando faciendum. 2.Pet.3. pag.538.1. 1.Cor.6.pag.247.2. & pœna non excedebant excommunicationem, & reprehensionem publicam. pag. 248.2
Ius primogenituræ dependebat à patre, dum viuebat. Heb.12. 496.1
Iustificatio prima non præsupponit opera. Rom. 4. 156.2

Iustis

Iustis ex hac vita migrantibus, non datur transitus per ignem. 1. Cor. 3. 235.2

L

Laici sempèr probibiti fuerunt tangere, vel comedere sacrata Deo. Heb. 7. pag. 460.2
Laodicenses an viderint Paulum. Coloß. 2. pag. 383.1
Leo victor de tribu Iuda, quis sit. Apocal. 5. pag. 583.1
Lex data est per Angelos. Act. 7. 47.2
Lex quomodo statuatur per fidem. Rom. 3. pag. 154.2
Lex spiritus vitæ in Christo Iesu, quænam sit. Rom. 8. 175.2
Lex peccati, quænam sit. eod. cap. 176.1
Liber signatus sigillis septem, quis sit, Apoc. 5. pag. 583.1
Linteum quatuor initijs Petro monstratum, quid significet. Act. 10. 65.1
Loca vbi Deus apparebat, fuerunt in veneratione apud Patres antiquos. Act. 7. 46.1
Locustæ, quæ exierunt de fumo putei, erant veræ locustæ. Apoc. 9. 598.2
Lot non exhibuit filias suas Sodomitis eas educturus, sed à tanta libidine illos abducturus. Rom. 3. 151.2
Lot non peccauit in concubitu filiarum, sed ipsæ filiæ. eod. cap. 152.1
Lucas manifestat se comitem Pauli. Act. 16. pag. 95.2

M

Macedo deprecans Paulum, vt transiret in Macedoniam, an Angelus illius prouinciæ. Act. 16. 95.1
Manna seruabatur intrà arcam. Heb. 9. pag. 476.2. & 477
Mare vitreum, quid repræsentet. Apoc. 4. pag. 579.2. 580. & 581.1
Mare mistum igne, quid denotet. Apoc. 15. pag. 626.1
Mare renouandum est tempore iudicij, sicùt omnia alia. Apoc. 21. 645.1
Matrimonium cum hæretico, vel hæretica contractum, an teneat? 1. Corinth. 7. pag. 225.1
Matthias cur à Iesu non electus antè Ascensionem. Act. 1. 8.2
Melchisedech est nomen proprium. Heb. 7. pag. 458.1
Melchisedech benedixit Abrahæ vti sacerdos. eod. cap. ibid.
Melchisedech recepit ab Abraham decimas. eod. cap. 458.2
Melchisedech quomodò sine patre, sine matre, &c. eod. cap. 459.1
Melchisedech an obtulerit vnquam in sacrificium panem, & vinum, fusè tractatur. ibidem.
Melchisedech quomodò maior Abraham. eod. cap. 471.2
Mensura iussa Ioanni, quid denotet. Apoc. 11 pag. 603.2
Messiæ in aduentu prophetia cessauerat. Act. 2.2
Messias quare ad Iudæos tantùm visibilitèr educendos missus. Act. 3.1
Messias quare leo dicatur. Apocal. 5. pag. 583.2
Michael quare cum diabolo de Moysi corpore altercaretur. Iudæ. 560.1
Moysi an licuerit percutere Ægyptium ad defensionem iniuriæ patientis. Act. 7. pag. 45.1
Moyses post occisionem Ægyptij fugit in terram Madian timore Pharaonis. eod. cap. pag. 45.2
Moyses, & Aaron cur non ingressi in terram premissionis. eod. cap. 47.1
Moyses dicendo Deo (dele me de libro tuo.) loquitur hyperbolicè. Rom. 9. 184.2
Moyses non fuit mediator in lege data in monte Sinai, sed Christus. Galat. 3. pag. 338.2
Moyses quandò negauit se filium filiæ Pharaonis, non cogitabat peccare, si non assumpsisset onus vindicandi Hebræi. Hebr. 11. 490.1
Mouebo candelabrum tuum de loco suo, quomodò intelligatur. Apoc. 2. 571.2
Mulieres Christum sequentes non ministrabant ei personalitèr, sed de suis facultatibus. Act. 6. 36.2
Mulier debet potestatem viri habere suprà caput proptèr Angelos, quomodò intelligatur. 1. Cor. 11. 269.1

Mulier quare non possit publicè docere. 1. Timoth. 2. 410.2
Mulier quomodò saluetur per filiorum generationem. ibid. 411.2
Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, &c. vide tres extant expositiones. Apoc. 12. 612. & 613.1
Mulier fugit in solitudinem. ad quodnam tempus referatur. eod. cap. 614.1.
Mulier eadem in vitia, & scelera relapsura, incertum tamen an in idololatriam. ibidem.
Munera Cain quare Deo ingrata, Abel verò grata. eod. cap. 463.1
Mysterium iam operatur iniquitatis, tantum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. quomodo intelligatur. 2. Thes. 2. pag. 404. col. 1. & in add. 659.1

N

Nabuchodonosor, & Pharao non dicuntur prophetæ, sed Daniel, & Ioseph. Act. 2. 17.2
Nati ex muliere fideli, etsi vir infidelis, sunt baptizandi. 1. Cor. 7. 257.2
Necessitudo aliqua intercedebat inter Melchisedech, & Abraham. Heb. 7. 461.2
Nemo poterat introire in templum donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum; quid denotet. Apoc. 15. 626.2
Noe octauum iustitiæ præconem custodiuit quomodo intelligatur. 2. Pet. 2. 535.1
Nuptiæ cum hæretico, vel hæretica an prohibita. 1. Cor. 7. 254.2. in fin. & 255

O

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. de qua potestate, quibusue personis intelligatur. Rom. 13. pag. 202.1
Omnes morituri. 2. Pet. 3. 359.1
Opera aliqua bona iram Dei retinent. Apocal. 2. 571.2
Ordo multipliciter sumitur. Heb. 7. 471.1
Osculum pacis in primitiua Ecclesia erat in vsu inter fideles. Act. 20. 113.2

P

Panis, & vinum quare cum victimis offerebantur. Heb. 7. 463.2
Paradisus terrestris vltimis diebus renouabitur. 2. Pet. 3. 539.1
Paradisum terrestrem extare fusè tractatur, & probatur. Apoc. 11. 607
Paradisus non fuit pro solo Adam plantatus. eod. cap. 608.1
Paradisus à terra nostra est remotissimus, & altissimus. eod. cap. 609.2
Paradisus quare ob delictum Adæ non extirpatus. eod. cap. 610.2
Pars pretij ab Anania Apostolis allata, an retenta. Act. 5. 32.2
Passiones huius temporis, quomodò non sint condignæ ad futuram gloriam. Rom. 8. pag. 177.2
Patres antiqui venerabantur loca, vbi Deus apparebat. Act. 7. 46.1
Patres antiqui, quomodò antè Christum salui. Gal. 3. 338.1
Patres in Limbo existentes, Christo illum ingrediente, beati fuerunt. 1. Pet. 3. 524.1
Patres in Limbo non poterant dici in carcere. ibidem.
Paulus an viderit Dominum sibi propè Damascum apparentem. Act. 9. pag. 57. col. 1. 1. Cor. 15. 283.1
Paulus cur solus, & non socij vocem articulatam à Iesu sibi apparente audierit. eod. cap. 57.2
Paulus non equitabat dum ei Iesus apparuit. eod. cap. 58.1
Paulus non fuit raptus in tertium cælum quãdo Iesus sibi apparuit Damascum eunti. eod. cap. 58.2
Paulus an fugiens è Damasco iuerit Ierosolymam, vel Arabiam. eod. cap. pag. 60. 1. & 2. & Gal. 1. 329.2
Paulus, & Barnabas nunquam amplius conuenerunt post separationem abinuicem. 1. Act. 15. 90.2
Paulus cur coram omnibus Petrum reprehenderit. eod. cap. 92.2
Paulus quæ contrà christianos nondum conuersus agebat, rectè, & secundùm Deum facere putabat. Act. 23. 127.1

Paulus

Paulus suæ prædestinationis non erat certus. 1.Cor.9. 162.2
Paulus an antè conuersionem, vel pòst optabat anathema esse à Christo pro fratribus, & an verè. Rom.9. 183.2.& 184.1
Paulus an Hispaniam petierit. Rom. 15. pag. 213.1
Paulus quare non intimet Corinthijs Concilium Ierosolymis habitum; in quo prohibitus esus idòlothitorum. 1.Cor.8. 259.2
Paulus quare non recipiebat victum à Corinthijs. 1.Cor.9. 262.1
Paulus non pugnauit verè ad bestias Ephesi, sed magnas tribulationes illìc passus fuit. eod.cap. 287.1
Paulus in quo loco Asiæ tribulationem passus. 2.Cor.1. 293.1
Paulus fuit verè in profundo maris. 2.Cor.11 pag. 320.1
Paulus fugiendo è Damasco laudabilitèr se gessit. ibid. 2
Paulus raptus in paradisum cælestem, non terrestrem. 2.Cor.12. 322.1. *& quare. col.* 2
Paulus an in suo raptu viderit diuinam Essentiam. ibid.
Paulus à Christo didicit quæ prædicare deberat; & quando. Gal.1. 329.2
Paulus an antè Arabicam profectionem Damasci prædicarit. eod.cap. 330.1
Pauli, & Barnabæ cum Tito Ierusalem profectio, quæ. Gal.2. 333.1
Paulus purificans se cum alijs quattuor, an haberet votum Nazaræorum: & an tùnc compleretur. in add. 658.1
Peccatorum est non cogitare de pœnis. Rom.2. pag. 146.1
Peccatori, maximè infideli impossibile est absquè gratia Dei à peccato surgere. Heb.6. 456.1
Peccata hominum non attribuuntur dæmoni instiganti, sed ipsismet hominibus. 1.Corinth.2. 224.2
Peccata dimissa iam tecta in iudicio non sunt manifestanda. 1.Cor.4. 242.1
Peccatum infidelitatis parum distat à peccato in Spiritum sanctum. Heb.6. 456.1
Peccatum est ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis. de quo peccato hæc intelligantur. 1.Io.5. 553.1
Pedes aliquando pro actione. Rom. 10.192.1
Pentecostes dies, an de Christiano, vel de Iudaico intelligatur. in add. 652.2
Penula erat vestis, non liber. 2. Timot. 4. pag. 430.1
Petrus sanans languidum, quare apprehendat eius manum. Act.3. 24.1
Petrus, & Ioannes pòst sanitatem claudo impartitam detinebantur in carcere fortè priuato. Act.4. 27.1
Petrus cur in reprehensione Ananiæ potiùs faciat mentionem Spiritus sancti, quàm Patris, vel Filij. Act. 5. 32.1
Petrus, & Ioannes erant in magna veneratione apud homines post factum Ananiæ, & vxoris. ibid.2
Petri vmbra illis tantùm sanitatem conferebat, quos obumbrabat. Act.8. 33.1
Petrus volens sanitatem Aeneæ impartiri, cur ab eo fidem non petat. Act.9. 61.2
Petrus cur interroget Centurionem quam ob causam eum accersiri fecerit, cum iam à visione, & nuncijs certioratus. Act.10. pag. 66.2
*Petrus quomodò reprehensibilis. Act.*15.91.2
Petrus cur non redijt ad carceres, quandò ab Angelo eductus, prout Paulus *& Silas. Act.16.* 97.2
Philippus fuit dispersus cum alijs pòst mortem Stephani, non missus. Act.8. 52. 1. *& iste non fuit Apostolus.* col.2
Philippus baptizauerat in nomine Domini Iesu. quomodò intelligatur. ibid.
Philosophi multi cognouerunt Deum. Rom.1. pag. 143.2
Phœbes non fuit vxor Pauli. *Rom.16.* 215.1
Piscis, de quo Tob.6. an habeat virtutem ex se. Act.5. 33.1
Plaga à locustis emanans aget in personas hominum verè, non spiritualitèr. Apoc.9. pag. 599.1
Pœnitentia est secunda tabula, qua ad portum salutis ducimur, Heb.6. 456.1
Pœnitentia Esau in quo consistat. Heb. 12. pag. 495.2
Pollicitatio est ex parte vnius tantũ. Rom.4. pag. 158.1
Populares dependent à nutu Principum. *Act.13.* 81.1
Populus Hebræus non peccauit in numeratione

tione ipsiusmet facta à Dauid. Act. 13. pag. 78.1
Populo ex Aegypto egressuro, quare iubeatur liniri postes, & superliminaria sanguine agni occisi. Heb.7. 463.1
Præcursor Domini, quare non est missus ad Gentiles, sed tantùm ad Iudæos. Act. pag. 2.2
Princeps dæmoniorũ rebellium an fuerit primus Angelus. 1.Cor.2. 229.2
Proferre, non potest importare sacrificium. Heb. 7. 461.2
Promissio facta Abrahæ non restringebatur ad locum, sed ad regionem. Hebr. 11. pag. 488.2
Prophetarũ est diuersa in vno flatu, & phrasi congerere. Act.2. 2.1
Prophetia cessauerat tempore aduentus Christi. Act. 2.2
Prophetiæ non sunt de his, quæ post iudicium ventura, nisi gloriam, vel punitionem æternam concernant. 1.Cor.13. 239.2
Psalmi 109. interpratatio. Heb.7. 468.2

R

Raptus Pauli fuit verus, non extasis. 2. Cor. 12. 322.1
Rei non scribuntur in libro prædestinatorum. Rom.9. 184.2
Renouatio omnium fiet antequam Christus veniat ad iudicium. Act.3. 25.1
Renouatio cælorum erit supernaturalis. 2. Pet. 3. 538.2
Renouatio creaturæ quando fiet, fusè tractatur, & cur fiet. ibid. 539.1
Resurrectio Christi cur tot demonstrationibus munita, & testibus: non passio, & ascensio. Act. 1. 12.2
Resurrectio appellatur generatio, seù regeneratio. Act. 13. pag. 8. col. 2. & in add. pag. 650
Resurrectio Christi fuit principale in prædicatione Apostolica. Rom.1. 141.1
Resurrectio bonorum non præueniet illam reorum; sed omnes simul in ictu oculi resurgent. 1. Cor. 15. 284.2
Resurrectio singulorum cur ad vniuersalem dilata. Heb. 11. 492.1
Repudium sublatum est, & vice illius subrogatum diuortium, vinculum non soluens. 1. Cor.7. 254.1
Reputatio ad iustitiam quænam dicatur. Rom.4. 158.2
Rex Sodomorum occurrens Abraham, an aliquid attulerit cibariorum. Heb.7. 459.2
Reges Orientis, congregandi in fine mundi, non congregabuntur contra Antichristum pro Ecclesia. Apoc.16. 628.2
Reges terræ, qui fornicati sunt cum ciuitate magna, quinam sint. Apoc.18. 636.2

S

Sacerdotium Christi est verè, & propriè æternum. Heb.7. 464.2
Sacrificia offerebantur supèr altaria. eod. cap. pag. 460.2
Sacrificia omnia ab Adam vsque ad mortem Christi consistebant in occisione pecudum. eod. cap. 463.1
Sacrificium missæ vsque ad iudicium est duraturum. Apoc.13. 619.1
Salomon quare iussus ædificare templum. Act. 2.2
Salomon an sit damnatus. Apoc.7. 593.1
Salus non consistit principalitèr in purgatione ignis, sed in charitate, in bonis operibus. 1. Cor.3. 238.1
Samuel non regnauit cum Saul: in addit. pag. 677.2
Sanguis pecudum, & armentorum, quæ sacrificabantur, quare effundebatur. Heb.7. pag. 463.1
Sanctitas Eliæ vndè præsumpta. Act.1. 8.1
Sancti omnes quomodò iudicabunt. 1.Cor.6. pag. 249.1
Sancti nunquàm expetunt à Deo ruinam impiorum, sed prædicunt. Apoc.6. 589.2
Sancti noui Testamenti sunt thronò propinquiores, quàm veteris. Apoc.7. 594.1
Sancti omnes, quorum animæ in cælum transferuntur à Christi Passione vsque ad vltimum diem, dicuntur cum Domino in anima mille annis regnare. Apoc. 20. pag. 642.2. & 643.1
Sara quomodò credidit, cum prius riserit. Heb.11. 488.2
Saul quanto tempore regnauerit. in addit. pag. 656. & 657

Saulus

INDEX.

Saulus non recepit nomen Pauli quando ab Anania baptizatus. Act.9. 59.2
Saulus quãdo cœperit vocari Paulus. Act.13. pag.77.1. & Rom.1. 139.1
Scriptura sæpè sub verbo panis omnia intelligit obsonia. Heb.7. 459.2
Scriptura non solet sempèr referre qualitates personarum in eadem phrasi. eod. cap. pag. 462.1
Sedens supèr sedem Ioanni ostensus, quisnam sit. Apoc.4. 579.1
Seductores multi exierant in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem. quid hoc sibi velit. 2. Ioan. pag. 555.1
Segregare in ministerium an sit ordines conferre. Act.13. 76.1
Seniores viginti quattuor stantes in circuitu sedis, quid denotent. Apoc.4. 579.1
Seniores viginti quattuor stantes coram Agno, quid representent. Apoc.5. 584.1
Sessor equi albi, quis sit. Apoc.6. 586.1
Sessor equi rufi, quis sit. ibid. 2.
Sessor equi pallidi est verè mors. & de qua morte intelligatur. eod.cap. 588.1
Sigillum primum, quomodo intelligatur. eod. cap. 586.1
Sigillum quartum, quid represent et. eod.cap. pag. 588.1
Sigillum sextum, quid contineat, & an ad litteram intelligendum. eod.cap. pag.589. col.2. & 590
Sigilli septimi materia. Apoc.8. 595.2
Sila, cuius mentio fit in Act. an sit comes, de quo Paulus 1. Cor.8. Act.15. 90.2
Silentium in cælo quasi media hora ad quid factum. Apoc.8. 595.2
Simon magus verè non credidit. Act.8. 52.2
Sosthenes percussus antè tribunal Gallionis, quis. Act.18. 103.2
Spatium intèr mortem Antichristi, & Iudicium, quantum erit. Apoc.13. 619.2. & 620
Spiritu sancto adueniente cur sonus. Act. 2. pag. 16.2
Spiritus sanctus cur supèr Apostolos in linguis, & vento, supèr Christum autem in columba. eod. cap. 17.1
Spiritus sanctus an, supèr Mariam, & Apostolos illapsus tantùm, vel etiàm supèr alias mulieres. eod.cap. 18.1
Spiritus quomodò postulet gemitibus inenarrabilibus. Rom.8. 179.2
Spiritus septem stantes antè thronum quid designent, & quare dicantur lampades. Apoc.4. 579.2
Splendor est Angelis naturalis. Apocal.18. pag. 636.1
Stantes supèr thronos in circuitu sedis, quare in senili ætate representententur. Apoc.4. pag. 579.1
Stellæ septem, Angeli sunt septem Ecclesiarum. quomodò intelligatur. Apocal. 1. pag. 568.2
Stella, quæ cecidit de cælo, cui data clauis Abyssi. pro quonam intelligatur. Apoc. 9. pag. 598.1
Stellæ duodecim, quas mulier habet in capite, quidnam denotent. Apocalyp. 12. pag. 613.1
Stephanus vnit simul duo sepulchra, Abrahæ nempè, & Iacob. Act.7. 44. 2. & in addit. 654
Stephanus cur legis mentionem faciat. Act.7. pag. 48.1
Stephanus an diuinam essentiam viderit. ibidem.
Stimulus carnis Pauli quinam. 2. Cor. 12. pag. 322.2
Substantia omnium cælorum, & elementorum an permansura. 2. Pet.3. 538.1

T

Tabulæ testamenti seruabantur intra Arcam. Heb.9. 476.2. & 477
Templum Dei apertum est in cælo, & visa est Arca. quomodo intelligatur. Apoc.11. pag. 606.2
Tempora à Christo nato vsque ad iudicium dicuntur nouissima, seu nouissimi dies. Act. 2. 19.2. & 20.1
Tepidi frigidis peiores. Apoc. 3. 577.1
Terra noua, & cælum nouum fient antè iudicium post conflagrationem. 1. Cor. 3. pag. 239.2
Testes in lapidatione præferebantur. Act.7. pag. 49.2
Thare cur non diuertit ad filium Nachor, vel potiùs cum Abraham, & Lot in Chanaan.

naan. Act. 7. 42.2

Thare in Vr fuit idololatra, secus autem in Haran. eod.cap. 43.1

Thuribulum aureum non seruabatur in Sancta Sanctorum, sed alibi. Heb.9. 476.2

Titus non erat interpres Pauli, sed cooperator. 2.Cor.2. 297.1

Tribus Dan non penitus peritura, sed aliqui conuertendi in fine mundi cum aliis Israelitis. Rom. 11. 197.1

Tribus Dan quare non nominetur in enumeratione aliarum tribuum. Apoc.7. 593.1

V

V*Eniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob, quomodo intelligatur. Rom.11.* 196.2

Verbum breuiatum faciet Dominus super terram. quodnam tempus percutiat. Rom.9. pag. 187.2. & 188

Verbum Incarnatum non esset, nisi Adam peccasset. 1.Cor.2. 230.1. & 231.2

Viduæ Græcorum in quanam re ab Hebræis despicerentur. Act.6. 36.1

Vindicta proximi à Deo non est petenda. Rom.12. 201.1

Vinum, & oleum ne læseris, quomodo intelligatur. Apoc.6. 187.1

Virga genealogiæ Messiæ quare in Tribu Iuda erecta. Act. 2.2

Virga Aaron seruabatur intrà Arcã. Heb.9. pag. 476.2. & 477

Vir infidelis discedendo à muliere fideli: vel è contrà mulier fidelis à viro, &c. soluitur vinculum matrimonij, & fidelis potest alteri nubere. 1.Cor.7. 254.2

Viri irruentes contrà proprias vxores, vel propinquas eis suspectas, vel luxuriosè agentes, quauis lege destituuntur. Rom. 12. 201.2

Visio beatifica quare sub figura maris repræsentetur. Apoc. 4. 580.1

Vmbra Petri sanabat tantùm quos obumbrabat. Act.5. 33.1


Vniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit. super his variæ expositiones. 1.Cor.3. 235.236.237.238. & 239

Vt iustificeris in sermonibus tuis: & vincas cum iudicaris, quomodo intelligatur. Rom.3. 150. & 151.1

Vt nemo accipiat coronam tuam, quomodo. Apoc.3. 576.1


FINIS.





Errata nonnulla, quæ præli, vel scribentium vitio irrepserunt, sic corrige.

Pag.9. col. 2. lin. 48. iterus, iturus. pag. 11. col.1. lin.11. possidet,possedit. ibid.lin.32. vobiscum,nobiscum. pag.14.col.1.lin.27. qui, quos. pag.33. col. 1. lin.29. spiriti, spiritibus. pag.35. col.2.lin.1. omissos, emissos. pag.44.col.1. lin.30. produxit,perduxit. pag. 57.col. 1.lin.43. Stephanus, Stephano. pag.ead. col.2. lin.43. Eliseu,Eliseus. ibid.currus,curru. pag.73.col.2. lin.17. populo, populum. pag.78. col 2. lin. 44. consummasset,consummassent. pag.85.col.1.lin.9.dicens, dicentes. ibid.lin.40.Ioan.2.Ion.2 pag.93.col.2.lin.7. esset. isset. pag.95.col.1.lin.36. ei,eis. pag.147. col.1. lin.43. scripta,scriptæ. pag.150.col.1.lin.40. Act. 23. 23.6. Act.23.6. pag.153. col.2. lin.43. Agnus, Agnus Dei. pag.156. col.2. lin.22. hæ, hæc. pag.172. col.1. lin.12. Sed cur vt fructificemus Deo? Sed cur? vt fructificemus Deo.&c. pag.181.col.1.lin.1.quia,qui.pag. 184.col.2.lin.4. gloriam,gloria. pag.203. col.1.lin.4. Ecclesiastica,Ecclesiasticæ. pag.104.col.2.lin.14. profectum, perfectum. pag.206. col.1.lin.27. prohibita, prohibitæ.pag.213.col.2.lin.22.relata,relatæ.pag.230 col.1.lin.7. capiunt,capient. pag.270.col.2.lin.3. dicitur,dicit. pag.277.col.2 lin.34.ad,de.pag.297.col.1. lin.4. cœptis,captis. pag.300.col.1.lin.2. populi eius, populi huius. pag.316.col.1.lin.10. 1.Cor.12.3. cap. 11.36. pag.330.col.1.lin.20. verbis, verba. ead. pag. col. 2. lin. 12. vnde, inde. pag.342.col.2. lin.22. ego, ergo. pag.353.col.2.lin.29.quem,quam. pag.360.col. 1. lin.14. 9. q. pag.363.col.2.lin.47. a, ab. pag. 376. col.1.lin.16. tradere, trahere. pag.379.col.1. lin.21. expectantes, expectamus. pag.379 col.2.lin.28. participationi,participatione. pag.381.col.1.lin.vlt. &.ex. pag.394.col.1.lin.40. nobis,vobis. pag.434.col.1.lin. 19. dilectio,dilecto. pag.439.col 2 lin.8. passi, passis. pag.442.col.2.lin 31. docere,differre. pag.474 col.2. lin. 14. duorum filiorum, duarum filiarum. pag. 475. col.1.lin.1.capite,capitis.pag.476.col.1.lin.1.notum, vetus. pag.478 col.1.lin 31. 72.27 pag.482.col 2.lin. 4. verbum (*non*) vacat. pag.523. col.2.lin.6. viuificatur,viuificamus. ibid. lin.33. & quoad,& quod ad. pag. 587.col.1.lin.42.duos,duas.pag.ead col.2.lin.41. apparuisset,aperuisset. pag.593.col.2.lin.39 per,post. pag. 612.col.1.lin.40. cap.7.cap.17. pag.613. col.2. lin.3. morti,morte. pag.617.col.1.lin.46. dicat.dicant. pag. 631.col.1. lin.49. incendenda, incendendæ. pag.636. col.2.lin.23. ducunt,ducant. pag.649.col.1.lin.2.prophetię,prophetæ.ibid.lin.24.exprobasset,exprobrasset. pag.655.col.1.lin.19.iudicaturo Samueli.iudicatui Samuelis. pag.658.col 1.lin.45.ascribendã.ascribendos:



REGESTVM.


✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T t V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk.

Omnes ſunt Terniones, præter ✠, quæ eſt folium ſimplex, & t, quæ eſt duernio.





ROMAE,
Ex Typographia Gulielmi Facciotti.
M. DC. XX.

SVPERIORVM PERMISSV.





